Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

# Ecclesiastica historia, integram Ecclesiae Christi ideam, quantum ad locum, Propagationem, Persecutionem, Tranquillitatem, Doctrinam, Haereses, Ceremonias, Gubernationem, Schismata, Synodos, Personas, Miraculas, Martyria, Religiones extra Ecclesiam, & statum Imperij politicum attinet, secu[n]dum singulas Centurias, perspicuo ordine complectens: singulari diligentia & fide ex vetustissimis & optimis historicis, patribus, & aliis scriptoribus congesta ...

https://hdl.handle.net/1874/456763

# Decima Centuria ECCLESIASTICAE HISTORIAE, CONTINENS DESCRIPTIONEM AMPLISSIMARVM RERVM IN REgno Christi, quæ Decimo post eius natiuitatem seculo acciderunt: cum Imperium Romanum gubernarent, Ludouicus tertius, Cunradus primus, Heinricus primus: Otto primus, dictus Magnus: Otto secundus, & Otto tertius: & Doctores in Ecclesia præcipui excellerent, Gilbertus, Ansbertus, Rudolphus, Theophylactus, Smaragdus, & alij quidam: eodem ordine, diligentia & fide, ut superiores Centuriæ, ex uetustis & probatis historicis, patribus, & alijs scriptoribus:

*IN DVCATV ILLVSTRISSIMORVM Principum ac Ducum Megapolensium, in ciuitate Vuismaria,*

PER AVTORES CONTEXTA.

Accessit Rerum uerborumq; in hac Centuria præcipuè memorabilium, tum Locorum Scripturæ explicatorum, geminus INDEX.



BASILEAE, PER IOANnem Oporinum. 1567.

# NOBILITATE GENERIS ET VIRTVTVM MAGNIFICO ET PRAESTANTISSIMO VIRO, D. ADOLPHO HERMANNO RIEDESEL in EISENBACH, Marschalco HASSIAE hæreditario, Domino & patrono suo colendissimo:

G. ET P. PER CHRISTVM.

ECCLESIAM DEI PERPETVAM esse, fidei articulus est: de quo nulli Christianorum ambigere licet. sed quænam sit illa DEI Ecclesia, & ubi sit, id uerò in controuersia non parua hæret. Videmus enim ex perpetuo mundi cursu, eos omnium maximè sibi speciosissimum Ecclesiæ titulum arrogare, qui tetris notis sese cohortem hostium DEI, ueritatis patefactæ, atque omnium adeò cultuum DEI declarant. Est autem uera Ecclesia CHRISTI perquàm exigua, deformata aliorum condemnatione spurcissima, ac uiolentis oppressionibus. Nec desunt in eo cœtu infirmitates, imò etiam scandala non pauca, quibus non parum dedecoratur. Florent autoritate, excellentia, potentia, qui in religione quod libitum est faciunt, ac manifestos errores tutantur. Qui uerò rectiori sententiæ addicti sunt, DEVMQVE in uero timore colunt, inuocant, celebrant, præstigiasque errorum atque superstitiosorum cultuum abominantur: titulis ambitiosorum, irrequietorum, alastorum, hoc est, tanquam hostes DEI & communis tranquillitatis fœdè proscinduntur.

Necesse igitur est proprietates ueræ Ecclesiæ, quas quidem ipsa uox cœlestis dictat, obseruare, & iuxta eas sine omni prosopolepsia iudicium facere: ac sese ei cœtui adiungere, in quo illæ notæ sunt conspicuæ, quantumuis sit exiguus, à filijs huius seculi contemptus, protritus, consputus. nam caput Ecclesiæ similem formam gessit.

Sunt autẽ notæ seu proprietates germanę Ecclesiæ CHRISTI: Verbum DEI purũ, ab omni pharisæorũ fermento purgatũ: Sacramentorũ usus iuxta autoris clarissima uerba: Inuocatio & Cõfessio plana & dilucida. Hę proprietates, ex multis uerbi diuini dictis certæ sunt. Iohan. 10. Oues meę uocẽ meã audiunt. Roman. 10. Corde creditur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem.

Non sunt notæ Ecclesiæ propriæ, certarum personarum successio. Nam Ecclesia non propagatur, neque ex parentibus naturaliter, necp ex uoluntate ullius uiri: sed ex DEO, seu per DEVM

generatur, per Verbum & Sacramenta. DEVS enim non est personarum acceptor: neque omnes sunt Israel, inquit Paulus, qui sunt ex Israel.

Neq; certa Ecclesiæ CHRISTI nota est, locus aliquis certus. Nam DEVS horrendo iudicio Hierosolymam deleuit: & rudera nunc ipsis Turcis, hostibus CHRISTI immanissimis, incolenda tradidit, ne quis certo loco putaret Ecclesiam DEI alligatam esse. Nec iubet CHRISTVS Apostolos suos unico in loco residere, & unicã quasi cathedrã ad perpetuò duraturã Ecclesiam consecrare; sed, Ite (inquit) in orbem uniuersum, docete omnes gentes: Qui cunq; crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.

Luculentissima sunt testimonia: In omni loco, in quo fecero meminisse nominis mei, ueniam ad te, & benedicam tibi. Exod. 20. Et: Vbicunq; duo aut tres congregati erunt in nomine meo, in medio eorum sum. Matthæi 18.

Hæc in ipsa Historia Ecclesię attendere, in primis utile est. Nõ dubiũ est, hoc seculo Ecclesiam DEI in terris extitisse. Sed quę nã, & ubi ea fuerit, id ferè difficile inuẽtu est. Nã qui pulcherrimũ Ecclesię nomẽ sibi uendicabãt, & ad ipsum clauũ (quod dicitur) sedebant, innumeris Antichristi notis erãt infames: utpote patrocinio errorũ, idolomaniis, sacramentorũ abusu, uitę impuritate, dominatione seculari iuxta morẽ gentiliũ, persecutione rectè sentiẽtiũ. Grassabatur Ecclesiasticus rex, qui Romanam sedem occupabat, passim in omnes omniũ nationũ Ecclesias: multo quidem superbius, quàm ullus Cæsar seu monarcha Romanus. Verùm non est dubiũ, in illo ipso cœtu quosdam fuisse rectè sentientes: & iuxta uerbũ DEI patefactũ, DEVM inuocãtes ac colẽtes: licet potissima hominũ pars, receptas uulgò superstitiones sectarẽtur. Nã baptismi substantialia mansere, & Bibliorũ adhuc aliquis usus. Sunt etiã ex doctrina de CHRISTO aliqui moniti, ac per spiritũ illuminati, ut fidem in CHRISTVM ponerẽt: ab eoq; sine omni propriorũ operũ meritis, remissionẽ peccatorũ, iusticiã & uitã æternã expeterent. Nã DEVS nõ est personarũ acceptor: estq; ei hoc solenne, infirma & abiecta coram mundo deligere ac sanctificare. Vrget & Theophylactus solam in CHRISTVM fidem.

Valde aũt tristis rerũ facies est, quòd Ecclesia hoc seculo ab impijs, à sceleratis, ab indoctis, ab idololatris obsidetur. Nã episcopi in mundanos principes ac gubernatores degenerauerant: quærebant opes, potentiã & gloriã huius uitę. in templis cõciones adrudem plebeculam, magna ex parte obticuerãt. Ceremoniæ humanæ ibi resonabant, de quib. CHRISTVS inquit: Frustra me colunt mandatis hominũ. Cœna Domini, spectaculum seu theatrica actio erat. Obseruationes regularũ ab hominibus excogitatę, summã pietatis laudem merebantur. Et hę tenebræ per orbem Christianum

stianũ longè latéq; dominabantur. Sed similis prorsus erat status ille Hierosolymitanus olim eo ipso tempore, cũ Filius DEI uiua uoce doceret, atq; redemptionẽ generis humani sua stupenda obedientia pararet. Regebant Ecclesiam pontifices ἄθεοι, tantũ opibus & uoluptatibus operam dantes. Iacebat doctrinę cœlestis inquisitio, explanatio, inculcatio. Oblationes sacrificiorũ, cantus & innumerę ceremoniæ ab hominib. traditę, omnes angulos templi occupabãt, omne tempus absumebant. Sed Dominus DEVS nihilominus paucorũ animos luce cœlesti perfundit, qui uerbum DEI discunt, amplectũtur Messiã, & uitã æternã consequũtur.

Hęc aduersus scandalum multitudinis utiliter cõsiderantur, ne Ecclesiam ex procerũ ac dominantiũ splendore, neq; ex multitudine deditorũ impijs sententijs ac falsis cultibus, metiamur: sed ex limpidissimi uerbi DEI professione, quæ à profanis doctrinis hominũ, omnibusq; idolomanijs est segregata, licet sub sancta cruce militet, & fœdis ignominiæ notis à filijs huius seculi turpissimè deformetur. Non est enim deformis corã DEO, quem filij mundi huius deformant. Nulla uerò est maior deformitas, quàm errores ac superstitiosos ritus sectari & tueri.

Expendant igitur Christiani Lectores, quomodo Romani prę sules nequaquã organa misericordiæ hoc Seculo extiterint. Nam spiritus mendacij atq; homicidij, talia ipsis plurimorũ scelerũ contra primã & secundam Decalogi tabulam stigmata inusit: ut ipsimet Gnathones pontificij, impietates & labes planè diabolicas ipsorum dissimulare non potuerint.

Consideretur etiam ira DEI omniũ quidem grauissima, quòd passus est uniuersam penè Ecclesiam extingui traditionibus humanis, & tyrannide episcoporũ, quorũ choragus erat ille Romanus Papacæsar. Timeant igitur DEVM hodie, omnes qui luce Euangelij diuinitùs patefacta fruuntur: atq; ardentibus & crebris gemitibus petant, ne ueteres illæ tenebræ rursum ingrauescant.

Hæc tantũ eam ob causam cõmemoramus, ut Lectores Christiani, prauitatẽ mundi, potentiã diaboli, & DEI iram, pijs pectoribus considerent: nec moueãtur, etiamsi uideant adhuc hodie numerũ rectè profitentiũ nomen DOMINI ad paucissimos redigi. Sunt enim huius mundi tempora postrema. crescit furor diaboli: ac propè est, quando apparebit ille potens suæ Ecclesiæ Reformator, in ipsis nubibus. tunc zizania à tritico separabuntur: tunc quoque apparebit pusilli gregis CHRISTI dignitas, gloria, honor.

Est præterea in hac Decima Centuria illud insigne, quòd electio Romani Imperatoris, certis personis, cõsentiente Imperatore & Papa, adsignatur. Neq; est exiguum Germaniæ nostræ decus, quòd ea, hac tanta excellentia, tum ornata est: tum eam quoq; tot

seculis clementissima DEI protectione fortiter conseruauit. Sed ista omnia ex lectione plenius cognoscentur.

Tibi uero, Vir magnifice, nobilitate generis, pietatis & uirtutis præstantissimo, hanc Centuriam nuncupandam esse duximus: Primùm, quia non ignoramus, te in lectione Historiarum singulari iudicio ac diligenter uersari. Ideo existimamus, tibi hanc inscriptionem non modò honorificam, sed etiam gratam futuram esse. Vtinam uero plurimi nobiles tuum exemplum imitati, Historias tum Ecclesiæ, tum politiarũ omnium gentium, studiosius cognoscerent. Non enim dubium est, ipsos Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ futuros esse salutariores. Hominẽ à brutis ratio secernit. Verùm ratio, si non literis pietatis & Historiarum exculta sit, quid ferè aliud est quàm gemma preciosissima in luto iacens? Etsi autem aliqui usu rerum, qui & ipsa est Historiæ pars, rationem suam paululum illustrant: tamẽ qui lectione simul uariarum rerũ instructi sunt, multis in rebus antecellunt; quas quidem hoc in loco non recensebimus. Speramus aũt, tuo exemplo alios quoque inuitari & excitari posse, ut Historias tum sacras tum prophanas degustent: ac nos quidem hanc ipsam ob causam tuæ præstantiæ eo libentius istam Centuriam dedicauimus. Deinde, cum significationem quandam tuæ beneuolentiæ exhibueris: testimonium hoc qualecunq; gratitudinis rependere uoluimus, ut quamdiu quidem DOMINVS DEVS hanc Historiã superesse uoluerit, Lector cognoscat, equestres quoq; uiros nostro æuo, cosque DEI beneficio nõ paucos, Historiarũ fuisse studiosos: tecq; unum ex illis non extitisse postremum, cum uiro nobilitate generis, pietatis, sapientiæ & omnium uirtutum clarissimo, totiq; Imperio Romano ex multis nobilissimis de religione actionibus notissimo, EBERHARTO à THAN, patrono ac fautore nostro omni reuerentia colendo, quem honoris gratia nominamus. Petimus igitur perquàm reuerenter & amanter, ut hanc istius Operis dedicationem animo Christiano suscipere non dedigneris. Bene in CHRISTO Vale. VVISMARIAE, in Ducatu Megapolensi, ad littus maris Balthici.

*Matthias Illyricus.*
*Iohannes Vuigandus.*
*Andreas Corninus.*

# Decimæ Centuriæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ

## CAPVT I.

REGNVM Epiſcopi Romani, uſque adeò obumbrauit & obnubilauit hoc ſeculo paſsim omnes in Europa eccleſias, ut tantũ ex eius nutu, tanquam numinis cuiuſdam cœleſtis, penderent non ſolum eccleſiarum, ſed ipſi quoque politiarũ gubernatores penè omnes. Inde eſt, quòd ueluti eclipſin quandam hoc preſens ſeculũ paſſum eſt horrendã, in qua pauci excelluerunt doctrina & uirtutibus eximij uiri: aut ſi qui fuerũt, in tãto tam uix pipire de corruptelis, abuſibus, falſis cultibus, prauis que moribus paſsim inualeſcentibus, auſi ſint. Mox enim ut uocem quantumuis tremulam, emittere quidam ſæ tyrãnidis metu ac publica trepidatione, ausi ſentientes, & Deum timentes conati ſunt, inſonuerunt terribilia illa fulmina ex ſede Romana toto cœlo ac terra, quæ neceſſe fuit omnes exhorreſcere: præcipuè cum faſcinatis paſsim magiſtratibus ciuilibus, ijs ueluti mancipijs ad ſuum placitum abuterentur illi Pauotratores, in ſella Romana ſuperbientes. Etſi autem nonnulli gubernatores, huius tantæ inſolentiæ atq; exorbitantiæ pertæſi, ueluti leones unguẽ aliquem contra iſtos arctolycos (Oecumenicos debebamus dicere. Nam omnia noſtra quatũuis tetra, in hac ſede recumbentia, nonnulli pro ſanctiſsimis Dei uicarijs, impie & contra antiquiſsimorum temporum & ſcriptorum euidentiſsima teſtimonia, celebranda exiſtimant) exerebant, & aliquid contra ipſos moliebantur pro autoritate, tamen iudicio Dei iuſtiſsimo, qui contemptum uerbi ſui grauiſsimè ulciſcitur, illi ipſi leones, arctolyco ſeſe tandem nimis turpiter & pudenter ſubſtituebant, ſeque uexandos pro libitu prębebãt.

Memorabilia autem in hac Eccleſiæ ęrumnæ diuinę facte ſunt, licet lutulentę atque conſpęcæ nonnihil cœno Antichriſti Romani, in Sueciam, in Poloniam, in Sclauoniæ partes, & in Vngariam. Epiſcopatus conſtituti ſunt illuſtres, Magdeburgenſis, Miſnenſis, & alij non pauci, ut ex iſtis ueluti ſcholis, uox diuina in uicinas gentes perſonaret. Flagrarunt enim Imperatores Germani eximio zelo, ulterius promouendi gloriam Dei. Quod autem in ſumptuoſas ædificationes, & largas profuſiones, in monaſteria atque templa nimium impenderunt, uitium eorum temporum fuit, quod Romana illa ſedes omniũ ſuperſtitionũ Lerna procreauit. Non dubiũ tamen eſt, quin Dominus Deus per doctrinã Bibliorũ, (quam legerunt & cecinerunt in templis, atque ipſi populo quoq; concionatores propoſuerũt) in illa quantumlibet magna & operoſa confuſione rituum & ſuperſtitionũ, aliquam ſibi delegerit & ſanctificarit Eccleſiã, à qua uera fide agnitus & celebratus eſt, licet potiſsima ac numeroſiſsima pars hominũ, quaſi ſpinis & uepribus traditionum humanarum & idolomaniarum ſit ſuffocata. Non eſt enim tam facile eluctari ex dumetis rituum & ſuperſtitionum humanarum, quàm in ea incidere.

Deinde & hoc memoria dignum eſt, quòd publicè ac ſolenniter, in ipſa Roma, pontifice, clero, populo, ſenatuq; conſentiente & comprobante, ius ac poteſtas deſignandi atque confirmandi archipræſulem eius urbis, in Imperatorem Romani regni transfertur: idque propter eam cauſam præcipuè, ut Hiſtorici tradunt, quia plerunq; Romani ineptiſsimos & ſceleratiſsimos quoſque in eam ſublimitatem euehebant: uel more Romuli magis quàm Petri, hoc eſt fraudibus, cædibus, peſsimisq; artibus, eam eminentiam bõni illi uiri arriperent. Sicut enim Hieroſolymis tempore Herodis, dignitas pontificatus, quia ſumma autoritatem & reditus ampliſsimos adferebat, à pluribus, ijsq; auariſsimis & flagitioſiſsimis ambiebatur, (quem alias, ſi tantũ labores, moleſtias, perſecutiones, dolores deditſet, alto ſupercilio deſpexiſſent:) ita etiam pontificatus Romanus hac ætate, ut poſtea quoq; ſemper, habebat propter ſplẽdorem uitæ & aucupia diuitiarum, plurimos procos: quem aliàs neglecturi & contempturi fuiſſent plerique, ſi tantùm paupertatem, onera docendi, contemptum & mille cruces attuliſſet.

Tertiò, in politico Imperio, illa celeberrima inſtitutio à Gregorio quinto, à populo ſenatuq; Romano, omnibus Imperij ordinibus ſuffragantibus, ſancita, corroborata atq; promulgata eſt, ut deinceps omnem poteſtatem deligendi atq; confirmandi Imperatorem Romani Imperij, habeant ſoli Germaniæ principes: idq; propter autoritatem, tranquillitatem ac perpetuitatem tãti Imperij. Ac duratio quidem iſtius ſanctionis tam conſtans, tam firma, tam utilis, teſtatur conſilio Dei eam factam eſſe. Sunt igitur hodie Germanici heroes, Romani Imperij adminiſtratores illuſtriſsimi, ultra quingẽtos annos, ſummo cum honore & incrementis eius regni: pro quo quidem beneficio Deo ſunt agendæ gratiæ, qui Imperia conſtituit & conſeruat: atq; hoc ipſum Romanũ regnum, (licet ille gigas in Daniele depictus, partim teſtaceis, partim ferreis pedibus decurrat) uſque ad mũdi huius ruinam, quæ non procul abeſt, durabit. Sed iſta, ex hiſtoria Lector fuſius cognoſcet.

Accedimus igitur nũc propitio Deo, ad Decimi ſeculi deſcriptionem, in quo Cæſares clariſsimi, omniq; genere uirtutum ornatiſsimi uixerunt, Ludouicus tertius, Cunradus primus, Henricus primus Saxo, Otto ille Magnus, eiusque nominis primus: Otto ſecundus, & Otto tertius, Saxones. In Eccleſia uerò tam pauci, celebres quidem, fuêre doctores, ut neceſſe fuerit aliquos huc recipere, qui ſequens Seculum attigerunt. Habemus autem potiſsimùm hoſce: Gilbertum, Ansbertum, Rudolphũ, Theophylactum, Smaragdũ: reliqui ſi qui fuerũt, aut obſcuri fuerunt, aut monumẽta ipſorũ non ſunt ad poſteritatẽ conſeruata. Verùm res ipſas Deo prœeũte ingrediamur.

# CAPVT II.

## DE LOCO ECCLESIAE.

QVibus in locis Eccleſia Dei hoc ſeculo extiterit, licet ea multis tetris ſordibus dedecorata, & penè obfuſcata fuerit, ex fide dignis autoribus adſignandum eſt.

### DE ECCLESIIS *per Aſiam.*

ANtiochiæ. nam Theodorus monachus, factus epiſcopus Antiochenus, Imperatorem orat & urget, ut Manichæos ex Oriente profliget. Zonar. tom. 3.

Non dubium autem eſt, plures hinc inde extitiſſe Eccleſias, in toto Orientalis Imperatoris regno: uerùm incuria Hiſtoricorũm non ſunt annotatæ.

### DE ECCLESIIS PER *Africam.*

ECcleſiarum, quæ hoc tempore in Africa extiterunt, in ſcriptoribus nulla fit mentio, craſſa quadã negligentia: & quia nullæ controuerſiæ graues & inſignes occaſionem præbuerunt, ut eas attingerent.

### DE ECCLESIIS IN MARI *Mediterraneo.*

IN Eubœa. In hac ſepelitur Bernardus, Epiſcopus Vuerzeburgẽſis, in monaſterio Politica dicto. Marianus Scotus.

Ex Arba & Caricta duo antiſtites prodiêre, ad Vrſeolum Venetorũ ducem: qui polliciti ſunt, ſeſe non modò imperata Venetorum facturos: ſed etiam quoties rem diuinam facerent, Venetorum ducum ſtructuros eſſe mentionem, eorumq; laudes decantaturos. Idem de Reguſæis in inſula Pharo, ſcribit Sabellicus lib. 2. Ennead.

### DE ECCLESIIS PER *Europam.*

IN GRAECIA. Conſtantinus VIII, Imperator Græcorum, aliquot duces ad religionem Chriſti permouit.

Turcas etiam quoſdam ad fidem Chriſtianam acceſsiſſe, refert Volaterranus.

Conſtantinopoli. Luitprand. lib. 2. cap. 10. Et nominat Zonaras aliquot patriarchas, qui hoc tempore ſuas functiones eo in loco adminiſtrarunt.

IN ITALIA. Ramoaldus in Hetruria, Piceno, Flaminia, Venetijs, Hiſtria, hominem ad religionem trahebat. Sabellicus.

Romæ. etſi enim magna ui Antichriſtus ibi regnaret, tamen aliqui ibi extiterunt, qui non curuarunt genua ſua ante Baal.

Mediolani. Vualbertus Mediolanenſis archiepiſcopus, & Vualdo Cumanus, in Saxoniam ad Ottonem ueniunt, Berengarij tyrannidem fugientes. Continuator Reginonis.

Brixiæ. ubi Ioſephus epiſcopus fuit, ſte Luitprando lib. 5. cap. 13.

Aquileię. Angelfredus Aquileienſis patriarcha Romę ſynodo interfuit, ibiq; mortem obijt. Contin. Reginonis.

Ticini. Luitprandus Ticinenſis eccleſiæ leuita, in hac Centuria uixit. Herm. Contr. Tritenhem. de illuſt. uiris.

Cremonę. nã Linſo Cremonẽſis ab Imperatore mittitur Romam, ut ſuo nomine pontificem eligat. Contin. Reginonis.

Dertonæ. Gezo eius loci epiſcopus, interfuit Synodo Romanæ. Luitpr. lib. 6. cap. 10.

Parmæ. nam Sigefridus Parmenſis epiſcopus, ab Hugone Italiæ rege ad Conſtantinopolitanum regem miſſus eſt. Luitprandus lib. 5. cap. 9.

Mutinen-

Mutinensis præsul Guido fuit. Luitprandus lib.5.cap.2.

Bononiæ. Meminit Bononiensium episcoporum Luitprandus. & Iohannes indè Romam commigrat: Idem.

Rauennæ. Stringit eos episcopos Luitprandus.

Placentiæ. Vuido est Placentinus episcopus. Idem lib.2.cap.14.

Tusci. ibi enim Adelbertus monachus Corbeiensis sit episcopus. Chron. Hirsaug.

Veronæ. nam Adelhardo Veronensis urbis episcopo hortante, Ludouicus imperator urbem ingreditur. Regino lib.2. Luitprandus lib.2. cap.11.

Tiburti. Ponitur Petrus Tiburtinus presbyter in Chron. Casinen. lib.2. cap.23.

Nucerinæ sedis episcopus fuit Landenulphus. Chron. Cass. lib.2.cap.13.

Cumis. episcopi Cumensis meminit Luitprandus lib.3.cap.10.

Sutriæ. eius loci episcopus ablegatur ad Otthonem, ad explorandam sententiam de electione pontificis. Contin. Regionis.

Narniæ. nam Iohannes Narniensis, in pontificem Romanum deligitur.

Horreis. Gerhardus & frater eius Matfridus possessionem S. Maximini & S. Mariæ ad Horrea uiolenter inua serũt. Regin. lib.2.

Capuæ. Iohannes abbas Teani, archidiaconus fuit in ecclesia Capuana. Chron. Casin.

Vercellis. nam Ludmarus eius fuit episcopus. Regino lib.2. Bonfinius lib.10. Decadis 1. rerum Vngar.

Numedensis episcopi meminit Luitprandus lib.6. cap.6.

Rubiloci. nam Rubilocensium episcoporum meminit Contin. Reginonis.

Cinglensis & Larinensis ecclesiæ mentio fit in Chron. Cass. lib.1. cap.60. & 63.

Terracinensis ciuitatis episcopus fuit Iohannes, ut refert Chron. Cass.

Rhegij. meminit eius Ecclesiæ Luitprandus lib.5.cap.13.

IN GALLIIS.

Remis. nam Folco Remorum archiepiscopus, à quodam Vuinimaro satellite Balduini comitis interfectus est. Regino lib.2.

Atrebati. fit enim mentio Abbatię S. Vedasti apud Atrebatenses. Regino lib.2.

Fuerunt in Remensi concilio passim ex tota Gallia episcopi: unde liquet, Christi religionem ibi uiguisse. ut Guido Suessonicę urbis episcopus, Adalbero Laudunensis, Herueus Beluacensis, Gotesmannus Ambianensis, Ratbodus Nouiomẽsis, Odo Syluanectensis ex Prouincia Bituricensiũ, Dãbertus archiepiscopus ex prouincia Lugdunensium prima, Gualterus Augustudunensis, Bruno Lingonensis: Milo Matisconensis ex prouincia Senonensiũ, quæ est prima Sequanorum metropolis, Remensiq; prouincię contigua: Arnulphus Aurelianensis, Herbertus Antisiodorensis ut patet ex primo eiusdem Cõcilij capite.

Tullensis ecclesię meminit Regino lib.2. narrans Luidhelmum & Dtuogonem eius fuisse episcopos.

De Belgicis & Germanis Christianis, præclarè inquit concilium Remense: Certè in Belgica & Germania, quę uicinę nobis sunt, summos sacerdotes dei religione ad modum pręstãtes inueniri, in hoc sacro conuentu testes quidam sunt. cap.28.

IN BVRGVNDIA.

Cluniacense cœnobium ab Augelino, primo Burgundiæ principe, fundatum est: Chron. manuscriptum. Ab Odone abbate instauratum. Bergomens.

Gigniacensis ecclesiæ meminit Sigebertus, cui abbas Cluniacensis annuatim 12 denariorum censum persoluit.

In Lotharingia, celebratur Vgibertus princeps nomine pietatis, qui Gamaltense cœnobium in Francia extruxit. Bergom. libro 11.

Arelatensis episcopi Manasis, meminit Luitprandus lib.4.cap.3.

Rotomagi. ubi Audœni templum fuit. Robertus Ganguinus.

Metensis episcopus Imperatori ausus est sese opponere. Contin. Regin.

IN HISPANIIS. Raimiris 2. Hispaniæ rex, fratrem Alphonsum, cum Christi fidem abnegasset, cæpit, effossisq; oculis in uincula coniecit.

Liberitanæ Hispaniarum ecclesiæ episcopo Regimundo, Luitprandus suam inscripsit historiam.

In Gallicia. Radamiri, Christianissimi Galliciæ regis, fit mentio in Luitprando lib.5.cap.1

IN GERMANIA.

Alemannos, Catholicę fidei feruentissimos defensores uocat Fasciculus tẽporũ.

Treueri. Ruotheri & Rũodberti archiepiscoporum Treuirensium, meminit Reginonis continuator. Et Schafnabergensis ait, ibi dedicatam esse ecclesiam sancti Maximini.

Tungris. nam Richarium Tungrensem episcopum annotat Contin. Reginonis.

Coloniæ. De Hermanno & Vuigfrido Colonienſibus episcopis idem scribit.

Bonnæ Synodus celebratur. Idem.

Duisburgi fit Synodus, & conuentus principum iuxta eundem.

Argentinæ. Baltrami & Ortberti Argen

tinẽsiũ episcoporũ, meminit Regino lib.2.

Moguntiæ. nam ibi Hatto, Herigerus & alij fuerunt episcopi. Regino lib.2. Villegisus ecclesiam Turnilam, seu Dorlon, sacris initiauit. Marianus Scotus.

Triburijs, quod est oppidum inter Oppenheim & Moguntiam. Tritenhem. in Chron. Hirsaug.

Ingelheim. Ibi Synodus agitur à 34. episcopis. Contin. Reginonis.

Vuormaciæ. Otto Imperator ibi festum Assumptionis obseruauit. Idem.

Spiræ. Regino Eberharti eius episcopi meminit lib.2.

Augustæ Vindelicorum. Hic conuentus principum fit. Contin. Reginonis. Bruno episcopus Augustanus fuit.

Eluangen. nã ibi Gebhardus abbas fuit in diœcesi Augustensi. Chron. Hirsaug.

Merenstein monasterij in Alsatia, memi nit Contin. Reginonis.

Curiensi ecclesiæ Vualdonem præfuisse, idem narrat.

In Bauaria. Anno 900 Vngari Bauariam deuastantes, simulq; ecclesias igne perdũt, ut refert Chron. Hirsaug. Et Auentinus lib. 4. Annalium inquit, præcipuos in Bauaria Episcopos fuisse Iuuauiensem, Bathauiensem, Fruxinensem, Salonensem, Augustanum, Aichstetensem. Item Ratisponensis episcopi sæpe fit mentio in hoc Seculo.

IN BOHEMIA.

Leptiueus, Boiemię dux, religionẽ Christianã amplectitur & fouet, & nominatur episcopus Pragẽsis Vuictech. Sigebertus, Sabellicus.

IN PANNONIA.

Viennæ. Fridericum eius loci archiepiscopum, Contin. Reginonis uocat.

Celebratur & Leopoldus primus Austrię marchio, ob pietatem. Cuspin. in Austria.

In Vngaria. Toxas enim eam gentem ad fidem Christianam perduxit. Bonfinius.

IN FRANCONIA.

Francofurti. Imperator Natalem Domini ibi celebrauit. Continuat. Reginonis.

Herbipoli. Fit enim mentio Episcoporum, qui eo in loco sacris præfuerunt apud Reginonem lib.2. & Marianum Scotum.

Fuldæ. nam ibi & monasterium & Abbates fuêre. atq; Hungari magnam ibi uastitatem effecerunt. Regino lib. 2. Chron. Mersburg.

Herschfeld, siue Herueld. nã Cunradus in eo monasterio Natiuitatem S. Iohannis celebrauit. Regino lib. 2. Titharti abbatis meminit Schafnabergensis.

IN THVRINGIA.

Salefelt. Ludolphus dux Natalem Domini ibi celebrauit. Contin. Reginonis.

Arnestad. Hic Vuilhelmus, Moguntinus episcopus est electus. Idem.

Ordorf. Anno 998 Gotsbertus abbas ecclesiam in Ordorf extruxit. Schafnab.

Misniæ. nam ibi Otto primus Episcopatum constituit. Chron. Mersburg.

Mersburgi. Otto imperator sacros dies celebrat. Vuitichindus lib. 3. Schafnaberg.

Brandenburgi. nã Henricus primus incolas ad fidem Christi deduxit. Valentinus Muntzer. Otto primus Episcopatum ibi erexit. Chron. Mersburg.

IN SAXONIA. Otto primus paganos, Saxoniam incolentes, ad Christianam fidem perduxit. Chron. Martini.

In Heresburg fuit ecclesia à Leone papa dedicata Petro. Vuitichindus lib. 2. Hilleo. Saxon.

Magdeburgi. Adelbertus ab Ottone ibi constituitur episcopus. Helmoldus, Crantzius. Editta Otthonis cõiunx ibi sepelitur. Contin. Reginonis.

Hildesleuen. Vbi Ottho I. monasterium fundauit. Hirsaug. Chron.

Quedlinburgi. Ottho imperator festa celebrat. Vuitichindus lib. 3. Henricus I. monasterium ibi constituit.

Halberstadij. Sigismundi episcopi Halberstatensis in Chronico Merspurgẽsi mentio fit.

Ringelheim in Saxonia monasterium conditur à Theodorico, eius loci comite. Chron. Hirsaug. Trithemij.

Northusæ. Mechtildis Cæsaris uxor cœnobium Eustachij extruxit. Chron. Mersburg. Crantzius in Saxon.

Mimigardeuordensis episcopus est Vuilhelmus. Metrop. Crantzij lib. 2. cap. 29.

Heslingę & Treuenæ Adeldagus fundauit cœnobia. Ibid. lib. 3. cap. 23.

Osnaburgi. Eius loci episcopus fuit in exercitu Heinrici contra Vngaros. Chron. Mersburg.

Padelbornæ. Eò transtulit Henricus I. ossa sui abaui. Chron. Mersburg.

Mindæ. de qua Ecclesia Crantzius in Metrop.

In Visbeeke & Ouernkerke, tempore Liudarij Mindensis monasteria sunt extructa.

Verdæ. in Metropoli Crantzij.

Vualsrodæ etiã monasterium fuit. Crantzius lib. 3. cap. 33. Metro. Item in Vlesen. uel Vlsen.

Corbeiæ. Eò relegatur Fridericus archiepiscopus Moguntinensis. Contin. Reginonis. Idem & Lauresheimensis monasterij meminit.

IN BRABANTIA. Tempore Heinrici imperatoris Louaniense gymnasiũ in Brabantia fundatur. Gassarus.

Traiecti-

Traiecti. Rathbodus episcopus Traiectẽ sis nominatur à Tritenhemio de Illustribus uiris, & quòd Dauentriæ solitus fuerit residere.

IN LOTHARINGIA. Vbi princeps eius regionis Vgibertus, singulari pietate & miraculis excelluit. Bergomensis.

Bremæ. Huius facit Crantzius mentionem in Metropoli.

Aldenburgensis ecclesiæ, & episcoporũ eius Marconis, Ecuuardi, Vuagonis & Ezironis, Helmoldus meminit.

Hamburgi. eò enim relegatur Benedictus pseudopapa. Luitprand.

Meckelburgi. nam iste locus fuit sub cura Aldenburgensis episcopi. Helmoldus.

IN DANIA.

Bruno archiepiscopus Colonienſis, Danos, Holsatos, Ditmarienses, & reliquos in Chersonneso Cimbrica, qui Nortalbinges nominati sunt, conuertit ad fidem Christiana. Chron. Mersburg. Otto 1. Schlesuuici episcopatum instituit. Ibid.

In Selandia & Scania Othincarus Albus sacerdos doctrinam Christi propagauit. Saxo Grammaticus.

In Suecia, Byrcæ. ubi Vnno concionatur uerbum Dei. Helmoldus.

In Noruegia. nã Henricus reges eius tem poris ad Christianam religionem deduxit. Chron. de ducib. Bauarię. Et Volcquardus ibi uerbũ Dei propagauit. Crantz. Metrop.

In Gothia. nã Vuimp monachus Corbeiensis ibi docuit uerbũ Dei. Chron. Hirsaug.

In Ruſsia. Elgam enim ducis Russorum coniugem ad Christianam religionem esse conuersam, Zonaras tom. 3. Annaliũ refert.

In Polonia Miecislaus magno studio doctrinam Christi propagauit. De rebus Polonorum Crom. lib. 3.

DE ECCLESIIS PER Oceanum.

IN Britannia. Ethgarus nimium religiosus, singulis penè annis monasteriũ extrui curauit. Bergomensis.

Burense collegium sacerdotũ ab Ethelstano Anglorum rege fundatur. Balęus. Fulbertus in occidentali Anglorum parte claruit. Ibidem.

Cantuariæ. Eius episcopus Dunstanus monasterium instituit Suessoniæ. Epitome mundi.

Glasconiæ. Vincentius in Speculo.

Vuintonienſis episcopus Adelbotus annotatur in Chron. Hirsaug. Etheluoldus à Polydoro Vergilio.

Vingorniæ, Eboraci & Ramasiæ, religio Christiana uiguit. Fasciculus temporũ. Vulstanum Eboracensem archiepiscopum uocat Polydorus lib. 6.

DE PROPAGATIONE.

IN GRAECIA.

MIsit Helena, Rugorum regina, legatos ad Ottonem imperatorem, qui peterent sibi episcopos & presbyteros mitti, ad tradendam Christi doctrinam in sua gente, Anno Domini 959. Contin. Reginonis. Schafnaburgensis ait, Adelbertum eò missum esse, qui pòst episcopus Magdeburgensis factus est, circa annum Domini 960.

IN VNGARIA.

IMperante Carolo magno, facta est propagatio doctrinæ Christi in Vngariã: uerùm eo imperatore rebus humanis exempto, ad pristinas idolomanias redierũt Vngari, ac penè in uniuersum apud ipsos extincta est religio Christiana. Sed Geysas rex siue dux Vngariç, filius Toxis, diuinitùs amore ueritatis accensus, omninò decreuit Christianam religionem, fœda idololatria, qua populus uniuersus erat fascinatus, abrogata, in suas regiones reuocare. E` uicinis igitur regionibus uiros pietate & doctrina insignes accersit, quibus prouinciam imbuendi hominum animos saluifica Christi doctrina, committit. Etsi autem initiò fortis ille atrium suum tenens, pro more suo acerrimè reluctabatur, & proceres quosdam, aliosq; ferociores extimulabat, ut tam sanctis conatibus sese opponerent: quia auita religio non sit deserenda, nec sint mollienda animi ista ceremoniarum obseruatione, qui didicissent armis & bellaci dextera rẽ & gloriam acquirere: tamen partim sua pietate rex, partim etiam autoritate & armis seditiosos repressit: ac tandem Christi doctrina imbuti illi homines, in ipsa quoq; cõmuni uita mitescere cœperunt, ita ut armis depositis quieti sese darent, pacem cũ finitimis gentibus colerẽt, & mercimonia admitterent. Vicini quoq; populi ultrò Vngaris amicitiã, coniunctionẽ, & in rebus aduersis auxilia pollicẽtur. tantũ scilicet pietas habet commodorũ, ut nõ modò spiritualia, sed etiam temporalia quamplurima adferat. Bonfinius lib. 10. Decad. 1. Funcius annum Domini 967 annotat: Cromerus 990.

Auentinus Geysam istum, nominat Geysonem: & ait, eum misisse ad Pilgrinũ, quũ tum Bathauẽsi & Laureacensi ecclesijs præsidebat, ut in suas regiones ueniens, populum suum de fide in Christum erudiret. Is uerò Vuolfgango, uiro eo seculo doctissimo, sibi adiuncto, in Vngariam profectus, Ecclesiam Christo lucrifecit. lib. 5. Annaliũ Boiorum.

Narrat Zonaras talem historiam tom. 3. Annalium. Duces Vngarorum duo præcipui, quorum unus Bologudes, alter Gylas dictus fuit, Imperatorẽ conuenerunt: atq;

imbuti

imbuti doctrina Christiana, sacra regenera tionis unda tinguntur. Muneribus ornati, & doctore uerbi Dei adsumpto (cui Hiero theo nomẽ fuit, ut Volaterranus annotat) in suas ditiones reuertuntur. Hac occasione uerbum Dei in istis regionibus plantatur. Verùm alter in pristinas idolomanias relapsus, fœdus quod cum Deo & Imperatore pactus fuerat, nefariè uiolat: Gylas uerò & religionem & iusiurandum fideliter tuetur.

IN REGIONIBVS AQVILONARIBVS.

*Aquilonaribus.*

HAraldus non modò curam piam suorũ subditorum egit, ut eos Christo lucrifaceret: uerùm riuulos ex fonte suo etiam in uicinas gentes deducere conatus est. nam bonũ, est communicatiuũ sui. In Noruegia igitur & Anglia, Ecclesias Christi (quãtum potuit) in propagãda & ornãda salutari doctrina & cultib. diuinis adiuuit. Hoc charitatis officio Haquinũ, Noruegiæ principẽ, ob insolentia facta à suis eiectũ, non modò restituit: uerùm animum quoq; eius prius in uera pietate erudijt, ut Christianis deinceps nihil molestiarum inferret. Fuit & filius Erici Edmundus Suecorum rex, Haraldo confœderatus, æquus Christicolis. Metrop. Crantzij lib. 3. cap. 38.

Extitit & Vuilhelmus Normannorum dux Christianissimus, qui in Neustria dominabatur. Huntho eius successor eandem fidem secutus est. Lazius.

Alemanos, catholicę fidei feruẽtissimos defensores appellat Fasciculus temporum.

IN THVSCIA.

ANno Domini 960, legati Thuscorũ ad Ottonem uenerunt, petentes sibi doctos aliquos in pietate Christiana uiros dari, qui uiam ueritatis ipsis commonstrarent. Misit igitur Imperator Adelbertum ex monasterio Corbeiensi, doctrina & sanctitate insignem. uerùm is uix euasit ipsorum manus, priusquam firma pietatis fundamenta iecisset. Chron. Hirsaugiense.

IN POLONIA.

POlonia tali occasione fidem Christi accepit. Erant nõnulli qui in Bohemia & Morauia suas habebãt negociationes: sacra igitur Christianorũ adeũt, & duce Spiritu sancto ipsi quoq; eam religionem sensim accipiunt. Reuersi autem domũ, passim alijs quoq; Christum Saluatorem commemorant. Externi quoq; è Christianorum regionibus, sæpe mercium causa in Poloniam commeabant, qui hospitibus & alijs suam religionem commendabant. Subinde latius serpente hac doctrina, ad regem quoq; ea perfertur, Miesconem siue Miecislaum: cui fœlicitatem pollicentur Christiani, si idolomania abiecta, Christo nomen det. Quid fit? Septẽ mulieribus Ethnicis, quas barbaro more sibi adiũxerat, repudiatis, Christianam coniungem ambit Dambrouucam, Boleslai primi Bohemorum ducis filiam, uirginem.

Miecislaus igitur, sponsa splendido comitatu Gnesnam deducta, antequam nuptias celebraret, baptismum (uti conuenerat) accepit, anno Domini 965. Postea pie coniugis institutione & adhortatione, totum se ad propagandam & ampliandam religionem Christi conuertit: regiones in diœceses distribuit. Archiepiscopos duos præfecit, unum Gnesnensi, alterum uerò Cracouiensi ecclesiæ: reliquis uerò ecclesijs episcopos attribuit, ut Posnaniensi, Smagorouiensi, Crusuicensi, Plocensi, Culmensi, Lubuscensi & Camenensi. Chron. lib. 3. Anno Domini 965.

Crantzius narrat, Adelbertum Pragensem episcopum, Boleslaum Miesconis siue Miecislai filium in fide Christi erudijsse, & ad Borussos uenisse: qui quidem eum trucidarint. lib. 2. cap. 29. Vandal.

IN VANDALIA.

HEinricus primus Sorabos seu Vandalos, tunc quidem nominatos Delemanticos, armis deuictos, coegit suscipere fidẽ Christianam. Chron. Mersburg. Pòst Ottho magnus eosdem populos, præsertim Septentrioni uiciniores, quos ad uomitum rediisse uerisimile est, simul cum tributo, Christi fidem amplecti ui compulit: quare effectũ est, ut ingens hominum multitudo fonte regenerationis sit initiata. Magdeburgum ad Albim instaurauit, atq; Vandalis metropolim statuit, collocato in eum locum Adelberto archiepiscopo, qui in propaganda doctrina Christi inter Vandalos præclaram operam nauauit. Crantzius in Vandalia, lib. 2. cap. 30.

Interior tamen Vandalia ad Orientẽ ad mare sparsa, cuius populi sunt Polabi, Obotriti, Kisini, Vuinuli, Circipani, nondum penitùs se dediderant Christi doctrinæ: licet Corbeienses, & Hamburgum atq; Magdeburga, aliquot in ea loca semina Verbi diuini effudissent. At postea colla sua omnino Christo subiecerunt, ita ut religio uera in uniuersa Vandalia, Prussia & Polonia uigeret, licet sub Misisla siue Misilao filio Bilungi iterum defectio accideret. Crantzius in Metrop. lib. 3. cap. 39.

DE CONVERSIONE OBOTRITAE.

REgem Obotritarum ad Christianã fidẽ perduxit Henricus, anno Domini 931. ut Sigebertus refert, & Cõtinuator Reginonis, Hermanus Contractus. Brande-

Brandeburgum ab Henrico primo occupatum, & ad fidem Christi deductum est, Anno Domini 920.

MEGAPOLENSES.

Anno Domini 986, Bilungus filius Visilai, Herulorum & Vandalorum rex, cuius regia fuit Megapolis, tunc quidem florentissima, ex cuius ruderibus postea Vuismaria est condita, à uicinis principib. monitus, Christianam fidem amplectitur, & Virginum cœnobium in ea ciuitate instituit. uerùm Misilai filij persuasione rursum ualedicit religioni ueræ, seseq; denuò idolatriæ pristinæ mancipat: & coniugẽ, quę erat soror Vuagonis, tertij episcopi Aldenburgensis, repudiat. Marschalcus.

DANI.

Danorum regem conuertit Henricus rex. Continuator Reginonis. Cuspinianus Nortmannorum regem appellat. Sigebertus & annum 931 indicat. Danos in Oceano Germanico & Phrisia prædas agentes, Heinricum imperatorẽ bello uicisse, atque ad tributa, fidemq; Christi colendam adegisse, Hedio testatur.

Elga coniunx ducis Rossorum, qui classe Romanis sese opposuerat, marito suo defuncto, ad Imperatorem Constãtinop. profectam Iohanne Zemisce imperante, ibiq; religionem Christianã susceptisse: Stoslao uerò filio persuadere matrem nulla ratione potuisse, ut impietati Ethnicæ ualediceret. Filium tamen eius Vulodimirum fidem Christi amplexũ esse ait, persuasum ab uxore Anna, Constantinopolitanorum Imperatorum Basilij & Constãtini sorore, Anno Domini 990. Lib. 3. de rebus Polon.

Tempore Ottonis primi, conuersi sunt Nortuegi, Liuones, Escones, Curoni, Luzates. Henricus Token.

BOHEMI.

Methodius Morauorum archiepiscopus, Vuorzyuoum, ultimum Paganorum ducẽ in Bohemia, unà cum coniuge Ludimilla, quæ fuit filia comitis Flauuitorij de castello Bzeuu, quod postea Melinca dictum est, ad religionem Christi, & baptismum adduxit, Anno Domini 905. Ac fertur Ludimilla miraculis quoq; claruisse. Schedelius.

Bohemiæ rex Liptineus, ad fidem Christi conuersus est, ac religiosè suæ ditioni præest circa annum Domini 921. Sigebertus. Bergomensis ait, Henrici Imperatoris suasu id factum esse: lib. 11. idem Cuspinianus asseuerat, qui eum uocat Spitigneum: Martinus Polonus, Spirigneum.

DE AMPLIATIONE.

HElmoldus testatur, Ottonum temporibus, Ecclesias Sclauorum, Vuagrorum, Obotritorum siue Kycinorum, uehemẽter creuisse. cap. 12. Crantz. in Metrop. lib. 3. cap. 26.

Scribit etiam Martinus Polonus, Ottonem primum, magnam Paganorum multitudinem in Saxonia adhuc reliquam, ad fidem Christi conuertisse.

Tempore Caroli Magni, Bero eius nominis secundus, Suecorum rex, fidem Christi amplexus est: uerùm populus paulatim ad religionem Ethnicam, quæ non excindebatur penitùs, redijt, ita ut uniuersum regnum fœdis idolomanijs esset obnoxium. Præterea bella Regum faciebãt, ut doctrina Christi non posset tam sedulò inculcari: ideoq; idolomaniæ uicissim quasi fores patefaciebant. Ericus autem Aorsol siue Stenchillus, iterum de amplianda Ecclesia Christi in suo regno cogitauit: atq; conatus pios benignè promouit ipse Christus, qui promisit se eiusmodi sanctis laboribus adfuturũ esse. Occasionẽ ad hanc ipsam rem, miraculum quoddã præbuisse fertur. Nã sacrificulus ethnicus, spectante populo, sacrificia idolis oblaturus, subita cæcitate percussus est, ne posset, quod cœperat, perficere. Is diuinam ultionem agnoscens, & ad Christũ se conuertens, miraculosè uisum recepit. Gratus igitur Christo benefactori, cœpit fieri præco Christianæ religionis, repudiato atq; condemnato impio idolorum cultu & ueneratione: quæ quidem res uniuersum populum commouit, ut singulari ardore ad Christianismum ferrentur, & salutare lauacrum regenerationis susciperent. Rex Ericus protinus à Metropolitano, qui tunc erat Bremensis, duos accersit Doctores, Adaluardum & Stephanum, integritate doctrinæ & morum insignes: quibus ecclesiarum institutionem, inspectionem & curam commendat. Ea ratione breui crescit Ecclesia Christi, & idolomania ethnica penitùs extirpatur. Præsertim cum Olaus, cui fuit cognomen Schotkonig, patrem non modò imitaretur, sed & superaret pietatis studio & ardore. lib. 17. Gott. Item in historia Metropol. ecclesiæ Vpsalensi.

Othincarus Albus sacerdos, nobili loco natus, non modò opes suas sacris impendit: sed etiam docendi officium singulari zelo suscepit, & præstitit in Selandia & Scania. Saxo lib. 10. Crantzius inquit, ab Adaldago eum in Sueciam ordinatum esse. Metrop. lib. 3. cap. 38.

Volcquardus Aldenburgensis episcopus, in Noruegiam se conferens, aliquot

annos cum fructu uerbum Dei seminauit. Metrop. Crantz. lib. 3. cap. 43.

Adelstanus regno potitus, omne studium in ampliandam & dilatãdam religionem Christi contulit. Idem & Eldredus, 26 Angliæ rex, præstitit. Bene meritus quoq; est Ricardus, Normanniæ dux, de Ecclesia.

DE INSTAVRATIONE.

In Daniã molitus est Christianam religionem penitùs extirpare, impius & crudelis rex Gormo, quem Helmoldus allusione Germanicæ uocis appellat Vuorm: hoc est, uermem crudelissimum. Verbi enim Dei fideles doctores toto suo regno pepulit, & quosdam diris supplicijs affecit. Breui igitur tempore effectum est, ut regis immanitate absterriti subditi, ad profanam gentium religionem plerique redierint. Verùm Henricus I. ad Daniã exercitu ducto, Gormonem suo aduentu tam uehementer exterruit, ut mox polliceretur, se imperata facturum. Regione tali ratione, Imperatoris nimirũ autoritate & fœlicitate pacata, Vnni (alij Vnnonem uocant: Tritenhemius, Vuimonem) archiepiscopus Hamburgensis sextus, animaduertens ipsi Christo quoq; hunc portam aperiri, mox accinctus itineri, cum aliquot fidelibus socijs & synergis, ipsemet in Daniã sese confert, ibique docendo & instituendo multos homines ad fidem in Christum reducit: ipsum tamen Gormonem regem, nullis institutionibus aut adhortationibus flectere potest. Verùm Heroldum (alij Haraldum scribũt) eius filium, Christiana pietate imbuit: qui patris austeritate motus, baptismũ sui differre cogitur: regis tamen concessione, archiepiscopus Vnni insulas maris passim uisitat, atq; in eis Christo Ecclesiam sanctam, ministerio uerbi cœlestis colligit. Hisce rebus confectis, sacerdotes idoneos conuersis Ecclesijs præponit, atq; Heroldo curam Christianorum cõmendat. Helmoldus. Narrat Crantzius, Henricum imperatorem liberum reliquisse Gormoni, an uellet Christianam fidem amplecti: uerùm ea conditione ne cuiquam suorum subditorum prohiberet eam recipere: ac permitteret, uerbi Dei doctores publicè doctrinam Christi proponere, ac per totũ regnum spargere.

Hac peregrinatione peracta, Vnni archiepiscopus ulterius sibi progrediendum esse putauit, ad exemplum Anscarij. Naui igitur conscensa, mare Balthicum ingreditur: atque magnis laboribus ad Byrcam Sueciæ ciuitatem, ad littus maris sitam, ubi Dani, Noruegi, Sclaui, Sembores, Scythæ sua habebant commercia, defertur. In eum quidem locum, intra annos septuaginta, præter Reimbertum, nemo episcoporum uenerat: ac religio Christiana immanitate Regum, multis q; periculis penitùs ibi extincta fuerat. Hic igitur archiepiscopus Vnni, Suecos & Gotthos de religione Christiana iterum, summa qua potest fidelitate instituit: ac Deo cooperante, frequentẽ Christo Ecclesiam in ulterioribus quoq; locis Sueciæ lucrifacit. Tandem cursu suo absoluto, Byrcæ ex hac mortali uita emigrat Vnni, Anno Domini 936. Helmoldus.

Henrico imperatore è rebus humanis sublato, Dani recusant Ottoni primo tributũ pendere. Otto igitur reliquis rebus cõstitutis, Danis bellum infert: prospereq; succedentibus omnibus, Heroldus Danorum rex tandem baptismum recipit, cum uxore & paruo filio: quem Otto ex sacro fonte leuat, atq; nomen ei imponit Sueinoto, seu Suen Otto, in memoriam baptismi: quia Sueno primùm fuerat nominatus. Regis exemplum reliquus populus est subiecutus. Eo tempore Dania Hamburgenti episcopo subiecta est. Helmoldus cap. 9. Adeldargus igitur episcopus Hamburgẽsis, tres in Dania episcopos præfecit: Heroldum Slesuico, Liafdagum Ripæ, Rembrãdum Aruſiæ. Hisce subiectæ sunt Ecclesiæ in insulis erectæ, ut in Fionia, Selandia, Scania, atq; in Sueonia: ut narrat Crantz. in Metrop. lib. 3, cap. 17 & 26. & in Dania lib. 4. cap. 24. Tritenhemius paulo aliter recitat, & adsignat annum Domini 948. Nomnat enim Godfridũ regẽ Danorũ, sub quo ista sint facta. Saxo quoq; uariat lib. 10, ob historiæ perplexitatem. Bruno etiam archiepiscopus Colonienſis, Nortalbingenses, Danos, Holsatos, Stormaros, Dithmarsos, magnis laboribus ad fidem Christi reduxisse, & Euangelium Christi late in illis regionibus diffudisse scribitur: id quod Sigebertus narrat factũ anno Domini 958.

Narrat idem eiusmodi occasionem instauratę & propagatæ religionis in Dania, sub annum Christi 966. Exorta est in conuiuio quædam altercatio inter clericum Popponem & alios conuiuas, de Christo Deo, & de cæteris dijs. Nam aliqui ueram religionem, alij uerò gentilem, qua plures esse deos credebant, amplectebantur. Contendebant isti qui Ethnicæ religioni erant dediti, suos deos longè antiquiores & potentiores IESV CHRISTO, Deo Christianorum. Hisce rixis motus rex Daniæ Heroldus, siue Araldus (ut alij scribũt) Poponi imposuit, ut suam religionem aliquo testimonio seu miraculo probaret. Ferrum igitur magni ponderis igni calefit, ac iubetur clericus, in ueritatis signum id circumferre, salua & illæsa manu: id quod ipse excellenti

excellenti fide manibus suis, omnibus cũ admiratione spectãtibus, circumfert. Quo uiso, rex uniuersam idololatriam publicè abrogat, populusq; omnis sese religioni Christianæ adiungit. Popo autem, ut refert Saxo lib. 10, Auruſij creatus est episcopus. Sclauos quoq; uictor Otto, religionẽ Christianam restaurare coegit: ac cœptæ sunt magno studio in Sclauonia ecclesię extrui. Helmoldus cap. 9. 10.

DE DEFECTIONE.

Raimiris secundus, rex Hispaniæ, regem fratrẽ, qui à fide Christi defecerat, cæpit: oculisq; eius effossis, in uincula eum coniecit. Funcius.

Anno Christi 912, Normanni fidem Christi amplectuntur, atq; Rollo primus ipsorũ dux constituitur. Verùm is ab agnita ueritate deficiens, & tumultus ciens, ab Henrico Aucupe redigitur in ordinem, ut & imperata facere, & religionem Christi profiteri cogeretur. Baptizatus igitur, Roberti nomen accepit. Lazius.

Quo tempore in Dania religio Christiana incrementa accipiebat, in Noruegiam Bernardus ex Anglia ueniens, doctrinam Christi plantare cõnatus est. Ac initio quidem Olaus rex aures uerbo diuino præbuit; adeò ut etiam lauacrum regenerationis subierit: uerùm animus eius Ethnicis opinionibus fascinatus, eas penitùs abijcere nequiuit. Nullis igitur monitionibus contineri poterat, quo minus auguria in scindis euentibus consuleret: eoq; pacto magis dedecoraret fidem, quam amplexus fuerat, quàm ornaret. Saxo lib. 10. Hinc Olaus Magnus in historia Gothica, lib. 17. cap. 17 scribit, eum nomine magis quàm re ipsa fidem Christi accepisse.

Suenotto deficit à Christiana religione, tali occasione. Primùm, uiuo adhuc patre, aspirabat ad regni sceptrũ: & uidebatur, sibi, patrem Haraldum diutius in uiuis esse, quàm suis rebus consultum esset. Deinde procerũ animos animaduertit paulò alieniores esse à patre: qui flagrans pietatis uerę zelo, idolamaniam Ethnicam, cui illi adhuc addicti erant, tolerare nolebat. Adiungit igitur sese istis seditiosis & impijs proceribus Suenotto, cumq; ipsis aduersus patrem conspirat. Voti sui compos factus, patre in inducijs sagitta uulnerato, cum sine metu insidiarum paululum in nemore obãbularet, & extincto, publicè suę factionis & profligata, Christiana religione abrogata, ac mandat. in cuius rei testimonium, suum quoq; cognomen, quod in baptismo ab Ottone imperatore acceperat, abijcit. Sed postea atrocibus pœnis castigatus & humiliatus, redit ad fidem Christi. Et Olaus Sueciæ rex, ei Daniam regendam permittit, ea conditione, ut ibi locum Christi Ecclesiæ præberet. Verùm de pœnis eius, tertio Capite dicendum erit. Crantzius li. 2. cap. 32. 33 Vandalicæ historiæ: & lib. 3. cap. 44 Metrop.

Rebus turbatis in Dania, Vandali finitimi (ut fieri solet) mox mala exempla æmulantur. Tentant etiam ipsi iugum excutere, & Christianismum abijcere: uerùm Ottonis 3, & Bennonis Saxoniæ ducis metu, timidius ista moliuntur. Metrop. Crantz. lib. 3. cap. 39. Et in Dania lib. 4. cap. 23. Eduinus, rex Anglię, omnes monachos ex regno eiecit. Fasciculus temporum.

# CAPVT III.

## DE TRANQVILLITATE & persecutione, SVB LVDOVICO IMperatore.

LVdouici imperatoris tempore, Ecclesiæ Christi mediocrẽ in imperio Romano quietẽ habuissent, nisi feræ & infideles gentes, dira regnandi ac spoliandi libidine extimulatæ, simul etiam (ut fieri solet) religioni Christianæ fuissent funestæ. Nam Vngari ueluti latrones, prædæ cupiditate accensi, duce rege suo Chussal (ut Auentinus annotat) traiecto Histro, in Bauariam irruptionem faciunt. Cumq; ipsorum furoribus, iusto Dei iudicio (qui hac ferula facinorosos atq; impœnitentes homines nõnihil castigabat) nullę uires resistere possent, immanissimi illi homines, horribili laniena hominum edita, incendijs passim omnia depopulantur & uastant: non monachis, non sacerdotibus, non templis parcitur, adeò ut in Bauaria orientali & Pannonia, ubi prius quatuor pontifices suis iurisdictionibus distincti, atque archiepiscopo Laureacẽsi subiecti fuerant, iam ne unum quidem templum supereſſet. Inde per Germaniæ populos in Sueuia, Francia orientali, Thuringia, Saxonia, eandem immanitatem exercent. Etsi enim in primis politica quædam commoda uenabantur, tamen nulli rei sacræ parcebant. Regino lib. 2. Auentinus lib. 4 Annalium.

Alia uerò manus Vngarorum in Italiam ad agendas prædas irrupit. Ibi quoq; plurimi episcopi sunt iugulati & expoliati: atq; in primis Ludmardi episcopi Vercellensis, quem Auentinus Luituardum nominat, fit mentio: qui cũ ingentibus diuitijs esset oneratus, eo quòd Caroli tertij olim magi-

ſter epiſtolarum fuerat, ac pararet fugam, ne mammonam amitteret, imprudens in Vngaros ueluti ſaginatus porcus, in os luporum incidit: qui non modò releuarunt hominem ab omni pondere pecuniæ, ſed uitam ei ſimul feroci crudelitate eripuerunt: ut Luitprandus lib. 2. cap. 2. & 6. & Regino li. 2. narrãt. Auentinus quidem libro 4. Annalium, cyclopicam planè immanitatem, quam erga Eccleſiaſticos uiros exercuerunt, commemorat. & hæc quidem acciderunt anno Domini 901. & ſecundo & tertio.

Circa annum 903. Albertus Bambergenſis, Rudolphum epiſcopum Vuirtzburgenſem ab Eccleſia pellit, & res Eccleſiæ inuadit ac ſpoliat. Regino lib. 2. Verùm cauſæ ſunt politicæ potiſsimùm, & non confeſſiones fidei. Sic Folco Remorũ epiſcopus eſt trucidatus à Vuinimaro, Balduini comitis ſatellite. nam Balduinus dolebat ſibi eripi abbatiam S. Vedaſti, quam ſua ſponte inuaſerat: aut, ut Aemylius loquitur, more temporũ obtinuerat, eo quòd Carolus rex eam Balduino ereptam Folconi dederat. Regino ibidem. Paul. Æmylius libro 3 de geſtis Francorum.

Rathbodo eccleſiam Traiectenſem adminiſtrante, Dani paſsim in eam grauem perſecutionem exercuerũt. Tritenhem. de Illuſtribus uiris.

## DE TRANQVILLITATE *& perſecutione ſub* CVNRADO I.

CVnrado Ludouici filio in Cæſarem creato, Vngari rurſum ſæuis rapinis & lanienis Saxoniam, aliasq; regiones cis Rhenum & trans eum ſitas, atrociſsimè affligunt, templa diripiunt, & ſacros uiros crudeliter trucidant. Helmoldus cap. 6. In hac uaſtatione, monaſterium in Viſchbeke, biennio poſt fundationem, eſt euerſum: ita & in Ouernkerke ſæuitum eſt in omnes clericos, circa annum Domini 936. Metropolis Crantzij libro 3.

In Dania Gormo, quem Helmoldus Vuorm appellat, cruentam in Chriſtianæ fidei aſſeclas perſecutionem exercet. Helmoldus. Narrat Saxo, eum ſingularibus calumnijs Chriſticolas proſci diſſe: atq; templum Schleſuici ad cultus Chriſti extructũ, è fundamentis eruiſſe, reſtituto delubro, ad ſuum profanum ethnicorum numinum cultum. lib. 9.

Exorta diſſenſione inter regem Franciæ & principes eius, ſimul (uti accidere ſolet) multi Chriſtiani non modò duriter preſsi, ſed etiam interfecti ſunt. Ammon. lib. 5. de geſtis Franc. cap. 41. Regnante Rodolpho, Pagani Burgundiam uaſtarunt; commiſſumq; eſt prælium inter Chriſtianos & Paganos in Kalomonte, ubi magna ſtrage Chriſtiani cęſi ſunt. Ammon. li. 5. de Franc. cap. 4.

Normãnis in caſtra IESV CHRISTI intrãtibus, uti ſuprà eſt expoſitum, pax aliquamdiu finis locis affuit.

## DE TRANQVILLITATE *& perſecutione ſub* HENRICO I.

EVectus ad imperij Romani gubernacula Henricus primus, Saxoniæ dux, non modò ſuis ſubditis pacem ſalutarem benignè conceſsit: ſed etiam ſingulari zelo religionem Chriſti ad alias gentes uſq; propagare ſtuduit. motis tamẽ bellis à barbaris & infidelibus gentibus, Eccleſia quoque afflictiones non exiguas inde pertulit.

Benno, qui Benedictus epiſcopus nominatur, à Metenſibus priuatur oculis, Anno Domini 927. Continuator Reginonis.

Ex Aphrica Pœni Genuam irruentes, rapinis templorum, & cædibus tam Eccleſiaſticorum quàm laicorum animos explentes, onuſti prædis iterum in ſua loca traijciunt. Luitpran. libro 4. capite ſecũdo.

Vngari rurſum hac tempeſtate paſsim in Germania graſſantes, nullis rebus aut uiris ſacris parcunt: rapinis, cædibus, incendijs, omnia ad extremam uſq; uaſtitatem redigentes. ſed Henricus imperator ipſis deuictis, & pace confirmata, Eccleſiæ Dei pacem reſtituit.

Meminit Crantzius in Vandalia lib. 2. cap. 29. Adelbertum Pragenſis eccleſiæ epiſcopũ ad Pruſſos ueniſſe, ut ibi doctrinã Chriſti diſſeminaret: uerùm à barbaris trucidatum. Acceſsiſſe quoque ex Italia aliquos, idem ſtudium tradendæ doctrinæ cœleſtis habentes. Verùm cum linguæ ignari, in cellis prius eam ab ipſis colonis diſcere conarentur, atq; mediocre ſubſidium ad uictum à duce Poloniæ acciperent, latrones prædę inhiantes, noctu in eos impetũ feciſſe: atq; miſerè ipſis occiſis, parum uitici abſtuliſſe: Ducé uerò, ipſos ſummanitate terræ mandari curaſſe.

Rollo Normandorũ dux, Franciam inuadens, quocunq; uenit, pietati ſimul damna infligit. Nam inter ſacros ritus Guimardũ interficit: Floriacenſe cœnobium, incolis omnibus interemptis, flammis committit, & pro libidine cuncta agit. Tandem uerò Gilla, filia Caroli Simplicis, in uxorem ducta, nõ modò à uaſtationibus deſiſtit, Neuſtria, quam dotis loco acceperat, contentus, uerùm etiam ſacris & lauacro Chriſtiano initiatur. Ganguinus libro 5.

Dum apud Vueſtgothos, à Sigfrido Anglo, qui Eboracẽſis archiepiſcopus fuerat, inſtitu-

instauratio religionis fit: tres eius nepotes, quibus ecclesiæ Vexoniensis curam commiserat, dum latius conantur diffundere Euangelium Christi, à proceribus quibusdam regni, partim odio ueræ religionis, partim prædæ cupiditate, crudeliter occiduntur. Nam res preciosas isti Anglici doctores secum attulerant, quas illi latrones auferunt. patrata igitur cæde, capita uasi incluſa, appēſoq; lapide magni ponderis, in stagnum propinquum demergunt: trunc os uerò cadauerū in paludem abijciunt, sperantes, autores tanti homicidij in perpetuum latêre posse. Posthęc prodigiosa et superstitiosa refert Olaus Magnus: regi de latronibus iustas pœnas sumere uolenti, ipsum Sigfridum precibus obstitisse, ne id faceret. Mulctam igitur ab homicidis exactā, Sigfrido obtulisse: uerùm eum recusasse. Dehinc nocte quadam, prope stagnū Vexoniense ecclesiæ contiguum inambulanti Episcopo, precesq; fletu miscenti, repentè apparuisse tria lumina ex aquis promicantia, atq; ad sese aduentātia. Mox igitur in aquas insilientem, uidisse urnam maximo saxo grauatam, simul adnatare: qua apprehensa, inuenerit suorum nepotum capita. Magno igitur cum mœrore acceptis capitibus ingemuisse, & hæc uerba protulisse: Vindicet Deus. Hic mox & capita uocem edidisse scribit. unum dixit, Vindicatum erit: secundum, Quādo? tertium, In filios filiorum. lib 17. Goth. hist. cap. 20.

Arnolphus Bauariæ dux, ecclesias & monasteria passim destruxit, eorūq; possessiones militib. distribuit. Otto Phrisl. li. 6. c. 18.

Ratherius Veronensium episcopus, ab Hugone in exilium Papiam profligatur. Causa narratur: quia Arnoldum Bauariæ ducem, Hugonis hostem, Veronam introduxerat. Tandem reuersus, denuò relegatus est, incertum quam ob causam. Idq; factum est anno Domini 930. Tritenhem. de Viris illust. Bergomens.

## DE TRANQVILLITATE ET *persecutione sub* OTTONE I.

SVb tribus clarissimis Saxonibus, medioctis fuit Ecclesiæ Christi tranquillitas: non tamen immunis fuit prorsus ab omni afflictione. Namq; & bella semper attulêre ei aliquid aduersitatum: & apostatæ atq; alij profani & impij homines, Ecclesię membra, loca sacra, & possessiones, satis duriter & immaniter quoq; afflixêre.

Berengarius in Italia regnum inuadens: iniquissimè omnes tractat, qui suis consilijs & cupiditatibus quoquo modo aduersari uidentur. Luitprandum quidem Ticinensis ecclesiæ diaconum, tam inhumaniter exagitat ac persequitur, ut Italia excedere, atq; in Germaniam confugere cogatur. Venit autem Luitprandus Francofurtū usq;. Inde est, quòd librum suum, de historia sui temporis compositum, appellauit Antapodosin: hoc est, retributionem. Non enim alia ratione tyrannidem Berengarij, sibi quidem uindicandam censuit, quàm stylo graui, quò istius tyranni mores & crudelia facta posteris quoq; nota efficeret. Querelam suam Luitprandus, in Præfatione sua lib. 3. exprimit, inquiens: Tanta mendaciorum iacula, tanta rapinarum dispendia, tanta impietatis molimina, in me & domum meam, cognationem & familiam gratis exercuêre, quanta nec lingua proferre, nec calamus præualet scribere.

Iosephum Brixiensem episcopum, Berengarius omni dignitate exuit, Antonio quodam substituto. Molitus est & Bosonē Placentinum, ac Leutefredum Papiensem functionibus priuare: uerùm precio intercedente, quod in primis uenatus est propter bellicos sumptus, eos suis in locis reliquit. Luitprandus lib. 5. cap. 13. 14. Fugit & Vualtherus archiepiscopus Cumanus, & Vualdo episcopus, atq; in Saxoniam ad Imperatorem se receperunt. Eandem fugā pleriq; alij episcopi quoq; arripiunt. Causa uerò non est religio, sed sacrilegia: hoc est tyrannis Berengarij, res sacras rapientis per fas nefasq;, ad suam potentiam constabiliendā. Regino, Luitprādus li. 6. cap. 6.

Iohannes papa, qui & Octauianus dicitur, receptus à Romanis, Iohannem Diaconum, & Azonem scriniarium crudeliter de truncat: Otgerum uerò Spirensem episcopum, aliquandiu in carcere detinet. postea eius opera uti decreuit, in placando sibi Cæsare: uerùm, antequam sui uoti compos fieret, è rebus humanis Papa excedit, anno Domini 964. Reginonis cōtinuator.

Duodo palatij capellanus, ab Adelberto comprehensus, flagellisq; cæsus, in Corsicam deducitur. Idem.

Saraceni ab Hugone rege Italiæ cōducti, in ijs montibus subsistunt, qui Italiam à Sueuis disterminant, eo consilio, ut auxilia peregrina prohiberentur. In ijs locis à Barbaris spoliantur & iugulantur, qui Romam religionis ergò contendebant. Consultius autem fecissent, si domi suæ Deum coluissent, nec eum hac non necessaria profectione tentassent. Luitprandus lib. 6. cap. 6.

Bellum quod Otto cum Ludolpho filio gesit, aliquid mali etiam Ecclesiæ attulit, sicut in sua oratione inquit Otto: Modò regnum meum habent desolatum, populum captum, uel interfectum, urbes destructas, templa succensa, sacerdotes extinctos: adhuc madent sanguine plateæ. Vuitichindus lib. 3. gestorum Saxonic.

In Dania uerò Suenottonis defectio,

res Ecclesiæ turbauit. Nã ad uomitũ paganismi reuertẽtes, atrocẽ in omnes Christi fideles persecutionẽ instituit. Helmoldus cap. 15. Metrop. Crantzij libro 3. capite 24.

Otto palatinus comes, patrem impietate & perfidia referens, Ecclesiam Dei nõ desijt persequi, omnia sursum ac deorsum in Ecclesia & politia uersans. Otto Phrisin.

Eduinus, seu Eduwernis, filius Edmundi, Angliæ rex, adolescens multa petulanter ac libidinose egit. Monachos tota Anglia expulit, Dunstanum in Flandriã egit, Malmasberiense cœnobiũ in stabulũ redegit. Causas uerò Henricus de Erphordia istas annotat: primùm, ætatis effrenẽ licentiã: deinde, pellicis instigationẽ. Anno Ottonis primi 18. Epit. mũdi, Flores temporũ.

Abbo Floriacensis abbas, dum in Vasconia Euangelium Christi prædicat, martyrio doctrinam consignauit. Bergom.

Adaluardus & Stephanus, missi à metropolitano Bremensi in Suetiam, iuxta petitionem Erici Stenchilli Gotthorum Sueonumq; regis (ut suprà dictum est) cum præclaram Christo Ecclesiã colligerent, mox impellente satana, nobiles nacti sunt hostes: qui ægrè ferentes sua commoda immi nui, & uitæ licentiam uerbo Dei castigari atq; cõstringi, primùm occultè, deinde etiã apertis criminationibus, tum regem ipsum, tum uerbi Dei præcones impugnant, commouentes indomitum uulgus, quasi patria atq; auita religione oppressa, nouorum dæmoniorum cultus contra omne ius & fas introducerentur. Hisce calumnijs insanum uulgus inflammatum, tumultu excitato, doctores uerbi cœlestis comprehendunt, uirgisq; cæsos ex Upsala discedere cogũt. Rex aliquã diu latet: uerùm deniq; ab organis satanæ, propter cultũ diuinũ nefariè trucidatur. Olaus Magnus li. 17. cap. 15.

In Vngaria Geizo, quamuis à fide Christi alienus esset: tamen pace ab Ottone impetrata, parcit Christianis: in suos tamen sæuus fuit. Auentinus libro quinto Annal. Boiorum.

### SVB OTTONE II.

BOhemi quoq; Cicensem ecclesiam excursione sua grauiter afflixẽre. Metrop. Crantz. lib. 3. cap. 35.

Haquinum Noruegiæ principem, excussum ob tyrannidem, Haraldus restituit, atq; obtinet ut Christianos nulla iniuria afficeret. Metrop. Crantz. lib. 3. cap. 38.

Misislaus Obotritorũ princeps, umbram Christianæ religionis externa specie præ se ferens, omni tamẽ arte & uiolentia Christianos premit. Hodicam sororẽ è cœnobio Megapolensis ciuitatis, ex cuius ruinis (uti diximus) Vuismaria nostra est extructa, exi mit, ac Bolislao Polonico principi in matrimoniũ tradit, aliquas uirgines militibus nuptũ tradit, reliquas in terrã Vuilzorũ abegat. Helmoldus. Incertũ tamẽ est, an aliquibus causis motus hoc fecerit, nempe quòd Sacræ Christianorũ literæ monasticẽ istã spontaneã prohiberẽt: & Paulus diceret, satius esse nubere quàm uri: esseq; ipsius diaboli traditionem, uetare nuptias. Præterea uidit fortè taliũ uitã nõ esse tã castã, ut uulgo persuadere conarẽtur. Sed ista in medio relinquimus. Marschalcus quoq; testatur, eũ idololatriæ ab ineũte ætate dedi tũ, semper aliquas eius reliquias retinuisse. Verùm istæ historiæ non sunt diligenter & integrè annotatæ. Acciderunt uerò hæc circa annum Domini 999. Chron. Holsat.

### SVB OTTONE III.

MIstauus rex Vandalorũ, atrocẽ in Christianos sæuitiã exercet, ulciscẽs nimirũ illatã sibi iniuriã à Bernhardo Saxoniæ duce. Nam huic se cõiungens mille equitibus, fidelẽ ei operã præstiterat, sequẽs eũ in Calabriã usq;, quò Saxo Imperatorem comitabatur. Eo beneficio Saxo adductus, filiã suam Mistauo in uxorem pollicetur. Verùm Theodorici marchionis Brandeburgensis cõuicijs duce Saxoniæ abalienato à Mistauo, quòd is dictitaret, cani, hoc est ethnico, nõ esse dandã tã nobilẽ puellam: repulsam patitur Mistauus. Hac igitur iniuria irritatus, contractis ualidis auxilijs, in Saxoniã arma mouet, ac simul ipsos Christianos crudelius persequitur. Erãt enim tantũ quędã prima religionis semina in suo regno sparsa. Verùm quia se canẽ insigni cũ contemptu & iniuria nominari audit, simul odium in Christianos ex immoderata commotione suscipit, Aldẽburgi sexaginta presbyteros dira immanitate interficit. Nã cutẽ capitis in modũ crucis incidit, altiusq; adigit ferrũ: sicq; eos circũducens, probris & uerberibus adfligit, donec uiribus destituti & collapsi, animã efflarent: reliquos canonicos pecudũ more iugulat. Eadẽ truculẽtia Hãburgẽsem ecclesiã, laniena piorũ hominũ, qui in cellulis & locis arcanis sese abdiderant, cõspurcat. Metrop. Crantz. lib. 3. In extrema tamẽ senecta ad religionẽ Christianã animũ adijcit, quã ob causam in suorũ nobiliũ odiũ incurrit: quod animaduertẽs ipse, in uoluntariũ exiliũ Bardeuicũ cõcessit, relicto Anadracho filio regni successore. Marchio quoq; pœnas luit, exutus suæ regione: atq; in exilio cõsenescens, quia impediuerat religionis Christianæ promotionem, moritur. Marschalcus.

Tunc etiã Brandeburgensem & Hauelbergensem episcopatus horribiliter uastarunt Vandali. Metrop. Grantz. libro tertio, capite 35.

CVm Vngari Bremensem ecclesiã diriperent, omniq; probrorũ genere ministros tẽpli conspurcarent, ac sacra omnia profanarent, subitò exorta tẽpestas est: qua ex superiori parte templi ardẽtis tegulæ ac censæ, trabes atq; aliæ reuulsæ materiæ tã ta uiolẽtia in hostes iectæ sunt, ut partim uariarũ rerum mole hostes opprimerẽtur, partim fuga in flumen præcipites irent, partim etiã in ciuium manus uenirẽt. Metrop. Crantz. lib. 3. cap. 2.

Gormo Danicus in extrema senecta lumen oculorũ amisit, ac manst pariter anima & oculis cęcus usq; ad mortẽ. Saxo lib. 9. Item Dania Crantz. lib. 4. cap. 18.

Danis uastantib. Saxoniã, Siphrido duce, mirãdo Dei iudicio accidit, ut expoliata Rã sola, Siphridus à cacodæmone correptus, tã diu rotaretur ac torqueretur, donec erepta restitueret, ac de suis rebus insuper quædã adderet. Metrop. Crantz. lib. 3. capite 42.

# CAPVT IIII.

## DE DOCTRINA.

PAuci hoc seculo excellẽtes doctores in ecclesia Dei fuerunt, quorũ quidẽ scripta ad posteritatẽ cõseruata essent. Cũ enim passim omnia ceremonijs onerata & repleta essent, uidetur doctrinę cura & studiũ penè extinctum fuisse. Conseruauit tamen aliquos eximios uiros Deus, pro sua immẽsa misericordia: qui licet tenebras & stipulas ex priorib. seculis acceptas retinerẽt, tamẽ aliquot articulos rectè & fideliter tradiderũt. Colligemus igitur quæ dã doctrinæ diuinæ capita ex Giselberto, Ansberto, Radulpho, Theophylacto, & Smaragdo: ex quibus de corpore doctrinæ huius Seculi aliqua cõiectura fieri poterit.

Symbolũ integrũ Pelegrinus Laureacensis archiepiscopus contexuit, quod extat in Orthodoxographis. id quia cõpendiũ fidei de Deo cõtinet, adscribemus. Cõfiteor sanctã & ineffabilem Trinitatẽ: & credo Patrẽ & Filiũ & Spiritum sanctũ, unũ Deũ naturaliter esse, unius substantię, unius naturæ, unius maiestatis, unius uirtutis. Et patrem quidẽ non genitũ, non factũ, sed ingenitũ profiteor. Fons ergo & origo est ipse totius Trinitatis. Pater nãq; ineffabili substãtia Filiũ genuit, nec tamẽ aliud quàm quod ipse est genuit, Deus Deũ, lux lucẽ. Filiũ quoq; de substantia Patris, sine initio ante secula natũ, nec tamẽ factũ, fateor. Igitur non sicut Filius à Patre, ita Pater à Filio est: quia non Pater à Filio, sed Filius à Patre generationẽ accepit. Filius ergo Deus de Patre, Pater autẽ Deus, sed Deus nõ de Filio. si enim Pater fuit, semper habuit Filium, cuius esset pater Deus. Et ob hoc Filiũ de Patre natũ sine initio, cõfiteor. Spiritũ autẽ sanctũ, qui est tertia in Trinitate persona, unũ atq; æqualẽ cũ Deo Patre & Filio esse credo, Deum unius substãtiæ, unius quoq; naturæ: nec tamẽ genitũ uel creatũ, sed à patre filioq; procedentẽ, amborũ esse spiritũ. Nec enim procedit de Patre in Filiũ, nec de Filio tantũ procedit ad sanctificandã naturam, sed ab utrisq; procedere mõstratur: quia charitas siue sanctitas amborũ esse cognoscitur. Et nec Patris tantũ, nec Filij tantum, sed simul Patris & Filij spiritus dicitur. In relatiuis uerò personarũ nominibus, Pater ad Filiũ, Filius ad Patrẽ, Spiritus sanctus ad utrosq; refertur. Quæ cũ relatiuè tres personæ dicãtur, una tamẽ natura uel substantia creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias prędico: sed unã substantiã, tres autẽ personas. Pater enim nõ ad se, sed ad Filiũ: Filius non ad se, sed ad Patrẽ: & Spiritus sanctus nõ ad se, sed ad Patrẽ & Filiũ relatiuè refertur, in eo quòd Patris & Filij spiritus prædicatur. In hac ergo Trinitate tres personas, unum Deũ cõfiteor: nõ ipsum qui Pater est, dico esse Filiũ, aut Spiritũ sanctũ: nec Filiũ, Patrẽ aut Spiritũ sanctũ fateor: aut Spiritũ sanctũ, patrẽ aut filiũ: sed quod Pater est, hoc esse Filiũ & Spiritũ sanctũ, sine ulla ambiguitate pronũcio. personas enim distinguo, nõ naturã Deitatis separo. Et sicut tres personas unius atq; inseparabilis naturæ nõ confundo, ita nec separabiles prædico, quũ nullæ ante aliã, nec ulla post aliã, nullaq; sine alia extitisse, uel quippiã operata fuisse credatur. Inseparabiles enim sunt, & in eo quod sunt, & in eo quod faciunt. Habet enim Pater ęternitatẽ sine natiuitate, Filius ęternitatẽ cũ natiuitate, sanctus uerò Spiritus ęternitatẽ processionis à Patre & Filio sine natiuitate. De his ergo trib. personis sola Filij persona, hominẽ uerũ sine peccato, pro liberatione humani generis, ex Maria uirgine nouo ordine, nouaq; natiuitate sumpsit. Nouo ordine, quia inuisibilis diuinitate, uisibilis mõstratur in carne. Noua autẽ natiuitate est genitus, quia incorrupta uirginitas, & uirilẽ coitũ nesciuit, & fœcũda per Spiritũ sanctũ, carnis materiã ministrauit. Dei enim filius nõ personã hominis suscepit, sed naturã nostrã in unitate personæ assumpsit. Iccirco & filius Dei, & filius hominis, unus est Christus. In eo quod filius Dei est, æqualis est patri: in eo uerò quod filius est hominis, minor est patre. Qui etiã ex quo est homo, pro delictis nostris passionem sustinuit, mortiq; addictus & cruci, ueram carnis mortem accepit: tertia quoq; die susci-

tatus de sepulchro propria uirtute, & huius exẽplo in hac (qua sum & moueor) carnẽ resurrecturũ me credo. Idemq; Saluator noster peracto resurrectionis triũpho, patrẽ sedem repetijt, à qua per diuinitatẽ nunquam recessit. Inde in fine seculorum uenturus, iudicabit uiuos & mortuos: reddetq; singulis prout gessit quisq; in corpore, siue bonum siue malum. Ecclesiam sanè catholicam precio sui sanguinis redemptam, cũ eo credo in perpetuum regnaturã. Credo deniq; unum baptisma, in remissionẽ omnium peccatorũ. Hanc ergo fidem professionis meæ inuiolatã me retinere, & ab ea nunquam deuiare me uelle, promitto.

Vice Symboli, seu confessionis de Deo, esse potest initium orationis in Ambrosio, Ansberto in Apocalypsin, ubi inquit: Domine Deus meus, æterne ac sempiterne Deus meus, incõmutabilis, & solus immortalis, ac summè bonus Deus meus, sine mole magnus, sine situ præsens, cuncta uirtute complectens Deus meus: inuisibilis, incorporeus, & incõprehensibilis Deus meus: creator omniũ rerum uisibiliũ & inuisibiliũ Deus meus: lux inaccessibilis, luxq; mentium Deus meus: uita & beatitudo, uirtusq; omnium beatorum Deus meus: Pater & Filius & Spiritus S. unus & uerus Deus meus. alius Pater, alius Filius, alius Spiritus S. & tamen Pater in Filio & Spiritus sancto, Filius in Patre & Spiritu sancto, Spiritus sanctus in Patre & Filio: unus, & in Trinitate perfectus Deus meus: Pater, ex quo omnia: Filius, per quẽ omnia: & Spiritus sanctus, in quo omnia: solus omnipotẽs Deus meus. Pater, non habens à quo sis: & tamẽ habẽs sapientiam, cui prior non sis, quæ est Deus meus, quamq; pro humana salute hominẽ fieri uoluisti, ut esset mediator Dei & hominũ, homo CHRISTVS IESVS Deus meus, essetq; una persona ex duabus atq; in duabus naturis, diuina scilicet & humana, in CHRISTO IESV, qui est Deus meus. Filius habens Patrẽ, à quo sis: non tamen habens post quem sis, Deus meus. Spiritus sanctus habens Patrem & Filium, à quibus sis, non tamẽ habens quibus posterior uel inferior sis, Deus meus: quia una est natura, una æternitas, una æqualitas, una maiestas, una potestas, una uirtus, una beatitudo in Trinitate, quæ est Deus meus. Ansbertus in Apocalyp. Item in fine cõmentarij in Apocalysin inquit: Sancta & incommutabilis Trinitas, beata & inseparabilis unitas, adoranda & uera paternitas, præcipua & inaccessibilis claritas, clara & amanda charitas, Pater & Filius & Spiritus sanctus, unus uerus, non trinus, sed trinitas Deus: unus in natura, trinitas in personis: quantum ad unitatis substantiam, Pater in Filio, Filius in Patre, Spiritus sanctus in Patre & Filio: quantum ad personarum proprietates, alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Qui cum à nobis inuestigaris, ut es non inueniris: cum amaris, apprehenderis, qui sic cœlum & terram imples, ut tamen nulla moles aut corporalis aut spiritalis, timeris: qui sic es totus in totis, ut tamen in uno totus inueniaris: & nec maior in magnis, nec minor in paruis: sed in magnis magnus, & in paruis magnus, ac nusquam diuisus credaris: cuius non alia pars in cœlis, alia in terris, sed totus in cœlis, & totus in terris esse cognoscaris: qui sic cuncta dispensas tẽpora, ut tamẽ ad æternitatẽ tuã nõ accedãt tẽpora: sic omnia mutabilia disponis, ut nunquã ipse muteris: sic dissimiliter tuos diligis, ut dissimilis in te nõ inueniaris: sic prędicatorũ eloquia in stylo diuersa cõformas, ut nõ sit diuersum quod sonãs.

## DE VERBO DEI.

VErbum Dei esse simplex, Theophylactus docet: Non quicquam externæ sapientiæ admiscemus uerbo Dei, aut ipsi quicquã adulamur, aut ex uerbo pecuniam colligimus, aut iam quidem hoc, iam uerbum illud docemus, pro temporum & personarum opportunitate, perinde ac pseudoapostoli. Theophylac. super epistolam Pauli ad Corinth. 2. cap. 4.

Nõ ratione uerbũ Dei metiẽdũ, Theophylactus docet, inquiens: Animaduerte, quòd rationibus inquirere diuina, sit blasphemare. Iniuria enim fit diuinis rebus, si quis eas humanis rationib. uelit cõprehẽdere. Theophyl. super epistolas Pauli ad Timot. cap. 2.

Quibus detur uerbũ. Auditor si attenderit quantũ potest, magnum illi commodum Deus dabit: sin remissus fuerit, iuxta eius remissionẽ & lucrum imminuetur. Illi enim dabitur, qui alacer est & diligens: ab eo autẽ qui segnis fuerit ac ignauus, tolletur etiã quod uidetur habere. Propterigna uiam enim extinguitur etiam parua scintilla, quam habet: sicut per alacritatem reaccenditur. Theophylact. super Marcum, cap. 4.

Alia alijs tradita esse. Smaragdus: Dominus iuxta trinam & charismata sua Dominus iuxta percipientiũ capacitatẽ distribuit: infirmis adhuc quidẽ mentibus ac paruulis spiritu, simpliciora monita committens, & apertiora credens sacramenta: celsioribus autem quibusq; & perfectioribus sensu, secretiora suæ maiestatis arcana referãs, altiora deuotę cõuersationis itinera suggerẽs, & altiora præmiorũ cœlestiũ dona promittẽs. Ac de mysterijs inquirendis inquit: Sacratiora & arcana diuinorum eloquiorum mysteria, quæ à rudibus capi nequeunt, non negligenter omittenda, sed sunt inquirenda perfectis. in Iohannem, cap. 6.

De

De fine & effectu uerbi diuini inquit Ansbertus: Sancta scriptura, aliquando cibus, aliquando uerò potus est. In rebus enim obscurioribus, quæ intelligi nullatenus possunt nisi enodentur, cibus est. Quicquid enim exponitur ut intelligatur, quasi manditur ut glutiatur. In rebus uerò aperti oribus, potus est. Potum enim non mandendo glutimus. Apertiora ergo & manifesta bibimus, quæ etiam non exposita intelligere ualemus. Ansbert. lib. 5. in 10. cap. Apocal.

Nulli dubium, quin per sanctam cœlestemq; diuini uerbi prædicationem, Spiritus sancti gratiam fideles accipiant, Dominо attestante, qui ait: Verba quæ locutus sum uobis, spiritus & uita sunt. Ansbert. lib. 5. in 11 cap. Apocal.

Giselbertus inquit: O puteus uiuentis & uidentis, abyssus impenetrabilis, inexhaustæ profunditatis, ô sapientia latens in uerbis transitorijs, immobili statu ueritatis, cuius potu mũdicordes satiantur: quia in his quæ legunt, delectantur. Qui enim lectione diuina non delectatur, apices quidem uentilat, sed fructu interiore priuatur. In lib. altercat. Synagog. cap. 7.

Theophylactus ait: Sermo Dei non est inefficax, cæterùm magnipotens, & magnarum uirium, ut & ad Hieremiam dictũ est: En dedi uerbum meum in os tuum, ignem, & populum tuum ligna. Theophylac. super Ionam, cap. 1.

Smaragdus inquit: Renouatur autem sensus noster per exercitia sapientię, & meditationem uerbi Dei, & legis eius intelligentiam: & quanto quis quotidie ex Scripturarum proficit lectione, quanto altius intellectus eius ascendit, tanto semper nouus, & quotidie nouus efficitur. in Epist. Paul. ad Rom. cap. 12.

Nemo enim docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit: quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in uacuum laborat. Aliter itaq; prædicantem Christum audierunt Iudæi, aliter Apostoli: illi ad iudicium, isti ad salutem: quia hos spiritus in animo docuit, quod foris audierunt in aure. Smarag. super Euangelium Ioan. cap. 14.

Nisi Dominus cor illustrauerit auditorum, doctor in nocte laborat: nisi in uerbo gratiæ supernæ laxata fuerint instrumenta disputationum, frustra uoci suæ prędicator iaculum mittit: quia fides populorum, non sapientia uerbi compositi, sed diuinæ uocationis munere præuenit. Smarag. super Lucam, cap. 5.

Apud quos non fructificet uerbum Dei, exponit Theophylactus: Tres sunt ordines, in quibus uerbum Dei perditur. Nam hi qui sunt secus uiam, parum attenti sunt. hi autem qui comparantur petræ, pusillanimes: illi uerò qui comparantur spinis, delicati. Theophylact. super Marcum, cap. 4. Et quemadmodum obstinata duraq; corpora, non cedunt medicorũ manibus: hunc ad modum induratæ animæ, non cedunt uerbo Dei. Theophyl. super Paul. ad Hebr. cap. 3.

De studio uerbi diuini inquit Theophylactus: Si autuis obedire tuos filios, instituo eos diuino uerbo. Neq; dicas religiosorum tantummodo esse, legere Scripturas. cuiuslibet enim Christiani est, maximè eorum qui in mundo uersantur, quanto maiore ipsi auxilio indigent, ceu in tempestate agẽtes. Deinde pro te est, quòd audiant liberi Scripturam. discent enim inde uenerari patrem & matrem. Deinde Græcis sermonibus educas filium tuum, ex quibus pessima quæque docentur: uerbum autem Dei sesecus habet. Theophylact. in Epistolas Pauli ad Ephes. cap. 6. Et: Nullius Scripturæ locus inexploratus prætermittendus est: uerùm ex omnibus, ut quæ per spiritum sint enarrata, spiritualis quædam & commoda sententia inquirenda est. Omninò, qui Scripturæ uerba locutus est paracletus, dabit rectè quęrentibus, eius quod quęritur inuentionem. A quo & nos illustrati, semper ducamur ad ueritatem diuini uerbi, diuinæque uitæ, ut neque uanis opinionibus seducti, neque mendacio mundanæ uoluptatis inescati, serui quidem nos ipsos per fidem & uirtutẽ ingenuos reddamus. Theophyl. in epistolam Pauli ad Philemonem, cap. 1.

Collationem philosophiæ & uerbi diuini sic instituit Giselbertus: Mundi philosophia pompoſo uerborũ apparatu, ueritatis thesauro priuatur: cũ eregionè doctrina cœlitùs reuelata, in uerbis quidẽ humilis, fructu uerò ac utilitate sit omnium altissima. Doctrina itaq; Christi paruulos lactat historia, maiores exercet allegoria: subtiles sensu morali, contemplatiuos animos anagoge. Est autem historia res gesta, res uisa. ἱστορία enim Græcè, Latinè uidere dicitur. Allegoria, cum per ea quę dicta uel facta sunt, Ecclesiæ sacramẽta intelligũtur. Moralitas est, cũ ea quæ dicta uel facta sunt, ad instructionem & correptionem morum nostrorũ reducuntur. Anagoge est, cũ uel apertis uerbis, uel figurantibus, de cœlestis uitæ præmijs disputatur. In lib. Alter. Deniq; de hac materia tractat diuina pagina, secundum triplicem intelligẽtiam: hoc est, historiam, allegoriam, tropologiam. Item: In omni Scriptura tria considerantur: uoces, intellectus, & res. Præmissis enim uocibus, uia patet intellectibus, quibus conceptis res

aperitur,

aperitur. Sed differentia est inter gentiles & diuinas scripturas. In illa enim sola ad res perpenditur significatio, & nulla nisi per uoces in animo auditoris paratur intelligentia. In diuinis autem Scripturis, duplex intelligentiæ significatio. quarum prima est, ipsarum nocum ad res: secunda, rerum ad ipsas res. in lib. Alterc. cap. 1. Item: In scriptura diuina discimus, quæ & quanta differentia sit inter sanctum & pollutum: inter cœlestis eloquij doctrinam, & erraticam mundanæ philosophiæ sententiam. & sicut fit aquarum discretio, superiorum uidelicet, & inferiorum: sic distinctio de artibus philosophicis, & diuinis eloquijs studiorũ. in li. Altercat. cap. 3. Mundana sapientia nihil puritatis, nihil gratiæ, nihil iusticiæ promittit: quippe quæ sensum sanum suis institutis aliquoties peruertit. Gladius enim diaboli Dialectica est, & suos uerbo & sensu in errorem traducit sequaces. Sicut enim de mellis grati liquore in magno uase posito, si uel modicum gustaueris, reliquum eiusdem saporis intelligis: aut si maris saporẽ experiri uolueris, non opus est ut totum ebibas mare, cuius amaritudo in paruis guttulis prodit eius uniuersale: sic se habet qualitas diuinæ & humanæ philosophiæ. In altera haustus cœlestis disciplinæ, in altera uanitatis & stulticiæ testimonium est. ista turbulenta dictat deuiantis errorem: illa intelligenti animæ uiam demonstrat eminentiorẽ. In lib. Alter. cap. 3.

DE VETERI TESTAMENTO.

De ueteri Testamẽto inquit Ansbertus: Quia prioris testamenti uigintiquatuor libris utitur, quos & autoritate canonica suscepit, in quibus etiam nouum Testamentum reuelatum agnoscitur: idcirco in uigiti quatuor senioribus Ecclesiæ figuratur. Ideo enim est noui Testamenti prædicatio fructuosa, quia ex ueteri roborata, tanquã scilicet ab eisdem trahat numerum Ecclesia, quibus in sanctitate perficitur. Ansber. lib. 3. in 4 cap. Apocalyps.

DE NOVO TESTAMENTO.

Theophylactus inquit: Nouum testamẽtum gratia quidem nominatur, eo quòd largitus sit nobis Deus non solum remissionem peccatorũ, sed & filiorum adoptionem. Veritas autem uocatur, eo quòd quæ cunq; patres olim in figura uel uiderunt, uel locuti sunt, ea clarè hic prædicarit. Nouum igitur (inquam) Testamentum, quod & gratia nominatur, & ueritas, datum est non per mediatorem aliquem hominem uilem, sed per filium Dei. Theophylact. in Iohan. cap. 1.

De prophetia ait Smaragdus: Prophetia quæ futura pronunciat, scientia mysteriorum, quæ occulta aperit Scripturarum. hęc magna per se sunt, sed charitati comparata: ita & meritis postponũtur, ut sine ea diu nequeant possideri. ita ergo sine charitate parum utilia non inueniuntur.

De propheticis scriptis inquit Theophylactus: Non uerba duntaxat prophetæ ferunt, sed & literis mandarunt sua, tum per literas ac scripta sua futura adumbrabant. Hunc ad modum Abraham per lignũ, Moses per serpentis manuumq; extensionem, agniq; iugulationem, Christum præfigurabant. Theophylact. in Epist. Pauli ad Rom. cap. 1.

De consonantia ueteris & noui Testamẽti inquit Ansbertus: Idcirco uetus & nouum Testamentum unus liber dicitur: quia nec nouũ à uetere, nec rursum uetus à nouo uelet disiungi. Nam uetus Testamentum nũcius est, & uelamen noui: Nouum uerò, adimpletio & reuelatio ueteris. Rectè uerò in dextera sedentis in throno, hic liber scriptus intus & foris denunciatur: quia principalis diuinarum Scripturarum intentio, ad dispensationem nostri redemptoris, nativitatis scilicet & passionis ac sepulturæ, resurrectionis quoq;, atq; ad cœlos ascensionis, certa ratione deriuatur. Vnde necesse meritò omnis eiusdem Saluatoris dispensatio libri hic nomine frequentatur, quæ in utroq; Testamento uel promissa uel peracta declaratur. De illo enim per Apostolum dicitur: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Ansbertus lib. 5. cap. 5. Apocal.

De discrimine ueteris & noui Testamenti, inquit Giselbertus: Sicut sigilli secretæ cælatura, manifestatur ceræ impressa: uel sicut imago quælibet arte fusoria repræsentatur, cum species appositæ coctæ per æstum resoluuntur: sic legales illæ ceremoniæ siue in carnis circumcisione, & in uictimis immolandis, & si quid huiusmodi, umbra futurorum erant, ut per hæc exercitia sanctæ obedientiæ occurreret Hebræus ueritati, suo tempore reuelandæ. Proinde quem lex promisit, quem os prophetarum præcinuit, credentium saluti aduenit, ut libertatis gratia donaret, quos uel iugo legis attriuerat, uel quos error idololatriæ captos abduxerat. Lex igitur spiritus uitæ in CHRISTO IESV, liberauit me à lege peccati & mortis. in libro Altercat. cap. 6. Item: Vmbra legis mutatur ad Euangelij ueritatem. in libro Alter. cap. 2. Et: Finis legis Christus, ad iusticiam omni credenti. In lib. Alterc. capite 9. Ansbertus ait: Nubes in die, uisionis leue blandimentum est: ignis uerò in nocte, terror aspicientibus.

cientibus. Per nubem ergo in die nouũ Testamentum figuratur, in quo non uindicta peccantibus, sed misericordia lenitatis offensa est. Vnde & ipse autor noui Testamenti, cuidam in adulterio deprehensæ dicit, Nemo te condemnauit? Cui cum diceret, Nemo Domine: ait illi, Nec ego te condemnabo: uade, & amplius noli peccare. Et benè in die apparuit columna nubis, quia nouum Testamentum à sole iusticiæ, id est Christo initium sumpsit. Perignem uerò in nocte, qui terror est uisionis, rectè uetus Testamentum designatur: in quo peccantibus non uenia promittebatur, sed supplicium minabatur. unde & illis frequentius inculcatur: Si quis hoc uel illud fecerit, morte moriatur, lapidibus obruatur. Et benè in nocte apparuit, quia necdum in mundum Christus aduenerat. Ambr. lib. 6. cap. 12. Apo. Theophylactus inquit: Vetus peccatum præterijt, nouaq; nobis anima, & nouum corpus factum est: & pro Iudaicis omnibus, noua nobis facta sunt omnia: pro lege, Euangelium: pro Hierosolymis, cœlum: pro templo, interior cortina, in qua sacrosancta Trinitas residet: pro circumcisione, baptisma: pro manna, corpus Dei: pro aqua, sanguis Domini: pro uirga Mosæ uel Aaronis, crux: pro agno, filius Dei, omniaque alia ad eandem rationem. Theophylact. in epistolam Pauli posteriorẽ ad Corinth. cap. 5. Et: Vetus Testamentum exemplar & umbra, nostra uerò in nouo Testamento supercœlestia sunt. Quando enim nihil terrestre, sed omnia sint spiritualia, quæ in mysterijs transiguntur, & Sacramentis, ubi hymni angelici, ubi claues peccatorum, que remissio, & rursus nexus & ligatio, quando nostra conuersatio in cœlis est: quomodo non supercœlestia, quæ sunt in Testamento nostro? Horum igitur isti figuræ fuerunt, & exemplaria, hoc est obscuræ picturæ, quæ in ueteri Testamento substratæ sunt Mosæ. Theophylactus in epistol. Pauli ad Hebræos, cap. 8. Et: Nouum Testamentum, hoc est Euangelium, præstantius est Veteri, cuius & mediator ac dator est Christus. Ipse namque nobis Euangelij minister factus est, serui forma accepta, quemadmodum legis mediator erat Moyses. Theophylactus in Epistolam Pauli ad Heb. cap. 8.

DE SACRA SCRIPTVRA.

Scriptura sacra diuinitùs promulgata, quia diuersorum hominum uarijs qualitatibus congruit, uarijs uocabulis nuncupatur. Aliquando enim lactis nomine, aliquando autem cibi, aliquando uerò potus, aliquando quoq; uoluminis, aliquando etiam speculi designatur: & nunc quidẽ gladij uel sagittarum, nunc autẽ spiritus uitæ, nunc uerò defluentium aquarum, nũc quoque pluuiæ descendentis in terram, nunc etiam tenebrosæ aquę in nubibus aeris, uocabulo figuratur: plerunq; autem abyssi profunditati comparatur.

Vnde fit, Giselbertus docet: Clauis (inquit) diuini uerbi aperiẽdi, Spiritus S. lumẽ est: quo ducẽte, quo ductore præuio, quicquid rectè in Scripturis sacris quæritur, inuenitur. In li. Alterc. cap. 7, Radulphus ait: Scriptura sacra non humano sensu, sed per Spiritũ S. nobis administratur. Vnde B. Petrus in Epistola sua: Non uoluntate, inquit, humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritusancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Et Hezechiel: Quocunq; ibat spiritus, illuc pariter & rotæ gradiebantur. Spiritus enim uitæ erat in rotis. Radul. lib. 6. cap. 2. in Leuit. Theophylactus ait: Prophetæ non humanis oculis uiderunt, neque humanis auribus audiuerunt, neq; humano intellectu usi intellexerunt quæ Christi essent. nam omnia diuina erãt eis. Theopylact. in priorem epistolã Pauli ad Corinth. cap 2.

Subiectum Scripturãs declarat. Giselbertus: Materia omnium diuininarum Scripturarum, opus humanæ restaurationis est. Siue enim de rerum creatione, gubernatione, de rerum gestarum ueritate, siue de miraculis diuinis & prodigijs, comminationibus, consolationibus, plagis & signis Scriptura diuina creatoris potentiam commẽdet: hoc solũ intẽdit, ut lapsus homo suum repetat principium: & discendo quid perdiderit, hoc solum quærat, ad quod factus erat. In lib. Altercat. cap. 5.

De autoritate Scripturæ sanctæ inquit Radulphus: Quamuis enim non parum ad credendum nos mouere debeat, quòd fidei primò contrarius, nunc fidei subditur mundus: quòd fides ipsa tot miraculis declarata, tot martyrum cruore testificata est: singulare tamen fidei firmamentum in Scripturis habetur, dum hoc luce perspicua nostris temporibus uidetur expletum, quod ante millia annorum præsignatum & prænunciatum intelligimus, tum patrum sacramentis, tum oraculis prophetarum. Radulp. in Præfatione in Leuit. Theophylactus inquit: Sacri Scripturæ ueteris libri rectè intellecti, haud quaquam sunt fabulæ. qua enim ratione fabulæ essent, cum ueritatem Euangelicam inde doceamur? Enarrationes autem & traditiones Iudæorum, quas in Sacra scripserunt, illæ sunt fabulæ & nugæ. Theophylac. super epistolam Pauli ad Titum, cap. 1.

Quomodo

Quomodo legenda Scriptura ſacra, Radulphus docet: Sicut de uite amputantur palmites, qui infructuoſi uidentur, ut fructuoſis ſpacioſitas amplior relinquatur: (paucorũ nãq; fœcũditas ſterili multitudini lõgè ante fertur) ſic iuxta Apoſtolicã ſententiam longè utilius eſſet, pauca cum ædificatione proferre, quàm reuerenda ſancti Spiritus oracula ſine fructu mentis, imò cũ Dei contemptu breui temporis ſpacio confuſè tranſcurrere. Radulph. lib. 17. cap. 5. in Leuit.

De fine Scripturæ ait Giſelbertus: Sicut hauſtus uinei liquoris, corpus non ſolum ſalubriter ſuauiterq; perfundit, uerumetiã potantium animis iucunditatem non paruam adijcit: ſic uerba cœleſtis eloquij, ſicut auditum audientis uel legentis demulcẽt, ſic ex ſpiritualis gratiæ dulcore, gaudiorũ æternorum ſpem operantur. Litera quidẽ ſimplex & ſuauis eſt legenti, ſed gratior & ſuauior eſt ex literæ ſenſu uitę promiſſa ſperanti. Itaq; in altero exercitij uſus eſt, in altero fructus meriti. In lib. Alterc. cap. 7. Et: Sacram ſcripturam nobis, ad mentis irrogationem præbuit Deus omnipotens. In lib. Altercat. cap. 7.

Radulphus inquit: Sanctæ ſcripturæ autoritas, nobis ſanctorum cogitatuum materiã præbet. Radulp. lib. 1. cap. 1. in Leuit. Et: Scriptura ſacra doctores inſtruit, quid de Chriſto populis prędicẽt: monet eos, ut ſuo exemplo ad religionem fideles excitent: eandem, ne à iuſticiæ exorbitent tramite, eius quem prędicant, Chriſti formam illis imitandam proponit. Rad. lib. 6. cap. 5. in Leuit. Item: Scriptura diuina uinea eſt, quæ uinum nobis profert ſcientiæ, quod bibentem lætificat, & feruore ſpiritualis amoris inebriat. Radulph. li. 13. cap. 5. in Leuit. Et: Sacra ſcriptura menſa nobis eſt, & ſpiritalis refectio, ad conſolationem nobis data contra inimicos. Quæ puriſsima dicitur, quia eloquia Domini, eloquia caſta ſunt, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum. Radulp. lib. 17. cap. 5. in Leuiticum.

Theophylactus inquit: Poſtquam homines deteriores ſunt facti, conceſsit tandem miſericors Deus & ſcripturas, ut uel per illas diuinæ uoluntatis eſſent memores. Ita Chriſtus Apoſtolis coràm in ſua perſona locutus eſt, & Spiritus ſancti gratiã miſit doctoris: uerùm quoniam hæreſes pullulaturæ erant, quæ mores noſtros depaſcerẽtur, operæprecium uiſum eſt, ut ſcriberentur & Euangelia, quo diſcentes ex illis ueritatem, non ab hæreſium mendacijs deciperemur, moresq; noſtri non prorſus peſſundarentur. Quatuor autem Euangelia nobis dedit, fortaſsis ideo, quia quatuor uirtutes uniuerſales ex eis diſcimus, fortitudinem, prudentiam, iuſticiam, & temperantiam. Theophylac. ſuper Matthæum in Præfat. Et: Scripturæ ſacræ ſunt lucerna & lumen, quo lucente fur deprehenditur & manifeſtatur. Illis igitur credẽdum, & demortuorum ſuſcitatione nõ curandũ. Theoph. in Luc. cap. 16. Et: Sacræ ſcripturæ oſtium ſunt, per quas adducimur ad Deum, illæ ſuppos non permittunt intrare. Prohibent autem hæreticos, ne nos ſecuri ſimus, & detem omnibus rationẽ dant, de quibus uoluerimus. Theop. in Iohan. cap. 10. Item: Frequẽs diuinarum Scripturarum lectio, earundem intellectum parit. Theop. ſuper Epiſtolas Pauli ad Rom. in præfatione. De ſenſibus Scripturę ſacræ, de intellectu Scripturæ inquit Theophylactus: Nõ per omnia neceſſum eſt quærere ſimilitudinem. neq; enim à nobis poſtulandum eſt, ut omnino quæ hiſtoriæ ſunt, ad ſpiritualem contemplatio nem uertamus. Theoph. in Præfat. ſuper Iohannem.

## REGVLAE ET PHRASES, *ex Giſelberto.*

GIſelbertus: Si quid ambigui fuerit in diuinis eloquijs, quod reſolui nõ poterit à nobis per rationem, quærendum eſt per autoritatem: ſi minus eo modo, adijcienda eſt, per rerum conuenientiam conſecturalis diſciplina: quia rerum inſpecta cõuenientia, patebit indubitanter unde pertaris, ſi tamen ſanæ fidei non repugnat euidens conſequentia. In lib. Alter. cap. 1.

Tribus modis dicuntur fratres in Scriptura: Natura uidelicet, ut Iacob & Eſau: cognatione, ut Abraham & Loth: genere, ſicut omnes Iudæi. Vnde illud eſt: Si attenuatus fuerit frater tuus, & uenditus tibi. In lib. Alter. cap. 7. Ad hoc magnorum uirorum peccata narrantur, ut ruina maiorum, ſit cautela minorum. In lib. Alter. cap. 15.

Omnis angelica natura, ſæpe per Scripturas Luciferi appellationem tenet. In lib. Alter. cap. 22. Ansbertus: Sacris igitur diligenter perſcrutatis uoluminibus, ſeptem primùm modos uerborum uidemus facile cõprehendi. id eſt: Indicatiuũ, pronunciatiuũ, imperatiuum, optatiuum, coniunctiuum, infinitiuum, imperſonalem. Indicatiuus enim modus eſt in eo, quod legimus: Ego ſum Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in uia qua ambulas. Alibi quoq;: Indicabo tibi homo quid ſit bonũ, aut quid Dominus quærat à te: utiq; diligere iudicium, & facere miſericordiam. Itemque cum à propheta quæritur, Quis eſt iſte qui uenit de Edom, tinctis ueſtibus de Boſra? indicando procul dubio reſponderur. Ego

Ego qui loquor iusticiam, & propugnator sum ad saluandum. Pronunciatiuus autē: Audi me Iacob, & Israel quem ego uoco. Ego primus, & ego nouissimus, & absque me non est Deus. Et rursum: Quare dicis Iacob, & loqueris Israel: Abscondita est uia mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum transijt? Nunquid nescis, aut non audisti, Deus sempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ? Non deficiet, & non laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ eius, qui dat lasso uirtutem. Nec non etiam in eo quod aliàs dicitur: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iudā testamentū nouum. Imperatiuus uerò: Non accipies nomen Domini Dei tui in uanum. Et: Non habebis deos alienos præter me. Et: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta uocem tuam. Optatiuus quoque: Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut lumen pax tua, & iusticia tua sicut gurgites maris. Et: Vtinam dirigantur uiæ meæ, ad custodiendas iustificationes tuas. Et: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & uolabo, & requiescam? Coniunctiuus etiam: Si audieritis uocē meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea est enim omnis terra, & uos eritis mihi regnum sacerdotale, & gens sancta. Alibi quoque: Habitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Vel ibi: Si stetissent in substantia mea, utique auertissem eos à pessimis cogitationibus eorum. Infinitiuus porrò modus, qui & in ordine sextus est, ita se habet: Scire & intelligere Dominum, & facere iudicium & iusticiam in medio terræ. Itemque: Continere à malo, intelligentia est. Impersonalis ad extremum: Quis adiuuit spiritum Domini? cum quo consilium inijt, & instruxit eum semitam iusticiæ, & uiam prudentiæ ostendit illi? Alibi etiam: Quis est in uobis qui audiat hoc, attendat & auscultet futura? Et quis est homo qui timeat Dominum? legem statuet ei in uia quam elegit. Vel: Certè scire legem, sensus est optimus. Vel: Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? & his similia, quæ singulis poterunt modis congruenter coniungi. Plus applicari. Item: Inquirentibus itaque nobis Scripturas, primus historiæ actionis textus occurrit, secundus autem allegoricus gestus, tertius uerò uterque modus agnoscitur, actionis uidelicet & allegoriæ: quartus quoque de incommutabili diuinæ trinitatis essentia, quando propriè, quando figuratim sacris insinuatur oraculis: quintus etiam parabolarum, qui tam relatu uerborum, quàm actu conficitur operum: quique in tantum est mysticus, multiplex atque occultus, ut non solum cuncta quæ iuxta literam in creaturis rerum stare non possunt, in se recipiat: uerum etiam quibusdam in locis mystica narraturus, testimonium de historia assumens, ipsius literæ gestum immutet: quibusdam etiam, de ipsis peccatis hominum & transgressionibus adulterorum, aut prophetiam annunciet operum futurorum, aut secreta spiritalium sensuum. Sextus porrò de gemino Saluatoris aduentu, uel ad eos pertinentia, ne aut primus pro secundo, aut secundus intelligatur pro primo. Quæ discretionis regula si Iudæorum cordibus, aduenientе Domino in carne, refulsisset, nunquam gloriæ Dominum crucifixissent. Septimus atque extremus, quo sic diuinis præceptis instruimur, ut certis quidem locis forma uitæ agendæ, certis uerò figura uitæ significandæ regulariter per eum insinuetur. lib. 3. cap. 5. Apocal.

Solent in pomis arborū uirtutes sanctorum signari. ut est illud sponsi in laudibus Ecclesiæ dictum: Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Ansbertus libro octauo in 18 cap. Apocalyp.

Puluēris uocabulo consideratio infirmitatis ac rearus nostri demonstratur. Hinc Psalmista ait: Memento Domine, quoniam puluis sumus. Hinc Abraham Dei usus locutione, dicit: Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis. Ibidem.

Spiritus Dei in hac Apocalypsi cum per Ioannem loquitur, modò ex persona propria, modò ex uniuersalis Ecclesiæ, modò autem ex eiusdem Iohannis, modò uerò de Domini Saluatoris, uerba depromit. Ansbertus libro octauo, in 18 cap. Apocalypsis.

Vsus diuinæ locutionis est, ut cum ad præsentem personam sermo loquentis dirigitur, subitò tanquam de absente uerbū proferatur. Ibidem.

Iuxta cōsuetudinem Scripturarum sponsa uxor uocatur, sicut etiam sponsus uir. Ansbertus lib. 8. cap. 19 Apocalypsis: ubi huius rei exempla ponuntur. Item libro 9. cap. 21. Apocal.

Scriptura sacra diuinitùs promulgata, quia diuersorum hominum uarijs qualitatibus congruit, uarijs uocabulis nuncupatur. Aliquando enim lactis nomine, aliquādo aūt cibi: aliquando uerò potus, aliquando quoq; uoluminis, aliquādo etiā speculi designatur. Et nunc quidem gladij uel sagittarum

gittarum, nunc autem ſpiritus uitæ, nunc uerò defluentium aquarum, nunc quoque pluuię deſcendentis in terram, nunc etiam tenebroſæ aquæ in nubibus aeris, uocabulo figuratur: plerunque autem abyſsi profunditati comparatur. Ansber. lib. 9. cap. 19. Apocal.

Solis nomine aliquando (ut dictum eſt) incarnatus Dominus, aliquando perſecutio, aliquando autem uita prædicantium, aliquando uerò de re qualibet manifeſtæ uiſionis oſtenſio, figuratur. Anſbert. lib. 9. cap. 19.

Aues in ſacra Scriptura, pro locorum qualitatibus, aliquando bonæ, aliquando uerò intelliguntur malæ. ibidem.

Sicut ſolet ſacra Scriptura totum hominem per ſolam animam deſignare: ut eſt illud, Deſcendit Iacob in Aegyptum in animabus ſeptuaginta: ſic plerunque per ſolam carnem: ut eſt illud, Videbit omnis caro ſalutare Dei. Ansbert. ibidem.

Pro locorum qualitatibus in Apocalypſi beſtia intelligenda eſt. Aliquando enim diabolus, aliquando caput uelut occiſum, id eſt Antichriſtus: aliquando ſoli præpoſiti eiuſdem peruerſi hominis, aliquando autem generaliter totum malorum corpus deſignatur. Ansbert. lib. 9, cap. 19. Apocal.

Mortui qui non ſentiunt, pro neſcientibus: uiuentes uerò qui ſentiunt, pro ſcientibus poni ſolent. Ansbert. lib. 9. cap. 19. Apocal.

Autoritas Scripturæ ſolet præterito uti pro futuro tempore. ut eſt illud: Fo derunt manus meas & pedes meos. & hoc loco: Miſsi ſunt, pro Mittentur. ibidem. Item lib. 9. cap. 21. Apocal.

Sæpiſsime aſcenſus nomine, ſuperborum exprimitur electio. Ansbert. libro 9. cap. 20. Apocal.

Dies in Sacro eloquio aliquando uita iuſti, & nox ſæpe accipitur uita peccatoris. Ansbert. lib. 9. cap. 20. Apocal.

Et boni & mali mortuorum nomine ſunt deſignati: boni, quibus dicitur, Mortui enim eſtis, & uita ueſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: mali uerò, de quibus Saluator in Euangelio cuidam dicit, Sine mortuos ut ſepeliant mortuos ſuos. Ansbertus libro nono, capite uigeſimo, Apocal.

Mortis nomine, pro locorum qualitatibus in Apocalypſi, nunc figuraliter autor mortis, nunc ſimpliciter mors carnis: nunc autem electi mundo, aut reprobi Deo mortui deſignantur. Inferni aũt uocabulo, modò ſocietas diaboli, modò ſupplíciorum loca uidentur deſignari. Ansbertus libro 9. capite uigeſimo Apocalypſi.

Solet in diuinis uoluminibus Dei æternitas aliquando per unum diem, aliquando per multos, aliquando per menſem uel menſes, aliquando per annos deſignari. Ansb. lib. 10. cap. 22. Apoc.

Sciendum nobis eſt, quia non uno modo in hac Apocalypſi cœnæ uocabulum accipitur: ſed aliquando etiam illud conuiuium per ipſum deſignatur, quo in unitatem fidei electi aggregantur, ut in corpus Chriſti traijciantur. Vnde & Petro dicitur: Surge, macta & manduca. Ansber. lib. octauo, cap. 19.

Sciendum eſt, quia cum in diuina Scriptura ſine additamento Spiritus ponitur, raris in locis una per eum Spiritus ſancti perſona oſtenditur, ſed tota ſimul Trinitas declaratur. Vnde eſt illud: Spiritus eſt Deus. & illud in hac Apocalypſi: Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſijs. Et rurſum: Spiritus & ſponſa dicunt, Veni. Cum uerò ſingulariter Spiritus ſancti perſona exprimitur, ſæpius cum additamento interſeritur: ut eſt, Spiritus Dei, ſpiritus Chriſti, ſpiritus prophetarum, ſpiritus ſanctus. Ansbertus, in Præfatione Apocalyp.

Et ſedes, ſine additamento cœli: & cœlum, ſine additamento ſedis, ſæpiſsime in hac reuelatione generalem Eccleſiam deſignant. Ansbert. in præfat. in Apocal.

Nulli ſit dubium, quin Angelus ad Iohannem miſſus, perſonam geſſerit incarnati Verbi Dei, ipſo per eundem angelum Iohanne atteſtante: Ego ſum primus & nouiſsimus, & uiuus fui, & mortuus, & ecce ſum uiuens in ſecula ſeculorum. Et angelum etiam perſonam Eccleſiæ ſuſtinere, Ansbertus in præfatione in Apocal. refert.

Frequentiſsimus diuinarum Scripturarum mos iſte reperitur, ut in principijs librorum prænominatæ partes (ſcilicet Propter nomen & uerbum) orationum, non antè ponantur: unde nec Salomon ait, Hæ ſunt parabolæ Salomonis: uel, Hæc ſunt uerba Eccleſiaſtis: ſed tantum, Parabolæ Salomonis: &, Verba Eccleſiaſtis. Ansbert. libro 1. cap. 1. Apocal.

Sacræ Scripturæ conſuetudo eſt, frequenter pro ſeptimo caſu, qui ſine præpoſitione Ablatiui regulam ſequitur, accuſatiuum ponere. Vnde eſt illud Pſalmiſtæ dicentis: Exaudi Domine uocem meam, quam clamaui ad te: cũ rectius atq; uſitatius dicerétur, Qua clamaui ad te. Non enim illam uocem, ſed illa uoce Pſalmiſta clamauit ad Dominum. ibidem.

Solet plerunque in Sacro eloquio pro dexteram

dexteram prosperitas, per sinistram uerò aduersitas designari. Ansbert. libro 1. cap. 1. Apocalyp.

Sunt quamplurima siue Scripturarum testimonia, siue fidei argumenta, quæ sanctorum Ecclesiam, in septenario numero expressam demonstrant. Ansbert. libro 1. Apocalyps.

Elatio in Scriptura diuina non semper pro uitio tumoris accipitur, sed aliquando culmen uirtutis designat. Ansb. lib. 1. in 1. Apocal. caput.

Mos est diuinarum Scripturarum, ut ubi una uel duæ de Trinitate personæ, in operatione uel datione ponuntur, quantum ad diuinitatis attinet rationem, tota simul Trinitas intelligatur. Ansbert. libro 1. cap. 1 Apocal.

In sacro eloquio cum plurali numero Nubes ponuntur, prædicatores sanctos designant: cum uerò singulari nubes ponitur, aliquando mansuetudinem Domini in electos, simul animaduersionis ultionem in reprobos figuraliter exprimit: aliquando uerò illuminationem iustorum, simul & obcæcationem reproborum ostendit: aliquando etiam ipsum corpus Redemptoris figurat. Ansbert. libro primo, cap. 1. Apocal.

Quod est apud Latinos Etiam, hoc apud Hebræos Amen: utrumque autem aduerbium affirmandi est. Ansbert. libro primo, cap. 1.

Per pedes Domini, in sacra Scriptura aliquando æternitas eius intelligitur, aliquando humanitas ipsius: aliquando uerò Apostoli, uel omnes prædicatores: aliquando quoque ultima eius membra in fine mundi nascitura, aliquando etiam exemplum imitationis passionum illius. Ansb. lib. 1. cap. 1. Apoc.

Aquæ nomine, in sacro eloquio figurari solent turbæ populorum, sicut in hac ipsa Apocalypsi angelica uoce dicitur: Aquas quas uidisti ubi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ. Quod Daniel quoque propheta apertius indicat, dicens: Et uox sermonum eius, & uox multitudinis. Ansbert. libro primo, cap. primo Apocal.

Magna legentium debet esse cautela, ne in sacro eloquio unam eandemque rem, maximè in figuratis locutionibus, uno semper modo accipi posse sperent: sed pro qualitatibus locorum, diuersa significari cognoscant. Ansber. lib. 1. cap. 1 Apocal.

Scire Dei, aliquando quoque pro electionis approbatione ponitur: aliquando uerò pro eo quod est scire nos facere: aliquando quoque simpliciter, pro eo quòd nihil eum possit latêre. Ansbert. lib. 2. cap. 2. Apocal.

Rarissimè Spiritus sancti persona, sine additamento in Scriptura sacra ponitur. Et nescio si alibi, præter unum locum, quo Ioannes euangelista de Domino testatur: Hoc, inquit, dixit de Spiritu, quem acceperi erant credentes in eum. Cæterùm alibi, aut spiritus Dei, aut spiritus Christi, aut spiritus Domini, aut spiritus prophetarum, aut Spiritus sanctus uocatur. Ansber. lib. 2. cap. 2. Apoc.

Rectè uniuersas Ecclesiæ pressurarum angustias, nomine designauit carceris: cum soleat plerunque sacrum eloquium in parte totum ostendere. Ansber. libro 2. cap. 2. Apocal.

Vtrumque nomen (Calculus & Carbunculus) in diuina Scriptura, & pro lapide pretioso, & pro carbone sæpius ponitur. Ansb. lib. 2. cap. 2. Apoc.

Mystica diuinarum Scripturarũ eloquia, ordinem dictorum sæpe præposterât. idcir co in hac sententia prius opera, inde charitas, dehinc fides subinfertur: cum prius sit credere, dehinc quod quisq; credit amare: inde uerò, quod credulitas & amor compellit, operari. Ansb. lib. 2. cap. 2. Apoc.

Sanguinis nomine in Scriptura diuina, solent nonnunquam uitia carnis figurari, Dauid propheta attestante, qui post adulterij crimen admissum clamat & dicit: Libera me de sanguinibus Deus. Ansb. ibidem.

In Scriptura sacra cum singulari numero Stella matutina ponitur, per hanc ipse mediator Dei & hominum, homo CHRISTVS IESVS figuratur: cum uerò plurali Astra matutina interseruntur, angelicam creaturam designant. Sed & cum simpliciter ac sine additamento Stellæ ponuntur, doctores Ecclesiæ nonnunquam exprimunt. Ansb. lib. 2. cap. 2. Apoc.

Solet plerunq; sacra Scriptura, ea quę futura sunt, quasi iam facta narrare. Ansb. lib. 3. cap. 3. Apocalyp.

Non solum in hac Apocalypsi, uerùm etiam in alijs diuinis uoluminibus, frequenter ex multis membris unum corpus, quod est Redemptoris Ecclesia: frequenter uerò in unoquolibet membrorum, ipsum generale corpus totum designatur. Ansbert. lib. 3. cap. 4. Apoc.

Antè, in scriptura Sacra aliquando pro futuro tempore, aliquãdo ponitur pro præterito. Ansbert. lib. 3. cap. 4. Apoc.

Septenarius numerus uniuersitatem sæpe designat. Ansbert. libro tertio, cap. 5. Apocal.

Plerunq;, ubi Pater & Filius in Scriptura diuina ponuntur, consequenter ibi &

Spiritus sanctus intelligitur: aut ubi Filius & Spiritus S. sine dubio ibi etiam & Pater. Ansb.lib.3.cap.5. Apocalyp.

Quaternarius numerus, siue in bonum siue in malum, uniuersitatem sæpe designat. Ansbert.lib.4.cap.6.item cap.9.

Solet nonnunquam diuina Scriptura, bestiarum uocabulo efferatos animi mores designare. Vnde Paulus cuiusdam gentilis utés testimonio, ait: Cretenses semper mẽ daces, malæ bestię. Et rursum: Si secundum hominẽ ad bestias pugnaui Ephesi. ibidem.

In Scriptura sacra ternarium numerum quis neget perfectum, præsertim cum ipse summum & maximum bonum, id est trinitatem, quæ est Deus, ostendat? Quaternarium uerò, siue propter quatuor mundi notissimas partes, seu propter quatuor paradisi flumina, quæ sunt quatuor Euangelia, seu etiam propter quatuor principales uirtutes, perfectũ esse nullus ambigit. Siue autem tria per quatuor, siue quatuor per tria ducamus, ad duodenarium numerum peruenimus: qui & ipse uel propter duodecim tribus, uel propter duodecim Apostolos, sacratus habetur. Millenarius quoq; numerus uniuersitatẽ sæpe designat. ut est illud: Verbi quod mandauit in mille generationes. Ansber.lib.4.cap.7.Apocalyp.

Confessionis uocabulum non semper ad peccata redigi, sed plerunque etiam pro laude uidetur poni. Hinc Dominus nullũ omnino habens peccatum, ait: Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ. Hinc Psalmista de illo utiq; tempore, quo iam peccatum electi non habebunt, dicit: Domine Deus meus, in æternũ confitebor tibi. Ansbert.lib.3.cap.7.Apocalyp.

Sæpius Filiorum uocabulo, in Scriptura sacra bonorum operum fructus figurari cognoscimus. Vnde scriptum est: Videas filios filiorum tuorum, pax super Israel. Ibidem.

In Scriptura sacra sępe per manus potestas intelligitur. Vnde & Psalmista de Domino dicit: In manu eius sunt omnes fines terræ. hinc est quòd Dominus Ioseph omnia in manus eius dedisse perhibetur. Ansbert.ibidem.

Solet plerunq; sacra Scriptura, nullo interrogante, ita respondentis uoce sententiam proferre. Vnde est illud quod in Euangelio legimus: In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ. Ansbert. libro quarto, cap.7. Apocal.

Euphraten in Sacris paginis, in malum poni frequenter, scimus. Ansbert.li.4.cap. 9.Apocalyp.item lib.7.cap.16.

In Scriptura sacra, quæ spiritũ æternitatis cœlitùs ministrata cognoscitur, Redemptoris nostri Dei hominisque persona, modò per terrena, modò per cœlestem designatur. Ansbertus in principio quinti libri, cap.9.

Solet per cornua, intolerabilis humano uisui claritas designari. Ansbert. libro quinto, cap.9.

Solet plerumq; in centenario numero, plenitudo perfectionis intelligi. Ansbertus lib.5.cap.9.

Mediatoris nostri persona, modò per nubem, modò per stellam communis uocabuli, modò per luciferum habentem proprium uocabulum, modò exprimitur per solem. Ansbert.lib.5.cap.9.

Frequentissima est talis Scripturarum locutio, ut ipse filius Dei de seipso tanquã de alio, ad electos loquatur. Ansb. libro 5. cap.10 Apocalyp.

Vt in mysticis solet locutionibus fieri, ordo iste uerborum præposterus inuenitur. prius etenim in ore cibus assumitur, & rũ demum in interiora uentris mansus trajicitur. Ansbert.lib.5,cap.10.Apocal.

Solet aliquando in Scriptura sacra, sic res quælibet sub specie demonstrari, ut tamen non specialiter uel uni uel paucis, sed omnibus generaliter congruat: aliquando autem & specialiter, uel uni uel paucis, & cunctis generaliter conueniat. Ansbert. lib.5. cap.10 Apocal.

Scriptura sacra sæpe per solam animam, sæpe per solum corpus, totum hominem exprimit. Ansbert.libro quinto, capite undecimo Apocalyp.

Mos est Scripturæ, aliquando ficut à toto partem, sic plerunque à parte totum ostendere. Sic enim arbitror in hac sententia, per dies, annos figurari. Ansbert.lib.5. cap.11.Apocal.

Huius reuelationis & omniũ penè uoluminũ cõsuetudo est, præteritũ tempus pro futuro ponere. Ansbertus lib.5, cap.12 Apo.

Sciendũ nobis est, quia cum in sacra Scriptura masculus ponitur, aliquãdo in bono, pro excellentia fortitudinis: aliquando uerò in malo, pro immensitate sceleris intelligitur. Ansb.lib.5, cap.12 Apocalypseos.

Sciendum, quia uasa figuli in Scriptura sacra, aliquando pro infirmis actionibus, aliquando ponuntur pro carnis corruptione. ibidem.

Solent per aquas in Scriptura sacra, persecutionũ impetus designari, Psalmista atte stante, qui uoce martyrũ ait: Cum insurgerẽt homines in nos, forsitan uiuos deglutirent nos: & cũ irascereturanimus eorũ aduersus nos, forsitã uelut aqua absorbuisset nos. Ansbertus lib.6.cap.12.Apocalyp.

Solet

Solet in Sacro eloquio terræ nomine, humana natura designari. Vnde & primo homini peccanti dicitur: Terra es, & in terram reuertêris. Ansbertus ibidem.

In Sacro eloquio abyssi nomine, aliquando inscrutabilia Dei iudicia, aliquando hoc ipsum sacrum eloquium, aliquando inferni profundum, aliquando designãtur infidelium corda, Christo Ecclesiæq; resistentia. Ansbert. lib. 6. cap. 13. Apocal.

In alia Scriptura cum nomen Bestiæ singulari numero ponitur, ipse malignorum spirituum princeps per illud designatur: cum uerò plurali, aut uniuersa dæmonia, aut bestiales hominum motus demonstrantur. Ansbert. libro 6. capite 13. Apocal.

In hac uerò Apocalypsi, cum singulari numero Bestiæ nomen ponitur, generaliter quidem est agno contrarium, quo cuncta generaliter complecti dicimus. Aliquando enim autor huius historiæ, uniuersis eiusdemq; uocabulo bestiæ, diabolum: aliquando autem corpus eius, uidelicet omnes infideles & reprobos: aliquando uerò unum ex capitibus eiusdem bestiæ, Antichristum scilicet, quod quasi occisum resurrexit, simulatione utiq;, non ueritate: aliquando quoque solos prædicatores eiusdem peruersi hominis atq; ministros designat. Ibidem.

Sicut in bonum septenarius numerus: propter septiformem Spiritus sancti gratiam: sic plerumq; in malum, propter septenariam immundi spiritus nequitiam accipitur. Et sicut in bonum, idem numerus uniuersam Ecclesiam designat: sic in malum, totam malorum summam exprimit. Ansbert. lib. 6. cap. 13.

Particula Quasi, non semper pro aduerbio similitudinis, sed aliquando etiam pro affirmatione ueritatis in Scriptura ponitur. ibidem.

Centenarius numerus in diuina Scriptura, semper perfectus ostenditur. Ansbert. lib. 6. cap. 14.

Quadragenarius numerus, quanquam multis diuinis coattestantibus oraculis probetur perfectus: in eo tamen nobis maximè commendatur, quo uel Decalogi mandata per quatuor libros sancti Euangelij quater ducta adimplentur: uel quo Dominus noster quadraginta diebus ieiunium peregisse cognoscitur. ibidem. item lib. 10. cap. 21. Apocal.

Quaternarius, siue propter quatuor paradisi flumina, quatuorque Euangelia Christi: seu propter quatuor nouissimas mundi partes, quatuorq; principales uirtutes, manifestè perfectus habetur. ibidem.

Millenarius in sacra Scriptura perfectus habetur, quia appellatione eiusdem uniuersitas designatur. Vnde scriptum est: Verbi quod mandauit in mille generationes. ibidem.

Duodenario sanè nullus in numeris sacratior inuenitur. Anshert. lib 6. cap. 14 Apocal. item lib. 10. cap. 21 Apocalyp.

In Scriptura sacra quędam prohibentur, quædam præcipiuntur: aliqua concedunturnonnulla suadentur. Prohibentur scilicet mala, præcipiuntur bona: conceduntur media, suadentur perfecta. Ansbertus lib. 6. cap. 14 Apocal.

Solet nonnunquam in Sacro eloquio, una eademq; res sic ambiguè proferri, ut incertum sit, in quam magis partem debeat accipi. ut est illud, Calix in manu Domini, uini meri plenus est mixto. Ansbert. lib. 7. cap. 14. Apocal.

Absit ut hoc affirmare tentemus, quod nunquam in diuinis uoluminibus aliquando reperire poterimus. Nunquam enim aut Pater, aut Spiritus S. in diuino eloquio Angelus uocatur. ibidem.

Sanguinis nomine, in Sacro eloquio, propagatio humanæ sobolis, uindicta animaduersionis districtæ, infidelitas mentis, peccata carnis, exprimitur. Ansbert. lib. 7. cap. 14. Apocal.

Constat namq;, & uerum est, Dominum IESVM CHRISTVM, imò totam simul Trinitatem, per assumptam angeli creaturam, omnia hæc sacramenta Iohanni reuelasse: eundemque angelum, modò capitis nostri, modò prædicatorum eius, modò propriam gessisse personam. Iohannem uerò, cui apparuit, nunc prędicatorum, nunc auditorum, nunc propriam formam tenuisse: ac per hoc, cum idem angelus unus ex septem esse perhibetur, nõ iam ad proprietatem, sed ad figuram pertinere uidetur. Ansbert. lib. 7. cap. 15. Apocal.

Solet nonnunquam in Scriptura diuina, per mare, baptismatis Sacramentum designari: per ignem uerò, effusio Spiritus sancti, simul & passio Redemptoris. Ansbert. lib. 7. cap. 15. Apocalyp.

In Scriptura sacra solet nonnunquam fumi nomine, confessio peccatorum designari. Sicut namque fumus præcedit incendium, sic flammam fidei præcedit confessio peccatorum. Ansbert. lib. 7. cap. 15. Apocalyp.

Solet plerunque in diuina Scriptura, ab efficiente, id quod efficitur, ostendi: tanquam hoc loco professio per linguam prolata, ponatur pro lingua. Ansbert. lib. 7. cap. 16. Apocal.

In figuratis locutionibus, nec obserua-

tur, nec requiritur ordo historicus. Ansbert. lib. 7. cap. 16. Apocal.

Notandum est, quòd diuinus sermo, cum Deum diligi præcipit, non solum narrat ex quo, sed etiam informat ex quanto. Ansbert lib. 7. cap 16. Apocal.

Scriptura sancta paruulis congruens, non solum hæc, sed & alia innumera quæ ad naturam Dei non pertinent, humano more seruato studet referre: quatenus imitatione patris uel matris, balbutientibus paruulis, ut intelligi possint, quæ ab ipsa dicuntur, & ipsa balbutiat. Quæ si ita non ageret, sed ut est diceret, humana corda ad agnitionem suam nunquam leuaret. Ansbertus lib. septimo, capite decimosexto, Apocal.

In Scriptura sacra Deserti nomine aliquando superna patria, aliquando uitæ huius peregrinatio: aliquando autem electorum corda, aliquando uerò reproborum designantur. Ansbert. lib. 8. cap. 17. Apocalyp.

Et in bono & in malo, septenarium numerum frequenter poni, Scriptura sacra testatur. Nam cum Spiritus sanctus pro septenaria operatione, Isaia testante, septiformis esse credatur in bono: spiritus etiam nequam septiformis sæpius designatur in malo. Hinc est quòd septem dæmonia de Maria Magdalena Dominus eiecisse testatur. Ansbert lib. 8. cap. 17. Apocal.

Panis uocabulo, omnium generum deliciæ intelliguntur insertæ, sicut sæpissimè Scriptura sancta commemorat. Ansbert. lib. 8. cap. 18. Apocal.

In auro solet eximio fulgore radians sapientia designari. unde scriptum est: Accipite sapientiam sicut aurum. Argenti autem nomine, Sacra figurantur eloquia, Psalmista attestante, qui ait: Eloquia Domini, eloquia casta, argentum examinatum. Ansbert. lib. 8. cap. 18.

Aliquãdo in diuina Scriptura iumenta & oues, electos figurant. Ansbert. li. 8. cap. 18. Apocal.

EX RADVLPHO.

Notandum autem, quòd tituli in libris aliquãdo ex nomine autoris, aliquando ex materia, nõnunquã ex utroq; ponũtur. Ex nomine autoris, ut est liber Isaiæ seu Ieremiæ: ex materia, sicut dicimus, Liber Geneseos, eo quòd rerũ naturã describat: ex utroque, ut est, Augustinus de ciuitate Dei, Boethius de cõsolatione philosophiæ, Tullius de Amicitia, & multa similia. Scripturæ autẽ sacræ mos est, etiã à principijs seu ab aliqua parte precipua libros suos intitulare. A principio, ut Matthæus: Liber, inquit, generationis IESV CHRISTI. A præcipua uerò parte, ut est liber Numeri. in eòdem quippe hoc excellit, quòd filij Israel egressi de Aegypto, secundò numerari referuntur. Radulph. in Prologo.

Tabernaculum Dei, aliquando corpus Christi, aliquando cœlestis illa ciuitas, uel angelorum conuersatio: aliquando Ecclesia, quæ in terris peregrinatur: nonnunquam uerò sancta Scriptura intelligitur. Radulph. lib. 1. cap. 1. Leuitic.

Visitatissima est in Scripturis hæc figura, quæ Prolepsis dicitur, quando per anticipationem aliqua nominantur: sicut Abraham inter Bethel & Hai fixisse tabernaculum refertur, cum locus ille à nepote suo Iacob Bethel primùm cognominatus fuit. Sic: Efferet uitulum extra castra in loco mundum. mundum dixit, hoc est mundandum. Radulph. libro secundo, cap. 4. in Leuit.

Modus locutionis satis usitatus est, uoluntatem pro opere ponere. ut cum de Deo in Iob legitur: Quis restitit ei, & pacem habuit? Restitit, dixit, pro resistere conatus est. Nemo enim resistere Deo potest. Radulph. libro tertio, capite septimo, in Leuit.

Facit hoc sæpè Scriptura, cum aliquid uult dicere, iterum inducit loquentem, qui iam loquebatur. Radulph. lib. 3. cap. 10. in Leuit.

Qui non indigent pœnitentia: id est, qui se non indigere existimant. Radulph. lib. 4. cap. 4. in Leuit.

Tuli à filijs Israel, & dedi Aaron sacerdoti lege perpetua. Hæc lex perpetua dicitur, non ad æternitatem, sed ad temporis uniuersitatem. Sic enim & Poeta locutus est:

*Seruiet æternùm, qui parua nesciet uti.*

æternùm dixit, id est, quoad uixerit. Ita & nos legem istam perpetuam intelligimus. Radulph. lib. 5. cap. 4. in Leuit.

Septem Spiritus sancti charismatum, duo quidem suprema sunt sapientia & intellectus: unum uerò infimum, id est, timor: & ideo ubicunque in Scripturis seu uerbis seu figuris significantur, illa locum supremum, hoc uerò nouissimum tenere solent. Radulph. lib. 6. cap. 1. in Leuit.

Quicquid simplex fidei regula tradit, ab omnibus catholicis indifferenter obseruatur. ibidem.

Sacra Scriptura per Hyperbolen sæpe utitur his uocibus, Vniuersa, omnia, nemo: pro, Penè uniuersa, penè omnia, penè nemo. Radul. lib. 6. cap. 5. in Leuit.

Quaternarius numerus pro perfectione & soliditate solet poni. Vnde & quatuor sunt Euangelia, ad designandam irreuincibilem eorum autoritatem, & ligna-

arcæ quadrata fuerunt, ubi sanctorum fortitudo expressa est. Radulph. libro 7. capite 3. in Leuit.

Fratres dicuntur, locutione Scripturæ, quilibet consanguinei. Radul. lib. 7. cap. 2. in Leuit.

Hæc locutio in Scripturis frequens est, ubi prima persona quæ loquitur, aut secunda cui loquitur, tanquam tertia introducitur. Vnde fratres Ioseph cum eo sermonem habentes: Pacifici, inquiunt, sumus, nec quicquam serui tui machinantur mali. Nō quicquam dixerunt, Nec quicquam machinamur mali. Ioseph quoque ad Pharaonem: Quæ facturus est, inquit, Deus, ostendit Pharaoni. Cum illi loqueretur, tanquam de altero dicit. Radulph. lib. 7. cap. 4. in Leuit.

Est hoc frequens in Scripturis, ut res significans, eius sortiatur nomen, cuius typum gerit. Inde scriptum est: Petra autem erat Christus, cum Christum utique significaret, non Christus esset. Et quia panem angelorum manducauit homo: cum manna illud non angelorum cibus fuerit, sed angelorum cibum significauerit. Radulphus libro octauo, capite primo, in Leuiticum.

Corpus in Scripturis solet intelligi, quædam conuersationis humanę compositio, seu bona seu mala, ex diuersis operibus, tanquam ex membris uarijs compaginata. Habes in Euangelio, dicente Domino: Lucerna corporis tui est oculus tuus. Quicquid enim à nobis recte geritur, pia intentione illuminatur. Et in parte contraria: Vt destruatur (ait Apostolus) corpus peccati, ut ultrà non seruiamus peccato. Radulph. lib. 9. cap. 8. in Leuit.

Manifestum est, sæpè in Scripturis animam non secundum substantiam dici, sed uitam carnis animam nuncupari. Radulp. lib. 13. cap. 2. in Leuit.

Rerum figuræ in Sacris literis aut allegoricæ sunt, aut morales, aut anagogicæ. Allegoricæ, cum uentura prænunciant. Morales sunt, quæ mores instruunt. Anagogicæ quoque sunt, quę ad superiora nos ducunt, id est de diuinis nos imbuunt. Aliud enim est, cum docemur quid nos agere debeamus: aliud uerò, cum quid de Deo ueraciter sentiamus. Radul. li. 15. in Præfat.

In Scriptura nonnulla sæpius dicuntur, aut præcipiuntur, ut irrefragabilem assertionis fuæ insinuent certitudinem: uel ad sui obseruantiam, torpentem excitent auditorem. Radul. lib. 15. cap. 4. in Leuit.

Mos est Scripturæ, ut quædā locis competentibus diligenter exponat: eademq; alijs in locis prætermittens, subintelligēda relinquat. Radul. lib. 16. cap. 4. in Leuit.

In sacro eloquio Salicū nomine, prosteritate reprobi, pro uiriditate autē iusti designantur. Radulph. lib. 17. cap. 3 in Leuit.

Vetustas non semper corruptionem, sed aliquando solam designat antiquitatem. Vnde est illud in Epistola Ioannis: Non mandatum nouum, sed mandatum uetus, quod habuistis ab initio. Itemque illud Sapientis: Vinum nouum, amicus nouus, uetus asset: & cum suauiter bibes illud. Radul. lib. 18. cap. 5. in Leuit.

Literæ contrarietas in Scriptura sacra, pluribus in locis adeò uel dubia, uel quasi sibi repugnans apparet, ut uix & cum magno labore diuersis hinc & inde capitulis consideratis, quæ ad eundem sensum referenda uidentur, aut eluceat quod dubium fuit, aut consonet quod quasi contrarium prius apparuit. Nos tamen de litera tunc securius dubitamus, aut fortè nonnunquam secus quàm debeat, aliquid pronunciamus, cum mysterium non impedit, seu quod dubiè profertur, seu quod incautius forsitan definitur. Radulph. lib. 19. cap. 7. in Leuit.

Gladius in Scripturis uarias significationes habet. Nam & uindictam diuinam significat: & gladium spiritus, quod est uerbum Dei. Radulph. libro decimonono, cap. 8. in Leuiticum.

EX THEOPHYLACTO.

Theophylactus: Diuina Scriptura ex operibus imponit nomina, sicut cum dicit: Voca nomen eius, Velociter prædare. Et ubi uocatus est tali nomine? Quia simul ut natus est Dominus, direptus & captiuus abductus est error. Sic dicitur nominatus esse, ab opere appellatione inuenta. Theophylact. in Matth. cap. 1.

Vocabulum Propheta, si sine articulo dicatur, nunquam potest intelligi, quòd hic sit qui expectetur propheta, de quo dixit Moyses: Prophetam uobis Deus excitabit. Non enim dixerunt, Hic est propheta: sed, propheta ille. hoc est, ille qui expectatur. Matth. 21.

Vbi Donec, uel Vsque in Scriptura inuenitur, non adimit quod posterius. Matth. cap. 28.

Cum sæpè in Scripturis audieris cathedram, non cathedram intelligas, sed excellentem dignitatem. In cap. 10. Marci.

Scriptura solet numerum septenarium pro multitudine accipere. ut, quòd sterilis peperit septem: uel septem dæmonia. In Marci cap. 16.

Scriptura solet coniunctionem Et, pro Enim accipere: ut, Da nobis auxilium. &: Vana salus hominis. hoc est, uana enim salus hominis. Item: Tu iratus

fuisti, & nos peccauimus. Item: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus uentris tui. Theophylact. super Lucam cap. 1. Idem Ioh. 8. monet.

Quæ Scriptura tacuit, ea quærere non oportet: præsertim ubi nulla utilitas. ibidem.

Magna est utilitas, scire Scripturas. Scripturis enim Dominus sathanam repulit. Hoc autem, Non solo pane uiuit homo, Mosaicum est, de manna dictum. nam licet non esset panis manna, ea tamen alebatur populus. Luc. cap. 4.

Septem in Scripturis, sæpè solet accipi pro multis: ut per septem dæmonia, quæ de muliere eiecta fuerant, quidam intelligunt multa. ibid. Luc. 8. cap.

Quando sacra Scriptura uindicatiuam Dei uirtutem significat, pantheram, & ursum, & pardum eum uocat: quando autem misericordiâ uultr insinuare, hominem inducit. Luc. 14.

Solet Scriptura generationem hoc modo nominare, ut, Hæc est generatio quærentium Dominum: scilicet, omnium fidelium generationem. Luc. 21.

Omnis parabola obliquè & figurato modo, rerum quarundam naturam manifestat: non per omnia rebus illis assimilata, propter quas assumpta est. Idcirco non oportet omnes parabolarum partes curiosius inquirere, sed quatenus apparent proposito utiles. reliquæ enim limendæ sunt, quasi parabolam contexentes, & nihil ad propositum conducentes: quomodo & in proposita parabola faciendum. Nam si per tenues particulas omnes exponere tentauero, quis dispensator, quis dispensatoris Dominus, & à quo delatus sit, & qui debitores, & propter quam causam ille quidem oleum, alius autem triticum, qua de causa centum debere dicantur: & si alia omnia perquisiuerimus, obscurum & molestum sermonem faciemus: & fortasis, si ualdè hæsitauerimus, etiam ridiculi erimus. Luc. 16.

Manifestè hoc loco alium esse Verbum, & alium esse Patrem, declarat Iohannes, etiamsi non sit aliud & aliud. Alius enim & alius, de persona dicitur: aliud autem & aliud, de naturis. Et ut exemplo manifestius faciamus, Petrus & Paulus sunt alius & alius, sunt enim personæ duæ: sed non aliud & aliud. Ibidem, Iohannis primo.

Omnia per ipsum facta sunt, &c. Si te offenderit præpositio Per, & quæris inuenire in Scriptura sermonem quendam qui dicat quòd uerbum ipsum fecerit omnia, audi Dauid: Principio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Vides quomodo non dixit, Quia per te facti sunt cœli, & fundata est terra: sed tu fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Quia & hæc de unigenito, & non de Patre dicit. Disces etiam hoc & ab ipso quidem Apostolo, qui utitur hoc dicto in Epistola ad Hebræos. In 1. cap. Iohannis.

Scriptura plerunq; solet à parte totum nominare, utpote commemoratura totum hominem, à parte, anima scilicet, ipsum nominat. ut: Omnis anima quæ non circumciditur, occidatur. Ecce enim, pro eo quod est Omnis homo, dicit partem, animam scilicet. Et iterum à carne nominat totum, ut licet. Et iterum à carne nominat totum, ut quando dicit: Et uidebit omnis caro salutare Dei. Dicere enim uolens omnem hominem, carnis nomine usus est. Sic & Euangelista, pro eo quod est, Verbum factum est: dixit, Verbum caro factum est, à parte totum hominem nominans, ex anima & corpore constitutum. Ioh. 1.

Non oportet omnia quæ in parabolis dicuntur, quasi canones ac leges assumere. Ibidem Iohan. 3.

Congregationes aquarum, maria uocauit diuina Scriptura. Ibidem, Iohannis sexto.

Vocabulum Quis, in sacra Scriptura sæpè usurpari solet pro nullus. ut Esaias: Domine quis credit auditui nostro? quasi ex persona Christi hoc dicat Propheta, dicente Christo scilicet ad patrem, Domine quis credidit, &c. Nullus credidit auditui nostro. Idem in Iohan. cap. 12.

Sæpè id quod non est, tanquam esse ponitur. ut Gal. 1. Si uel angelus uel nos prædicemus uobis Euangelium, præterquam quod accepistis. Atqui neq; ipse, neq; angeli aliud Euangelium annficiaturi erant. in priore epist. ad Corinth. 13. cap.

Scriptura consueuit inanimis & sensu uacantibus, & ratione, uocem attribuere: ueluti per ipsas res tantum nō clament. Habacuc cap. 2. Hanc ob causam lapis ex pariete clamabit, & cātharus ligneus uociferabitur. Itē Esaias 23. Erubesce Sidon, dixit mare. &, Cœli narrant, &c. Psal. 18. Item Luc. 19 Christus dicit: Amen dico uobis, si tacuerint, illi lapides clamabunt. supe prophetam Habacuc, cap. 2.

Obseruandum quidem, omnem prophetiam communi uocabulo Lemma dici posse: hoc est, acceptionem. nam ex Deo hanc prophetæ accipiebant. Idem super Naum prophetam, cap. 1.

Vtitur Scriptura talibus uerbis præteritis, pro futuris: ut ostendat, Deo nihil futurum esse, uerùm omnia ipsum præ-

occupare

occupare præscientia & prędefinitione: simul etiam ut certiores nos reddat, quòd omnia sic cõtingent. Ac perinde ut impossibile est, quæ iam facta sunt, facta non esse: sic impossibile est, hæc etiam non fore, quæ dicuntur. Ose. 5. Monstraui fidelia, pro monstrabo. Veluti illud, Foderunt manus meas & pedes meos: pro, Fodient. In Oseam prophetam cap. 5.

Donum autem, & operatio, & ministerium, eadem sunt, etsi nominibus differunt. æqualiter enim à spiritu & filio & patre dantur. In epistolam Pauli ad Corint. priorem, cap. 12.

Conuenire, significat (Matth. 1.) congressum. Priusquam enim congrederentur, concepit. Vnde & Euangelista obstupescit & clamat, Inuenta est: quasi de re quadam admirabili dicens. In 1. cap. Matthæi.

Nomen IESVS, Matt. 1. interpretatur Saluatorem. idem.

Matth. 1. Et nõ cognouit eam, donec peperisset filium suum primogenitum. Hoc est: Non habuit unquam rem cum ea. Hoc enim loco uerbulum DONEC, non hoc manifestat, quòd non cognouerit eam usq; ad partum, postea autem cognouerit: sed omnino nũquam eam cognouerit. Hoc enim habet Scripturæ proprietas. Sic cum dicit: Non reuersus est coruus in arcam, donec arescerent terra. neq; enim postea rediit. sic & alio loco: Vobiscum sum usq; ad consummationem seculi. igitur post consummationem nõ erit uobiscum? Et quomodo? tunc enim multò magis erit. Sic igitur & hoc loco, Donec peperisset, intelligas: hoc est, neque ante partum, neq; post partum cognouit eam. idem.

Bethlehem interpretatur domus panis: Iudæa autem, confessio. Fiat igitur, ut nos nunc per confessionem fiamus domus panis spiritualis.

Ego sum Deus Abraham, & Isaac, & Iacob. id est: Deus non est eorum Deus, qui non sunt, sed qui subsistunt & sunt. Quare autem dicitur, Mortuorum & uiuentium est Dominus? Disce igitur, quòd mortuos illos illic dicit defunctos quidem, uicturos autem. ibidem.

Pater percutere filium dicitur, eo quòd noluntate, hoc est permissione eius crucifixerunt Iudæi Dominum: quia cum ipse posit eos prohibere, & non prohibet, dicitur percutere, propter permissionem. cap. 26. Matth.

Colaphizare, est manibus percutere, simul incuruatis digitis, & pugno cædere. ibidem.

Aliud est intelligendum, cum Iohannes dicit, Resipiscite: aliud aũt cũ Christus, Iohannes autem dicebat, Resipiscite: ut abscederent à peccatis. Christus autem, Resipiscite dicit, ut à legali litera fugerent: ideo apposuit, Et credite Euangelio. Credens enim per Euangelium aboleuit legem. Theophylactus super Marcum, capite primo.

Oleum est ad labores utile, & lucis fomentum, & hilaritatis effectiuum: significatq; misericordiam Dei, & gratiam spiritus, per quam à labore liberamur, & lucem ac gaudium & hilaritatem spiritualem accipimus. ibid. cap. 6.

Hosanna, iuxta quosdam significat, Salua obsecro: iuxta quosdam uerò hymnum, rectius tamen quod primò dictum. Habetur enim in 17 Psalmo: O' Domine salua obsecro. id quod Hebraicè Hosanna scriptum est. ibid. cap. 11.

Esaiæ 61. Spiritus Domini unxit me: hoc est, Consecrauit me, constituit me. ut euangelizarem pauperibus: hoc est, gentibus, quæ neq; legem, neq; prophetas habebãt, & reuera ualde pauperes erant. super Luc. cap. 4.

Luc. 7. Vade in pace: id est, fac ea quæ te Deo conciliant. ibid.

Lucę capite nono: Domine, permitte mi hi patrem sepelire meum. Sepelire hoc loco, significat curam gerere usque ad sepulturam. Quia & communis sermo ita habet. cum dicimus, Ille filius sepelijt patrem suum, non intelligimus, quòd tantum sepelierit eum, & nihil boni illi aliud fecerit: sed quòd diligentem eius curam habuerit, usque ad mortem & sepulturam. Lucæ nono capite.

Scriptum est in Exod. 15. cap. quòd uenerunt filij Israel in Elim, & fuerunt illic duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ. Elim ascensus interpretatur: quod nihil aliud uult, quàm Ne sitis cum Iudæis in litera legis permanentes, sed ascendentes in Christianismum ad perfectiorem intelligentiam, & incrementum spirituale. Inuenimus duodecim fontes, inuenimus & duodecim præcipuos Apostolos, qui dulcissimi sunt omnis doctrinæ fontes. Palmæ uerò hi sunt, qui ab Apostolis educandi & docendi erant. Nam quamuis Christus illos elegerit, fuerunt tamen illis inferiores duodecim, & discipuli illorum postea, ac comites. Lucæ decimo.

Lucæ decimoquarto: Qui habet aures ad audiendum, audiat. hoc est, qui habet intellectum, intelligat. Aures enim hoc loco sensitiuam uirtutem animæ, & ad intelligendum aptitudinem significant. ibidem.

In prin-

In principio erat: hoc est, à principio erat. Quod enim à principio est, eius omnino nullum tempus inuentum, quando nō erat. in 1. caput Iohannis.

Et illud, Verbum erat apud Deum: hoc est, cum Deo, in sinibus paternis. Apud enim intelligere debes, pro cum. Sicut & alio loco dictum est: Nónne fratres eius, & sorores eius apud nos sunt? hoc est, nobiscum sunt, & nobiscum conuersantur? Sic & hoc loco, Apud Deum, intellige: hoc est cum Deo erat, cum Deo in sinibus eius. ibidem.

Mundus significat quidem & uniuersum hoc, sicut hoc loco, Quòd mundus per ipsum factus sit. significat autem & eos qui mundana sapiūt, sicut hic dicit, Quòd mundus eum non cognouit: hoc est, terreni homines: quòniam sancti omnes & prophetæ agnouerunt. ibidem.

Quomodo discimus hoc loco, quòd nemo uiderit Deum, cū propheta dicat: Vidi Dominū? Vidit quidem propheta Deum, at non ipsam substantiam, sed similitudinem quandam, & apparentiam quandam, sicut capere poterat. Et alius iterum in alia figura uidit, & alius in alia. Vnde scilicet non ipsam ueritatem uiderunt. non enim diuersis figuris illam uidissent, quæ simplex est, & infigurabilis. Quin neq; angeli uident Dei substantiam, quamuis dicantur uidere faciem eius. Hoc enim totum indicat, apparere eis semper Deum. Filius igitur ex omnibus hominibus solus uidet patrem, & enarrat illum. Audiens autem sinum paternum, non suspiceris aliquid corporale de Deo. ibidem.

Soluere calceum, extremi ministerij est. Scio autem me apud sanctorum quendam etiam hanc legisse expositionem: Calceus semper sumitur ad peccatricem carnem, & corruptioni subditam: corrigia autem, ut uinculum peccatorum. ibidem.

Quomodo Christus alibi dicit Luc. 9, quòd filius hominis non habeat ubi caput suum inclinet: Iohan. autem 1. uidetur habere domum? nónne hæc inter se dissident? Etenim quando dicit, quòd non habeat ubi caput reclinet: nō dicit, quòd nullum omnino habeat diuersoriū: sed quòd non habeat proprium. si habitasset igitur in domo, non propriam inhabitasset, sed alienam. ibidem.

Quid est, Qui credit in filium, non iudicatur? Nunquid, si immundam egerit uitam, non iudicatur? Maximè quidem. Non enim uerè fideles sunt eiusmodi, ut Paulus dicit. Deum enim, inquit, fatentur se scire, operibus autem negant. Veruntamen hoc loco dicit, quòd propter ipsum credere non iudicatur. dabit autem pœnas graues malorum operum: propter incredulitatem autem, quam non habet, non punietur (semel enim credit) at qui non credidit, iam iudicatus est. Quomodo? Primùm quidem, quoniam & ipsa incredulitas, condemnatio est. Deinde, quamuis non hic gehennæ traditus sit, sed congregauit hic futuri supplicij occasiones: sicut & homicida, tametsi non sententia iudicis condemnetur, natura tamen rei condemnatus est. Idem Iohan. 3.

Iohan. 6. Operemini non cibum qui perit, sed qui permanet in uitam æternam. Quia multi cupientes ignaui uiuere, & maximè Masseliani, qui uli sunt hoc dicto ad patrocinium suæ ignauiæ, operæ precium fuerit declarare hoc dictum. Non enim hoc dixit Dominus noster IESVS CHRISTVS, ut corporalem quidem operationem uelit ab eis amouere, & ipsos ad ocium cogere. Iohannis sexto.

Quomodo scriptum est Deuterono. 24. quòd reddat peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem? Dicendum igitur, quòd primùm quidem non sit generalis hæc sententia, neq; contra omnes dicta: sed solum contra eos qui egressi sunt de Aegypto. Insuper attende mentem sententiæ. Nō enim hoc dixit, quòd pro peccatis patrum puniantur filij: sed quòd peccata patrum, hoc est pœnæ pro peccatis inrogandæ sint & filijs ipsorum, utpote his qui similia deliquerint. Nam ut ne puréthi qui ex Aegypto egressi sunt, quòd quáuis grauius peccauerint quàm parentes, non iisdem supplicijs puniantur, inquit: Non sic erit, sed peccata patrum, hoc est pœnæ, & ad uos peruenient: quia non facti estis meliores, sed eadem ac deteriora peccatis. Iohannis nono.

Peccatores non exaudit Deus: hoc significat, quòd Deus non concedit peccatoribus signorum operationem. Non enim habitat spiritus in corpore subdito peccatis. Ibidem.

Domine, quis credit auditui nostro? hoc est, nullus credidit. Quis enim, sæpè in Scriptura usurpari solet pro Nullus. Quasi ex persona Christi hoc dicat propheta, dicente Christo, scilicet ad patrem: Domine, nullus credidit sermoni nostro. Iohan. 12.

1. Paralip. 16. Ne tangatis unctos meos. Hoc uerbum de ijs qui ante legem florue-re, accipiendum est, quo tempore neq; unctionis per oleum nomen erat. Idem in epistolam Pauli ad Romanos, cap. 1.

Quando Christus ait Matthæi decimo tertio, Quòd pleriq; uatum cupierint uidere quæ uos intuemini, & nō conspexerint hoc di-

hoc dicit, nempe quòd carnem illam suam non uiderint, adeoq; signa ipsa quę in conspectu omnium palàm ediderit. Ibidem.

1. Corinth. 12. Gratiam accepimus, & apostolatum: hoc est, non ipsi uirtute nostra, ut Apostoli efficeremur, impetrauimus, cæterum è superna nobis id gratia contigit. Rom. 1.

1. Timoth. 2. Mulieri docere non permitto. Aduerbo doctrinæ eam non arcet: sede nim à primo loco, & à præsulatu in conuentu, adeoq; à sede uel cathedra in templo. Priuatam enim mulieris institutionẽ, omnino diuus Apostolus recipit & permittit. Hanc enim ad rationem & maritum suum uxor, & liberos docet. sic Prisca Apollinem instituit. Rom. 16.

Philip. 2. Flectetur omne genu cœlestium. Non enim ossa & neruos habent angeli: sed summam subiectionem indicauit. Ibidem ad Corinth. cap. 13.

EXPLICATIONES QVORVNDAM *dictorum sacræ Scripturæ.*

Psalm. 9. Dum superbit impius, incenditur pauper: id est, scandalizatur pauper, mente sua repetens, indignè ditescentes, adeoq; se supra cæteros tollentes. Theophylac. in epistolam Pauli 2. Corint. 11.

Seruite eis tanquam Domino. Ecquid aliàs scriptum est, Luc. 14. Nisi quis se cùm à muliere, tum à uiro seiunxerit, non potest me sequi? Nam si tanquam Dominò seruiendum est, quomodo dicit deficiendum à uiro & muliere propter Dominum? Quoniam aduerbium similitudinis, non est ubique eiusdem precij. Vel, Subijcimini dicit, uel obedite, scientes quòd seruiatis Deo. hoc est, Si non propter uirum in primis, propter Dominum tamen. Quòd si exteriori, adeoq; mundi potestati sese opponens, Domini potestati resistit: quanto magis quæ marito suo reluctatur? Itaque econtrariò, quæ marito obedit, Domino obedit. Ibidem ad Ephesios, capite quinto.

Præpositio In, aliquando est pro super, uel propter. ut, In cœlestia belligeramur. id est, propter cœlestia belligeramur, quare nos sobrios esse oportet. Idem ad Ephes. capite sexto.

Roman. 12. Cum omnibus hominibus pacem habete. Primùm quidem non simpliciter dixit, sed cum conditione: Si fieri possit, cum omnibus habete. Deinde aliud est habere pacem, aliud diligere. illud enim, à pugna & contentione alienos nos esse iubet: diligere uerò, animi adfectionẽ postulat, ac ueluti contemperationem, morum; similitudinem, quæ hæreticis non est exhibẽda. Si enim oculus tuus offendit te, excinde ipsum. ad Philippenses primo.

Psalmo secundo: Seruite Domino in timore, & exultate ei in tremore. Est enim exultatio cum tremore, quando bonum aliquis faciens, idque cum tremore, conscientiam habet liberam, quæ cum fiducia & liberè fateatur uerum, & Euangelium filij Dei. ad Philip. 2.

Matthęi septimo: Quęrite, & inuenietis. Item Iohan. 5. Scrutamini Scripturas. Hìc Quærite, de oratione dixit Christus, & ardenti desiderio: Scrutamini uerò, ut exactam illarum rationem addiscatis, probeque teneatis eas, ut ita desistatis tandem à petitione & inquisitione. Idem ad Timoth. cap. 1.

Matthæi sexto: Nesciat sinistra tua, quid facit dextera. Non de manibus hoc dicit: sed supra modum etiam commendat, ut citra uanam gloriam impertiamus egenis. Ibidem.

Geneſis tertio: Quomodo Adam non est deceptus? Quia neque scriptum hoc testatur: sed mulier inquit, Serpens ipse decepit me. Adam autem non dicit, Mulier imposuit mihi: sed, Dedit mihi. Non est autem idem & æquale, persuaderi ab eiusdem generis socio & adiutore, & à bellua serua & subiecta: illud itaque deceptionis fuit. Ad comparationem igitur fœminæ, dicit ipsum non fuisse deceptum: imò nec Adam quidem lignum nouit, quòd bonum esset ad cibum: sed mulier conspicata seducta est, deinde etiam marito sic suo dedit. Illa itaque à cupiditate seducta est, is uerò à muliere persuasus est. Idem ad Timoth. cap. 2.

Deuteronom. decimoseptimo: Si quis legem Mose reiecisset, coram duobus aut tribus testibus moritur. hoc est, Si confessum & probatum fuerit à duobus tribusue testibus, quòd præuaricatus sit legem. Idẽ ad Hebræ. cap. 10.

Diaplasma uox est, quam Græci interpretes reddiderunt pro Hebræa dictione Sela. Significat autem (ut peritioribus Hebræis placet) quandam peculiarem obseruationem eius rei, quæ illic per spiritum propheticum dicitur. quasi dicat: Res non est parua, quare imis eam sensibus repone: & quia hæc est prophetia de incarnatione filij Dei, pulchrè apponitur Sela, Græcè Diaplasma. Idem in prophetam Habacuc, cap. 3.

Peculiarem quandam habet significationem coniunctio Et, pro Atqui. ut Naum secundo: Et Nineui seu piscina aquæ. pro, Atqui Nineui uobis aquæ. hoc est, inhabitantes ipsam, & complentes. Idem, Naum 2.

Psalmo

Psalmo 48. Confitebitur tibi, quando ei benefeceris. hoc est, Gratias aget tibi Domine, quando beneficium illi exhibueris: at si ea defluxerint, te ediuersò uituperabit. in Oseæ cap. 3.

Rom. 11. Si quo modo prouocem ad æmulandum carnem meam: hoc est, secundum carnem cognatos mihi Hebræos, seruemq; ex eis quosdam. Hic Apostolus carnem appellat cognatos. in Oseam cap. 9.

EX SMARAGDO.

Vbi tristicia significatur, ibi sæpe nox adiungitur, uel nominatur. ut illud: Omnes uos scandalum patiemini in me ista nocte. In Euangelium Lucæ 22.

Mortem uidere dixit: Quomodo uidetur, quibus ue oculis, quæ ueniendo ipsos oculos claudit? sed uidere mortem, experiri significat. Smarag. in epist. Pauli ad Titum, cap. 2. Mulier non corruptionem, sed sexum significat. Deniq; Eua statim ut facta est, mulier appellatur. Et ipse Dominus ad matrem: Quid mihi & tibi, inquit, est mulier? In eo autem quod dicit, Ex muliere, monstrat: non more solito ex conuentu uiri & fœminæ, sed per Spiritum sanctum ex matre tantum, Christum incarnationẽ hominis suscepisse. Nam idem Apostolus ad Corinthios ait: Sicut mulier ex uiro, sic uir per mulierem. Smaragdus in epistola Dominicæ 1. post Natalẽ Domini, Gal. 4.

Sermo benedictionis in Scripturis, diuersè positus inuenitur. nam & Deus benedicere dicitur, & homines, uel cæteræ creaturę Deum benedicere iubentur. Sed Dei benedictio aliquid muneris semper his qui ab eo benedicuntur, impertit: homines uerò Deum benedicere, pro hoc quod est laudare, & gratias referre, dicuntur. Smarag. in 12. cap. ad Roman.

Stultiloquium esse æstimo, non solum eorum qui aliqua narrant turpia, ut risum moueant, & fatuitate simulata magis illudant eis quibus placere desiderant: sed etiam eorum qui sapientes seculi putantur, & de rebus Physicis disputantes, dicunt se arenas littorum, guttas Oceani, cœlorum spacia, terræq; punctum liquidò comprehendisse. Inter stultiloquiũ aũt & scurrilitatem hoc interest, quòd stultiloquium, nihil in se sapiens habet: scurrilitas uerò, de prudenti mente descendit, & consultò appetit quædam uel urbana uerba, uel rustica, uel faceta, quæ nos iocularitatem alio uerbo possumus appellare, ut risum moueat audientibus. Verùm hæc à sanctis uiris penitùs propellenda, quibus magis conuenit lugere. Beati enim qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Mons quippe Olueti, sublimitatem Do minicæ pietatis & misericordiæ designat: quia & Græcè ἔλεος παὰ ἔλεος, misericordia dicitur. Oliuetum uocatur oleum, & ipsa unctio olei fœsis solet adferre leuamen. Sed & hoc quod oleum & uirtute aput tate præeminet, & quemcunq; ei liquore superfundere uolueris, cõfestim hunc transcendere, eiq; super ferri cõsueuit, gratiam misericordiæ cœlestis non inconuenienter insinuat. de qua scriptũ est: Suauis Dominus uniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Smarag. super Euangelium Iohannis cap. 8.

Pascha, transitus dicitur: & quoscunq; Dominus interna munerum suorum suauitate recuperat, ad salubrem profectò transitum præparat, ut carnales uidelicet concupiscentias mentis sublimitate transcendant: infirma mundi desideria, pariter & aduersa, cœlesti spe & amore conculcent. idem super Euangelium Iohannis cap. 6. Itẽ: Pascha quod Hebraicè dicitur פסח, non à passione, sed à transitu nominatur: eo quòd exterminator uidens sanguinem foribus Israelitarum, pertransierit, nec percusserit eos. idẽ in caput Matthæi xxvi, Marci xiiii, Lucæ xxii, de Christi passione. Cæcitas enim, infidelitas est: & illuminatio, fides.

Abba, quod & pater significat. Sed אבא Hebræum, πατὴρ Græcum est & Latinum. Vt ergo utrunq; populum in eum crederet, & ab utroq; eum inuocandum esse doceret, utraq; lingua eum primus ipse inuocat. ibidem.

Gladius, rectè hic per gladium uindicta intelligitur. Reconde gladium: acsi diceret, Quiescat uindicta. ibidem.

Simulatio, quæ alio nomine uocatur fictio, est in homine, quando aliud regit in corde, aliud mõstrat in opere: bona ostenditin superficie, & mala tenet in pectore. super epistolam Petri, cap. 2.

Detractio & blasphemia est, & suspicio- sa reprehensio, & malorum operum existimatio, & omnis omnino uenenata & absens de fratre locutio. ibid.

Quid est Dominum sanctificare in cordibus uestris, nisi sanctitatem eius, quàm sit incomprehensibilis gloriæ, intimo cordis affectu contueri: quod est maximũ nobis præsidium contra insidias ac uiolentias terrentis inimici, semper uidelicet intueri, quantam in se sperantibus uincendi fortitudinem dare ualet, cuius inæstimabilis sanctitas fulget. idem super epistolam Petri, cap. 3

Sicera interpretatur ebrietas, Hebraicè שכר. Quo uocabulo Hebræi omne quod inebriari potest poculum, siue de pomis siue de

ue de frugibus, seu de qualibet alia materia confectum significant. Decet enim uas cœlesti gratiæ mancipatum, à seculi illecebris castigari: nec uino, in quo est luxuria, inebriari eum, qui musto Spiritus sancti desiderat impleri. Super caput 1. Lucæ, in uigil. Iohan. Bap.

Corda patrũ in filios conuertere, est spiritualem sanctorum antiquorũ scientiã populis prædicãdo infundere. Prudentia uerò iustorũ est, nõ de legis operibus iusticiã præsumere, sed ex fide salutẽ quærere. ibidem.

Hoc tripliciter accipiendũ, ut dicamus, eos qui spiritu opera carnis mortificauerint, & seminauerint in spiritu, ut de spiritu metant uitam æternam, quotiescunq; uoluptatẽ carnis senserint titillare, non perficiãt desiderium eius. Alio, modo eos ambulare spiritu, & carnis desiderium non perficere dicimus, qui spiritaliter egrediuntur Aegyptum, & spiritualem escam potumq; de spirituali hauriunt petra: qui ambulant in omnibus spiritualiter, non perficientes carneę legis literam uel desideriũ, sed fructus metentes spiritalis intelligẽtiæ. Tertio modo, quidam desideriũ carnis in his dicunt esse, qui paruuli sunt in Christo, iter autem spiritus in perfectis uiris. Spiritu ambulate, id est, in grauitate spiritus: id est, in itinere uiri perfecti: & desideriũ carnis, id est, paruulorum non perficietis. idem, in epistolam ad Galat. cap. 5.

Distat sanè inter Renunciare omnibus, & Relinquere omnia. Paucorũ enim, perfectorumq; est, relinquere omnia, curas mundi postponere, solis desiderijs æternis inhiare. Cunctorũ autem fidelium est, renũciare omnibus quæ possident. hoc est, sic tenere quæ mundi sunt, ut tamen per ea non tenentur in mũdo habere rem temporalem in usu, æternam in desiderio: sic terrena regere, ut tamen tota mente ad cœlestia tendãt. Idem super 14 cap. Lucæ.

## DE DEO.

QVomodo Deus agnoscatur ab hominibus, exponit Giselbertus. Deus natura inuisibilis, quatuor modis ad noticiã hominis progreditur, duobus forinsecus, duobus intrinsecus: intus per rationẽ & aspirationem, foris per creaturã & doctrinã. Porrò ad gratiã pertinet aspiratio & doctrina: ad naturã, ratio homini insita & creatura, uerbo uel exemplo. Itaq; ratio per gratiã illuminata, informatur ad occulta Dei intuenda, quantũ desuper cõceditur, & dona supérna pro mensura congrua puro intellectui se partiũtur. In lib. Altercationis, cap. 3.

Theophylactus inquit, Christus secundum carnem pontifex est sanè: quatenus autem pontifex est, eatenus intercedere dicitur. Porrò mortuos excitans & uiuificans instar patris, quomodo iam, ubi conseruare eum conuenit, interpellat? Qui omne iudicium habet, quomodo intercedit? Qui emendat angelos, ut hos quidem in caminum inijciant, illos uerò conseruent? Propter humanam naturam hoc dictum est, quòd intercedat. Theophyl. in epist. Paul. ad Hebræos, cap. 7.

¶ Appellationes sic exponũt. Radulphus inquit: Adonai interpretatur Dominus, eo modo, quo solus Deus dicitur Dominus. Licet namque sint multi qui dicantur domini, magistri uel patres: ad comparationem tamen illius, nec Dominus quisquam est dicendus, nec magister, nec pater. Radulph. libr. decimoquarto, capite 4. in Leuit.

Inuisibilis. Giselbertus: Quandiu mortaliter hîc uiuitur, uideri Deus per quasdam imagines potest: per ipsam naturæ suæ speciem non potest, ut anima Spiritus sancti gratia afflata per figuras quasdam Deum uideat, sed ad ipsam uim eius essentiæ non pertingat. In lib. Altercat. cap. 10.

Sapiẽs. Theophylactus: Solus ipse Deus nouit sua, & nemo alius. Sapiens porrò cum sit, à nullo alio cõsultore institutus est: sed ipse sibi ipsi satis fuit sufficiens, & est. Quinetiam omnium bonorum fons est: & quæcunque dat, non ueluti compensationem uel retributionẽ debeat, impertit, sed ob propriam tantummodo bonitatem. Quis enim primùm dedit ei, nimirũ Deo, ut retribuatur ipsi? hoc est, ut à Deo beneficiũ imputetur, ceu retributio erga ipsum factum? Ipse est fons omnium. omnia enim ex ipso habent principiũ, & per ipsum facta sunt, & in ipsum ceu fundamentum quoddam uergentia euntiaque, consistunt & continentur, aduersa & admota ad ipsum. in Epistol. Pauli ad Romanos, capite undecimo.

Omnipotens. Autor Altercationis Synagogæ: Differt itaq; multum inter Deum & hominẽ. quia Deus omnia potest, eo quòd eius uoluntati subiacet omne quod est, ac per hoc nihil ei impossibile est: homo uerò, quia à se nihil est, per se nihil sine Deo potest. In lib. Alter. cap. 3. Item Smaragdus: Omnipotens Deus est, & terribilis peccatoribus, & blandus iustis. In Euangelium dei Pasc. Marc. ultimo.

Bonus. Theophylactus: Deus est uerè bonus, & fons bonitatis, & principium substantialis bonitatis. In Lucæ caput decimũ octauum. Et: Non uitiorum operator est Deus, qui uitiositatis est destructor. idem in Ionam, cap. 3.

Misericors. Theophylactus: Summa Dei

gloria est, misericordiam impertiri. In Epistolam Pauli ad Romanos, capite nono. Et: Deus non simpliciter misericors existens, sed dives in misericordia. idem ad Ephes. cap. 2.

Longanimis. Radulphus: Nos qui abundantiorem Dei gratiam assecuti sumus, cum peccantibus & morte dignis pœna differtur, per diuinam patientiam adducimur ad pœnitentiam: qua tamen eius longanimitate quicunq; abutuntur, in malis suis perseuerantes, thesaurizant sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij ipsius: quia tanto eos districtior sequetur uindicta, quãto amplior benignitas fuerit prærogata. Quia ergo Deus iustus & patiens est: prius iusticia, nunc autem ipsius ostẽditur patientia. lib. 14. cap. 4. in Leuit.

Scrutator cordium. Theophylactus: Deus est scrutator cordium, & scit quid sit in homine. Non enim ignorat, quales sint cogitationes in singulis hominibus. In Iohan. cap. 3.

De uoluntate Dei duplici, sic inquit autor Altercationis Synagogæ: Sunt enim duæ uolũtates Dei. Vna superior, quæ summa est, & ineffabilis, secundũ quam omnia quæ fiunt, fieri uult. non enim fierent, si nõ fineret: neq; uerò nolens finit, sed uolens: nec fineret bonum fieri malè, nisi omnipotens de malo posset facere benè. Ista uoluntas omnes uoluntates complectitur, & hęc non recipit nolle. Alia est inferior, quæ nolle recipit, secũdũ quã quędã uult ut bona, quædã nõ uult ut mala. In lib. Alterc. cap. 4.

De diuina natura inquit Theophylactus: Diuinæ naturæ pars est incognita, ut ipsa incomprehensibilis essentia: pars uerò cognita, ut omnia quæ sunt de essentia, nempe bonitas, sapiẽtia, uirtus, potẽtia, diuinitas siue maiestas: quæ & inuisibilia eius diuus Paulus nominat, intellecta quidem ex operibus. in Epistol. Pauli ad Rom. cap. 1

Si Deus seculi huius esse perhibeatur, nihil nouum est, cum & Deus cœli dicatur. Nec huius tantum Deus est, uerùm Deus Abrahami, Isaac & Iacob: nec illorũ tantũ, sed prorsus omniũ. Theophyl. 2. Corint. 4.

Omnium Deus. Theophylactus: Deus non est tantum Deus Iudæorum, sed & gẽtium: neque non est personarum apud ipsum respectus, uerùm in omni gente, quis quis ipsum desiderauerit, & iusticiam exercuerit, ei gratus est, uel acceptus: quẽad modũ et Petrus in Cornelio hoc uerè, ipsaque re aggressus, demonstrauit. super Ionam cap. 1.

QVOD VNVS.

Giselbertus: Vnus appellatur Deus, non de numero: sed quia nunquam à semetipso alter efficitur, ideo nunquam mutatur. Vnde Psalmista: Tu autẽ idẽ ipse es, & anni tui non deficient. Angelom. in 1. cap. 1. lib. Reg.

Smaragdus inquit: Vnus est Dominus, & unus est Deus: quia Patris & Filij domi- natio, una diuinitas est. Propterea & fides una dicitur, quia similiter in Patrem & in Filium & in Spiritum sanctum credimus. Et baptisma unum. eodem enim modo & in Patrem & in Filiũ & in Spiritũ sanctum baptizamur: & ter mergimur, ut Trinitas unum appareat sacramentum. Et nõ baptizamur in nominibus Patris & Filij & Spiritus sancti: sed in uno nomine, quod intelligitur Deus, in epist. Paul. ad Ephes. cap. 4.

DE TRINITATE.

QVòd tres personæ sint, unus Deus. Giselberus: Tres uiri mysticè, fides sanctæ Trinitatis est: unus quẽ in his adoratur, unitas in trinitate est. In Alterc. Synag. cap. 7. Item: Deus unus, summus, incomprehensibilis, inaccessibilis, immutabilis, sine initio, sine fine, sine principio, sine pietãtia sua & bona uolũtate nunquam fuit: quę tria, Patrẽ & Filiũ & Spiritũ S. dicimus, quæ licet distinguãtur in persona, sunt tamen unũ coęternæ unitatis essentia. in lib. Alterc. cap. 21.

Sic Ansbertus inquit: Abrahæ in figura beatæ Trinitatis, tres angeli demonstrati. Itẽ: Vnus & uerus Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus: quia solus mutabilia cõdẽs, immutabilis perseuerat, solus semper esse habet. Idẽ: Quippe solus est, qui est: nec in eo aliud est, quàm est. Vnde & Moyses locutus est: Sic dices filijs Israel: Qui est, misit me ad uos. Cui etiam per Psalmistam dicitur: Tu autẽ idẽ ipse es. Ansbert. lib. 7. cap. 4. Apoc. Et: Pater & Filius & Spiritus S. unus spiritus est Deus. Ansbert. lib. 6. cap. 14. Apocalyp. Itẽ: Pater & Filius & Spiritus sanctus, beata & inseparabilis Trinitas, unus deus uerus Deus, unius naturæ, unius potestatis, unius maiestatis est. Ansber. lib. 7. cap. 14 Apocal. Itẽ, Vnus ac uerus Deus in Trinitate perfectus, omnia uirtute suæ maiestatis regẽs & præsidẽs. Ansber. lib. 9. cap. 20. Apoc. Et: Quis est fons uitę, nisi beata & inseparabilis Trinitas, quæ est uerus Deus. Pater enim fons, Filius fons, Spiritus sanctus fons: sed tamẽ nõ tres fontes, sed unus est fons. Ansbert. lib. 9. cap. 21 Apocal. Et: Quod nos quoq; etsi impares tãtæ dispensationis officio, prout ualemus, facere curamus, cum in uno Deo, in una diuinitatis substantia tres esse personas prædicamus: & nec ipsum esse Patrẽ, qui est Filius aut Spiritus sanctus: nec ipsum esse Filium, qui est Pater aut Spiritus sanctus: nec ipsum esse Spiritum sanctũ, qui est Pater aut Filius: cum tamen non aliud Patrem, aliud Filium,

Filium,atq; aliud Spiritum sanctum asseramus.Sicut enim hanc Trinitatem in personis discernimus, ita unitatē in natura deitatis coniungimus: quia nec Patrem à Filio & Spiritu sancto, nec Filium à Patre & Spiritu sancto,nec Spiritum sanctum à patre & filio seperari posse prędicamus.Nam quia alius sit Pater,alius Filius,alius Spiritus sanctus,Scripturæ nos autoritas docet. Neq; enim Pater aut Spiritus sanctus carnem susćepit pro nobis, sed solus Filius: nec Spiritus sancti uox super ipsum media torem nostrum ad fluēta Iordanis sonuit, sed solius Patris,nec Pater in columbæ specie super eum descendit, sed Spiritus sanctus.Cum enim hinc ad ripam Iordanis incarnatum Dei uerbum staret, hinc de nube paterna uox sonaret, hinc Spiritus sanctus super eum in specie columbæ descenderet,si tamen hic in tali locutione oportet dicere:patet ratio, non unam personam, sed tres Deum esse, & tamen in his tribus unū Deum esse: Quia dominus Deus tuus, ut scriptum est in lege & Euangelio, Deus unus est.De quibus nulla nos necesitas cogit in scribendo laborare, quæ iam totus mundus & credit & prædicat: quæq; ita subtiliter, ita insigniter à præcessoribus nostris tractata atq; discreta sunt, ut si de his aliquid conscribere conemur,magis fastidium Lectori quàm amorem generemus.De quibus tamen tacere omnimodis non audemus,nec debemus, maximè cum in hac Trinitatis confessione baptizemur, in hac unitatis fide saluemur.Vnusquisq; enim de hac dicit prout ualet, cuius memoria iam de mundo perire non potest. lib. 10. cap.1. Apocalypsis.

Radulphus inquit: Sunt quamplurimi in populo Dei,qui Trinitatis mysteriū,quo modo Pater & Filius & Spiritus sanctus tres sint in personarum proprietate, unum in communione substantiæ,capere nequeunt:qui tamen si decimam similę oleo conspersæ offerant,ut iuxta Spiritus sancti dogmata unū Deum confiteantur & credant: nec quia trinitatis unitatē apprehēdere nō possunt,cōtradicere illi, aut contraria pronunciare aliquatenus præsumant, hac sua oblatione sanctificantur,dum & in his quę capacitatis suę sunt,rectè de Deitatis unitate sentiunt:& in his quæ intelligentiæ suæ modulum transcendunt, de unitatis trinitate doctioribus non contradicunt.Radul. lib.10.cap.2.in Leuit.

Theophylactus: Pater Dominus est,& filius Dominus,& spiritus Dominus, sed unus tamen Dominus tribus illis personis indicatur. ad Timoth. 2. cap. 1. Item Smaragdus inquit: Tres personas, & Deum unum prædicant, & Trinitatis & unitatis sacramentum demonstrāt. in Apocalypsin Ioānis capite decimoquarto. Et: Qui saluditer credit in Patre, necessariò credit & Filio & Spiritui sancto, nec alicui in sancta Trinitate separatim credulitas exhibetur. unitati enim diuinæ una seruitus iure debetur, quia & baptismatis gratia inseparabiliter uni tribuitur nomini Trinitatis. & ideo unus Deus, & una fides, & unum baptisma ore Apostolico prædicatur.Smaragdus in epistolam Pauli ad Ephes.cap.4.

Giselbertus:Intellectus noster epistolis* in cogitatione Trinitatis, claustra carnis debet excedere.in Altercat.Synag. cap.7.

DE PATRE.

Theophylactus inquit : Pater noster Deus, sed gratia: Christi autem pater, sed natura. Hic Deus diuerso modo: noster enim,natura: Christi autem,iuxta humanitatem. Deus enim eius fuit,secundum quod humanā assumpsit naturam.In Ioh.cap.20.

Quomodo Pater in nobis sit, docet Theophylactus: Per Christum lucet in nobis pater, datq; illustrationē cognitionis, non substantiæ suæ,sed gloriæ.animaduerte autem Trinitatis sacrosanctę mysterium apud Paulum. De Spiritu namq; dicit: Gloriam Domini speculamur. Dominus enim spiritus est.De filio autē: Illustrationē glorię Euangelij Christi.De patre autem: Nūc illustrationem cognitionis gloriæ ipsius.2. Corinth.4.

DE FILIO DEI.

Verbum appellatur filius Dei, de quo prędarè inquit Giselbertus: Verbum igitur in patre cum patre, Deus in Deo sine tempore & loco,omnia localia,cuncta temporalia absq; sui mutabilitate uel defectu pro creata ordinauit, suis singula generibus & speciebus ad effectum suæ conditionis & proprietatis distinxit: & per uerbum non transitorium uel commune nobis,sed æternum , ad uoluntatem & effectum gratiæ creatricis,ut placuit,cuncta perduxit.Equidem aliud est uerbum hominis, aliud uerbum Dei. Verbum hominis prolatum , statim transit & perit, intellectus permanet: sic, quod fecit Deus, uariatur: quod est Deus,non mutatur.Sicut autem ex uoce cogitatio cordis cognoscitur, sic ex opere suo Deus: quia opus Dei Deū loquitur.Verbū Dei loquitur uerbū:sed uerbum quod factū est,uerbum quod fecit,uerbū quod oculos corporis delectat, uerbū quod oculos cordis illuminat.In lib.Alter. Synago.cap.21.

α & ω cur dicatur, Ansbertus exponit, dicens: Hoc planè significant alpha & ω, quod principium & finis.Nam alpha apud Græcos initium est elementorum, ω uerò finis

finis eorundem. Principium itaque Christus dicitur, non quò in natura diuinitatis (ut Arrius mentitur) initium habeat: sed quo ab illo omnis creatura initium existendi accipiat: finis uerò, non quo deficiat, sed quo ipse quasi terminus omnia concludat. Quamobrem ipse principium sine initio, ipse finis sine defectu. Ipse principium, quia nullus ante illum, sicut idem ipse per Isaiam testatur, dicens: Ante me non est formatus Deus, & post me non erit: Ego sum, ego sum Dominus, & absq; me non est Saluator. hinc etiam omnipotens uocatur. Vel certè α & ω, principium & finis uocatur: quia ipse est Deus ante secula, & homo in fine seculorum. Videamus autem, utrum huic sensui Iohannis Euangelium attestetur, cuius hæc reuelatio esse cognoscitur. In eo idem Iohannes ita exorsus est, dicés: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Ecce alpha principium. Quique post pauca infert, & dicit: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. ecce ω finis. De hoc principio, ipsum principium Iudæis loquitur, dicens: Ego principium, qui & loquor uobis. De hoc fine Paulus testatur & dicit: Christus finis legis, ad iusticiam omni credenti. Hoc autem quod seipsum & esse & fuisse & uenturum esse pronunciat, qualiter intelligendum sit, suprà iam diximus. lib. 1. in Apocalyp. cap. 1.

Similis filio hominis. Dominus IESVS CHRISTVS, natus ex uirgine, sæpe seipsum filium hominis uocauit. Idcirco autem hoc in loco non iam filius hominis, sed similis filio hominis appellatur: quia deuicta morte, iam non moritur, & mors illi ultrà non dominabitur. Vel certè propterea similis filio hominis uocatur, quia non cum peccato, sed in similitudine carnis peccati natus, inter homines apparuit. ibidem. Et: Cum uerò per cœlestem, æquè insensibilem, intellectu uitaque carentem substantiam, mediatoris nostri persona signatur, modò per nubem, modò per stellam communis uocabuli, modò per Luciferum habentem proprium uocabulum, modò exprimitur per solem. idem libro 5, cap. 9.

Bene mediator Dei & hominum, homo CHRISTVS IESVS, angelus uocatur: quia uidelicet æternæ uitæ nouus nuncius hominibus apparens, noua nunciauit, noua promisit, noua suis fidelibus contulit. Si enim membra illius, Angeli uocantur, secundum illud, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore eius, quia angelus Domini exercituum est: cur non caput membrorum, angelus uocetur angelorum? Ansber. lib. 5. cap. 10 Apocal.

Christus agnus, propter innocentiam & sacrificium appellatur: angelus, propter nouam regni cœlorum annunciationem. Ansbert. lib. 6. cap. 14. Apocal.

Vestiti lapide mundo. Christus benelapis dicitur, quia murus Ecclesiæ impenetrabilis, procul sagittas diaboli ignitas repellens. Rectè mundus, quia omnino sine ullo peccato conceptus & natus. Dignè candidus uocatur, quia candor est lucis æternæ, & lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Ansbertus libro septimo, capite decimoquinto Apoc. Et quis iste angelus est, nisi ille de quo in Isaia iuxta Septuaginta interpretes legimus: Vocabitur nomen eius magni cõsilij angelus? Qui uidelicet de cœlo descẽdere narratur, non quò de loco ad locũ transeat, qui localis non est, & tamé ubiq; est: sed quò ab illa celsitudinis suæ potentia semetipsum exinaniens, atq; ut uideri posset à mortalibus, humanam carnẽ & animam de B. Virgine assumens, humilis inter eos apparuisse credatur. De quo & per Paulũ dicitur: Cum in forma Dei esset. Ansbert. lib. 8. cap. 18 Apocalyp.

Quia enim Angelus, interpretatur nuncius: & Dominus de B. Virgine natus, Euangelium, id est, bonum nuncium hominibus primus attulit: rectè uocabulum Angeli singulariter inter cæteros prædicationis suæ muncios accepit. Qui bene & unus, & fortis uocatur: quia & unus est Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo CHRISTVS IESVS: & ad debellandas aerias potestates is qui in carne infirmus apparuit, per internam diuinitatis suæ uirtutem fortis & potens extitit. De quo scriptum est: Dominus fortis & potens, Dominus potẽs in prelio. Et rursum: Dominus uirtutum, ipse est rex gloriæ. Ansbert. lib. 8. cap. 18. Et quia Christus rex & sacerdos nobis exstitit: Rex scilicet, quia regit quos condidit: sacerdos uerò, quia semetipsum pro nobis in cruce sacrificiũ fecit: rectè membra eius dem summi pontificis ac regis, sacerdotes esse & regnare dicuntur. Ansbert. lib. 9. cap. 20. Apoc.

Christus initium dicitur, eo quòd ab illo omnis creatura quæ facta est, in tempore principum sumpsisse doceatur. Vnde scriptum est: In principio erat uerbum. Hinc enim longè superius in hac Apocalypli, angelica uoce ad Iohannem dicitur: Hæc dicit Amen testis fidelis, qui est principium creaturæ Dei: subaudis, principium, nõ quo ab alio ipse cœperit, sed quo ab ipso

ab ipso cuncta prōcesserint. Finis autē dicitur, eo quòd cuncta consummet atq; concludat. Vnde per Paulum dicitur: Christus finis legis est, ad iusticiam omni credenti. Ansbert. lib. 9. cap. 21. Apocal. Item: Dei filius in natura diuinitatis, est primus ac principium creaturæ, quod significatur in α, id est in suscepta humanitate: nouissimus ac finis est legis, quod designatur per ω. Ipse apud patrem Deus ante tempora, ipse inter homines homo in fine temporū. Quod etsi uerbis dissimilibus, tamen eodē sensu idem Iohannes testatur in suo Euangelio. Ait enim: In principio erat uerbum. & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Ecce α principium elementorum. Moxq; post pauca subiūgit: Et uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ecce ω finis elementorum. In his enim totius salutis Christianæ summa cōsistit, ut scilicet in uno eodēq; Christo & perfecta deitas, & uera credatur humanitas. Ansbert. lib. 10. cap. 22. Apocal. Item: Sol iusticiæ in altum sublatus est in cruce, & nox facta est, in qua luna ordinem suum obtinet, ut luceat. Theoph. in prophetam Habacuc capite tertio.

Videtur unigenitus Dei filius, facies esse patris, tanquam character & forma substantiæ eius, ipsiusque manifestator: idem punire, & seruare. ibidem, in prophet. Nahum, capite primo.

Dominus Christus dicitur, ut & Rex, quia contra peccatum regnauit: & ut sacerdos, obtulit enim semetipsum sacrificium pro nobis. Inunctus autem est & ipse oleo illo uero & præcipuo, nempe Spiritu sancto. Quis enim alius habuit spiritum, ut Dominus? In sanctis gratia Spiritussancti efficax fuit: in Christo autem non operabatur gratia Spiritus, sed Christus cum spiritu consubstantiali operabatur miracula. Theophylactus in Matthęum capite primo.

Christus & primogenitus est, ut primò natus: & unigenitus, ut non habens alium patrem. Ibidem, Matth. 1

Iesus est Saluator & Deus. ipse enim (inquit) saluabit populum suum, non solum Iudaicum, sed & gentilem, qui credere & fieri populus eius non addubitauerit. Quo modo autem saluabit? num ab hostibus? Minimè, sed à peccatis suis: unde manifestum, Deum esse qui nascetur. solius enim est ignoscere peccata. ibidem.

Filius etiam angelos mittit, sicut & pater: ergo est æqualis Deo & patri. ibidem, Marci capite decimotertio.

Christus dicitur uerbum. Nam sicut uerbum gignitur ex mente sine passione: ita & hic à patre natus est absque ulla affectione. Vel aliter, ideo Verbum appellatur, quia paterna nobis annunciauit: quemadmodum omne uerbum, mentis uoluntates annunciat. Insuper ut ostendat, coęternum esse patri filium. Sicut enim dici nequit, mētem aliquando esse absq; uerbo: ita neq; patrem & Deū absq; filio. Theoph. in Iohan. cap. 1. Item: Intelligite quale nomen imposuit Euangelista filio Dei. Verbum enim ipsum uocauit. nam cum duplex sit uerbū, aliud quidem mentale, quod habemus etiam nihil loquentes, intellige autem uirtutem loquendi. ita enim & dormiens, & nihil loquens, habet uim loquendi in seipso sitam, & uirtutem non abiecit. Est igitur aliud mentale, aliud uerò enunciatiuū, quod per labia proferimus: hoc est, uis eloquendi, cū id quod intus situm est in mēte, in opus producimus. Cum igitur duplex sit uerbum, neutrum horum congruit in filium Dei. Neque enim uel enunciatiuum, uel mentale uerbum est filius Dei. Verba enim illa naturalia sunt, & qualia apud nos: uerbum autem patris super naturam est, nec subiectum artificijs illis loquendi inferioribus. Theophylactus in Iohannis capite primo.

Christus dicitur agnus Dei, siue quòd Deus acceperit mortem Christi pro nostra salute, siue quòd Deus tradiderit illum pro nobis ad mortem. quemadmodum dicere solemus, Sacrificium hoc illius est: hoc est, ille sacrificium hoc obtulit. Sic igitur & Dominus dicitur agnus Dei, eo quòd Deus pater, propter charitatem suam erga nos, illum dederit ad mortem. Non dixit autem, Qui abstulit peccatum: sed, Qui tollit.

Paulus nominat Christum deradiationē, aut splendorem ipsum, ideo quòd sit ex patre, sine perturbatione & motu quopiam prauo, citráue patris afflictionem, ut adeò neque imminutus sit pater, neque inferior factus: uerùm quod ex eadem substantia, lumen ex lumine. Nam animas nostras ille illuminauit, ac patrem ipse denunciauit: propterea etiam dixit Iohan. 8. Ego sum lux mundi, quoniam coæternus ipsi uisus est. Etenim deradiatio seu splendor non cernitur absq; resplendente. Sol enim citra splendorem iubarq; suum nunquam apparuit: sic neq; pater intelligitur sine filio. Quod si Arrianos audias dicentes, Si ex patre filius, ergo posterior est patre: oppone eis, radios iubarúe solis non esse posteriora sole. simul enim sol cum suo splendore deprehenditur ac cernitur. Theoph. ad

Hebræos, cap. 1. Item: IESVS, uelut à peccato seruans populum dicitur: & Christus à spiritus unctione, qua pro nobis unctus est, sanctificans naturam nostram per assumptionem, dans nobis ut eo ipsum nomine appellemus. Idem ad Galatas, capite primo.

Christus est primogenitus creaturæ. Nam hac ratione Deipara uirgo Maria peperit eum secundum carnem primogenitum, qui non habuerit fratres post sese. Vnigenitus autem dicitur ratione uirginis matris. Hunc ad modum ex patre est primogenitus, non cæterarum creaturarum respectu, sed absolutè. Vnigenitus enim secundum supernam istam & æternam natiuitatem. Idem, ad Colossenses capite primo. Smaragdus ait: IESVS nomen proprium est filij Dei, secundum carnem, ut Gabriel angelus beatæ Mariæ ait: Et uocabis nomen eius IESVM. quod Latinè Saluator dicitur, eo quòd saluum facit populum suum à peccatis eorum. Christus ab unctione nomen accepit. chrisma enim, unctio: Christus, unctus dicitur. Sed spiritualiter, cui Psalmista: Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis. in Epistolam Pauli ad Titum, capite secundo. IESVS enim, Saluator interpretatur. Cuius sacri nominis non solum etymologia, sed & ipse numerus literarum perpetuæ nostræ salutis mysteria redolet. Sex quippe literis apud Græcos scribitur ιησους, uidelicet ι & η & σ & ο & υ & ς. quorum numeri sunt, x. & VIII. & CC. & LXX. & CCCC. & CC. quæ simul, DCCC. LXXXVIII. qui numerus figuram resurrectionis adauget. Nam quod VIII simpliciter, hoc & x, & c, multiplicata significant. possumus & ita dicere, quòd VIII absolutè resurrectionis exemplum in nomine Saluatoris mortalibus præstet, & x. quomodo Decalogus legis debeat impleri, suæ nos resurrectionis Dominus figuris instituerit, pariter & iuuerit: ut quomodo ipse resurrexit à mortuis, ita & nos illo ãdiuuante resurgere ualeamus. & in c, quæ nos in futuro sequatur gloria, demonstrat. Centenarius namque numerus, qui de læua transit in dexteram, illius temporis fœlicitatem præfigurat. De quo Dominus ait: Iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum. Smaragdus super Luc. cap. secundo. Item: Iesus Latino eloquio salutaris, id est, saluator interpretatur. At uerò multi hoc nomine dici poterant tunc, non tamen substantialiter, sed nuncupatiuè: ideo & locus subiungitur, ut de quo Iesu dictum sit, manifestetur Nazarenum. Smaragdus super ultimum caput Marc. Item: Messias autem unctus est. Vnctus Græcè χριστός, Hebraicè משיח. Smaragdus in Euangelium Luc. 2.

DE NATVRA DIVINA.

Quòd Christus sit Deus, Theophylactus docet: Christus non tantum est pontifex, sed Deus etiam. Completo namque opere, propter quod & pontifex diuina quadam prouidentia appellatus est, sedet deinceps ut Deus, & expectat posterea usq; dum ponantur hostes eius sub pedes eius. Hostes autem huius sunt & omnes infideles, & dæmones: qui & ipsi subijcientur. hoc est, inefficax eorum malicia manebit, inextinguibili igni traditorum. in Epistolam ad Hebræos, capite primo, & carnem assumpsit, naturam rationem carentem & brutam, illaq; diuino honore impleuit: & secundum hoc uitulus dicitur. non enim expertus est iugũ peccati. Theophyl. in Luc. cap. 15. Et: Dominus omnẽ iusticiam impleuit in Spiritu sancto, cum quo homousius erat: id est, eiusdem substantiæ, habens ipsum naturaliter sibi cõuinentem & coniunctum, ac per seipsum nobis communicans atq; donans, ut per illum iustificemur. Idem ad Timoth. capite 3. Et: Quum Paulus dixisset filium esse splendorem, ac propterea patri cœternum, & eiusdem cum eo essentiæ commonstrasset: rursus quia splendor persona & substantia cassus, curat iam quod ex demõstratione, adeoq; exemplo isto absurdum colligi posset, ne Marcello & Sabellio hic locus restituit, ne Marcello & Sabellio hic locus relinquatur, qui dicebant non esse filium in propria apud patrem persona. Dicit ergo eum esse characterem, hoc est formã & exculptionẽ uel ideam personę eius, ut quemadmodum pater in sua persona subsistens, nullius alterius indiget ad sui perfectionẽ, sic & filius. Commonstrat autem, omnino filium esse patri æqualem. in forma enim patris maiestas anima duertitur, nequaquam ipsam exuperans. Idem ad Hebr. cap. 1. Et: Perinde ut audis patrem dicere, Fiat lux, & facta est lux: sic & filius uerbo gestat omnia, id est, gubernat, continet, imò maius est quàm creare omnia dissidentia, & ad non esse uel ad corruptionem abitura, continere, fouere, conseruare. Nec dixit Gubernans, sed ferens: sumpta metaphora ab ijs qui digito faciunt ut quicquam moueatur, transferaturq;. Tale namque, tantumq; pondus creaturarum adeò citra negocium portat, ut nihil baiulare uideatur, solo nimirum uerbo, quod omnia potest. non enim perinde exigua res

gua res est in Deo uerbum, ut in nobis uerbum nostrum. Theophylactus in epistol. Pauli ad Hebræos, capite primo. Et: CHRISTVS reuera ut Deus, neque initium dierum habet (principio enim caret) iuxta principium quod ei est ab æterno, etiamsi patrem habeat principium, tanquam causam: neque finem (immortalis enim est) atque ut summatim dicam, sempiternus. idem ad Hebræos, capite septimo. Item: Per filium omnia ad esse perducta sunt, id est, condita & creata: & nos per ipsum ad hoc ut essemus, perducti sumus, & ut benè essemus: hoc est, ut fideles efficeremur, atque ex errore ad ueritatem traduceremur. Cum præterea audis, Vnus est Deus pater, & unus Dominus IESVS: ne patri soli adiudicatum censeas Dei uocabulum, filio uerò Domini. Indiscriminatim namque & filius Deus est, ut in eo loco planum fit. Ex quibus CHRISTVS secundum carnem, qui est super omnia Deus: & rursus Pater est Dominus, ut in Psalmo centesimonono: Dixit Dominus Domino meo. idem, primæ ad Corinthios capite octauo. Et: Ne arbitreris, cum auditis CHRISTVM ante omnem esse creaturam, propterea carere principe uel capite: docet idcirco te, quòd patrem habeat, eóque ipso est genitus. Quia enim & ipse & omnia ex Deo sunt, illud ipsum indicat, quòd alia ratione hæc, alia uerò ratione ille ex Deo sit: tum & ille ceu ex patre filius, res uerò seu creaturæ per hunc ipsum filium conditæ. idem ad Colos. capite 1.

Quòd æqualis patri. Giselbertus: CHRISTI sapientia quanto magis effunditur & diuiditur, tanto magis naturalibus incrementis suis crescit & augetur: nec poterit unquam uel minui uel deficere, qui semper unius eiusdemq; cum patre & Spiritu sancto est substantiæ. in lib. Altercat. cap. 20.

Quòd æternus. Theophylactus: Iohannes nomen Theologi obtinuit, eò quòd alij nullam fecerunt memoriam, quòd uerbum Dei extiterit ante secula, de quo ipse diuinè prodidit: ut ne putetur uerbum Dei purus homo, hoc est, absque Deitate esse. super Matthæum, in Præfatione.

Filium semper cum patre existere, docet Theophylactus: Impossibile est Deum absq; sermone esse, & sapientia. Idcirco, quia uerbū & sapiētia & uirtus patris existit filius, credimus ipsum semper esse apud patrem, & cum patre. Et: Quomodo (inquit) possibile est, quòd cum filius dicatur, non sit posterior patre? Quomodo? Discè à corporali exemplo: Splendor solis nón ne ab ipso sole est? Etiam omnino. Nunquid ergo & posterior sole, ita ut sine eo sol non intelligatur? Aut quomodo sol esset, splendorem non habens? Igitur multo magis hoc de patre & filio intelligetur. Filius enim patris quùm sit splendor, sicut & Paulus dicit, semper cum patre credendus est fulgere, nec esse illo posterior. in Iohan. cap. 1.

Vnigenitus. Smaragdus: Vnus tamen est natura filius & unigenitus de patre, per quem omnes filij appellantur. Ita & spiritus multi quidem sunt, sed unus est qui uerè ex ipso Deo procedit, & cæteris omnibus uocabulis ac sanctificationis suæ gratiam donat. in epistolam Pauli ad Romanos, capite 8.

De generatione, & quòd CHRISTVS sit imago patris, inquit Theophylactus: Hunc qui uidebatur filius hominis, signauit pater: hoc est, signaculum suum & imaginem genuit, quæ haberet in se omne quod ipse habebat, & naturalem cum ipso identitatem. in Iohannem, capite sexto. Et: CHRISTVS est imago Dei, ergo est impermutabilis. non enim habet mensuram magnitudinis, ut dicas quantum imminuatur. Si enim imago esset, quatenus est homo, poteras aliquid dicere: nempe quòd imago non perueniat ad exemplar primum, primamque formam: quia uerò imago est, quatenus est Deus, Deique filius, impermutabilis est imago de Deo, inuisibilis nimirum Dei inuisibilis imago. Theophylactus ad Colossenses, cap. 1.

De uocabulis Persona & Substantia, sic scribit Giselbertus: Nulli caliginem obducant nomina substantiæ, uel subsistentiæ, uel personæ, quæ sunt nomina nostræ paupertatis, diuinitatis essentiam non exprimentia, sed ex defectu suo incomprehensibilitati eius testimonium perhibentia. Nomen enim subsistentiarum, exprimere conatur proprietatem personarum: nomen uerò substantiæ, simplicitatem & ueritatem summæ illius essentiæ. ex libro Altercationis, capite uigesimoprimo.

De humana natura CHRISTI, Ansbertus inquit: Quis unquam potest æstimare, quàm magnum & admirabile sit, Deum hominem fieri, creatorem creaturam effici: uitam angelorum, ne fame moriatur, lacte nutriri: eum qui orbem portat, puellæ manibus baiulari: Dei uirtutem, humana imbecilliate lassari: ex quo & per quem omnia uiuunt, occidi, sed

die tertia à mortuis excitari: quadrageſima uerò cœlos penetrare, miſſo etiam Spiritu ſancto ſuper Apoſtolos, eiſdem legatis interuenientibus, eundem gentibus ſibi ad pacem reconciliare, quibus iuſtè debuerat iram irrogare. lib. 7. cap. 15. Apocal. Et Theophylactus inquit: Chriſtus priuſquã factus eſt homo, tantum ab angelis agnoſcebatur: poſtquam autem factus eſt homo, & crucifixus, non ſolum illam gloriam habet, ſed & aliam accepit, & in toto regnat orbe. Theophylactus in Marcum, capite decimo. Et: Quia Chriſtus totum hominem cum naturalibus conditionibus ſuſcepit, omnino triſticiam & angorem naturalem habuit. Omnes autem natura inſuauiter erga mortem affecti ſumus. Cæterùm dicendo, Tranſeat calix, monſtrauit humanitatem. Idem in Mar. capite decimoquarto. Et: Dominus noſter IESVS CHRISTVS humanam quidem aſſumpſit naturam, & ſicut ſponſum copulauit ſibi, & nuptias fecit in carnem unam ei adiungendo: imò non unas fecit nuptias, ſed multas. Redit autem ex cœleſtibus nuptijs, fortaſsis in uniuerſali conſummatione mundi, quando de cœlis ueniet in gloria patris. Idem Lucæ decimoquarto. Item: Et miſit ſeruum ſuum. Ille ſeruus eſt is, qui forma ſerui aſſumpta, filius Dei homo factus, & ut homo miſſus eſſe dicitur. Non enim ut filius & Deus tantum, eſt patri beneplacitus: ſed & ſicut homo ipſe ſolus ſine peccato, omnibus paternis conſilijs & mandatis miniſtrauit & paruit: & implens omnem iuſticiam, ſeruire dicitur Deo & patri. ideo & ipſe ſolus propriè ſeruus Dei dicitur. idé in Lucæ capite decimoquarto. Item: Diſcimus ex hoc, Verbum caro factũ eſt, quòd ipſum uerbum homo factum eſt: & cum ſit filius Dei, factus eſt filius mulieris, quæ propriè dicitur Dei para, eo quòd genuerit Deum in carne. Per hoc autem quòd dicit, Habitauit in nobis: diſcimus, duas naturas credendas in Chriſto. Nam etſi unus ſit ſecundum hypoſtaſin, hoc eſt ſecundum perſonam: ſecundum naturas tamen duo, Deus uidelicet & homo. Diuina autem natura & humana, non fuerunt una, etiamſi apud unum uideantur, Chriſtum dico. idem in Iohannem cap. primo. Item: Quia placuit ei ſemel noſtram apprehendere naturam, conſequens erat, per omnia ipſum nobis adſimilari: hoc eſt, ut naſceretur, ut aleretur, ut creſceret, omniaque pateretur quæ oporteret eum pati, tandem ut moreretur. hoc enim eſt, per omnia adæquari. idem ad Hebræos ſecundo. Et: Non angelorum naturam aſſumpſit, aut apprehendit, neque eam geſtauit. Hoc autem multam erga humanum genus charitatem Dei indicat. quòd enim angelis non donauit, hoc hominibus dedit, ut ex ipſa dilectione & humana natura carnem adſumeret. ibidem. Et: Chriſtus miſſus eſt à patre in ſimilitudinem carnis peccati: hoc eſt, carnem habentem, ſimilem quidem ſecundum eſſentiam noſtræ peccatrici, carentem autem omni peccato. Ibidem, ad Romanos cap. octauo. Et: Chriſtus ſecundum carnem uixiſſe dicitur, quando ſecundum naturales, inculpatos tamen, motus & adfectiones, uixit eſuriens, ſitiens, dormiens, laborans. Nunc autem non eſt ſecundum carnem, hoc eſt, abhis naturalibus & inculpatis adfectionibus liberatus eſt, impaſsibile & immortale corpus habens: ut omnino & nos abundè doceat, ne porrò uiuamus ſecundum carnem, & peccabiliter, ſed ſecundum ſpiritum. idem ad Corinthios ſecundæ, capite quinto. Item Smaragdus ait: Et hæretici poſtea negando Mariam ſemper uirginem, ſancti Spiritus operante uirtute, naſcituro ex humanis membris unigenito Deo, carnis ſuæ materiam miniſtraſſe, uerum conſubſtantialemque matris filium hominis fateri non debere, dixerunt. Sed ſi caro uerbi Dei, ſecundum carnem naſcentis à carne uirginis matris pronunciatur extranea, ſine cauſa uenter, qui eam portaſſet: ubera, quæ lactaſſet, beatificantur. Qua enim conſequentia, eius lacte credatur nutritus, cuius ſemine negatur eſſe conceptus? cum ex unius eiuſdemque fontis origine, ſecundum Phyſicos, uterque liquor emanare probetur. Niſi fortè putanda eſt uirgo, ſementiuam ſuæ carnis materiam, nutriendo in carne Dei filio ſuggerere potuiſſe: incarnando autem, quæ ſi maiori & inuſitato miraculo, minimè potuiſſe. Sed huic opinioni obſtat Apoſtolus, dicens: Quia miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege. Neque enim audiendi ſunt, qui legendum putant, Natum ex muliere, factum ſub lege: ſed, Factum ex muliere: quia conceptus in utero uirginali, carnem non de nihilo, non aliunde, ſed materna traxit ex carne. Alioquin nec uerè filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Et nos igitur his contra Eutychen dictis, extollamus uocem cum Eccleſia catholica, cuius hæc mulier typum geſsit. Extollamus & mentè de medio turbarum, dicamusq; Saluatori: Beatus uenter

ter qui te portauit,& ubera quæ suxisti. uerè enim beata parens, quæ, sicut quidam ait,—*Enixa est puerpera regem,*
*Qui cœlum terramq; tenet per secula, cuius*
*Numen & æterno complectens omnia gyro*
*Imperium sine fine manet: quæ uentre beato*
*Gaudia matris habens, cum uirginitatis honore,*
*Nec primâ similem uisa est, nec habere sequentem.*

In Euangelium Lucæ, capite undecimo. Item: Naturam humanã quam pasturus assumpsit, ipse unà cum Patre & Spiritu sancto, gratia diuinæ uirtutis impleuit. Idẽ in pasion. Domini. Et: Verus homo apparuit, sed ex uirgine matre conceptus & natus: & tẽtatus est per omnia, sed & pro similitudine absq; peccato: & mortuus est, sed quomodo ipse uoluit: & sepultus est, sed quamdiu uoluit: & suscitatus est, sed quando uoluit. ibidem.

Cur homo, docet Giselbertus: Sicut protoplastus in paradiso, quasi flos emicuit in primo seculo: sic filius Dei nouus lux nostro natus apparuit seculo, ut filios Dei dispersos congregaret in unum, & separaret cœlum à terra, lucem ab umbra, bonũ à malo, hominem à diabolo: per quod inæstimabile negotium, septima dies in sanctorum pace perenni peragit mysterium. In lib. Altercat. cap. 3. Item: Vt autem sapientia diuina homini melius innotesceret, assumpsit carnem diuinitas, quo pasceretur homo foris per imitationem, intus per contemplationem: foris ad sanitatem, intus ad fœlicitatem: foris ad meritum, intus ad prẽmij gaudium. Intus, in principio erat uerbum: foris, Caro factum est uerbum. In lib. Altercat. capite quarto. Et: Verbum in principio apud Deum, in forma Dei: pro nobis carò factum, in forma serui, opus salutis & uitæ est, opus consummatum, iusticia & ueritate perfectum, ante tempora secularia nostræ saluti præordinatum. Poteris ne fateri uerbum hoc opus aliquod esse, quod auditur, quod uidetur, quod manibus contrectatur: sicut ait ille, Qui Spiritusancto leuatus, uerbum uidit inedicibile, sine tempore manens cum patre, nostro apparens in tempore, sine ulla sui diminutione? In libro Alterc. cap. uigesimo. Item Theophylactus: Cum faciem Mosi ex colloquio Dei factam claram Israelitæ uidere nequirent: multo magis deitatis unigeniti nudæ capaces Apostoli non fuissent, nisi per carnem apparuisset. In Iohannem capite primo. Item: Quare Christus sit incarnatus, ut per mortem suam, quam suscepit, ut carnis & sanguinis uidelicet particeps, aboleret & destrueret diabolum, qui imperium tenebat mortis. Idem ad Hebræos capite secundo.

Christus sine peccato est homo. Radulphus: Quis sine peccato fuit in mundo, nisi qui peccatum tulit de mundo? libro decimoquinto, cap. 2.

*De duabus naturis, & earum unione.*

Giselbertus inquit: Sicut litera grossior, sensum in Scriptura spiritualem: sic humanitas à Deo suscepta, contexit deitatem. in lib. Altercat. cap. 10. Et: Res est excedens sensum hominum, similiter & angelorum, ut filius Altissimi, & filius hominis esset in filiatione communis, non tamen in natura filiationis. Nam alia est filiatio, quæ inuenitur in natura deitatis: & alia, quæ fit in humanitate uirtute traducis. In libro Alterc. cap. uigesimo. Item: Verbi diuini æternitas, & ipsi uerbo unita humanitas, sicut in mente humana minimè potest comprehendi, sic uerbis sonantibus non facilè potest enunciari. Qui enim generationem eius, siue diuinam seu humanam, ad liquidum peruidebit, puræ mentis intuitu considerare prævalebit. In libro Altercat. capite uigesimoprimo. Et: Saluator Deus & homo est, ac per hoc duas uices egit semper: ut quia hominis effectus habet, ploret. Sed quia & Deus erat, hunc quem fleuit (Lazarum scilicet) resuscitauit. A' minimis ergo semper ad maiora uenitur: ut quia homo cernebatur, hoc reprobaret esse quod uidebatur, Deũ autem se operibus asserebat. In libro Altercat. capite uigesimosecundo. Item Ansbertus ait: Filius Dei, idemque filius hominis, Deus ac Dominus IESVS CHRISTVS, in natura diuinitatis cum Patre & Spiritusancto cuncta reuelat mysteria. In natura uerò humanitatis, non solum à patre & Spiritusancto, uerumetiam à seipso accipit: ut ipse sua reuelatione ea quæ citò oportet fieri, seruis suis declaret. in primo Apocalyps. Et: In his totius salutis Christianæ summa consistit, ut scilicet in uno eodemque Christo & perfecta Deitas, & uera credatur humanitas. Ansbert. libro decimo, capite uigesimosecundo Apocalyps. Item Theophylactus inquit: Creaturarum nulla habet in sese Deũ, uerbum secundum substantiam unita & coniuncta erat uerbo. Secundum materiam igitur corpus Domini nostro erat simile, & eiusdem nobiscum essentiæ, nempe ex immaculatis sanguinibus diuæ Virginis compactum: secundum modum uerò constitutionis, supra nos fuit. In epistolam Pauli ad Hebræos, capite nono. Et: Vt tum Isaac dimissus est, aries autem cæsus: sic unus Christus, Deus, & idem homo, secundum humanam naturam pro nobis sacrificatus est, deitas uerò expers

passionis permanebat, nihil patiebatur. idem ad Hebræos capite 11. Item: Etsi factus est homo unigenitus Dei filius, & per hoc angelis minor uisus, & inferior: attamen uirtus eius, hoc est gloria & maiestas supra cœlos est: hoc est, supra angelos qui in cœlis sunt. Ad quem enim horum dixit: Filius meus es tu, sede à dextris meis? Vel, quòd splendidior ipso cœlesti est lumine. Præterea uniuersa terra tum uberius agnouit eum Dominum & herum, quando incarnatus: euehitq; ipsum præconijs, ceu unigenitum, & eiusdem cum patre essentiæ filium. Deinde quando cum carne supra nubes conscendit, operuit cœlos, obtexitq;, tum ipsum uberius terra Deum cognouit. Theoph. in prophetam Habacuc, cap. 3. Et: Assumpta natura, genuinum nomẽ, nempe quòd filius sit ac dicatur, quod nominis coniunctum & unitũ naturæ uerbum habebat, hæreditauit: quippe quæ in illo subsistat, quemadmodũ & angelus dixit: Et quod nascetur sanctum, uocabitur filius Dei. & iterum: Erit autem magnus, & filius Altissimi uocabitur. Hoc autẽ nemini angelorum conuenit. Etiamsi autem iustorum quidam sint filij Dei, ex gratia tamen sunt, nõ natura: cũ Domino aũt Christo sese res aliter habet. ἀλλ' ὑποστατικῇ ταυτότητι ἡ υἱότης τῷ προσλήμματι. hoc est, sed substãtiali identitati, filialitas accesit per adsumptionem, nempe humanitatis. id est, substantiæ uel naturæ, quam eandem habet cum patre, accesit quod filius diceretur, per humanæ carnis adsumptionem. Theophylact. in epistol. Pauli ad Hebræos, cap. 1. Et: Quemadmodum Melchisedech sine patre est, & sine matre, non quòd non habuerit patrem & matrem (habebat enim, ut ipse mortalium unus) sed quia generis eius ratio ac deductio non est contexta apud Scripturam, neque introducitur nomen parentum eius. Hunc ad modum Christus sine patre est, secundum humanam naturam. ex sola nanque diua uirgine Maria genitus est, quatenus ad carnem attinet. Citra matrem autem est, secundum supernam natiuitatem diuinæ naturæ. ex solo enim patre ante omnia secula ineffabiliter & incomprehensibiliter generatus est. Præterea genealogia etiam uacat. nam generationem eius quis enarrabit? quandoquidem & qui ab æterno genuit eum pater, sit etiam inexplicabilis, atque adeò ipse modus generationis. Porrò mater quæ in terris eum peperit, sub rationem non cadit secundum modum generationis: nimirum quomodo genuerit uirgo, quomodo sine doloribus, ac similia. Christus igitur reuera sine patre ac sine matre est. Melchisedech uerò sine patre & sine matre non reuera. fieri enim hoc non potest, sed quatenus haud inferantur Scripturæ eius parentes. Theoph. in epistol. Pauli ad Hebræos, cap. 7. Item: Duplex naturæ est Dominus IESVS. & secundum natiuitatem è carne, erat è uirgine, & sciebatur unde erat, nempe quòd in Bethlehem natus: secundum incorpoream uerò eius natiuitatem, qua ineffabiliter à patre ante secula natus est, supra omnem sermonem natiuitas eius est. Idem Ioh. 7. Et: Vnus quidem est Deus, & hominis. Vide enim, quomodo Dominus, dicente cæco, Quis est filius Dei, ut credam in eum? Et uidisti (inquit) & qui loquitur tecum, ille est. Quis igitur erat loquens? omnino ille qui ex Maria natus, qui idem & filius Dei. Non alius ergo, & alius. unde propriè θεοτόκος sancta Maria, utpote quæ filium Dei carnem factum genuerit, indiuisibilem existentem, & unum duplicem, qui est IESVS CHRISTVS. idem, Iohan. 9. Et: Propitiatoriũ uocabatur arcæ cooperculum, quod ex utraque parte Cherubin fouebat. Indicabat autem omnino humanã naturã, quæ cooperiebatur diuinitatis, contegens ipsam. Glorificabatur quidem ab angelicis uirtutibus, ministrantibus ei propter unitatem, quæ ei cũ diuino uerbo erat. Idem Rom. 3. Item Smaragdus: Quia ergo Dominus IESVS CHRISTVS sic erat homo, ut latêret in illo Deus missus ante illum magnus homo, per cuius testimonium inueniretur plus quam homo. in Euangelium Iohan. capite primo. Et: Cum sit in una eademq; substantia deitatis, unus cum patre, potentiæ suæ fortitudine, & maiestate absconditus, formam serui, id est assumpti hominis accepit. idem in epistolam Pauli ad Philipp. capite secundo. Et: Est planè quòd singulari quadam susceptione hominis illius, una facta est persona cum uerbo. De nullo enim sanctorum dici potuit, aut potest, aut poterit, Verbum caro factum est. Nullus sanctorum, qualibet præstantia gratiæ, unigeniti Dei nomen accepit, ut quod est ipsum Dei uerbum ante secula, hoc simul cum assumpto homine diceretur. Singularis est illa susceptio, nec cum hominibus aliquibus sanctis, quantalibet sapientiæ sanctitate præstantibus, ullo modo potest esse communis. ibidem. Et: Aliud quippe uerbum Dei est, aliud homo: sed uerbum caro factum est, id est, homo. itaque alia uerbi, alia est hominis persona, quoniam utrumque est Christus una persona. Ac per hoc, quemadmodum caro mortua est, Christus est mortuus: & ut caro sepulta est, Christus sepultus est (sic enim corde credimus

dimus ad iusticiam, sic ore profitemur ad salutem) ita cum caro à morte uenit ad uitam, Christus uenit ad uitam. Et quia uerbum Dei Christus est, Christus est uita: ita miro quodam & ineffabili modo, qui nunquam dimisit uel amisit seipsum, uenit ad seipsum. Smaragdus in Euangelium Iohannis, capite decimoterтio. Et: Idem ipse Christus homo & Deus. Ibidem. Et: Verbum Dei caro facta, uerbum est: id est, quoniam humana natura sine ullis præcedentibus bonorum operum meritis, Dei uerbo est in utero uirginis copulata, ita ut cum illo fieret una persona, ob hoc eum confitemur natum de Spiritu sancto & Maria uirgine. Smaragdus in Acta Apostolorum, capite decimo. Et: Videndo ergo credidit, qui considerando hominem, uerum hunc Deum, quem uidere non poterat, exclamauit. Idem in ultimum cap. Iohan.

Quomodo diuinitatis plenitudo habitet in Christo, declarat Giselbertus, inquiens: Hoc mihi resoluendum est, quomodo habitet in Christo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Tres essentiæ sunt in Christo. Quæ nam sunt illæ? ut superius dictum est, caro, anima, diuinitas. Quid ergo habitat, in quo? In humanitate Christi habitat plenitudo diuinitatis Christi. Quod si plenitudo diuinitatis Christi, ergo & plenitudo sapientiæ Dei. Quid enim est diuinitas Christi, nisi sapientia Dei? Ergo plenitudo sapientiæ Dei habitat in humanitate Christi. Vbi? In carne aut in anima, aut simul in carne & in anima, uel per carnem in anima, aut in carne per animam? In carne sapientia habitaret, & non habitaret in anima? Absit. Si sedes sapientiæ, anima iusti: multo magis domus sapientiæ, anima Christi. Amplius dicere debui, si amplius dicere potuissem. Quia enim sapientia in ea habitat, ideo Domus dixit: sed quia corporaliter habitat, ideo amplius dicere debuit. Quid est ergo, Corporaliter habitat? una facta est cum illa in qua habitat, & per illam unum etiam cum illo, in quo illa habitat, non uertibilitate naturæ, sed unitate personæ. Vna dico persona, non una essentia. Ergo incorporata est diuinitas habitaculo suo, cui plenitudinem infudit, ueritatem sociauit. Habitat ergo in Christo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Vbi igitur plenitudo est, nihil deest: ubi nihil deest, totum est. Sunt ergo in Christo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi, suo tempore, loco & persona pro suorum distributione donorum proferendi.

Erat igitur plenitudo diuinitatis in anima Christi, & ex plenitudine sapientiæ plenè sapiens erat anima Christi. Proinde una est sapientia Dei, qua sapiens est anima Christi: nec participando sapiens, ut hoc uel illud in illa & per illa sapiat: sed plenitudinem habendo, ut totum possideat. Non ergo dicamus Tanta, aut quanta: sed dicamus, Tota sapientia Dei in anima Christi est, & ex tota sapientia Dei anima Christi sapiens est: nec tamen æqualis Deo anima Christi est, quia sapientia Dei non est. Porrò longè aliud est sapientia sapere, & aliud sapientiam esse: quia qui sapientia sapit, quod habet, aliunde accipit: qui autem sapientia est, ex semetipso habet quod sapit. Illic gratia, hîc natura: & idem illic gratia, quod hîc natura: nec tamen illic gratia, naturam ad immensitatem commutat: nec hic natura, ad mensuram gratiam coarctat. Qui ergo audet dicere, plenitudinem sapientiæ non fuisse in anima Christi, dicat plenè sapientem non fuisse animam Christi: uerùm tota sapientia Dei erat in anima Christi, quia tota sapientia Dei unita erat & incorporata animæ Christi, nec tamen æqua Deo erat anima Christi. Non enim natura Deo comparari poterat, quâuis sine mensura gratiam acceperat: quia cum immensa gratia erat passibilis natura. Dei igitur habitaculum, digna, pura Christi anima, quamuis assumpta, sapientia tamen immutabili unita, scientiæ plenitudinem habuit: & hoc sine mensura. Smaragd. in Iohan. cap. 1.

## DE MESSIA.

Quando uenerit Messias. Giselbertus: Sicut sex diebus uniuersalis omnium creatura rerum prodijt, sextus autem dies protoplastum produxit: sic in sexta ætate Christus apparuit. Prima autem ætate, quæ est ab Adam ad Noe, tantùmodo factis ipse Christus præfigurabatur: in secunda præsignabatur itidem factis, & sermone familiari Dominus Deus fœdus cum homine componit: tertia iam nascituris promittitur, in quo benedicêdi sumus: quarta autem rex, quinta quoq; sacerdos fore præmõstratur: sexta filius Dei per incarnationis mysteriũ mundum ingreditur. In lib. Altercat. cap. 4.

De passione ait Ansbertus: In serpente æneo, passio mediatoris nostri exprimitur: qui ut nos à morte ueniens liberaret, mortem quoq; uoluit deuotè suscipere, ut scilicet serpentis morsu (id est diaboli) sua morte frustrato atq; destructo, beatæ immortalitatis remedia fidelibus condonaret. lib. 3. cap. quinto Apocal. Item Giselbertus inquit; Christi regis nostri opprobria sacramenta

sacramenta nostra sunt: mors eius, de qua causaris, uita credentium: crux eius, clauis paradisi: resurrectio, cœli apertio: ascensio eius, spes fidelis populi secuturi: mutatio legalium institutionum, ipse proprius interpres Mosaicarum traditionum: ubi de ueritate nihil aufertur, sed quod in se latuit consummatur. In lib. Alter. cap. 1. Item: Soporato Adæ costa detrahitur, mulierq; formatur: passo Christo in cruce, Ecclesia nascitur, & ex infirmitate sui Redemptoris magis roboratur. In lib. Alter. cap. 5. Item: Protoplasto suasu maligno decepto & capto, uiolentia magna dominatus est prædo uetteranus humano generi subsecuturo. Cessabit itaq; molestissimi tyranni dominatus: quia paruulus nobis est natus, filius nobis est datus, & contra iugum oneris antiqui, & contra sceptrum exactoris iniqui factus est principatus super humerum filij Dei, in triumpho patibuli. Sicut itaq; Gedeon, qui dicitur circuiens in utero, uisibilem legionem prostrauit Madianitarum: sic paruulus noster bello inuisibili euacuauit potestatem dæmoniorum, & hoc etiam in ipsis cunabulis. In lib. Alter. cap. 7. Item: Ergo si cruce Christi uictus est diabolus, quid adhuc insanit? cur eius insidijs infestamur, si uictus crucifixi nostri cruce creditur? Multa adhuc adumbrantur, in secundo Christi aduentu complenda. Ipse Dominus de maledicto nos redemit, resuscitauit, & considere nos fecit in cœlestibus: adhuc tamen hic in mortali carne uiuimus. in lib. Alter. cap. 13. Et: Mors, unde mortem totius humani generis traxit defectus, mortua est, quando in ligno mortua uita fuit. Itaq; mors Christi, crucifixio diaboli. Sicut enim sancti in hac uita mortui sunt, quorum uita abscondita est cũ Christo in Deo: sic mors prædicta cruce Christi quidem mortua est, radix maliciæ ablata non est. in lib. Alterc. cap. 19. Et: Mors, resurrectio & circumcisio Christi pro nobis factæ sunt, ut legis onus & peccati pœnam in se sustinens, nos à legis sarcina & morte perpetua liberaret. Misit enim Deus filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. in lib. Altercat. cap. 22. Itẽ Ansbertus: Dignus est agnus qui occisus est (subaudi, humana in Christo natura) ita meruit uniri diuinitate uirtutis ac sapientiæ Dei, ut una uirtus Deus & homo, una persona Deus & homo, una sapientia Dei existeret Deus & homo. Hinc Paulus ait: Nos autem prædicamus Christum. Ansbert. lib. 3. cap. 5. Apocal. Itẽ: Christus omnes libri signati opacitatum figuras tunc reuelasse cognoscitur, quãdo se unum cũ patre manere docuit principium, atq; ex uirgine natus gesit hominem uerum. Indebitam quoq; pro mundi salute suscipiens mortem, postquam confregit infernum, triumphali morte surgens à mortuis, aperuit tumulum: ac quando uoluit repetens cœlum, promissum discipulis misit Spiritum sanctum: quo replente orbem terrarum, ac quisiuit multitudinem gentium, seq; spectandum edocuit iudicem futurum. Ansbert. lib. 4. cap. 6. Et: Cum patris uerbum, quod candor est lucis æternæ, ac sol iustitiæ, carnem assumpsit pro mundo: ipsa carnis assumptio, reconciliatio facta est mundi. Ansbert. lib. 5. cap. 10. Apocal. Item: Dominus non intra ciuitatem Hierusalem, sed extra portã eiusdem ciuitatis passus fuit, ut totum mundum occupasse, & in toto mundo crucifixus fuisse crederetur. Ansbert. lib. 5. cap. 11. Apocal.

Radulpus inquit: Iste peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, sed conformauit se peccatoribus: unde qui ex opere proprio non contraxerat reatum, alienorum reatum sibi imputauit. Habes in Psalmo uocem ipsius hoc protestantem: Deus deus meus, quare me dereliquisti? Longè à salute mea uerba delictorum meorum. Delicta sua dixit, delicta membrorum suorum, quorum caput ipse per humanitatis susceptionem effectus est. lib. 2. cap. 4. in Leuit. Et: Pontifex noster cũ sanguine ea bernaculum intrauit: quia filius Dei in terra quidem pro hominibus passus est, sed passionis illius uirtus & meritum cœlos penetrauit. Radul. lib. 2. cap. 4. in Leuit. Itẽ: Dominus Christus sanguinem suum tabernaculo intulit, quia morte sua etiam cœlestia ad hominum miserationem inflexit. Radulphus ibidẽ. Et: Nõ pro angelis passus est Christus: quia utique qui se peccato nõ uendiderãt, redimẽdi nõ erant. Radul. lib. 2. cap. 4. in Leuitic. Et: Tanto gloriosior & amabilior Christi clementia cunctis gentibus innotuit, quanto indigniora ab hominibus pro hominum saluatione perpessus est. Radulph. lib. 2. cap. 4. in Leuit. Item: Christus Dominus pro generis humani reatu, seipsum in ara crucis immolatum obtulit. Radulph. lib. 6. cap. 3. in Leuit. Et: Pontifex noster Christus Dominus, in se quidem non peccauit, sed in eis quos sibi compaginauit. Horum peccatum nec ipse unquam ignorauit, qui omnia prænoscit antequam fiant: nec donec ipsi qui per ignorantiam peccauerant, peccatum suum agnoscerent, hostiæ suæ oblationem distulit. Radulph. lib. 2. cap. 5. in Leuit. Et: Dominus & Saluator pro uniuersi populi sui reatu, hostiam patri seipsum obtulit. Radulph. lib. 4. cap. 4. in Leuit. Item: Qui dilexit.

lexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris. Hic per peccatum omnem reatum comprehendit, à quo Chriſti morte fideles muntur. Radul. lib. 4. cap. 5. in Leuitic. Et: Veniat in mente, quia cum peccata noſtra ſeparent inter nos & Deum noſtrum: mediator noſter Chriſtus Dominus medium hunc parietem ſoluit, dum nos ſanguinis ſui effuſione à peccatis noſtris abluens patri reconciliauit. Vnde de eo dicitur: Quia ipſe eſt pax noſtra. Radulph. lib. 5. capite primo, in Leuitic. Item: Hic Aaron ueri pontificis Chriſti typum gerit, cum uitulũ pro peccato ſuo immolare iubetur. Chriſtus enim peccatum non habuit, ſed populi ſui peccatum ſibi imputauit: pro quo & patri ſeipſum obtulit. Radulph. libro ſeptimo, cap. 1. in Leuitic. Et: O° beatus ſanguis, cuius aſperſione lepra noſtra mundatur: cuius redemptione, qui captiuus fuerat, liber dimittitur: cuius tactu mortui ſuſcitantur. Radulph. libro decimo, cap. primo in Leuitic. Item: Per Chriſti mortem uniuſcuiuſque fidelis ſpiritus ad uitam reſurgit: & eo moriente, ſpes nobis redditur uitæ æternæ. ibidem. Et: Quiſquis lepra ſpirituali fuerit obſeſſus, ſi ſanari deſiderat, ſine Chriſti ſanguine nec ueniam conſequi, nec à peccatis ſuis poterit purificari. Vnde Apoſtolus: Quem, inquit, propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius. Et in Epiſtola ad Hebræos: Si enim ſanguinis hircorum & taurorum. Radul. lib. 10. cap. 1. in Leuitic. Item: Chriſtus Dominus, dum nobis per paſsionem iunctus eſt, in carne mortali, qua nobis conformatus eſt, mortẽ ſuſcepit: & moriens, uitẽtibus cauſa ſalutis fuit. Radul. lib. 17. cap. 2. in Leuitic. Et: Morte Chriſti interceden te, diuina propitiatione ſeptiformis Spiritus gratia confertur hominib. Radul. lib. 12. cap. 1. in Leuit. Et: In paſsione Dominica, perpetua & certa credẽtib. læticia repoſita eſt. Radul. lib. 16. cap. 3. in Leuit. Itẽ: Chriſti pontificis ſanguis, omnium credentium expiatio fuit. Ipſe eſt enim qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Huius ſicut paſsio per immolationẽ uituli, ſic & reſurrectio præfigurabatur per eiuſdem uituli concremationem. Radul. lib. 17. cap. 2. in Leuitic. Item Theophylactus: Eam ob rem mortuus eſt Chriſtus, ut nos mundaret: ac in teſtamento reliquit nobis condonationem noxæ, & uſum paternorum bonorum, mediator factus patris noſtri. Pater enim noluit dimittere nobis hæreditatem, ſed iraſcebatur, ut filijs reijcientibus ipſam, & abalienatis. Chriſtus itaque mediator factus, reconciliauit nobis ipſum. Quomodo? Quod nos oportebat pati (mori enim debuiſſemus) hoc ipſe pro nobis ſuſtinuit, nosque dignos teſtamento reddidit: atque deinceps teſtamentum ſtabile redditum eſt per mortem filij, ut quod non ad indignos hæreditatem tranſmittat. Audi itaque Teſtamentum Chriſti: Volo, ut ubi ego ſum, & illi ſint. Alios autem exhæredes aſſerit, qui non credunt. Non pro omnibus uerò rogo, inquit, ſed pro ijs qui per uerbum ipſorum credunt in me. in Epiſtol. Pauli ad Hebræos, capite 9.

Et: Dominus IESVS aſſumpta humanitate, propitiatoriũ noſtrũ eſt factus, ut Apoſtolus teſtatur, tanquã animam ſuã pro nobis ponens, nosq; Deo patri recõcilians. Idem Habac. cap. 3. Et: Non ceu imbecillis paſſus eſt, ſed uoluntarius, qui in crucẽ etiam ſublatus propriã oſtendit potentiã, ſolem obſcurans, terrã concutiens, monumenta aperiens. ibid. Et: Chriſtus infirmitates noſtras, & peccata noſtra portauit, & omnia onera noſtra nõ grauatim ipſe ſuſcepit, perſolutis omnib. quę debebamus: & nos ſpõte ac libẽtèr portauit, uſq; in domũ noſtrã. hoc eſt in cœlũ: & conuocat amicos & uicinos, fortaſsis angelos, quos & oues diximus eſſe iuxta aliam & aliam rationem. Idem in Luc. 15.

Item: Chriſtus per crucem & mortẽ, quã ipſe ſuſtinuit, purgauit nos: non ſolũ quòd mortuus ſit pro peccato noſtro, cũ ipſe omni peccato uacaret: daretq; uictoriã nobis, quam ipſe tamen nobis nõ debebat: ac ſolueret naturam, quæ ſimpliciter ob Adamĩ peccatum ac tranſgreſsionem condemnata erat: uerumetiam per hoc, quòd dederit nobis baptiſma, imaginem mortis ſuæ, per quam undiq; ac ſigillatim præteritorũ nobis peccatorũ condonationem recipimus, dũ baptizamur: atq; potentiam, ne poſthac adeò facilè à peccatis intercipiamur. Theophyl. in epiſtol. ad Hebræos, cap. 1. Item: Quod Chriſtus ubiq; dixit, Miſſus ſum à patre, & à meipſo non ueni: hoc & Paulus indicat, quòd à Deo miſſus ſit, nec ipſe glorificauit ſeipſum, ſed qui locutus eſt ad eũ: hoc eſt, ille glorificauit eũ. hoc enim eſt repetendum. Quia igitur Aaron multa indicia ſenſibilia habebat, quòd à Deo uocatus eſſet, perinde ac præmemoratum eſt: Chriſtus autẽ nihil ſenſibile huiuſmodi uel externum habebat: quin potius qui aduerſabantur ei, & occidebant, in precio tũ erant, omniaq; & agebant & ferebant. Producit Paulus maius teſtimonium ex prophetia, quòd teſtetur eum à Deo uocatum. Theophyl. ſuper epiſtol. ad Hebræos, cap. 5. Et: Deus dedit filium ſuum in mortem, quamuis impaſsibilis permanſerit Deus: attamẽ

quia unus & idē per hypostasim fuit, & qui uerbum Dei, & qui homo pro nobis patiēs, filius dicitur datus esse, in quantum & uerè passus: non in sua natura, sed in sua carne. idem Iohan. 3. Et: Sicut Isaac ligna, ita Dominus crucem portauit: & sicut relictus quidem est Isaac, immolatus autē aries: ita ut Deus quidem alienus est à passione, in humana autem natura & carne passus est. idē in Iohan. cap. 8. Item Smaragdus inquit: Christi namq; humilitate mundamur, quia nisi humiliasset semetipsum, factus obediēs patri usq; ad mortē crucis, nō utiq; sanguis eius in remissionem peccatorum, hoc est, in nostram mundationē fuisset effusus. Super passionē Christi. Item: Qui peccata nostra ipse portauit in corpore suo super lignum, quia nimirum ita nos redimere uoluit, ut lignum in quo peccata nostra tolleret, pendēs in humeris haberet. Smaragdus in 1. epistol. Petri, cap. 2. Et: Mortuus est namq;, ne nos mori timeremus: resurrexit ex mortuis, ut & nos per eū resurrecturos esse speraremus. Idem in 1. epist. Petri, cap. 1. Quis redemerit, Giselbertus docet inquiens: Ipse Dei filius, ut saluaret quod perierat, in homine medius apparuit inter Deū & hominem, ut traheret ad ueniā dilapsa per culpam, adoptiuos per fidem faciens filios, non sub lege, sed in lege seruientes. in lib. Alter. cap. 1. Item Radulphus ait: Vt aliorum peccata Dominus IESVS expiare posset, inde factum est, quia ipse omnis peccati immunis fuit. Nam si & ipse peccati pondere grauaretur, non peccatoribus sub ueniret: sed cui potius peccatori subueniretur dignus esset. lib. 2. cap. 2. in Leuitic. Et: Christus ut hic uiueret, non nisi patri obedire, & hominibus subuenire appetijt. Testatur hoc ipse, ubi ait: Meus cibus est, ut faciam uoluntatem patris mei. Et Apostolus de eo: Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia CHRISTVS IESVS in hūc mundum uenit peccatores saluos facere. Vnde & ipse, temporali dispensatione completa, libēs morti appropinquabat. Et discipulos hac de causa tristatos consolabatur, dicens: Si diligeretis me, gauderetis utiq;, quia uado ad patrem. Radul. lib. 2. cap. 2. in Leuitic. Et: Adipes huius uituli nō immeritò pro peccato offerri præcipiuntur: quia Domini cōsummata sanctitas, quæ nullius uitij interpellatione turbata est, expiandis peccatoribus sola idonea fuit. ibidē. Item Smaragdus inquit: Ille redimitur, qui captiuus est, & in hostium ueniens potestatē liber esse desiuit: ita nos quidā dicūt in hoc mundo esse captiuos, & sub principibus & potestatibus iugo seruitutis teneri: nec ante uinctas catenis explicare manus, & oculos sursum attollere, nisi redēptor aduenerit IESVS CHRISTVS filius Dei, qui proprium sanguinē dedit, & nos de seruitute eripiens libertate donauit. in epistol. Pauli ad Ephes. capite 1. Item de descensu ad inferos inquit Giselbertus: Sicut carceralis custodia Ioseph nō terruit: sic infernus Christum tenere non potuit. in libro Alter. capite septimo.

De resurrectione Christi inquit Theophylactus: Reputa tecum, quòd nusquam in Euangelijs scriptum sit, quòd Christus orauerit pro excitatione ac resurrectione sui: sed diuersum potius inuenitur, nempe quòd ex potentia sua dixerit apertè: Soluite templum hoc, & excitabo ipsum. & Potestatem habeo recipiendi animam. in epistol. ad Hebræos, cap. 5. Item idē: Et Dominus omnibus palàm est mortuus, non resurrexit autem palàm. Nam resurrectioni eius futurum etiam tempus testimonium dicturum erat: mortis autem aliud tempus, quàm quod tūc fuit, testis esse non potuit. ad Colossenses cap. 2. Smarag. ait: Quippe redemptor noster à passione ad resurrectionem, à morte ad uitam, à pœna ad gloriam, à corruptione ad incorruptionem transmigrauerat. in ultimum caput Marci.

Sedet ad dexteram patris. Theophylactus: Christus, sicut Deus, semper consubstantialis fuit patri: sicut homo autem tunc sedit, quādo assumptus est, permanens donec ponantur inimici eius sub pedes eius. Hoc autem erit in consummatione, quādo omnia, etiā quæ nolunt, subijcientur ei, cui dentia, quòd Dominus IESVS CHRISTVS in gloria patris. in Luc. cap. 19. Item: Christus sedet, seu collocauit se, idq; in dextra & in excelsis, non quòd loco concludatur Deus: uerùm ut idem eius honos & æqualitas erga patrē commonstretur. Ad ipsum enim patrium thronum usque peruenit, & perinde ut pater in excelsis est, sic & ipse. idem ad Hebræos, cap. 1.

De gloria Christi, inquit Smaragdus: Gloriam Christi, quam ante incarnationē uidere non poterant homines, post incarnationem uiderunt, aspicientes humanitatem miraculis refulgentem, & intelligentes diuinitatem intus latitantem, illi maximè qui eius claritatem, ante passionē transfigurati, in monte sancto contemplari meruerunt, uoce delapsa ad eum huiusce modi à magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. & post passionem, resurrectionis ascensionisq; ipsius gloria conspecta, spiritus eius sunt dono mirificè refecti: quibus omnibus manifestè cognouerunt, quòd huiusmodi gloria, non cuilibet

cuilibet sanctorum: sed illi soli homini, qui esset in diuinitate unigenitus à patre, cõueniret. In Euangelium Iohannis, cap. 1.

In excelsis est Christus. Smaragdus: In excelsis ergo dicens, non eum in loco concludit: sed ostendit omnibus altiorem, quoniam usque ad ipsum solium paternæ charitatis. Sicut ergo pater in excelsis est, sic & filius. Consessus enim nihil demonstrat aliud, nisi honoris æqualitatem. In Epist. ad Hebræos, capite primo.

De beneficijs Christi Theophylactus loquitur: Rectè ac pulchrè Christus illam imaginem, quam Adam perdiderat, quamque per diuinam insufflationem accepe-rat, renouans, sacris suis tradidit Apostolis, perq; ipsos cũctis crẽdentibus. In prophet. Naum, cap. 2. Item Smaragdus inquit: Hic filius factus est patris, & mediator noster sermones detulit & attulit nobis à patre per transuectores: mortuus est pro nobis, & fecit nos dignos testamenti. hoc modo firmum factum est testamentum. In Epist. Pauli ad Ephes. cap. 9. Item: Pacem nobis relinquit iturus, pacem nobis dabit in fine uenturus: pacem nobis relinquit in hoc seculo, pacem suam nobis dabit in futuro seculo. pacẽ nobis relinquit, in qua manentes hostem uincimus: pacẽ suã nobis dabit, quando sine hoste regnabimus: pacem reliquit nobis, ut etiam hic inuicẽ diligamus: in illo tamen, atq; ab illo nobis est pax: ipse est pax nostra, qui fecit utraq; unum. pax ergo ipse nobis est, & cum uidebimus eum, simus, quia est: & cum uidebimus eum, simus, quia est: & cum crescut est. Quod uerò adiunxit, Non quomodo mundus dat, ego do uobis: quid est aliud nisi, non quomodo homines dant, qui propterea sibi dant pacem, ut sine molestia non Deo, sed amico suo mundo perfruantur. Smaragdus in Euangeliũ Iohannis, capite decimotertio.

De miraculis Christi inquit Theophylactus: Christus solitus est clariora miracula in occulto facere, ut ne uideatur multis ut Deus, & ut apparebat homo habeatur. Transformationem autem audiens, ne putes quòd tunc corpus abiecerit, sed manſit corpus in suo habitu. In Matthæum capite decimoseptimo.

Prædixit futura Christus. Theophylactus: Christus prędicit discipulis euentura, ut mentes discipulorũ præparet, quo prius audita facilius ferant, & non repentè perculsantur animo: insuper, ut sciant quòd uoluntarius patiatur. In Marcum capite 10.

Mediator Christus. Giselbertus: Quòd accepto Aaron thuribulo inter uiuos & mortuos stetit, significat, quòd mediator Dei & hominũ solus inter mortuos liber, summus idẽ pontifex stat ad dextram patris, interpellans pro nobis: pro iustis quidem, ne cadant: pro sontibus, ut resurgant. in lib. Altercat. cap. duodecimo. Et: Quamuis interluceat, quis sit iste mediator, uidelicet filius Dei: uolo tamen à te scire, quomodo mediator: cum Christus, quem nobis prædicas, Deus sit & homo, in duabus naturis una persona, sicut hoc uniuersalis celebrat Ecclesia. Exemplo uideas quod quæris, si ratione non procedis. Constitue duos simul, summum & imum, Trinitatem & hominem. Itaq; inter illam Trinitatem & hominum infirmitatem & iniquitatem, mediator factus est homo non iniquus, tamen infirmus: ut ex eo quòd non iniquus, iungeret te Deo: ex eo quòd infirmus, propinquaret, atque ita inter Deum & hominẽ filius Dei mediator existeret. Oportuit autem mediatorem inter nos Deum, & mortalitatem habere transeuntem, & beatitudinem permanentem: ut per id quod transit, congrueret morituris: ac id quod permanet, transferret ex mortuis. Media igitur iusticia temporali opus erat, quæ medietas temporalis esset de imis, iusta de summis: ut contemperans sẽ imis, ima redderet summis, Deus & homo, reconcilians hominem Deo: manens quod erat, factus quod non erat. In lib. Altercat. Synagog. cap. uigesimo. Item Radulphus ait: Angelus iste non nisi pontifex ille summus, de quo agimus, intelligitur, missus scilicet à patre ad homines, & ab hominibus ad patrem remissus, ut hominum causas apud patrem peroret, mediator Dei hominumque. libro 2. capite 4. in Leuit. Item Theophylactus: Christus duorum mediator est, Dei uidelicet, ac hominum. Mediatorem autem egit, utrisque pacem faciens, ac bellum dirimens, quod homines cum Deo gesserunt. Quatenus enim adiũxit sibi ipse atq; uniuit humanam naturã, pacẽ fecit, inimicam diuinę naturæ carnem mirandũ ad modum commiscens, atque cum ea temperans. Quocirca, quia mediator & reconciliator ipse est, perspicuum est ut ipse seruet, & non lex. in Epistol. ad Galatas, capite tertio. Item Smaragdus ait: Surrexit & uolauit in altum, & pro nobis unicus interpellat in cœlo. Præstat cum patre, quod postulârat à patre: quia mediator est, & creator. Mediator, ut poscat: creator, ut tribuat. In epistola, Actuum Apostol. capite decimo. Et: Hi possunt utcunque cogitare, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, in quantũ homo est, pro nobis interpellare patrẽ: in quantum Deus est, nos exaudiri cũ patre: quod eum significasse arbitror, ubi ait:

Et non dico uobis, quia ego rogabo patrem de uobis. Smaragdus in Euangelium Iohannis, cap. 16. Item pontifex. Theophylactus: Melchisedech diuina uirtute factus est sacerdos, ut uiuat semper, ac indissolubile sit ei sacerdotium. uiuere autem intellige, nimirum quòd non sit cognita eius mors. Vel relatiuum Qui de sacerdote accipe, quasi diceret: Qui sacerdos alius, hoc est Christus, non iuxta legale mandatum, carnale accepit sacerdotiũ, sed per potentiam patris, uel propriam suam, ac indissolubile isthuc sacerdotium retinet. Quomodo igitur intulit, Secundum potentiam uitæ indissolubilis, ac nullis unquàm seculis finiendæ: hoc est, propria uirtute ac potentia uiuit Christus. In epistola ad Hebr. cap. septimo. Item: Christus secundum carnem pontifex est sanè: quatenus autem pontifex est, eatenus intercedere dicitur. Porrò mortuos excitans & uiuificans instar patris, quomodo iam, ubi conseruare eum conuenit, interpellat? Qui omne iudicium habet, quomodo intercedit? Qui emandat angelos, ut hos quidem in caminum injciant, illos uerò conseruent? Propter humanam naturam hoc dictum est, quòd intercedat. Idem in epistolam ad Hebræos, capite septimo. Item: Noster pontifex plenus est omnis uirtutis, & à peccatoribus segregatus, altior etiam ipsis cœlis factus est, super paterno solio sedens. Ibidem.

Rex. Christus semper est rex: deinde pontifex factus est, quãdo carnem accepit, quando uictimam sese obtulit. ibidẽ cap. 7.

Pastor. Theophylactus: Christus pascet populum suũ, non tyrannidẽ exercebit, uel deuorabit. Alij enim reges, non pastores, sed lupi sunt: Christus autem pastor, sicut ipse dicit: Ego sum pastor bonus. In Matth. capite secundo.

Custos. Smaragdus: Quia enim Samaritanus interpretatur custos, & ipse ueraciter custos est, de quo Psalmista ait: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in uanum uigilant qui cũstodiunt eam. & cui per Esaiam: Custos qui de nocte, custos qui de nocte? Respondere noluit Dominus: Samaritanus sum, sed ego dæmoniũ non habeo. Duo quippe ei illata fuerant: unum negauit, & alterum tacendo consensit. Custos namq; humani generis uenerat, & si Samaritanum se non esse diceret, esse custodem negaret: sed tacuit, quod recognouit. In Euangelium Iohannis cap. 8.

Christus ubiq; docet. Theophylactus: Perãbulabat IESVS in hac terra per pagos & ciuitates, docẽs. Neq; ita in parua uenit oppida & pagos, ut magnas ciuitates negligeret. Id quod faciunt, qui uolunt simpliciores decipere. neq; ita uenit in ciuitates, ut ostentator & gloriosus paruas negligens: sed ut communis Dominus, imò ut pater, qui omnium curam agit, ubiq; circuit. In Lucam, cap. 13.

Omnia Christo esse tradita. Theophylactus: Dedit pater omnia filio ratione naturæ, sed non gratiæ: quoniam & esse à patre habet, meritò & omnia à patre dicitur habere. Habet igitur omnia filius, tam quæ in cœlo, quàm quæ in terra. Dominatur enim omnibus, etiamsi quidam nolint: postea uerò in secundo aduentu, quando omne genu flectetur ei, perfectum omnium accipiet dominium: quando malicia non ultrà habebit uirtutem, sed inefficax manens ostendet naturam boni à principio omnibus inditam, & omnia continentem. In Iohannem, cap. 1.

Christus operatur cũ patre. Theophylactus: Nõ potest filius à seipso facere aliqd, secundũ quod nihil alienũ uel nouũ habet à patre, sed per omnia similis est patri: neq; aliã habet substantiã, ut & aliã uirtutẽ habeat, & cõsequenter aliã operationẽ: sed quia eandẽ habet substantiã, eandẽ habet & uirtutẽ, & propter hoc eadẽ etiam operatur. & nõ potest aliud quid facere, prẽterid quod pater facit. Nõ enim aliã uirtutẽ habet, uel inferiorẽ uel superiorem paterna: sed una substantia, una uirtus, una operatio patris & filij. Profectò, inquit, sed pater quasi doctor quidam est filij, quodãmodo ei demõstrans quomodo oporteat operari. Nam nisi filius uiderit patrẽ facientẽ, nihil facit. Igitur interrogo talia nugantes Arrium & Eunomium, Quomodo docet pater filiũ in sapiẽtia, uel non? Omnino in sapiẽtia. Quæ autẽ sapientia Dei? nónne ipse filius? Etiã profectò. Itaq; filius docet seipsum. Papæ quanta uestra insipientia? Siquidem quasi puerum quendam traditis patri filium erudiendum. Ego autem cum Dei sapiẽtia affero, si quid nouit pater, non sine filio nouit: ipse enim est sapientia eius. siquid potest pater, nõ sine filio potest: ipse enim est eius potentia. Quod autem hæc uera sint, audi: quia quæcunq; facit pater, ea & filius similiter facit. Si pater cum potestate & uirtute, & filius similiter. Non igitur inferior filius patre. in Iohan. 5.

Quę de Christo non possit sensus humanus percipere, Ansbertus monet, dicens: Quis capiat, quomodo incarnatus sine semine Deus, quomodo incarnatus clauso exijt uero uirginis homo Deus: nec tantilus exiẽs homo Deus, ut est meatus uteri uirginis paruus: sed ita magnus, ut reliqui mulierum infantes. Quomodo Dominus gloriæ

crucifigitur, cũ ſolus homo moriatur? Quo modo poſt mortẽ reſurgens, palpabile corpus in uera carne ueris q; oſsibus, perfectæ ætatis uir, clauſis ianuis ad diſcipulos intro miſit, ubi nec corpus exinanitum uel phantaſticum, ſed palpabile & uerum exhibuit. lib. 3. cap. 5. Apocalyp.

Quomodo Chriſtus dicatur de cœlo deſcendiſſe. Smaragdus: Meritò autem quæritur, quomodo dicatur filius hominis uel deſcendiſſe de cœlo, uel eo tempore quo hæc in terra loquebatur, iam fuiſſe in cœlo. Non ergo caro Chriſti deſcendit de cœlo, neque ante tempus aſcenſionis erat in cœlo: ſed quia una Chriſti perſona eſt, in duabus exiſtens naturis, atque ideo filius hominis rectè dicitur & deſcendiſſe de cœlo, & ante paſsionem fuiſſe in cœlo: quia quod in ſua natura habere non potuit, hoc in filio Dei, à quo aſſumptus eſt, habuit. Sed & hoc quærendum, quomodo dictum ſit, Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, cum omnes electi ſe ueraciter confidant aſcenſuros in cœlum, promittente ſibi Domino: Quia ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Cuius tamen nodum quæſtionis apertiſsima ratio ſoluit, quia uidelicet mediator Dei & hominum homo CHRISTVS IESVS electorum omnium caput eſt, ijdemq; omnes electi eiuſdem capitis membra ſunt, dicente Apoſtolo: Et ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam. & rurſum: Vos enim eſtis corpus Chriſti, & membra de mẽbro. Nemo aſcendit in cœlum, niſi Chriſtus in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia: qui in ſeipſo quidem primùm cernẽtibus Apoſtolis eminẽtioribus, nimirum membris ſuis aſcendit, & exinde in membris ſuis quotidie aſcendens, ſe colligit in cœlum: quiſquis in cœlum aſcendere deſiderat, ei qui de cœlo deſcendit, & eſt in cœlo, ſe uera fidei & dilectionis unitate coniungat: apertè intelligens, quia nullo alio ordine, niſi per eum qui deſcendit de cœlo, poteſt aſcendere in cœlum. Vnde aliàs ipſe dicit: Nemo uenit ad patrem, niſi per me. In Euangel. Iohannis, cap. 3.

De inhabitatione Chriſti, inquit Giſelbertus: Chriſtus utroq; modo nos inhabitat, ſcilicet corporaliter. ipſe enim eſt caput corporis ſui, quod eſt Eccleſia. unde dicitur: Et erunt duo in carne una. Ipſe etiam per donũ gratiæ, qua filij Dei uocamur & ſumus, ſpiritualiter habitat in nobis: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis: Inhabitabo, inquit, in illis, & inambulabo, & ipſi populus meus erunt, & ego illorum Deus. Ecce ego uobiſcũ ſum, uſq; ad cõſummationẽ ſeculi: etſi nõ corporali preſentia, tamen maieſtatis ſemper potentia. In lib. Altercat. cap. 21. Et Smaragdus inquit: Sic Dominus IESVS ſanctificandus eſt in cordibus noſtris, ut nomine eius uocemur, id eſt Chriſtiani: & ut nihil ſanctius eius nomine æſtimemus. Sanctificamur enim, eum in ſpe, fide & charitate credendo, colendo & adorando, ut ab illo ſanctificari pariter mereamur, & iuſtificari. In Epiſtol. Petri, capite tertio.

Quomodo Chriſtus ſit à patribus uiſus, docet Giſelbertus: Deus ante ſuſceptam humanitatem ſic à ſanctis patribus potuit imaginaliter uideri, ſicut eum poſtea per incarnationem uerbi oportuit oſtẽdi. In lib. Altercat. cap. 1.

De mutatione ſententię diuinæ pulchrè inquit Giſelbertus: Mutat diuina diſtrictio ſententiam, non conſilium. In libro Altercat. capite decimoſeptimo.

De comeſtione Chriſti poſt reſurrectionem à mortuis, ſic inquit Theophylactus: Quòd Chriſtus poſt reſurrectionẽ comederit, nõ ſecundũ naturã comedit, ſed ſecundũ diſpenſationem: ad docendum, quòd illud ipſum corpus, quod paſſum eſt, ſurrexit. Naturale enim huic corpori erat, clauſis ianuis ingredi, & abſque labore de loco in locũ tranſire. Itaq; cum diſcipuli adhuc nõ crederent, neq; per palpationẽ perſuaderẽtur: addit & aliud indicium, comedens, diuina quadam uirtute conſumendo quod edebat. In Luc. cap. 24. Smaragdus ait: Ad inſinuandã reſurrectionis ſuæ ueritatẽ, nõ ſolũ tãgi à diſcipulis, ſed etiã cõueſci cũ illis dignatur: non quaſi quidẽ poſt reſurrectionẽ cibo indigens, nec quaſi nos in reſurrectione, quam expectamus, cibis egere ſignificans: ſed ut eo modo naturam corporis reſurgentis aſtrueret, ne illud non corpus, ſed ſpiritum eſſe arbitrarentur: & ſibi non ſolidè, ſed imaginaliter apparere. Manducauit poteſtate, non neceſsitate. Aliter enim abſorbet aquam terra ſitiens, aliter ſolis radius candens: ille indigẽtia, iſte potentia. ſuper Lucam, cap. 24.

*De Chriſto Regulã.*

Ansbertus: Hanc poteſtatem tunc Chriſtus à patre accepit, cum pro nobis incarnatus, paſſus ac ſuſcitatus, per Apoſtolorum prædicationem totum ſibi mundum ſubiugauit. Abſit autem, ut qui in diuinitate coæqualis eſt patri, ſuper gentes hanc poteſtatẽ accepiſſe credatur à patre: ſed in humanitate, qua minor eſt patre. Secundum quã humanitatẽ in Euãgelio quoque loquitur, dicẽs: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo atq; in terra. Secundũ quã etiã paterna ad eũ uoce dicitur, Poſtula à me, & dabo tibi gentes hęreditatem tuam,

& possessionem tuam terminos terræ. libro secundo, cap. 2. Apoc. Theophylactus inquit: Dominus alia humano more operabatur, alia autem diuino. Humanum erat comedere & bibere, & uitam laxiorem sectari, & non austeritatem præ se ferre, ut Iohannes: atq; hoc fuerit oleum. Ieiunium uerò mirabile, & ambulatio in mari, & alię diuinæ uirtutes, uinum sunt. Vino enim assimilata est deitas, quam mera causa sustinere ac ferre nullus posset, nisi & oleum adesset: hoc est, humana conuersatio. In Lucam cap. 10. Item: Omnia filio sunt communia. nam & ipse Rex est seculorũ. Si enim seculorum conditor, quomodo non rex, & incorruptibilis, & inuisibilis diuinitate, solusque sapiens? Ipse namque est sapientia patris. Hæc & de spiritu dicuntur. Soli enim sapienti dixit Paulus, non ad discrimẽ filij & spiritus, haudquaquam: uerũenimuero, quia & angeli & homines sapientiam habent. Idem in epistol. Pauli ad Timoth. capite primo. Item: Quando Dominus humilia quædam dicere uidetur, non est existimandum hæc dicere illum, quòd natura minor sit patre: sed ne habeatur aduersarius Deo, & propter auditorum imbecillitatem: & ea propter carne amictum esse, docereq; nos modestos esse, & nihil magnum de nobis ipsis dicere. Quando autem sublimia & de sua diuina gloria loquitur, oportet credere nos, quòd grandia hæc ut æqualis patri loquatur, propter magnitudinem suæ naturę. Idem in Iohan. capite septimo.

Collocutio Christi & Adam describitur à Giselberto. Sexta die Adam est formatus, sexta mundi ætate natus est Christus: ille in animam uiuentem, hic in spiritum uiuificantẽ. Adam pręponitur brutis animalibus, Christus populis & nationib. ille singulis nomina imposuit, Christus seruos suos alio nomine uocauit. In lib. Altercat. cap. 7. Et Smaragdus: Adã uerò primus post peccatum audiuit: Terra es, & in terram ibis. Secũdus uerò Adam de seipso ait: Soluite templũ hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Sparsus uerò fuit primus Adam per uniuersum mundũ, qui in secũdo collectus est: quod significat nomẽ Adam, quod quatuor literis scribitur, α, δ. iterũ α, μ. quæ quatuor literæ, quatuor partes orbis designant, in quas sparsus est Adam in filijs suis. Ideo in principijs nominum partium mundi, hæ quatuor literæ leguntur. Nam ἄρκτος, quod est Septentrio, ab α incipit: & δύσις, quod est occidens, à δ incipit: & ἀνατολὴ, quod est oriẽs, ab α incipitit. μεσημβρία, quod est meridies, ab μ incipit. quæ sunt quatuor partes orbis, ab his quatuor literis incipiens: quæ literæ si in computo Gręco considerentur, quadraginta sex faciunt. nam α unum, δ quatuor: & iterum α unum, μ quadraginta: quot sunt simul ducti quadraginta sex: mysticè designans quadraginta sex annos, quibus templũ corporis Christi in utero uirginali ædificatũ est, sicut superius diximus. In Euangelium Iohannis capite secundo.

## DE SPIRITV SANCTO.

Ros cum quo manna descendit, Spiritũ sanctum significat, per cuius uirtutem ad inuocationem sacerdotis corpus Christi efficitur. In libro Altercat. cap. 9. Et: Spiritus sanctus dicitur columba, propter innocentiam & mansuetudinem, & quòd mundissima sit columba: & ubi fœtor est, ibi nõ maneat: sic & Spiritus sanctus. Et eò de Noe dicitur, columbam nuncialsse diluuij solutionem, ramum oliuæ afferentem: sic & Spiritus sanctus manifestat peccatorum solutionem. illic ramus oliuæ, hic misericordia Dei. Theophylactus in Matthæum, cap. tertio. Item Smaragdus: Paracletus consolator interpretatur. & Spiritus sanctus rectè paracletus uocatur: quia corda fidelium, ne inter huius seculi aduersa deficiant, cœlestis uitæ desiderijs subleuat ac reficit. In Euangelium Iohannis, capite decimoquarto.

### De substantia Spiritus sancti.

Esse Spiritum sanctum coessentialem & coæqualem patri, docet Giselbertus: Spiritus Dei ferebatur super aquas. Spiritus ille, bonitas, amor & uita est: uirtus uiua in patre manens & filio, utpote patri filioque consubstantialis. Hic amor, hæc bonitas creatoris, Spiritus sanctus est. In lib. Altercat. capite 3.

Theophylactus inquit: Sicut digitus est eiusdem substantiæ cum alio corpore: ita & Spiritus eiusdem substantiæ est cum patre & filio. in Luc. cap. 11.

Smaragdus: Quia de meo accipiet, & annunciabit uobis. de his dixit, quæ ad ipsam patris diuinitatem pertinent, in quibus ille est æqualis patri, in qua est & Spiritus sanctus æqualis patri & filio: quia una substantia, una natura, una maiestas, una gloria, una æternitas est patris, & filij, & Spiritus sancti: & est unus Deus omnipotens, inuisibilis, incomprehensibilis omni creaturæ, pater & filius & Spiritus sanctus. In Euangelium Dominicæ tertię post paschæ.

Procedit Spiritus sanctus. Theophylactus: Cum audieris, quòd Spiritus procedit, ne intelligas per processionẽ, egressionem, quali emittuntur ministratorij spiritus: sed naturalis subsistentia, Spiritus est processio. Nam nisi sic intellexerimus

processionem, sed externam quandam missionem, incertum erit de quo spiritu dicat. innumeri enim sunt, qui in ministerium mittuntur, propter eos qui hæreditabunt salutem. in Iohannem, cap. decimoquinto.

Smaragdus: Significat enim, quòd æqualiter idem Spiritus sanctus à patre & filio procedit, & æqualiter à patre & filio mittitur: sed propter distinctionem personarum hic dicitur à patre procedere, & à filio mitti, & in eadem distinctione personarum unam esse operationem, ac uoluntatem suã cum patris uoluntate denunciet. Venit etiam, & sua sponte, qui æqualis est patri & filio: quo cognoscatur, unam esse uoluntatem atque operationem sanctæ trinitatis. in Euangelium Iohan. cap. 15.

Quòd sit spiritus filij. Theophylactus: Non intempestiuum fuerit hoc loco dicere, quomodo habeat filius spiritum, & quo modo dicatur spiritus filij. Dicit enim & Apostolus: Spiritum filij sui in corda uestra misit, clamantem Abba pater. & iterum: Si autem spiritum Christi quis non habuerit, hic non est eius. Sanè Latini malè hæc exponentes, & minus rectè intelligentes, dicunt quòd spiritus etiam ex filio procedat. Nos autem hoc primùm quidem dicimus ad eos, quòd aliud sit esse ex quopiã, & aliud esse cuiusdam: ut spiritus est quidem spiritus filij absque dubio, & ab omni Scriptura approbatum: cæterùm esse ex filio, nulla Scriptura testatur, ut ne duo principia spiritus introducamus, patrem & filium. Profectò inquit. nam & inspirauit discipulis, & dixit: Accipite Spiritum sanctum. O' desipientiam. Si tunc dedit discipulis spiritum, quando insufflauit, quomodo postea dixit eis: Accipietis uirtutem superuenientis Spiritus sancti super uos, non post multos dies? uel quomodo in Pentecoste credimus factum descensum Spiritus? Siquidem in uespera diei resurrectionis dedit illum. tunc enim inspirauit. At hæc quidem ualde ridicula. Manifestum enim, quòd tunc Spiritum sanctum illis non dederit: sed donum unum Spiritus sancti, remissionem scilicet peccati. Statim enim subdit: Quorum remiseritis peccata. Habet autem spiritum filius substantialiter, ut consubstantialem sibi, non à quo operationem recipiat, sicut prophetæ. Dicitur autem spiritus esse filij, secundum quod ueritas & uirtus, & sapientia: Spiritus autem sanctus & ueritatis, & fortitudinis, & sapientiæ spiritus, ab Esaia describitur. & aliter: Quia per filium hominibus datur, propterea filij dicitur. Crede igitur tu spiritum à patre quidem proficisci, per filium autem dari creaturæ: atq; hic sit tibi canon orthodoxæ doctrinę. in Iohannem ca pite tertio.

*De officio Spiritus sancti.*

De officio Spiritus sancti Giselbertus inquit: Spiritus sanctus primùm operatur uoluntatem bonam, deinde operatur per eam. in lib. Altercat. cap. 4.

Et: Clauis diuini uerbi aperiendi, Spiritus sancti lumen est: quo ducente, quo ductore præuio, quicquid rectè in Scripturis sacris quæritur, inuenitur. In libro Altercat. cap. septimo. Ansbertus inquit: Metas enim nostræ capacitatis Spiritus sanctus considerauit, qui per Danielem ita de æternitate loqui uoluit. Ansbertus libro primo, capite primo Apocal. Item: Altiora te non quæsieris. Quæ uidelicet nobis custodientibus, fit miro atque ineffabili diuinæ pietatis modo, ut plerunque quod lingua carnis minimè posse præsumit, Spiritus sancti lingua eliciat, qui nos in omnem ueritatem inducit. Dicat ergo lingua nostra, prout loqui tribuit lingua Spiritus sancti: dicat inquam, ac nequaquam in dicendo tumeat: quia Spiritus sancti locutionem non explicat, nisi lingua eiusdem Spiritus sancti causam ad loquendum moueat. Ansbert. libro octauo, capite decimo-septimo Apocalyps.

Et: Spiritus bonus, qui aduersitati resistens impletur Ecclesia, spiritus est sapientiæ. Cui contrario malus opponitur spiritus insipientiæ, quo apertæ ueritati cornibus resistens, pars insanit aduersa: alter peior simulatur sapientiæ, quo in uerisimili fraude septies aç multiplicius pars aduersa ad seducendum prævalet. Spiritus bonus, spiritus intellectus: malus autem, spiritus stulticiæ: alter peior, simulatio disciplinæ: spiritus bonus consilij spiritus imprudentiæ: alter peior, simulatio prouidentiæ. Spiritus bonus, spiritus fortitudinis, cui opponitur malus, apertæ ignauiæ spiritus: alter peior, infirmitas fallens obumbratione uirtutis. Spiritus bonus, spiritus scientiæ: cui contrarius opponitur malus, spiritus ignorantiæ. nequior autem, usurpatio scientiæ. Spiritus bonus, spiritus pietatis: malus uerò, spiritus impietatis: alter peior, falsę pietatis obtentus. Spiritus bonus, spiritus timoris Dei, cui contrarius est spiritus temeritatis: alter peior, dolus fictæ religiositatis. Ansbert. lib. 8. cap. 1. Apocal. Item Radulphus ait: Spiritus Christi ideo in columba & igne monstratus est, quia omnes quos repleuerit, simplices & ardentes facit. Simplices puritate, ardentes æmulatione. Radul. lib. 4. capite 3. in Leuitic. Et: Ignis egressus à Domino, Spiritus sanctus est, qui à

patre filioq; procedit. De quo ipse Dominus: Ignem ueni mittere in terrā. Hic ergo ignis in terram missus, id est hominibus datus, holocausta uorat: quia perfectorum corda in suum amorem rapiens, & ab effectibus mundanis secernens, omnem eorum uirtutem & studia ad diuinam transfert militiam. Vnde ille magnus Christi amator, huius Spiritus igne absorptus dicebat: Mihi uiuere Christus est. Et: Viuo autem iam non ego, uiuit uerò in me Christus. Adipes uerò pacificorum, non tamen ipsas hostias pacificas uorat ignis iste: cum mentes religiosorum secularium, in affectum diuinæ dilectionis accendit: non tamen ea integritate, ut à mundanis negotijs prorsus alienare, & spiritualibus se studijs uelint occupare. Radulph. libro septimo, capite primo, in Leuitic. Item: Omnes qui creatori suo deseruiunt, uasa sunt Spiritus sancti: quia in ipsis & per ipsos idem Spiritus operatur. Radulphus libro octauo, capite quarto, in Leuitic. Et: Septenarius numerus Spiritui sancto cōsecratus est, propter septiformem eius gratiam, cui etiam remissio peccatorum ascribitur. ipse est enim qui dimittit, ipse qui uenia dignos nos facit. Accipite, inquit Dominus, Spiritum sanctum: & continuò subiecit, Quorū remiseritis peccata, remittūtur eis. Hanc discipuli potestatem habere non potuissent, nisi Spiritum sanctum prius accepissent. Item: Spiritus ipse, dictus est Spiritus gratiæ & precum. Et Apostolus: Quid enim oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus. Ergo nec aliena peccata dimittere quisquam sine Spiritu sancto, nec sua dignè flere poterit, aut ueniam promereri. Radulph. libro decimo, capite primo in Leuitic. Item: Spiritus sanctus prophetarum & linguas mouit, & corda docuit, ut scientes eisdem uerbis diuersa diuersis loquerentur, miro & prorsus diuino loquendi genere, tum quasi unum dicentes, aliud tamen præsentibus intimant, aliud futuris prænunciant. Radulph. lib. 17. cap. 3. in Leuit. Smaragdus ait: Quando, uel quem Spiritus sanctus docet, trinitas ipsa docet: sed quoniam Trinitas est, oportebat eius singulas insinuare personas. omnes igitur & dicit & docet Trinitas: sed nisi etiam singillatim commendaretur, eam nullo modo humana capere utcunq; posset infirmitas. In Euangel. Iohannis, capite decimotertio. Et: Ipse namque spiritus corda eorum & ad scientiam ueritatis illustrauit, & ad docenda quæ nossent, culmine ueritatis erexit. Idem in Euangel. Iohannis, capite 15.



Quòd Spiritus sanctus in specie columbæ apparuerit, sic exponit Giselbertus: Quamuis uerò corporali specie Spiritus sanctus super Dominū descendisse dicitur, non tamen de auibus sumpsisse columbā, sed ex aere, mininè dubitatur. Nequaquam enim ex auibus Spiritum sanctum necesse fuit corpus assumere, dum aues sibi connexæ statutam in nullo transgressæ sunt legem naturæ: sed si in aliquo transgrederentur, in hoc tanti meriti transgredi non haberent, ut pote nec æterna, nec rationabili creatura, ut à Spiritu assumptione carnis à delicti uindicta soluerentur. Sed quòd filij persona corpore carnis humanæ induebatur, conueniens erat ut persona Spiritus sancti per corporalem speciem super eum descenderet, & uox patris corporalis deinde per aerem corporeis auribus audiretur. Præterea quoq; idcirco in nube, & columbæ imagine, Pater & Spiritus sanctus ad baptismum ueniunt: quoniam aquaticæ naturæ res illæ aliquid haberent. Dum enim in terra filius ad baptismi mysterium aquæ creaturam elegisset, necesse fuit ut & pater per aquaticam nubem intonaret: & Spiritus sanctus illud corpus, quod de aqua in principio factum est, ex illa nube acceptū simularet, ut sic tōta Trinitas eandē uolūtatem sicut haberet, ostenderet. In lib. Altercat. cap. 22.

Qui excutiant Spiritum sanctum. Theophylactus: Quia nox est hæc præsens uita nostra, dedit nobis lucernam Deus, Spiritum paracletum: sed hanc alij quidem splendidiorem fecerunt, ut omnes sancti: alij uerò extinxerunt, perinde ac quinque uirgines Dei inanem hanc dimittentes: ut qui Corinthi fornicatus erat, cœnum sanè huic superfuderat. Ait itaque: Spiritum ne extinguite. hoc est, donum illud: concludite ianuas siue sensus, ut ne ingrediatur spiritus maliciæ, nec extinguatur lampas. In epistolam Pauli ad Thessalonicenses, cap. quinto.

Quomodo Christus habuerit & communicet Spiritum sanctum, docet Theophylactus: Dominus omnem iusticiam impleuit in Spiritu sancto, cum quo ὁμοούσιον erat: id est, eiusdem substantiæ, habens ipsum naturaliter sibi conuiuentem & coniunctum, ac per seipsum nobis communicans atq; donans, ut per illum iustificemur. in epistol. Pauli ad Timotheum, capite tertio.

Cur uisibiliter sit datus Spiritus sanctus, Radulphus exponit, dicens: Post Christi resurrectionem datus dicitur Spiritus sanctus Apostolis, nō ut haberēt quē prius nō habuerāt, sed ut magis illo abū darent quē prius

prius acceperant. Radulph. libro 19. capite 8. in Leuitic.

Cur subtrahatur interdum Spiritus sanctus. Radulphus: Nonnunquam utiliter subtrahitur Spiritus sancti gratia, ut homo sibi relictus, quid per se possit intelligat: & ita tentationi redditur, ne usquequaq; desertus intereat. unde scriptum est: Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis: sed nescis unde ueniat, aut quò uadat. ibidem.

De inhabitatione Spiritus sancti inquit Theophylactus: Spiritus sanctus demoratur in nobis per baptismum: quem spiritū si seruauerimus, nec persequemur prauis operibus, custodit & ipse nobis quęcūq; à Deo habemus. Idem in epistol. Pauli ad Timot. 2. capite primo.

De *differentia personarum.*

Inseparabilis Trinitas, unus Deus, inseparabiliter operatur: uerumtamen singulis horū, id est, patris & filij & Spiritus sancti, sicut personæ proprietas, ita & in perfectione mundi cōsideranda est actio propria, ut patris creatio, filij redēptio, Spiritus sancti sit opus propriū creaturæ innouatio. Pater per uerbum suum cuncta creauit: missus à patre filius, oppressos originali labe redemit: Spiritus sanctus omnia sanctificauit. In lib. Altercat. cap. 3. Item: Assignat fides credentium potentiam patri, sapientiam filio, bonitatem Spiritui sancto: quæ tria licet personaliter distinguantur, tamen substantialiter idem sunt. Tanta est ibi societas substantiæ, ut æqualitatem non amittat, pluralitatem non admittat. In lib. Altercat. cap. 3. Item: Sic de uerbo intellige, uel quod factum est in mundi machina, uel quod fecit immutabiliter manens in sui essentia & immobili subsistentia. Habet quidem pater sapiens à seipso & esse & sapere, habet filius à patre esse & sapere, sicque plenæ sunt subsistentiæ: nec fulcitur alter ab altero, ut subsistat uel sit quod est per alterutrum: sed plenè per se subsistentes, licet una sit & perfecta unius substantiæ trinitas Deus. In libro Altercat. capite uigesimoprimo.

Ansbertus ait: Pater à seipso: filius autem à patre, non à seipso: Spiritus uerò sanctus à patre & filio cognoscitur esse. à quo ergo sunt omnia, in ipso & diademata multa. Et ut breuiter ac sub uno cuncta repetam, in equo, id est, in homine Christo, quia corpus eius sumus, à diuinitate ipsius regimur ac præsidemur: in oculis autem eius, id est in Spiritu sancto illuminamur: in capite uerò ipsius, id est in patre, post uictoriam coronamur. Ansbertus lib. 9. cap. 19. Apocal.

DE OPERIBVS DEI.

GIselbertus ait: Sunt autem duo opera, in quibus uniuersa continentur quæ facta sunt. primum, opus conditionis: secundum, opus restaurationis. Opus conditionis, quo factum est ut essent quę non erant: opus restaurationis est, quod factum est ut melius essent quæ perierāt. in lib. Altercat. cap. 5. Item: Gratiæ diuinæ triplex operatio in homine. prima, creatio: secunda, reformatio: tertia, est consummatio. Primo namque in Christo creati in libertatem uoluntatis, secundò reformamur per Christum in spiritum libertatis: tertiò cum Christo consummandi, in statū æternitatis. in lib. Altercat. cap. 8. Et Theophylactus inquit: Quomodo pater operatur usq; ad hoc tempus, cum Moses dicat, quòd quieuerit Deus ab omnibus operibus suis? Vis discere quomodo adhuc operetur Deus? Vide dispensationem rerum, & disce opera prouidentiæ: solem orientem, mare, fontes, flumina, animalia, & simpliciter omnes facturas, & uidebis creaturam opera sua operari, imò operationem recipere & moueri ineffabili prouidentiæ uerbo. Omnino autem prouidentia & in Sabbato suo operatur. Atque ita quia pater etiam operatur in Sabbata, meritò & ego (inquit filius) eius opera operor. In Iohannem, cap. quinto. Et: Quæcunque agit Deus, nonnullas occultas rationes habet, supra humanas cogitationes & argumenta existentes, ut quæ non egeant nostra defensione. Idem in epistolam Pauli ad Romanos, cap. 3.

Deus curam agit nostri. Theophylactus: Si pater noster Deus, ueluti liberorum nostri curam gerit: non ne igitur & miserebitur nostri, gratiamque dabit, ut omnibus nos grati simus, ac pacem habeamus ab hostibus. Idem ad Timotheum, capite primo.

De inhabitatione Trinitatis inquit Smaragdus: Ecce facit in sanctis, cum patre & filio, sanctus etiam Spiritus mansionem, intus utique tanquam Deus in templo suo. Deus Trinitas, Pater & Filius & Spiritus sanctus ueniunt ad nos, dum uenimus ad eos. Veniunt subueniendo, uenimus obediendo: ueniunt illuminando, uenimus intuendo: ueniunt implendo, uenimus capiendo, ut sit nobis eorum non extraria uisio, sed interna: & in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna. In Euangel. Iohannis, cap. 13.

De uisione Dei inquit Giselbertus: Porrò regis huius tres sunt uisiones, id est, in hoc mūdo, in iudicio, in regno. In prima apparet mansuetus, in secūda iustus, in tertia gloriosus. In prima uisus est à bonis & malis, cum

cum omnibus: insecunda, uidendus est à bonis & malis omnibus: in tertia, à bonis tantum. De prima: Beati oculi, qui uident quæ uos uidetis. de secunda: Videbit omnis caro salutare Dei. de tertia: Videbimus eum sicuti est. In lib. Altercat. cap. 16.

PHRASES ET REGVLAE *de Deo.*

Ansbertus: Sciendum enim, quia omnipotens Deus quædam nunc ex parte electorum obliuiscitur, quædam uerò recordatur. In futuro autem iudicio non quidem similiter, sed dissimiliter: quia ex ea parte quæ nunc electorũ obliuiscitur, tunc recordatur: & ex ea quæ nunc recordatur, tunc obliuiscitur. Qui uidelicet obliuionis uel recordationis modi, eadem ratione reproborum personis aptantur. Quadam enim ex parte omnipotens Deus nũc electorum obliuiscitur, quadam uerò recordatur: quia & eorum bona opera in præsenti non remunerat, & mala duris flagellis excruciat. At contrà, quædam eorum ex parte in iudicio recordatur, quędam uerò obliuiscitur: quia & dilata eorum pia opera tunc remunerat, quæ nunc quasi obliuioni tradens non remunerat: & mala tunc nõ damnat, quæ nunc iudicio seueritatis sciens cruciat. Quamobrem sicut dictum est, unde nunc obliuiscuntur, inde tunc recordantur: & unde nunc recordantur, inde tunc obliuiscuntur. Econtrà, reprobi quadam nunc ex parte obliuiscuntur à Deo, quadam uerò recordantur: quia & hic pro malis quæ commiserunt, flagella non tolerãt: & pro bonis quæ fortè habere potuerunt, terrena munera recipiunt. In futuro uerò iudicio ex ea parte obliuiscuntur, quæ nũc remunerantur: & ex ea parte recordantur, qua nunc non flagellantur. Babylon ergo magna, corpus uidelicet diaboli, unde nũc obliuiſci meruit, inde tunc ad memoriam redit: ut scilicet illic æterna flagella suscipiat, quæ hic cũ electa ciuitate temporaliter affligi uerberibus recusat. Ansbertus lib. 7. cap. 16. Apocal. Item: Cum sit Deus natura incommutabilis, nequaquã obliuiscens uel recordans: humano tamen more (ut suprà plenius disseruimus) Scriptura sancta paruulis congruens loquitur. Quorum enim peccata ferire dissimulat, quasi obliuiscitur: sed cum peccata reproborum, quæ diu tacens tolerauit, in publicum examen deducens damnat, quasi recordatur eorũ. Vt enim illic recordentur, hic obliuiscuntur: id est, ut illic damnentur, hic non feriuntur. At contrà, electorum hic recordatur delictorum, quia duris ea flagellis insequitur: illic uerò obliuiscitur, quia illa quę iam in præsenti percussit, non uult ut rursum peccata damnentur. Ansbertus libro octauo, capite decimoseptimo.

Theophylactus: Quemadmodum dormire dicitur Deus, & uigilare, & manus habere, & pedes, humano more: sic etiam anima illi tribuitur. Habacuc secundo: Si trepidauerit, non oblectatur anima mea in ipso. Est igitur anima uerbi Dei, quod ad nos in terram descendit, & caro factum est. In prophet. Habacuc, capite secundo. Et: Velle aliquid Deum, lex est & mandatum necessariò complendum. Idem, Ionæ cap. 2.

DE CREATIONE.

DEum creasse omnia, docet Giselbertus: Opus Dei est, essentiam rerum ex nihilo creare, & materiam rerum in formam disponere, motum autem rerum sub certo ordine temperare. Igitur tria hæc ad opus Dei pertinent: id est, essentia rerum, forma & ordo. In lib. Alterc. cap. 4. Item: Verbum in patre cum patre, Deus in Deo sine tempore & loco, omnia localia, cuncta temporalia absq; sui mutabilitate uel defectu procreata ordinauit, suis singula generibus & speciebus ad effectum suæ conditionis & proprietatis distinxit: & per uerbum non transitorium uel commune nobis, sed æternum ad uoluntatem & effectum gratiæ creatricis, ut placuit, cuncta perduxit. in libro Altercat. capite uigesimo primo. Ansbertus: O quàm magnũ & admirabile est, cuncta Deum per uerbum ex nihilo creasse, cœlestia simul & terrestria, uisibilia & inuisibilia, sensibilia & insensibilia, rationabilia & irrationabilia. lib. 7. cap. 15. Apocal. Radulphus: Deus creator noster, qui mortem non fecit, nec delectatur in perditione uiuentium, humani sanguinis effusione non gaudet: sed quicunque effuderit, inquit, humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. libro 20. capite 2. in Leuitic.

De materia mundi inquit Giselbertus: Intelligendus est Deus de materia quidem informi fecisse mundum, sed simul etiam eam creasse cum mundo. in lib. Altercat. capite 3.

De tribus cœlis, inquit Theophylactus: Facit tres cœlos. 1. Ethicum. 2. Philosophicũ. 3. Theologicũ. Est enim Theologica scientia, quando quispiã comprehensibilem mensuram, quatenus ad ipsum attinet, rerũ diuinarũ, humanam cognitionem excedentiũ captus & perceptionis, præueneritque contemplationem. In diuinis rebus torpet & ociosius est omnis intellectus humanus, rapto homine, & à Deo comprehenso, ut ab illo agatur, & opus accipiat. in 2. epist. ad Corint. cap. 10.

De boni-

De bonitate. Radulphus: Sciendum uerò, quòd omnis creatura Dei bona est, præter illam quæ proprio uitio deprauata est, ut homo malus & angelus malus. Vnde & in Genesi scriptum est: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. libro 8. capite primo, in Leuit.

Quomodo omnia creata sint, Theophylactus docet: Verbo Dei quod factum est, ut producerentur ex ijs quæ non sunt, ex nihilo ea quæ sunt, omnes creaturæ nimirum. in epistolam ad Hebræos, cap. 11.

De fine mundi inquit Ansbertus: Propter hominem factus est mundus, spiritus propter Deum, corpus propter spiritum: ut spiritus Deo subijceretur, spiritui corpus, corpori mundus. in libro Altercat. cap. 5. Et Giselbertus inquit: Condidit Deus cæteras creaturas propter hominem, non quòd homo opus haberet illis in eo statu, in quo cõditus erat: sed in eo, ad quem per uenturus erat. Verùm nihil habemus quod in creatura Dei reprehẽdere debeamus, et si rationem scire non possimus. in lib. Altercat. capite quarto.

De ætate mundi inquit idem: Prima ætas ab Adam ad Noe protenditur, habens annos 2242. Secunda à Noe ad Abraham, habens 912. Tertia ab Abraham ad Dauid, habẽs 910. Quarta à Dauid ad transmigrationem Babylonis, habens annos 433. A` transmigratione autem ad Christum quinta ætas, habens annos 526. in lib. Altercat. cap. 3.

Iridis significationem exponit Ansbertus: Potest per Irin, quæ arcus uocatur, geminum mediatoris nostri iudicium, quo mundum examinat, intelligi. Arcus enim, cum in nube apparet, ex parte est cæruleus, & ex parte rubicundus: qui nimirum colores aquæ & ignis speciẽ reddunt. In aqua igitur diluuium præcedens, in igne uerò concremationem seculi uentura demonstratur. Potest etiam per Irin, quæ aquæ & ignis speciem habet, non inconuenienter baptismum atq; martyrium figurari: in aqua scilicet baptismũ, in igne uerò martyrium. Ansbertus libro quinto, capite 10. Apocal.

Deum gubernare mundum, Theophylactus docet. Postquã dixit de opificio, quòd omnia per ipsum facta sint: dicit postea & de eius prouidentia, quòd non solum condiderit, sed etiam ipse sit is qui uitam omnium creaturarum conseruet. in Ioh. cap. 1.

De prouidentia Giselbertus ait: Quicquid Deus uoluit, & quomodo uoluit, fecit: aliud uas in honorem, aliud in contumeliam, salua semper sua iusticia: qua sicut nulli debitor est, ita quos uult, misericorditer ad beatam uitam prædestinat, & quos uult ad damnationẽ iustè relinquit: ut etiam si nullus inde liberaretur, nemo tamen posset diuinam uituperare sententiam. in libro Altercat. cap. 4.

De præscientia Dei, inquit Giselbertus: Licèt diuina potentia hominem in eo, in quo nunc est, statu nõ fecerit: tamen quando eum fecit, statum illum attendit, non in quo tunc erat, sed ad quem per liberum arbitrium peruenturus erat, in quo his omnibus indiguit. Attendit & uidit, imò præuidit: nec tamen hæc Dei præscientia peccandi necessitatem protoplasto intulit. in libro Altercat. capite quarto.

De electione inquit Smaragdus: Hæc est illa ineffabilis gratia. hæc quippe electio gratiæ est Dei, de qua dicit Apostolus: Sic & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Quid ergo dicturi sumus audiendo: Non uos me elegistis? nisi quia mali eramus, & electi sumus, ut boni per gratiam nos eligentis essemus? Et uidere, quemadmodum non eligat bonos: sed quos elegit, facit bonos, Ego, inquit, elegi uos, & posui uos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus uester maneat. Nullum itaque fructum, unde nos eligeret, habemus: Vt eatis, inquit. Imus, ut afferamus: & ipse est uia qua imus, in qua nos posuit ut eamus. Proinde in omnibus misericordia eius præuenit nos. in Euangelium Iohannis, capite 13.

De prędestinatione Ansbertus ait: Quis est liber uitæ agni, in quo istorum nomina non merentur asscribi, nisi uis quædam diuina, qua ante mundi constitutionem, ad uitam æternam sanctos prædestinauit futuros. libro sexto, capite decimotertio, in Apocal. Ibidem: Liber prædestinationis, sicut fixa æternitate electos tenet asscriptos, ita nequaquam ulla ratione reprobos admittit scribendos. Sed cur hoc? Si à me quæritur, citius respondeo: quia Deus summè bonus & clemens & iustus est. clemens, quia gratis quosdam saluat peccatores: iustus, quia propter meritum reprobationis, non sine iusticia damnat iniquos. Dignè quæreret homo, cur omnipotens Deus alios in libro uitæ scribit, alios uerò ne scribantur repellit, si ex illa massa iniquitatis unus natus, suo merito saluaretur homo. Nemo quippe ut diuina illum gratia subsequatur, prius aliquid contulit Deo. Item: Nemo Deum meritis præuenit, ut tenere eum quasi debitorem possit: sed miro modo æquus omnibus conditor, & quosdam in libro uitæ scribendos præeligit, & quosdam in suis reprobris moribus damnando iustè de relinquit.

relinquit. Nec tamẽ electis ſuis pietatem ſine iuſticia exhibet, quia hic eos duris affectionibus premit: nec rurſum iuſticiam in reprobos ſine miſericordia exercet, quia hic eos æquanimiter tolerat, quos quando que in perpetuum damnat. Si ergo & electi præuenientem ſe gratiam ſequuntur, & reprobi iuxta quod merẽtur accipiunt: & de miſericordia inueniunt electi quod laudẽt, & de iuſticia non habent reprobi quod accuſent. Hæc Ansbertus lib. 6. cap. 13. Apocal. Item: Liber uitę, uis quædã diuina eſt, qua ante ſecula electos prędeſtinauit ad uitam æternam. Vt quid uerò perditorũ nomina in libro hoc non inueniuntur ſcripta, niſi quia in partem beſtiæ futuri, atq; ab electorum corpore ſeparandi, diuina prędſcientia ante ſecula ſunt prægogniti, quamuis electos ſe noſſe, & reprobos ignorare ſe dicat. Ansber. lib. 8. cap. 17. Apocal. Theophylactus ait: Prægnoſcit uel præſcit Deus eos, qui uocatione digni ſunt, deinde ſic prædeſtinat. prior itaq; eſt præſcientia, poſtea ſequitur prædeſtinatio. Prædeſtinationem autem intelliges impermutabilẽ Dei bonam uoluntatem. Prænouit itaq; Paulũ uocatione dignum eſſe, ſicq; præfiniuit ſeu prędeſtinauit: hoc eſt, impermutabiliter decreuit, adeoq; ſtatuit uocare ipſum. Conformes igitur efficit imagini filij, quos præno ſcit dignos. In epiſtol. Pauli ad Rom. cap. 8. Et Smaragdus: Ipſa eſt igitur prędeſtinatio ſanctorum, quæ in ſancto ſanctorum maximè claruit: quam negare quis non poteſt, recte intelligentium eloquia ueritatis. Nam & ipſum gloriæ Dominum, in quantum homo factus eſt Dei filius, prędeſtinatum eſſe dicimus. Clamat doctor gentium in capite Epiſtolarũ ſuarum, de filio Dei: Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid, ſecundum carnem: qui prædeſtinatus eſt filius Dei in uirtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum. Sicut ergo prædeſtinatus eſt ille unus, ut caput noſtrũ eſſet: ita multi prædeſtinati ſumus, ut membra eius eſſemus. uocat enim Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, ut eos faciat membra prædeſtinati unici filij ſui. In Epiſtol. Pauli ad Rom. cap. 1. Item: Prædeſtinare non idem eſt quod præſcire, quia præſcientia prędeſtinationẽ ratione præcedit. Nam quos præſciuit bonos, prædeſtinatione reddit beatos. Ergo quos præuidit conformes Chriſti futuros in uita, uoluit atq; propoſuit ut fierent conformes in gloria, ſicut dixit: Qui cõfigurabit corpus humilitatis noſtræ, conforme corpori claritatis ſuæ. Smaragdus in epiſtol. Pauli ad Roman. cap. 8.



## DE ANGELIS BONIS.

APpellationes Angelorum ſic expoſuit Ansbertus: Quia enim primo in tẽpore creata natura rationabilum ſpirituũ creditur, non immeritò matutina altra angeli uocantur. lib. 2. cap. 2. Apoc.

Eſſe creatos, Theophylactus docet. Angeli quidẽ creaturæ ſunt, & opera. de ipſis itaq; dictum eſt: Qui facit, Filius autem nõ. In epiſtol. ad Hebræos, cap. 1.

Eſſe immortales. idem: Angeli eſſi immortales ſint, hoc tamen non natura, ſed gratia poſſident: itaq; non habent, ſed participant ad Timoth. cap. 6.

Quando ſint creati, Giſelbetus indicat. In prima lucis conditione intelligimus angelos factos ab ęterna luce, quibus oſtendebat quod deinde facturus erat. in lib. Alter. cap. 3. Item Ansbertus ait: Conſtat autẽ, angelos prima die conditos, hominem uerò ſexta die ad imaginem Dei formatum, lib. 5. cap. 12. Apocal.

De Angelorum naturis adſcribimus locum Giſelberti, qui ſic inquit: Angelica natura bona quidẽ condita eſt, ſed mutabilis: ut in altero quòd bona creata eſt, creatorẽ ſuum agnoſceret: in altero, quia mutabilis, ſuperbiæ lapſum humiliter prouideret. Igitur inter cadentes & ſtantes medium erat arbitrium, non neceſsitatis ex conditione inſolubile uinculum, ut ſola uolũtas in ea aut pœnale iudicium, ſi ruerent: aut gloriã ſancti meriti ſubiret, ſi perſiſterent. Voluebat ergo cardo liberi arbitrij conditionem naturæ angelicæ, ut ruentes natura non excuſaret: nec ſtantibus quod in munere acceperant, excideret. Malorum itaq; caſus, bonorum factus eſt firmior ſtatus, ut eo in amore diuino perſiſtentiũ uirtutis culmen augeretur, quo peruerſa cadẽtium uoluntas profundius in exitiabile malum ruerat. Sicut igitur prius cœlum, poſtea firmamentum dictum eſt: ſic boni angeli cœli nomine deſignati, firmamentum quoddã facti ſunt: quia ne unquam à ſtatu ſuo ruerent, diuinitùs acceperunt. Data eſt igitur Angelicæ naturæ ſubſtantia ſimplex & immaterialis, diſcretio perſonalis, intelligentia rationalis, & libera inclinandæ uoluntatis ſiue ad bonum ſiue ad malum indulta poteſtas. Itaq; ad ſubſtantiam eorum pertinet naturæ ſubtilitas: ad formam, intelligentiæ claritas: ad poteſtatem, motus intelligibilis, & appetitus & uoluntatis rationalis habilitas. Habebat enim ipſa angelica natura in eſſentia ſua & in forma differentias & gradus, in ipſo mox exordio conditionis ſuæ, quibus alij ſuperiores, alij inferiores poſſent conſtitui, ſecundum moderationẽ ſapientiæ cuncta bona creantis & ordinantis Dei

tis Dei. Proinde superiores spiritus sine superbia sunt alijs prælati, inferiores sine miseria sunt subiecti. Quòd igitur spiritus erant, quòd uita erant, quòd immortales erant, æquale omnibus erat: quòd uerò natura potentes erant, quòd essentia subtiles, quòd intelligentia sapientes, & libertate uoluntatis prompti ad utrumlibet & habiles, non æquale omnibus erat, & tamen sufficienter erat. Deniq; hæc inuisibilis discretio naturarum, gibilium inuisibilis discretio naturarum, quanta uel qualis sit, ille ponderat, qui creat in potentia, ordinat in sapientia, dirigit in bona uoluntate, semper propitia creaturæ. In lib. Altercat. cap. 3.

Quis mittat angelos, docet Theophylactus: Filius etiam angelos mittit, sicut & pater. Ergo est æqualis Deo & patri. In Marcum, capite 13.

De angelorum officio inquit Ansbertus: Non est dubium, quòd de reparatione generis humani ipsi quoq; angelici spiritus in læticiam fuerint conuersi, qui prædudum homines à suo consortio deputabant extraneos. unde & nato Redemptore, angelus pastoribus apparet, eosq; claritas Dei illustrat: quo apparente, multitudo militiæ cœlestis exercitus illi adiungitur, & communi exultatione Deum collaudant, dicentes: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. lib. 3. cap. 5. Apocal. Et: Fratres itaq; dicimus angelos & homines, non natura, sed dignitate, sed æqualitate, sed futura beatitudine. Idem lib. 5. cap. 12. Apocal. Et Theophylactus ait: Angeli sunt hominum præsides, ne damnillis fiat à dæmonibus. Omnes enim homines, & maximè fideles, suos angelos habent. angeli aũt pusillorum & humilium in Christo, usqueadeò familiares sunt Deo, ut faciem eius per omnia uideant, coram ipso stãtes. Apparet aũt ex hoc, quòd licet omnes angelos habeamus: angeli tamẽ peccatorum, quasi propter nos confusi, minus fidentes sunt: neq; ipsi possunt tam liberè uidere faciem Dei, & precari forsitan pro nobis. Humilium autem angeli, hi semper uident faciem Dei, & fortè pro nobis orãt. In Matth. cap. 19. Item: Angeli sunt conserui, ofores mali, & amãtes boni. Matthæi cap. 18. Item: Angeli omnino iuxta uoluntatem Dei operantur. Luc. cap. 11. Item: Angeli sunt spiritus ministratorij, qui mittuntur in ministerium propter eos qui salute digni sunt. Illi enim uestiunt à peccato reuertentem stola prima, quã priusquã peccaremus gestabamus, indumento scilicet incorruptionis: uel dignitate, qua præstat alijs omnibus, ut baptismi dignitate. Idem Luc. cap. 15. Et: Angeli uirtus est, nihil proprium dicere. idem in Iohan. cap. 1. Et: Cuilibet, etiã ijs qui in ecclesia parui sunt, angelus segregatus & attributus est, uti dicimus. Theophyl. in prophet. Naum, cap. 1.

Differunt à Deo. Giselbertus: Sicut amictus non est de corpore: sic angeli, licet uerum lumen habeant Deum in se, non sunt tamẽ illa lux quę ipse. In lib. Altercat. cap. 3.

De linguis angelorum inquit Theophylactus: Paulus ad Corinth. 13 dicit, Si linguis angelorum loquar. Non quòd angeli habeant linguas, sed ut quiddam quod humanis linguis excellentius esset indicaret. Angelis porrò lingua est spiritualis, uis nimirum illa qua sibi mutuò diuinarum rerũ intellectum, ac diuinas cogitationes imperiunt. Neq; ossa & neruos habent angeli, sed summam subiectionem indicauit. In epist. Pauli ad Corinth. cap. 13.

## DE DIABOLIS.

Plura nomina Diabolorum recitat Giselbertus. Sathanas inde uocatur, quia statim ut creatus est, Deo aduersari cœpit. Inde diabolus, deorsum fluens: inde leo, propter immanissimas persecutiones: ursus, ex crudelitate: draco & serpens, ex suggestione & seditione. Sicut ergo Dominus cognoscitur ex operibus suis, & ex seipso magnificentius, quando gratia præcellenti dilectam cuiuslibet animam uisitat, & suaui dulcedine sibi copulat: sic draco iste occultè & apertè cognoscitur. occultè per se, per membra sua manifestè. In lib. Altercat. capite decimonono.

Ansbertus ait: Et ecce draco magnus, rufus. Nulli dubium, quin per draconem antiquus hostis figuretur, qui & propter maliciam draco, & propter insidiarum multiplicitatem magnus, & propter homicidiũ rufus uocatur. Ille enim homicida erat ab initio. lib. 5. cap. 12. Apocal. Et: Hostis noster, propter maliciam draco, propter immanitatem sceleris, magnus: propter occultas insidias serpens, propter seductionis diuturnitatem antiquus, propter lapsum & accusationem diabolus uocatur. Diabolus enim, & deorsum fluens, & criminator sonat. Idem, lib. 5. cap. 15. Apocal.

Item: Propter maliciam, dæmones: propter carnis autem illecebras, spiritus immundos: propter mentis uerò elationem, uolucres posuit. Idem lib. 8. cap. 10. Apocal.

Angelos malos, Radulphus uocat criminum incentores spiritus. lib. 19. cap. 8.

Theophylactus: Diabolus dicitur, quòd accusat & infamet Deũ apud Adam. Dixit enim illi: Deus uos odit. & nunc uirtutem apud nos calumniatur. In Matt. cap. 4. Et: Immundi dicuntur mali spiritus, eo quòd

omnibus fœdis operibus delectantur: perditionemq; suam existimat dæmon, egredi ab homine. Dæmones enim, quia omnis misericordię expertes sunt, malũ quiddam sustinere se putant, nisi permittatur eis affligere homines. Insuper quoniam & carnem amant, & pasci solent materialibus uaporibus, magnam ferunt inediã, nisi in corpore habitent. Idem in Marc. cap. 1. Item: Lupus spiritualis inimicus, quẽ & leonem nominat Scriptura, & scorpium & serpentem: qui rapere quidem oues dicitur, quando per mala opera quasdam deuorat: dispergere autem, quando per malas cogitationes confundit animam: qui & fur meritò dicitur, furans per malas cogitationes, mactans per consensum, perdens per opus. Confertur enim maliciæ cogitatio, furto: consensus autem in malam concupiscentiam, diabolicæ mactationi: opus autem malum, perditioni. Idem in Iohan. cap. 10. Et: Quid est sathan? Contrapositus uel aduersarius dicitur Hebræa uoce. Theoph. in epistol. Pauli 2 Corint. 12. Smaragdus ait: Diabolus Græcum uerbum est διάβολος, quod latinè dicitur criminator: lingua uerò Hebraica שָׂטָן Sathan appellatur, aduersarius siue contrarius: & ab Apostolo Belial, hoc est, absq; iugo, quòd de collo suo Dei abiecerit seruitutem. quem Aquila Apostatam transtulit. Nolite itaq;, ait, dare locum diabolo: id est, irascendo, uel quolibet alio modo peccando. Locus enim diaboli, peccatum est. Diabolus enim tanquã leo rugiens quærit aditum, quem possit irrumpere: & cũ locũ dederimus, ingreditur. Solet autem antequã ueniat, quædã iacula præmittere, & præcursoré aductus sui facere cogitationẽ: hanc si nos in corde nostro susceptam nutrierimus, & ipse intrare audebit. in epistol. Pauli ad Ephesios, cap. 4.

Vnde diaboli sint mali, exponit Giselbertus: Quia angelo malo malicia accessit, mutata bona natura in malũ, per malã uoluntatẽ ipsa malicia accidés eius fruit: quia si in bono, in quo creatus erat, persisteret, malicia in eo locum non haberet. In lib. Altercat. cap. 3. Et: Cecidit angelus, & factus est diabolus, à bonis discretus angelis, sicut tenebræ à radio lucis. Diuisio igitur talis inter angelos malos & bonos, tã immutabilis facta est, ut nec boni unquam cadant, nec mali unquã angeli resurgant. Fuerunt enim ex prima conditione lucentes angeli, & suo uitio facti sunt dæmones tenebrosi. in lib. Alterc. cap. 3. Radulphus: Sciendum uerò, quòd omnis creatura Dei bona est, præter illam quę proprio uitio depraua ta est: ut homo malus, & angelus malus. lib. 8. cap. 1. In Leuiticum.

Quare peccatum diabolorum non sit expressum in Sacris literis, Giselbertus declarat, dicens: Peccatum angeli tacitum, quia incurabile: hominis patefactum, quia curandum. in lib. Altercat. cap. 5.

Quod ex cœlo pulsi, Theophylactus indicat: Diabolus princeps olim de cœlo decidit, & nullam fortitudinem habet. Decidit autem sicut fulgur, quia lux erat, & angelus & lucifer, ac in tenebras decidit. Quidam autẽ sic intelligunt, De cœlo: hoc est, de gloria. in Lucam cap. 10.

Cur diabolus in terris sit relictus, Theophylactus monet: Quia certamen est uita nostra, noluit Deus extra hanc uitam dæmones esse: ut certãtes nobiscum, nos probatiores monstrarent. in Marc. cap. 5.

Vbi degant diaboli. Theophylactus: Cũ diabolus sit Spiritus, in aere ueluti spiritu commoratur, ac hactenus potestatem habet, atq; potentiam, princeps eorum qui sese ipsi subijciunt. Nonnulli principem aeris aerearum potentiarum intelligunt. Vnde & intulit, Spiritus: hoc est, iuxta principẽ & dominationẽ omnis in aere uersantis spiritus. in epist. Paul. ad Ephes. cap. 2.

De proprietatibus diaboli inquit Theophylactus: Dæmon duabus malis affectionibus tenetur, audacia & timore. Nam quod dicit Lucæ 8. Quid mihi & tibi? audacis est & impudentis serui. Quod uerò dicit, Obsecro te: timentis est. Habitat autem in monumentis, ut malam suspicionem in generet hominibus, quòd animæ morientium dæmones fiant. Porrò petunt dæmones, ne in abyssum ingrediantur, sed in reliqua permittantur ultrà uersari. Et Dominus permittit illos esse in terra, ut certamen habeãt cum hominibus, & probatiores illos reddant. nam si non essent aduersarij, neq; coronæ essent. In Luc. cap. 8.

De miraculis diaboli. Mortuorũ suscitationẽ falsè & apparenter facere potest diabolus, ut seducat imprudentes, seminans doctrinas de inferno, dignas sua malicia: at eis qui Scripturas probè scrutantur, nihil potest eludere. Theophylactus in Luc. cap. 16. Et: Dæmones etiam possunt miracula simulare, & apparenter facere: præscientiam autem futurorum, & prædictionem euidentem, nullus habet, neq; angelus, & quanto minus dæmones? Idem in Iohannem, cap. 1.

De conatib. diabolorũ inqt Giselbertus: Nẽroth cultor Babyloniæ, princeps superbię, typus diaboli est, animas hominũ uenatis. in li. Alter. ca. 7. Itẽ: Ipse antiquus hostis retibus suis, canib. & laqueis diuersis uenator est animarũ. in lib. Alterc. ca. 10. Itẽ: Diabolus semper paratus est ad extinguendũ uerbum

uerbum Dei, semper uictus est uerbo Dei, semper insidiabatur mulieri prægnanti, id est, Ecclesiæ Christi aduentum desideranti, siue bellis apertis, ut in Antiocho: siue insidijs occultis & erroribus, ut in hæreticis. In lib. Altercat. cap. 19. Et Ansbertus inquit: Cunctis uera scientibus liquet, quia apostata ille spiritus, gloriam quidē beatitudinis perdidit, sed naturæ fortitudinem nō amisit. lib. 6. cap. 13. Apocal. Et: Quan quam ab ipso Redemptoris aduentu bellū certaminis contra Christum & Ecclesiam diabolus cum suis inierit: uersutius tamen, atq; ualidius tunc pugnam instaurat, quando nouissimis diebus seculi, diuino solutus iudicio, proprijs uiribus efferatur. Idem lib. 9. cap. 19. Apocal.

Radulphus ait: Malū luxuriæ aut cogitatione perpetratur, aut opere. Callidus nāque aduersarius noster, cum ab effectu operis repellitur, secreta polluere cogitationis molitur. Vnde & serpenti à Domino dicitur: Pectore & uētre repes. Serpens uidelicet uentre repit, quando hostis lubricus per humana membra sibimet subdita, usq; ad expletionem operis luxuriam exercet: serpens autem repit pectore, quando eos quos in opere luxuriæ non ualet, polluit in cogitatione. lib. 6. cap. 1. in Leuiticum.

Et: Pascuntur maligni spiritus mortibus nostris: & gratum est eis sacrificium, cum homo sic corpore moritur, ut ad æternum interitū spiritus pertrahatur. Idem lib. 20. cap. 2. in Leuiticum.

Theophylactus inquit: Omnia mala humanis corporibus Sathan infert, quando ei à Domino permittitur: quando quidem nobis & ab initio autor fuit, ut ab incorruptione, in qua conditi fuimus, excideremus, & infirmo passionumq; capaci corpo alligati essemus. in Lucam capite 13. Itē: Dęmones peccati sunt milites, qui censenturq; septuaginti milia, contra nostra decem millia. Nam incorporei sunt, & pugnant contra nos, qui in corpore sumus: unde & maiorem uirtutem habere uidentur. Quamuis autem uideantur fortiores, nos tamen resistere poterimus. In Deo enim (inquit) faciam uirtutem. Idem in cap. 14. Luc. Et: Nunquam adeò pudefactus est diabolus. expectans enim Christum tenere, quos alios habuit amisit. Omnia enim fecisset diabolus, si potuisset persuadere mortalibus, Christum non esse mortuum. Hęc enim ingens diaboli fuit strages ac dissolutio, hominem omnis peccati expertem, qui peccare non potuit, morti subiugare. Hinc & Sathanas innumeras hæreses excitauit, mortem eius ficticiam, ac in specie apparentem fuisse falsò docens. Idem in epist. Paul. ad Colos. cap. 2. Et: Sathanas, si non posset semel quempiam ab honesto auocare, uel dementiam ei inducit, uel uanam gloriam: aut si neq; hæc possit, murmurationem, aut dubitationem, & incredulitatem. Idem ad Philip. cap. 2. Et: Sathanas si inuenerit tempus tentationis, turbat minimè firmatos quietis & remissioris uitæ suggestione, ut à contristante, adeoq; mœrente resiliant. Idem ad Thessalon. cap. 3. Item: Sathanas assumptis peccatoribus ad castigationem, terribilis est, & horridus, & conspicuam propriam maliciam ostendit, adeò abutens diuino figmento seu creatura, per hoc suam animi erga conditorem iracundiam & inimicitias prodens. Idem super prophetam Habacuc, cap. 1. Et: Diaboli cor super mortalium internecione gaudio reficitur, ceu multos acquirat lapsus sui à Deo consortes. Idem super Habacuc, cap. 1. Et: Diabolus nō tantam hamo gratiam habet, hoc est cogitationi uoluptatem inescationis uice obijcientem: quātam reti, hoc est adsensui, & sagenæ effectus. Effectus enim & opus mali, plus corporis & spissitudinis habet, æquè atq; sacrificium lucidius quippiā est ipso suffitu. Posteaquam autem plerosq; sanctorum & electorum Dei, dirus hic, uehemens & uafer hostis irretit sagena sua, falsi turbidique huius maris piscator, meritò dictum est cibos eius esse lautos, electosq;. Tales enim in primis uenari studet. Hunc ad modum Iudam elegit Dominus: ipse uerò Sathanas, sagena auariciæ multa congreganti eum sibi uendicans, ac sui iuris planè faciens, sibiq; subdens, cibum suum facit. Perinde enim ut hominum cibus est salus à Deo parta: sic epulæ Sathanæ, hominum est interitus. Quinetiam Israelitas, qui pars Dei erant, adeoq; portio præclara, sibi subdit: ac eos qui electi Dei erant, permutauit in deicidas & occisores Dei. Ibidem, cap. 1. Et: Pluto infernalis ille propriè turgidus fastu & contemptu, pater est superbiæ: qui etsi humanam naturam occiderit per peccatum per Adam perpetratum, ac dilataue rit, seu latè aperuerit animam suam, non tā tum contra peccatores procedens, uerùm etiam contra iustos, adeoq; infantes (regnauit enim mors super eos qui non peccauerant) tamen in finem usq; non perducet. Christus enim nobis impeccabilis, & sine peccato apparuit, ac dissoluit peccatū per Adam in nos transfusum. Propterea & iniustè mortuus, & excitatus ex mortuis, eò quòd nō erat possibile teneri à morte principem uitæ. Idem Habacuc, cap. 2. Item: Dæmonum uisio seu aspectus est instar lampadum per naturam. Videbā enim, inquit,

Sathanam de cœlo ut fulgur cadentem: forsan propterea, quòd transformatur in angelum lucis: uel, quòd fulgura & corruscationes discurrent in regione sub cœlo, tanquam illic prodeambulent: siue quòd corruscationes non sint stabiles, sed discurrantis naturæ, hoc est facile extinguâtur: sic lumen Sathanæ, in quod efformatur, circa cunctationem extinguitur, iuxta id quod dictum est, Lumen impiorum extinguitur. idem in prophet. Nahum, cap. 2. Et Smaragdus: Quidquid boni seminis uicina talis uiæ contigit, pessimæ cogitationis meatu conculcatum à dæmonibus eripitur: quia uolucres cœli, siue quia cœlestis spiritalisque sunt naturæ, seu quia per aera uolitant, appellantur. In euangelium Lucæ, cap. 8. Et: Hinc enim ostendit, diabolum principem esse peccatorum hominũ, non creaturarum Dei: & quotiescunq; mũdi fuga in mala significatione ponitur, non ostendit nisi mundi istius autores, & non Dei. Absit enim ut credamus, principẽ esse cœli & terræ & creaturarum omniũ, quę generaliter mũdi appellantur. Totus itaq; mũdus seruit suo creatori, nõ deceptori: redẽptori, non interemptori: & regitur dispensatione diuina, non inimici uersutia subuertitur, præter homines, partes illius, qui propterea uolũtate, nõ necessitate aliqua se subijciũt diabolo. Vnde & Apostolus ait: Nõ est nobis colluctatio aduersus carnẽ & sanguinẽ, id est aduersus homines: sed aduersus potestates & rectores tenebrarũ harũ, id est peccatorũ, qui in tenebris manẽt iniquitatis, quos rectores angelos esse deserto res designãt: sed sunt qui per gratiã Dei, nõ proprijs meritis inde eruũtur. de quib. ait Apostolus: Fuistis enim aliquãdo tenebræ, nũc autẽ lux in Domino, ut filij lucis ambulate: sed gratia Deo, qui eruit nos (sicut idẽ dicit Apostolus) de potestate tenebrarũ, & transtulit in regnũ filij claritatis suæ, in quo & princeps huius mundi, hoc est tenebrarũ harum. non habebat quicquam: quia neq; cum peccato Deus uenerat, nec eius carnẽ de peccati propagine uirgo pepererat, & tã quã ei diceretur. in Euãgeliũ Iohan. cap. 14.

Christus nos liberauit à diabolis. Theophylactus: Ante mortẽ magnũ ius fuit diabolo in animas. A' quo autẽ tempore filius non inferno, sed paternis manibus commendauit spiritum, libertatem assecuti sumus ab inferno. In Luc. cap. 23.

Quomodo eijciantur diaboli. Theophylactus: Per baptismum eijcitur malus spiritus, & uadit ad loca inaquosa, & animas non baptisatas: sed in illis nõ inuenit requiẽ. Requies est autẽ dæmoni, baptizatos turbare per mala opera, quoniã non baptizatos iã habet: conuertitur igitur ad baptizatos. Sicut enim septẽ spiritus sunt dona: ita e diuerso septem sunt maliciæ spiritus. Quũ autem ingressus fuerit in baptizatũ, deterior fit calamitas. In Euangelium Matthæi, cap. 12.

Quomodo sit pugnandũ cõtra diabolũ, Ansbertus docet: Si quærimus quæ sint arma Ecclesię, quod pręliũ contra bestiã inueniemus fidẽ & innocentiã. Gladio enim bis acuto, id est duobus testamẽtis, & duobus charitatis prœceptis, cõtra lupos agni utuntur: dumq; falsa audiũt, uera prædicant: dũ tormenta excipiunt, fidem proferunt. hinc proinde uictores existunt, etiam cum moriuntur. lib. 5. cap. 11. Apocalyp.

## DE HOMINE.

DE duplici homine inquit Radulph. Homo cũ sensibus suæ carnis deditus, à spiritualiũ contẽplatione excluditur, animalis seu carnalis appellatur: econtrà uerò, si spiritualiũ trahitur pulchritudine, si in sapiẽtię amplexu ęstuãs, uoces illas suas facit: Hanc amaui & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui mihi sponsam assumere eã, & amator factus sum formæ illius. Audiet ab Apostolo: Vos in carne non estis, sed in spiritu. unde & spiritualis, seu etiã spiritus, qui eiusmodi est, nuncupatur. lib. 2. cap. 4. in Leuit. Animalem hominem Scriptura dicit eum, qui iuxta naturam uiuit, & humanis rationibus regitur: ut si quando esu riens comedit, odio habeat inimicum: & in summa, si nihil supra hominem appareat: Spiritualem uerò, qui transcendit leges naturæ, & non humano more sapit. Theophylactus in Luc. cap. 1. Item: Homo cum ex duobus constat, ex corpore & anima, habet natiuitatis quoq; modum duplicẽ. Aqua enim, si uisibiliter accipiatur, ad corporis pertinet purificationẽ: spiritus uerò inuisibiliter cõcurrens, ad inuisibilis animæ regenerationẽ pertinet. Idẽ in Iohannem, cap. 3. Et: Ex duobus homo compositus est, uidelicet ex anima & carne. Horũ alterum, anima uidelicet, imperiũ habet in omnibus: caro autem serua est. Quicquid igitur anima elegerit, caro persequitur. æquè ac si quis dicat: Non est hic in citharæ do. Non pulsatio, uel sonus, sed in citharœdo. Non enim citharam reprehendit pulsatio. uerũ enim artificis excellentiam ad instrumentum ponit. Idem in epist. Pauli ad Roman. cap. 7. Item: Animalis homo est, qui omnia animæ suę cogitationibus & ratiocinationibus tribuit: neq; sese indigere censet sapiẽtia, quę desuper cordi nostro ex cœlis illabitur, qui neq; fide quicquam accipere uult: cæterùm omnia stulticiam arbitratur, quæ demonstrationẽ non admittunt. Cum stai gi-

ta igitur naturali quadã cõsequutione fieri existimantẽ, neq; quicquã supra naturã effici iudicantem, animalem hominem uocat Paulus: hoc est, naturalẽ. Anima enim circa naturæ gubernationem & œconomiam uertitur & uersatur. Idem in epist. Pauli ad Corinth. cap. 2. Item: Medici forsitan aliter distinguũt animalem hominẽ & spiritualem: sed nobis Scriptura cordi est: medici uerò ualeant. Idem in Luc. cap. 1.

De hominis generatione, Smaragdus ait: Prima hominis conditio, quia primus homo non est natus, sed factus. Secũda, de latere uiri. Tertia, ex uiro & fœmina. Quarta, Dei & hominis, sine uiro de fœmina. Iãro sine fœmina: Tertia, de uiro & fœmina. Restabat quarta, sine uiro de fœmina. sed ista quarta liberauit tres: factum sub lege, uteos qui sub lege erant, redimeret. Ipse enim sub lege tamdiu fuit, donec baptizatus, noui Testamenti inciperet Euãgelion prædicare: qui si sub lege factus non esset, non facilè Iudæos ad obedientiam prouocare potuisset. In Epistol. Pauli ad Galatas, cap. 4. Et: Neq; enim corruptio alij cuiquam nisi corpori dominatur. nam ille interior homo, qui secundum Deum creatus est, & ad imaginem Dei factus, incorruptibilis est, & inuisibilis, & secundum propriam sui rationem etiam incorporeus dici potest. Exterior uerò homo & corporeus & corruptibilis dicitur, propter quod & Paulus dicebat: Nam etsi is qui deforis est homo noster corrumpitur, sed qui intus est renouatur. Interioris autem hominis renouatio, ut pote qui est rationalis, & mens in cognitione Dei & capacitate sancti Spiritus. Idem in epistol. Pauli ad Roman. cap. 8.

De materia hominis inquit Giselbertus: Deus fecit hominem ex duplici substantia, corpus secundum materiam de terra fugens, animam uerò sine materia fingens. In lib. Altercat. cap. 3.

De forma hominis inquit Giselbertus: Sola rationalis creatura ad similitudinem Dei facta legitur, licet omnis creatura in ratione & prouidẽtia Dei facta fuerit, ex qua & secundum quam perfecta sit in subsistentia sua. in lib. Altercat. cap. 3. Et Theophylactus ait: Anima hominis est instar citharœ Dei, mẽbra uerò ut cithara. Malè nãq; & ineptè pulsante citharœdo, malè habet quoque cithara. in epistol. Pauli ad Rom. cap. 7.

De ætatibus hominis inquit Theophylactus: In prima ætate magna est insipientia: in secũda, quæ est adolescentũ, magna est flamma concupiscentiæ & iræ: in uirili autem amor opum regnat. In Matth. cap. 3.

De imagine Dei inquit Giselbertus: Imago Dei ad quam homo conditus fuit, hominem ad hoc prouocabat, ut cognosceret & diligeret: in noticia sibi copularet sapientiam, in dilectione prẽmij materiam. Culpa sua deiectus ab utroq;, perdidit utrumq;: tantum ad exteriora effusus, quantum superiorum oblitus. In lib. Alter. cap. 1. Itẽ: Est ergo imago Dei, homo in ratione, & in immortalitate, similitudo in morũ sanctitate & iustificatione: aliud etiã exequẽs in fide, aliud in operatione: imago secundum cognitionẽ ueritatis, similitudo secundum amorem uirtutis. Vel imago secũdum scientiam, similitudo secundum substantiam, iuxta illud: Cum apparuerit, similes ei erimus, non æquales. imago, quia rationalis: similitudo, quia spiritualis. Porrò hæc in anima sola facta sunt, quia corporea natura similitudinẽ diuinitatis capere non potuit, quæ ab eius excellẽtia & similitudine in hoc ipso longè fuit, quòd corporea fuit. in lib. Altercat. cap. 4. Item: Fecit ergo Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ut sicut ipse præest uniuersæ creaturæ per omnipotentiam, sic homo terrenis omnibus per intelligentiam. hæc enim imago non secundum corpus, neq; secundum aliam quamlibet animæ partem, sed secundum rationalem mentem attendenda est. in lib. Alter. cap. 4. Et Theophylactus inquit: Vnusquisq; nostrũm imaginẽ Dei gestat, uel principis mundi. Quũ igitur similes nos fecerimus Cæsari, facti filij diaboli, imaginem eius gestantes, illã reddere ei oportet, & abijcere: ut habeat quæ sua, & nihil inueniat in nobis quod suum sit propriè. Ita & imago Dei seruetur à nobis incontaminata. in Luc. cap. 20.

De homine deprauato inquit Radulphus: Sciendum uerò, quòd omnis creatura Dei bona est, præter illam quæ proprio uitio deprauata est, ut homo malus & angelus malus. lib. 8. cap. 1. in Leuitic. Item: Difficile humanus animus ab omnibus uitijs feriatur. Aut enim post acceptam pœnitentiam illuc relabitur, unde emersit: aut ab alijs in alia transitum facit. Idem lib. 9. cap. 4. in Leuitic.

De ratione hominis ait Theophylactus: Omnes homines, secundum quod mentẽ accepimus, & rationẽ ab eo quod nos creauit uerbo, dicimur illustrari ab eo. Nam ratio data nobis, secundum quam rationales uocamur, lux est, quæ ducit nos ad ea quæ sunt facienda, & quæ non sunt facienda. Theophylactus in Iohan. cap. 1.

De corpore spirituali Theophylactus ait: Illud corpus quod nunc habemus, animale est: hoc est, ab anima regitur, & uiuificatur à naturalibus & animalibus qualitatibus

tatibus & uiribus: quod autem post resurrectionem habebimus, spirituale erit. in Luc. capite 24.

De tribus potentijs in homine, inquit Theophylactus: Tres tales in anima discimus esse uires, plantatiuam, animalem, & rationalem. Secundum quod crescit & nutritur, & simile generat, plantis assimilatur: secundū quod irascitur & cōcupiscit, brutis comparatur: secundum quod intelligit, rationalis dicitur. in Matth. cap. 22.

De dignitate hominum, inquit Theophylactus: Homo animalium omnium perfectissimum est, & particeps naturæ omnium, & præterea quiddam sublimius habens. Particeps est naturæ lapidis. habet enim capillos & ungues, quæ insensata sunt quēadmodum lapis. Particeps est & naturę plantarum, secundum quod crescit & nutritur, & simile generat, sicut & plantæ. Particeps est & naturæ brutorū, secundū quod habet sensus, & irascitur & concupiscit. Particeps est autem & Dei iuxta rationalem animam, supra omnia alia animantia. In Luc. capite 16.

De tribus hominum ordinibus, inquit Theophylactus: Tres sunt ordines hominum: carnalium, animalium, & spiritualiū. Carnalis quidem est, qui uult lętari & gaudere cum alius malefecerit, ut est omne genus auarorum. Animalis, qui neq; furari neque nocere uult: hoc est enim iuxtā naturam uiuere, quandoquidem hoc nobis natura indidit. Spiritualis uerò, qui & affligi, & damnū ferre uult propter uirtutem. Est igitur primus circa naturam, secundus iuxtā naturam, tertius supra naturam. Omnis igitur qui humana sapit, & non ualet intelligere ea quæ sunt supra naturā, Animalis dicitur, ut qui anima & spiritu gubernetur. Quando autem quis spiritu agitur, & non iam uiuit ipse, uiuit autem in eo Christus, hic est spiritualis naturam supergressus. In Luc. capite 14.

Pronitas ad peccandum. Giselbertus: Sicut sexus fœmineus fragilior est quàm masculinus, sic pronior est homo ad uitia quàm ad uirtutes. in lib. Alter. cap. 5. Item: Cum laboramus tentatione & miseria, necessaria est nobis patientia. Quàm sit enim debilis & infirma humana natura, ostendit nobis in alijs creatura diuersa. Cortex ambit arborem, penna uestit uolucrem, piscem squama operit, ouem lana calefacit, pilus feras & iumenta præmunit, concha testudinem excipit, ebur elephantem solidat: solum hominem nudum natura producit. in lib. Altercat. cap. 10.

De infirmitate humana, inquit Radulphus: Hic est humanus defectus. Cū semel labi cœperit homo, & ad peccandum deflexerit intentionem suam, non statim prosus affectum iusticiæ, sed primos lapsus sos arguēs, & displicens ipse sibi, admonitionis alicuius uerbo stimulatus, surgere tentat: iam tamen hostibus suo merito traditus, nisi diuinitùs adiuuetur, dum surgere nititur, iterum precipitatur. Cum autem peccandi consuetudine fecerit, paulatim incipit negligere seipsum: & tanquam multis confossus uulneribus, atque exanguis effectus, sensum etiā doloris amittit. Hinc enim scriptum est: Impius cum uenerit in profundum malorum, contemnit. lib. 20. cap. 1. in Leuit. Et: Hic processus iniquitatis est, ut postquam à iusticiæ statu labi cœperit homo primùm ad id quod expedit, languidius assurgat, deinde ipsam etiam bene agendi uoluntatem perdat. Radulphus lib. 10. cap. 1. in Leuit. Theophylactus ait: Imbecilles sumus homines, ideo non debemus nos ipsos in tentationes ijcere: sed si inciderimus, orandum ne absorbeamur à tētatione. Absorptus enim & uictus, ille in profundum tentationis inductus est: at non item qui incidit, & uincitur. in Matth. cap. 3. Item: Nos brutis animantibus comparati simus, sicut & præsepe proprius brutorum locus est: ita nostrū præsepe est mundus, nos uerò bruta. Christus autem redemerit nos, qui brutis assimilamur: ea propter & ipse tali loco fuit reclinatus. idem Luc. 2.

Mortalis est. Theophylactus: Non tantum mortales facti sumus ex Adami præuaricatione, uerumetiam affectus prauos natura peccato uendita recepit, iuri planè & dominatui peccati subdita, ut nulla ratione reflectere posset. in epist. Paul. Ro. 7.

De fine hominis inquit Giselbertus: Verùm conditionem primi hominis, rerum omnium uisibilium constat creatione quidem tempore posteriorem, sed causa fuisse priorem: quia qui factus est prius omnia, propter eum facta sunt omnia. Si enim ista omnia Deus fecit propter hominem, causa omnium homo est, & causaliter prior omnibus homo est. Ipsum uerò propter quod factus est homo, prius homine est, & multo ante omnia quibus homo causaliter prior est. Id autem propter quod factus est homo, quid aliud erat, nisi à quo factus est homo? Si ergo causa mundi homo est, quia propter hominem mundus factus est: & causa hominis Deus est, quia propter Deū homo factus est. in lib. Altercationis cap. 3.

Item: Nónne homo factus est ut Deo seruiret, propter quem factus est? & mundus factus est ut seruiret homini, propter quem factus est. in lib. Alter. cap. 3. Theophyl. inquit:

inquit: Deus creauit hominem ad laborē, ar tusq; ad hoc effinxit. quocirca qui ocioſus eſt, ab ordine ſuo deficit, & creatione. In epiſtol. Pauli ſecunda ad Theſſal. cap. 3. Et: Omnis homo menſarius à Deo ordinatus eſt, ut in huius mundi officina magna negotietur. Idem in Luc. 19. Smaragdus ait: Qui in hoc poſiti, id eſt in hoc per naturam homines facti ſunt, ut credant Deo, & eius obtemperent uoluntati. In epiſtol. Petri, capite ſecundo.

De exitu hominis inquit Radulphus: Nō eſt in hominis arbitrio, quem uitę huius exitum ſortiatur: cum plures ſenectus paulatim deficiens uitæ ſubducat, alijs infirmitas grauis uitā extorqueat: quidā ferro cęſi, quidam beſtijs expoſiti ſunt. Quoſdā conſumpſerunt incendia, quoſdam maria ſubmerſerunt. lib. 20. cap. 7. in Leuitic.

De anima hominis inquit Giſelbertus: Sicut de corrupta carne caro corrupta ſeminatur: ita anima carni peccatrici infuſa, iuſto, ſed tamen occulto iudicio damnationi ſubijcitur. Proinde gemino uitio natura humana corrumpitur, ex quo malorū omniū propago pullulare cognoſcitur. In lib. Altercat. cap. 4. Et: Creauit Deus animam primi hominis de nihilo, & inſpirauit eam corpori, de terræ materia ſumpto & forma to, dans ei ſenſum & diſcretionem boni & mali: ut corpus ipſi ſociatum ſenſum uiuifi caret, & per rationem regeret, & in ipſo homine ſenſus eſſet ſubiectus rationi, ratio creatori: ut ſecundū rationē corpus mouetur per ſenſum, ratio autē libero arbitrio moueretur ſecundū Deum. in lib. Altercat. cap. 4. Radulphus ait: Anima ſubſtantia eſt inuiſibilis, pars hominis, ex qua homo cū corpore cōpoſitus eſt. lib. 2. cap. 4. in Lenèà Deo condita eſt, gratioſa, blanda, iucūda, inſpirationis gratiā accipiens: fit autem meretrix, quando à uoluntate incātata fuit, effaſcinataq; ut à uero bono deficiat uſque adeò, ut uel alijs ducatū præſtet in ueneficijs uoluptatū. ſup. proph. Nahū cap. 3. Item: Anima habet duas alas, naturalem & doctrinalem: per quas mota ad honeſtum, ſurſum ad cœlum fertur. At ſpiritus operę eſt precium adeſſe adminiculationē, conuertentem ſeſe ſemper in anima, ita ut nunquam eam deſerat, ſi celerior futura ſit. Huiuſmodi anima, etiamſi olim ſacrificarit affectibus ſuis, eosq; adorarit, nūc propter eos pudefiet deflens imprudentiam ſuam. in propher. Oſeæ, cap. 4.

De ueteri & nouo homine inquit Anſbertus: Ad ueterem enim hominem pertinet, ceruicem ſuperbię contrā Deū erigere, uetita contingere, terrenis concupiſcentijs inhiare, gulę atq; ebrietati deſeruire, luxuriæ inquinamentis ſordidari, ira uſq; ad diuiſionē exulcerari, zelo atq; inuidia exuri, de aliorū felicitatibus cōtriſtari, de terrenis damnis mœrore affici, de adeptis lucris immoderatius lætari, elatione ſuper cæteros extolli. At contrà ad nouum hominē pertinet, omni humilitate creatori ſuo ſe ſubdere, illicita nō preſumere, terrena deſpicere, cœleſtia appetere, ieiunijs uacare, caſtitate fulgere, pacis abundantia repleri, charitate uigere, de alienis felicitatibus gaudere, de terrenis damnis nullo mœrore affici, de adeptis lucris nunquā immoderatius lętari, cūctis electis fratribus ſemetipſum inferiorem exiſtimare. in Apocalyp. cap. 21.

Diuitiæ quomodo poſsidendæ. Theophyl. Nos nō ſumus domini diuitiarū (nihil enim habemus propriū) ſed diſpenſatores alienarū rerum ſumus, quæ à Domino ſunt cōcreditæ nobis, ut bene illas diſpenſemus, ſicut ipſe imperat. in Luc. cap. 16.

## DE LIBERO ARBITRIO.

DEfinitionem talem ponit Giſelbert. Arbitriū eſt iudicium animi, ſiue de bono, ſiue de malo: liberū autem ad utrūq;, ſine coactione. Hoc autē liberum arbitriū, id eſt, diſcretionē boni & mali, cū iudicio mētis & homo & angelus naturaliter ſine ſuperaddita gratia habuit: & non ſolum diſcernendi, ſed etiam naturaliter liberam, ſiue ad bonum ſiue ad malum, poteſtatem acceperat utrinq; declinandi. Primus itaque homo quantum ad naturam corporis terreni, & immortalis factus eſt ſecundum aliquid, quia potuit non mori: & ſecundū aliquid mortalis, quia potuit mori. in lib. Altercat. cap. 4.

De diuiſione liberi arbitrij, inquit Giſelbertus: Trimoda eſt igitur humani libertas arbitrij: alia naturalis creationis, alia gratię adiutricis, alia gratiæ confirmatricis. in lib. Altercat. cap. 4.

Ante lapſum liberum arbitrium. Giſelbertus inquit: Liberrimum ante caſum habens arbitrium: quia adiutrix gratia nil repugnans, nil ſibi contrarium in natura hominis inueniebat, ideoque ipſi naturæ adhuc integræ & puræ familiariter cohærebat, unde noua natura bonum uelle, & perficere prompta facultate ualebat. in libro Altercat. capite quarto. Et: Poſitus igitur homo in medio uiſibilis & inuiſibilis creaturæ, ipſe particeps utriuſq; naturæ conditionis ſimilitudine, rationem & prouidentiam acceperat mala uitandi ſi uellet, & bona faciēdi, quibus ſe ab hoſte cuſtodiret, noxia fugiēdo, ſalubria appetendo, medijs ad utrūlibet utens. In lib. Altercat. cap. 4. Item: Deus de limo terræ formans

hominem, tãta gloria uestiuit eum, ut posset mori, posset q; non mori, ponens magis in formati hominis arbitrio, quàm haberet etiam ipsa conditio. Factus est igitur talis, ut si uellet, æterna uita frueretur: si secus, gloria promissa priuaretur. In lib. Altercat. capite quarto. Theophylactus inquit: Adeò formosus erat & elegans, ut ea pulchritudo nõ possit satis uerbis exprimi. de qua propheta sic ait: Speciosus forma præ filijs hominum. Psal. 44. Peccatum enim non fecit, quod hominẽ senio cõficit ac corrumpit. in epistol. Pauli ad Colosſ. cap. 3.

De lapsu hominis inquit Radulphus: Primus parens omnium, primus homo est. Hic sua industria diuinitatem se adepturũ sperauit, aurem serpenti accommodans: & contrà uetitum comedens, ut esset sicut Deus, sciens bonũ & malum. Sed hæc eius prudentia ad insipientiã ei conuersa est, cõfusionemq; illi peperit repentinã, dũ continuò morti addictus, & pelliciam suam iam indutus, uocem irridentis audiuit: Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis, sciens bonum & malum. lib. 11. cap. 1. in Leuitic.

Item: Autoritas habet Scripturarum, hominem à Deo plasmatum, in paradiso collocatum fuisse, plenã uoluptate omnimoda regionem sortitum: in qua & corporis incolumitate, & sensuum integritate, omniumque quæ sensibus ipsis iucũditatem afferre potuissent, abundantia lætaretur, angelorũ frequenti frueretur alloquio: diuinis insuper amicitijs, si Deo subditus perstitisset, omnis illa beatitudo cumularetur. Ab hac fœlicitate, quam creatoris perceperat gratia, infœlix ille merito suo proiectus est, qui gratiæ ingratus extitit, qui aduersus bonitatem patris ceruicem erexit, dum eius imperio mulieris uocẽ præposuit. Exinde uoluptates illæ spinarum tribulorumq; punctionibus commutatæ sunt: corporis ualetudo in languores innumeros delapsa, prima abundantia ad summã redacta inopiã: mori cogitur, cui uita indeficiens parabatur: angelorum familiaritate priuatus, ex Dei amico factus est inimicus. Radulphus in Præfat. lib. 16. Theophylactus inquit: Adam eo die, quo comedit de ligno, mortuus est: & quamuis uiueret, sententia tamen & natura rei mortuus fuit. in Iohan. capite tertio.

Qualis sit homo post lapsum. Theophylactus: Natura quidem reperiũtur quidam mansueti & boni, sed non uirtute. Nam exercitatione & meditatione boni nullus inuenietur: & quamuis boni quidã habiti sint, omnia tamen ad uanã gloriã fecerunt. Qui autem bonus propter gloriã, & nõ propter bonũ ipsum, si quando tempus inuenerit, malis indulgebit concupiscentijs. Nam si apud nos & interminatio gehénæ, & omne aliud studiũ, & uitæ innumerabiliũ sanctorũ uix conseruant homines in uirtute: quo pacto nugæ gentiliũ illos in bono continebunt? magna quoq; res fuerit, si non & pessimos reddiderint. in Iohan. cap. 3.

*Renatorum libertum arbitrium.*

Giselbertus ait: Adæ iusto & innocenti à Deo adiutrix gratia, quamdiu in bono persistere uoluit, negari non debuit. Nulla in eo carnis dominabatur molestia, quæ ad implendum Dominicum præceptum esset contraria, ac per hoc nullã depressionẽ habebat. Nos autem etsi per regenerationem adiutricem recuperemus gratiã, carnis tamen non effugiemus molestiã, in pœnã peccati reseruatam: quæ omnino rationi cõtraria, à bono nos retrahit, & in omnia uitia in xta legem peccati quæ est in membris nostris præcipitare contendit. Facta est igitur depressio liberi arbitrij, partim per subtractionem gratiæ, quam meruit culpa: partim per debilitatem utriusq; naturæ, quæ ex peccato est profecta. in lib. Altercat. cap. 4. Et: Gratia data est, ut homo fide iustificatus, per ipsam aliquo modo posset, quod nosset. in lib. Altercat. capite primo. Item: Ratio per gratiam illuminata, informatur ad occulta Dei intuenda, quantũ desuper conceditur, & dona superna pro mensura congrua puro intellectui se partiuntur. In lib. Altercat. cap. 3. Et: Deus iustus, bonus, hominis præparat uoluntatem adiuuandam, adiuuans præparatam. Dat primò, ut homo bene uelit: inde, ut quod bene uult, meliùs possit. In lib. Alterc. cap. 11. Theophylactus inquit: Cum prius humana natura inimica fuerit Deo, nunc ita cõciliata est, ut & Deo adiuncta sit, & incarnatio unita. in Lucam, capite 2. Item: Conditus es in CHRISTO IESV, & noua creatura factus es, defuncto uetere homine in baptismate. Ac quemadmodum principiò cum non esses, produxit te ut esses: sic etiamum, ut bene esses, te protulit. conditus es non ut oceris, uerùm ut opereris circumambulesque in bonis operibus: hoc est, omnem ætatis tuæ cursum in hisce perficias, non duos tres ue annos, sed omnem uitæ tuæ uiam. Idem in epistol. ad Ephes. capite secundo. Item: Nouus homo est uoluntas secundum Deum, quæ non consenescit, sed nunquam nõ uiuax est, & florens, ad cùm Dei, tum diuinarũ rerum agnitionem, nunquã nõ magis magisq; noua demonstrata: quo maiorẽ acceperit cognationem, pluribusq; donata fuerit, hoc ualentiorem sese exhibens. Idem in epistol. ad Colosſ. cap. 3.

Vnde

Vnde sit, docet Giselbertus: Ipse enim Deus per se bonam ad actum bonum præparat uoluntatem, & agendi possibilitatē: ut uoluntariè bono fini occurrat, per remuneratiōnem. In lib. Altercat. cap. 4. Item: Spiritus sanctus primùm operatur uoluntatem bonā, deinde operatur per eā. Equidē omne quod bonū potest esse, id est, cogitare & uelle & perficere pro bona uoluntate, attribuendū est Deo, nō hominis libero arbitrio. Si ergo Deus tria hæc, hoc est bonū cogitare, uelle & perficere, operatur in nobis: primū profectò sine nobis, secundū nobiscum, tertiū per nos facit. Siquidē imittēdo bonam uoluntatem nos præuenit: immutando, etiam malam uoluntatem sibi per consensum iungit: ministrando etiam consensui facultatem uel facilitatem, foris per apertum opus nostrū internus opifex innotescit. in lib. Alterc. cap. 4. Item: Nisi adiutrix gratia adsit libero arbitrio, frustra de profectu suo inflatur tumētis animi præsumptio. in lib. Alterc. cap. 12. Radulphus ait: Scriptum est, Non potest homo à seipso accipere quicquam, nisi ei datum fuerit de cœlo. Sed cum in omni bono opere misericordia diuina præueniat nos, si quærat homo quid ei retribuat, non inuenit, nisi & hoc ipsum à Deo accipiat. Itaq; diuina largitas & beneficijs suis nos obligat: & obligatos, ne ingrati remanemus, eiusdē gratiæ suæ multiplicitate nos adiuuat. lib. 5. cap. 1. in Leuiticū. Et: Christus per gratiā suam nos sanctificans, & per Spiritum S. charitatē suam in cordibus nostris diffundens, amorem mundi huius à nobis repellit: idem uerò qui leuat ab imis, prouehit ad summa: & qui purgat uitijs, ditat uirtutibus. Ibidem. Et: Cum aliquid boni agitis, ipsum pietatis affectum ne transferatis ad uos, ut uobis illud ascribatis. Deus enim est, qui operatur in uobis & uelle & operari pro bona uoluntate. Idem lib. 5. cap. 3. in Leuiticū. Item: Qui munus Dei sibi ascribit, necesse est ut gratiā perdat, pro qua gratus non fuit. ibid. Et: Igni tradimus hoc quod nō possumus edere, cum fortitudinem illorum ad quam pertingere non ualemus, Spiritui S. ascribimus. Nō enim uolētis, neq; currētis, sed miserētis est Dei. Et: Quia unicuiq; datur gratia, non secundum suum arbitrium, sed secundum donantis mensuram. Idem lib. 6. cap. 5. in Leuit. Et: Sortis interpositio, manifesta est diuinę gratiæ commendatio. Sicut enim, ubi sors discernit, hominis deliberatio ociosa est, dū pars utraq; non sibi spectat, sed sortis examen expectat: sic in nobis omnibus, qui natura sumus filij iræ, qui sub iugo dæmonicę nascimur seruitutis, nō expectatur quis uelit exire, sed quem superna clementia uelit liberare. nō enim uolentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei. Nec hoc dicētes, humani arbitrij destruimus libertatem. Libertas namq; est homini, si cœlitùs adiuuetur: alioqui nulla est, si gratia destituatur. Sine me, inquit Dominus, nihil potestis facere. Idē lib. 12. cap. 1. in Leuit. Et: Nihil habet homo quod nō acceperit, in omnibus quippe diuina misericordia pręuenit nos. nondum enim sciebamus eum, quādo ipse iam operabatur salutem nostram in medio terræ. Idē lib. 12. cap. 1. in Leuit. Et: Ipse quippe solus laudandus est, à quo bona cuncta procedunt, sine quo nihil possumus facere: quia ipse est qui operatur in nobis & uelle & operari pro bona uolūtate. Idem lib. 14. cap. 3. in Leuit. Itē: In omnibus enim misericordia eius præuenit nos: sed quæ primò datur ut incipiamus, postmodum ut abūdemus magis, proficientibus multiplicatur. Sic post Christi resurrectionē datus dicitur Spiritus S. Apostolis, nō ut haberent, quem prius non habuerant: sed ut magis illo abūdarent, quem prius acceperāt. Et hic igitur custodientibus diuina præcepta, pluuia promittitur gratiæ spiritualis: cuius quidem iam participes erāt, si quę Deus præcepit, faciebāt: ipsa tamē obuia quā nobis gratia cōtulit, eiusdē gratiæ nobis incrementū acquirit. Idem lib. 19. cap. 8. in Leuit. Theophylactus inquit: Ascende in montem mandatorū, ubi sedet IESVS: etsi cæcus fueris, nō ualens uidere per teipsum quod bonū: etsi claudus, uidens quidē quod bonū, non ualēs aūt ad hoc peruenire: etsi surdus, quī neq; aliū audias admonentē, neq; aliū admonere ualeas: & si mutilus fis, non ualens extendere manū ad eleemosynam: etsi alio quodā morbo teneare, uadas ad pedes IESV, & uestigia uitæ illius attinge, curāq; habebis. in Matth. cap. 15. Et: Quisquis confitebitur in me, confitebitur coram Deo. In me (dicit Christus) confitebitur. hoc est: meo adiutorio adiutus, & mea uirtute. Cōfitebor igitur & ego in illo, hoc est, sub ipso cooperās. Opus enim habemus & nos Deo duce, sine quo nihil possumus, & Deus quoque opus habet nobis. Si enim nō inuenerit in nobis opera digna, neq; nos assumet. alioqui personarū acceptor esset. Confiteamur igitur & nos in illo, hoc est in eius cooptatione: & ipse in nobis, hoc est, intra nos cooperās. Idē in Luc. cap. 12. Et: Magnitudo & excellētia uirtutis, quæ in nobis apparet, Dei est: neq; existimemus nos ista agere ex nobis ipsis, uerùm omnes qui uidēt, Dei dicunt hoc totum esse. Idem in epistol. Pauli ad Corinth. 2. cap. 4. Item: Nihil in nobis fit, quod nolit Christus: sed ille est qui

omnia

omnia facit,in nobis & regnãs,& dominatum in nos exercens:ac noſtra quidem uoluntas mortua eſt,illius aũt uiuit & gubernat uitam noſtram.Idem ad Gal.cap.2. Et Smaragdus ait: Ex multis ſancti Euangelij locis inuenimus,quia diſcipuli ante aduentum ſancti Spiritus, minus capaces erãt ad intelligendum arcana diuinę ſublimitatis, minus fortes ad toleranda aduerſa humanę prauitatis:ſed eis adueniente ſpiritu,cũ augmento diuinæ agnitionis data eſt etiã conſtantia, uincendi humanæ perſecutionis tentamenta.in Euangeliũ Iohan. ca.15.

Liberum arbitrium hic non reſtitui, Giſelbertus docet: Libertas arbitrij poſt peccatum deprimitur, nec ad priorem ſtatum amplius in hac uita reuertitur: ſed per tria, id eſt per ſacramentum baptiſmatis & altaris,per ordinem charitatis, per ſtudiũ boni operis tandem reſtituetur:& in reſurrectione,ne amplius deprimi poſsit,confirmabitur.in lib.Altercat.cap.4.

De renatorum lapſu inquit Theophylactus:Deus permiſit Petrũ ſingulari diſpenſatione labi,ut ne extolleretur:& ad hęc ut compateretur labẽtibus, à ſeipſo eruditus, quãta ſit humana imbecillitas & fragilitas. in Marc. cap.14.

### DE PECCATO IN GENERE.

De uocabulo Peccati ſcribit Radulphus: Quid interſit inter peccatum & delictum, ſcrupuloſiſsimè à doctoribus noſtris quæſitum eſt. Nã indifferenter ea ſæpiſsimè accipi,ut ſiue peccati nomine ſiue delicti,quælibet culpa intelligatur, certiſsimũ eſt. lib. 4.cap.5.in Leuit. Theophylactus inquit: Omne aliud peccatum, quantumuis inexcuſabile ſit,utpote ſcortationẽ,furtum,& ſimilia,tale eſſe,ut confugere liceat ad humanam infirmitatem,& ſit ueniæ locus. Quando autẽ quis uiderit miracula Spiritus ſancti fieri, & accuſauerit ea quaſi à diabolo facta, qualem habiturus eſt ille excuſationẽ? Manifeſtum eſt enim,ſcire eum quod à Spiritu ſancto fiant: ſua autẽ ſponte malè operari. quomodo igitur talis uenia dignus erit?Itaq; Iudæi quando uiderunt Chriſtum manducantem & bibentem, ac uerſantem cum publicanis & meretricibus,aliaq; omnia more filij hominis facientem,& deinde arguerunt eum ut comedonem & uinipotorem,in hoc erant uenia digni,& neq; pœnitentia ſuper hoc ab eis exigebatur(uidebantur enim rationabiliter offendi)quãdo autem uiderunt eum operari miracula, & arguerunt,& blaſphemarũt Spiritum S.dicentes, hoc dæmoniacum eſſe: quomodo remitteretur hoc peccatum,niſi pœnitentiam egiſſent?Et ita diſce,quòd ille qui blaſphemat in filium hominis,uidens eum humano more uiuere,& dicens: Hic meretricarius eſt,uorax & uinipotor, * dum Chriſtus hoc facit. talis enim etſi nõ pœniteat, de hoc nõ reddet rationem. ueniam enim accipit, tanquam qui nõ intellexerit illum fuiſſe Deum, eo quòd tam occultus fuerit. qui autem blaſphemat in Spiritũ S. hoc eſt in ſpiritualia opera Chriſti, & dicit ea eſſe diabolica:niſi pœnitentiam egerit, ueniam nõ aſſequetur.Non enim rationabilem cauſam habuit,ut calumniaretur: non remittitur igitur uel hic,uel alibi. Multi enim ſunt qui hic puniuntur, ſed alibi pœnæ immunes ſunt: ut pauper Lazarus.alij autem & hic & alibi:ut Sodomitæ,& hi qui in Spiritum ſanctum blaſphemant. alij uerò neq; hîc,neq; alibi:ut Apoſtoli & Præcurſor. ne licet uideantur perſecutionem pati, ſed non patiuntur illa pro peccatis: ſunt enim probationes & coronæ. in Matth. cap.12.

Definitionem peccati talem recitat idẽ Theophylactus:Peccatum eſt res ſine eſſentia, & ſine ſubſtantia. Vel aliter: Peccatum non eſt potentiæ, ſed infirmitatis. Sicut & Apoſtolus dicit Rom.5.Chriſtus cum infirmi nos eſſemus,mortuus eſt. Et iterũ Dauid Pſal. 13. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorũ:& ita peccatũ apud Deum nõ eſt poſſibile,quia eſt infirmitas.Idẽ in Marcũ,cap. 16. Item: Peccatum eſt magna ſepes & interſtitium,nos diuidens à Deo. Idem Luc. cap.14. Item:Peccatum eſt ignauia & cor rupta uoluntas, & impetus ad id quod deterius eſt.Vel, eſt ipſe diabolus.hunc enim nonnulli peccatũ eſſe putauerunt. Peccatũ itaq; legis inſtitutionẽ in diuerſum traxit, ea non rectè uſa.Idẽ in epiſtol. Pauli ad Romanos,cap.7. Item:Peccatum eſt tyrannis peccati, animum noſtrũ libidinibus & uoluptatibus arripiens. Ibidem. Et:Peccatum eſt idolum ſubſtantia & utilitate uacans.Idem in Oſeæ prophet.cap.9.

De natura peccati inquit idẽ: Nõ manet uoluptas,ſed fameſcit & perit,fitq; iterũ ua cuus ille miſerabilis. Peccatũ enim aſſimilatur filiquis,dulcedinẽ habens,& aſperitatẽ.Delectat enim ad tẽpus,cruciat uerò perpetuò: propterea nullus dat ſatietatẽ eis malorum,qui illis eſt aſſuetus.ſup.Luc.15.cap. Item:Omne peccatum prẽter naturam eſt. Idem in Oſeæ cap.4.

De fine peccatorũ ait idẽ Theophylactus: Omne peccatũ homicida eſt,& occiſor animæ.in Luc.8. Item:Quo plus ſcit qui peccat, tãto grauiorẽ pœnã ſibi accerſit. Cui enim datũ eſt multũ,ab eo requiretur & multum.Idem in Luc.12. Et:Omnis peccator ordinatur ad ſiniſtram partẽ. Idem in Luc. capite 15. Et:Diſcimus,ex peccatis primùm quidem natos eſſe hominũ morbos: deinde

deinde uera enarrari de gehenna, æternũq; esse supplicium. Igitur ubi nunc sunt qui dicũt, Ad unam horã indulsi Veneri, quomodo in perpetuũ puniar? Sanè peccata nõ iudicantur tẽpore, sed ipsa delictorũ natura. Quin hic & illud discimus: quòd licet grauẽ luamus pro primis peccatis pœnã, & deinde iterũ in eadẽ incidamus peccata, iterũ grauiora patiemur: idq; meritò. qui enim non emẽdatus est, ad maiora tormenta ducetur, tanquã insensatus & cõtemptor. Et quare (inquit) nõ omnes sic puniuntur? Etenim multos uidemus improborũ bene uaㅤlentes corpore, & in delicijs ac prosperitate uiuentes: uerùm quòd illi nihil hic patiuntur, uiaticũ eis erit ad supplicium grauius, quod alibi ferent. Et hoc Paulus manifestè dicebat: Cũ enim iudicamur à Domino, hic scilicet erudimur, ut ne cũ hoc mundo condemnemur, alibi uidelicet. Nã quę hic fiũt, admonitionis sunt: quæ autẽ alibi, supplicio rũ. Quid igitur? nũquid omnes morbi sunt ex peccatis? Non omnes quidẽ, sed plures. Morbi enim aliqui propter peccata acciduntㅤ, sicut & illius paralytici: & in libris Regũ uidemus quendã laborantẽ dolore pedum, propter peccatũ. Alij qui autẽ sunt propter probationẽ, sicut morbus Iob, ut monstretur eius uirtus. Quidã autem oriuntur ab ignauia, utpote gula & ebrietate. Sũt autem nonnulli qui coniecturã sumũt ex hoc quod dicit Dominus, Ne posthac pecces: & asserũt quòd Dominus sciuerit, quòd paralyticus ille indicaturus esset, & significaturus Iudęis. Idẽ in Iohan. cap. 5. Item: Operis peccati fructus est pudor ac uerecundia, & finis illorum mors. Idem Rom. 6.

DE PECCATO ORIGINIS.

De causis lapsus humani, inquit Ansbertus: Patenter elucet, quia & diabolus homini peccati uulnus inflixit, quia malũ fieri ex bono persuasit: & homo semetipsum plagauit, quia consensit: & Deus percussit, uel quia bonũ præcepit, uel quia malũ iustè fieri permisit: iratusq; nequaquam abstulit, sed damnauit. Ecce quomodo humano generi in primo parẽte peccati uulnus & diabolus, & idem homo & Deus intorsit. lib. 7. cap. 15. in Apocal.

Vnde peccatum originis. Giselbertus: Quia totius posteritatis propagatio de genitalib. fuit propagãda, ipsa carnis concupiscẽtia creuit & apparuit ex obediẽtia, ubi ipsa humana uerecũdia fomitẽ peccati ex ipsis genitalib. sensit erumpentẽ, & totius seminis in primo parẽte peccati uulnus & diabolus, & idem homo & Deus intorsit. lib. 7. cap. 15. in Apocal.

Vnde peccatum originis. Giselbertus: Quia totius posteritatis propagatio de genitalib. fuit propagãda, ipsa carnis concupiscẽtia creuit & apparuit ex obediẽtia, ubi ipsa humana uerecũdia fomitẽ peccati ex ipsis genitalib. sensit erumpentẽ, & totius seminis generationis massam corrupturum. In lib. Altercat. cap. 5. Et: Proinde ex protoplasti ruina pro pœna peccati, cũ omnia suo seruitio mancipata essent, quædã ei (licet subditæ naturæ) facta sunt nociua: non quòd eadẽ ante ruinam eius facta non fuerint, sed quòd facta stanti minimè nocere potuerint. Si igitur homo serpentis ueneno iam malicią non admisisset, ipse præses quidã & dominus cunctorũ animantiũ ordine legitimo imperaret omnibus. Bona igitur creatio cũctorũ: sed homini, quia Deo contrario, uersa sunt quædã in malũ. In lib. Altercat. cap. 4. Et: Sicut Cain fraterna cæde manũ minimè polluisset, si parẽtes trãgressio temeraria paradisi sede nõ eliminasset: sic carduus & spina obedientes, ac per hoc factos impassibiles & immortales nõ punxissent. ibidẽ. Et: Pharaonis primogenitũ, discę primæ pręuaricationis peccatũ, quod originale dicitur, quod persuasio diaboli generauit. in lib. Alterc. cap. 8. Radulphus ait: Necesse est ut in patris matris q; morte cõtaminetur sacerdos: quia qlibet nostrũm mox ut nascitur, primorũ parentũ reatu cõtaminatus agnoscitur. Quod igitur uitarĩ nõ potest, excusari potest: ut scilicet purget uenia, quod ex antiqua transgressione nobis ignorantib. uitiata cõtrahit natura. lib. 15. cap. 1. in Leuit. Et Theophylactus inquit: Omnia mala humanis corporibus Sathan infert, quando ei à Domino permittitur: quandoquidẽ nobis & ab initio autor fuit ut ab incorruptione, in qua conditi fuimus, excideremus, & infirmo passionumque capaci corpori alligati essemus. In Luc. capite decimotertio.

In Adam omnes peccauerũt. Cũ enim ille idẽ cecidisset, etiã illi qui nõ ederunt de ligno isto, facti sunt ex illo mortales: mortiq; subiugati, perinde ac ipsi etiã impegissent, quandoquidẽ ille impegerit. Ibidem Rom. 5. Et: Diabolus per se non est autor fornicationis, sed incontinentia primùm nostra. ipsa enim est in causa, cur Sathanas nos tentet. idẽ in epistol. Pauli ad Corinth. cap. 7. Item: Omnis mali & uitij autor & initiũ est ociũ: quare nedũ uiris, sed ne mulieribus quidẽ ocium conuenit. Idẽ ad Timoth. cap. 5. Et: Quomodo diabolus habebat mortis imperiũ? per peccatum. Quia enim peccare faciebat homines ex prima illa inobedientia, ipse fuit qui mortẽ conderet, ceu milite ipso ac fortibus armis utens, mortemq; armorũ uice apprehendens aduersus humanam naturam. Idem ad Hebræos, capite secundo. Item: Animaduerte, omne peccatum ex ignorantia & errore nasci. nam etiamsi uideatur quis nouisse quid malum sit, tempore tamen transactionis peccati tenebris circumfusus, ignorãtia & errore lãguet, uoluptatis læuore ac lubrico pręcipitatus. Idẽ in epistol. ad Hebræos, cap. 5. Item: Diabolus hominibus qui proximi eius sunt, quantũ attinet ad rationalẽ naturam,

naturam,propinauit permixtionem turbidam,conturbans mentem ipsorum,& peruertés ac commiscens noticiam, quam eis ad noticiam Deus indidit,boni & honesti: inebriansq; uoluptatibus, ut corda ipsorũ ueluti speluncæ istius latronis facta cũ pro ephoro & obseruatore suo habeant, attendentem sedulò & obseruantem, ne qua ratione bona cogitatio uel ratiocinatio ingrediatur. Idé in prophet. Habacuc,cap.2. Smaragdus ait:Sic enim ostendit non creaturarum,sed peccatorum principem diabolum.In Euangel.Iohan.cap.13. Et:Mulier drachmam perdidit,quando homo qui cõditus ad imaginem Dei fuerat, peccando à similitudine sui conditoris recesit. Idem in Lucam cap.15.

Quomodo sit perpetratũ,docet Ansbertus:Cunctis legentibus liquet, tribus principaliter tentationibus primũ hominem à serpẽte in paradiso tentatũ ac superatum, scilicet gula,uana gloria,& auaricia.Per gulam enim hunc antiquus hostis tentauit,cũ cibũ ligni uetiti ad comedendũ suasit. Per uanam autem gloriã tentauit, cum dixit: Aperiẽtur oculi uestri, & eritis sicut dij. Per auaricam uerò tentauit,cũ subiunxit:Scientes bonum & malum.Auaricia enim non solum pecunię est, sed etiam altitudinis,Paulo attestante,qui de unigenito Dei filio ait: Non rapinam arbitratus, esse se æqualem Deo.lib.2.cap.2.in Apocal.

De effectu peccati originalis, inquit Giselbertus:Perdidit protoplastus impassibilitatem & immortalitatem,quam acceptu-rus erat per obedientiæ indictam rationẽ. In lib.Altercat.cap.3. Et:Si homo nõ peccasset, tam multa tamq; uitiosa progenies de carne eius nunquam pullulasset: sed solum benedictionis fructũ,id est,electos omnes,& solos germinasset, non more iumentorum ruẽdo in libidinem,sed rationis imperio per mundam carnis naturam ædificando prædestinatam cœli progeniem.Peccatum quippe generandi naturam non attulit, sed generationis instrumenta corrupit,& generi honorem eripuit.In lib.Altercat.cap.5. Radulphus inquit: Notum est, quòd primi parentis reatus nos & peccato seruos, & labori fecit obnoxios. Sed sicut Deo iustè indignante, in hãc necessitatem incidimus,ut nec peccato resistere, nec laborem declinare possemus:sic eo nobis propitio reddito,& peccati iugum iam reijcimus, & à laboribus nostris requiem expectamus.Sub cuius libertatis nostrę sacramẽto,die propitiationis sabbatum Iudæis indicitur:ut intelligat Dei populus, ex diuina misericordia diẽ illã sperare debere,in qua nec corruptioni subdatur, nec iniquitati seruire cogatur.lib.17.cap.2.in Leuitic. Item:Immortalitatis gloriam in primo parente perdidimus.Radulph.lib.18.cap.4.in Leuitic. Et: Pauperes sumus omnes nos, quoniam illas perdidimus diuitias, quas in prima cõditione conditor ipse nobis attribuit.Pauperes sumus,quia prudentiam, qua mores nostros corrigere, & in gratiam creatoris nostri redire possimus, forsitan non habemus. Hac paupertate compulsi, alicui iustorum in seruitutem nos uendimus, cuius & regamur sapiẽtia,& subijciamur imperio: diuitias quas amisimus, aut multo ampliores, humilitatis nostræ premium accepturi.Radul.lib.19. cap.6. in Leuitic. Theophylactus inquir:Adami peccatum mortem peperit corporalem,adeoque corporis & animi solutionem: peccatum autem quod nunc est, æternæ mortis pœnæ nimirum sempiternæ tradit hominem.In epistol.Pauli ad Rom. cap. 6. Et: Non tantum mortales facti sumus ex Adami prævaricatione, uerumetiã affectus pravos natura peccato uendita recepit,iuri plenè & dominatui peccati subdita,ut nulla ratione reflectere posset. Idem Rom.7. Et: Carnis nostræ natura corrupta est à peccato,uitaq; destituta est.Idem Corint.cap.10. Smaragdus ait: Sicut enim qui mortuũ tangebat,polluebatur:sic & qui peccatum operatur,magis polluitur.Mortuum quippe tangere est,in peccatis mortuũ quempiã uel sequi uel imitari. Smaragdus ad Ephes.ca.6.

De fine lapsus inquit Ansbertus: Primus homo ad imaginem Dei conditus,in paradisi delicijs positus,dum seruandę obediẽtiæ mandata suscepit,quasi quædam firmitatis columma fuit: sed impulsu diabolicę suggestionis per mulierem quasi quodam ariete percussus, ab statu firmitatis uel rectitudinis ruens,à paradisi fœlicitate ad ærũnam seculi,à uita ad mortem,à quiete ad laborem exijt.Quo scilicet ruente,nos quoq; pariter ruimus:quo exeunte,nos simul exiimus. lib.2. cap.3. Apocal. Giselbertus: Ignorantia boni, & concupiscentia mali: quarum altera mentem,altera carnem maculauit.Ignorantia pœna est elationis,concupiscẽtia est effectus mortalitatis. Ita quatuor mala in homine apparent: superbia,ignorantia,mortalitas, concupiscentia. Superbia, mentis culpa tantum: ignorantia, culpa & pœna in mente:cõcupiscentia,culpa & pœna in carne. Itaque propter elationem,obscuratus est animus per ignorantiã, propter mortalitatem,caro emollita est per concupiscentiam: elatio lumen ueritatis abstulit, concupiscentia mortalitatẽ induxit,duo media,culpa & pœna. in lib. Altercat.cap.4.

De pœ-

De pœnis peccati inquit Theophylactus: Ne existimes peccatores pœnam esse euasu ros, ueniet enim eis pernicies, etiamsi nõ dum appareat: certò tamen aduentura est, ærumnosa profectò, multa secum tristia ad ferens, atq; amara, non secus atq; dolor parturientis. Theophylactus in epistol. Pauli ad Thessalon. cap. 5.

DE ACTVALIBVS.

Radulphus ait: Potest etiam uideri illud esse delictum, quod imprudenter, id est ignoranter: illud peccatum, quod à sciente committitur. Indifferenter tamen dicuntur plerunq; & peccatum nomine delicti, & delictũ nomine peccati appelletur. Græcè autem delictum duobus modis dicitur, παράπτωμα & plemmelia. In paraptomate tã quam decidere intelligitur, qui delinquit. unde cadauer, quod Latini à cadendo dicunt, Græcè πτῶμα dicitur. Qui ergo peccando malum facit, prius delinquendo à bono cadit. Et plemmelia simile nomen est negligentiæ. nam Græcè negligentia ἀμέλεια dicitur: quia curæ non est, quod negligitur. lib. 4. cap. 5. in Leuit.

Quid sit. Radulphus: Peccatum dici non potest, nisi in rationabili creatura depraua tio uoluntatis. Cum namq; in re materiali aliquid corrumpitur aut consumitur, damnum quidem plangitur, sed reatus stolidæ illi creaturæ nequaquam ascribitur. Sola quippe (ut diximus) natura illa, in cuius arbitrio positum est ut rectè agat, si uelit, tunc peccat, cum propria sponte ad appetitum iniquitatis defluxerit. Quæ autem sine sensu sui est, nec ad sui custodiam deliberandi sumpsit arbitriũ: etiamsi corrupta fuerit, non ei imputatur, nec nutui eius ascribitur. Quapeccati contagiũ quod ignorat, homini rationabiliter sese utenti non importat. lib. 9. cap. 9. in Leuit. Item: Peccatũ solum est, quod hominem & Deo inimicum, & diuinis legibus reddat contrarium. Ibidem.

Diuisionem peccatorũ talem recitat Giselbertus: Alia sunt peccata contra naturã, alia contra mores, alia contra præcepta. In lib. Alterc. cap. 7. Radulphus inquit: De scabie notum est, quòd facilè homini accedat, facilè & recedat. Quæ licet molesta sit corpori, nihil tamen affert quod lepræ contagio debeat comparari: ita sunt & peccata quædam leuiora & quotidiana, quæ non intentione malitiosa, sed aut infirmitate aut ignorãtia sæpe committimus: ut est inconsideratus & effusa lætitia, lasciuiæ dissolutio, incircũspecta locutio: qui nec quid, nec cui loquatur ut opus est, discernit. Hæc & similia his, licet mortifera nõ sint, humanæ tamen conuersationis speciem detur-

pant: & grauioris etiam mali nonnunquã suspicionem proximis ingerunt. lib. 9. cap. 1. in Leuit. Et: Si iniquitas à qua per pœnitentiam conuertimur, non est in ruinam, nec ad mortem est. Vnde constat illam solam ad mortem esse, quæ pœnitentię satisfactione non tergitur. Hoc est ergo peccatum, pro quo nemini rogare permittitur. Radul. lib. 10. cap. 2. in Leuit.

De modis cadendi, inquit Giselbertus: Tribus modis cadimus, suggestione, delectatione, consensu. Hostis suadet, caro delectationi succumbit, spiritus cadit. Culpam suggestio docet, uincit delectatio, ligat assensus. in lib. Altercat. cap. 5. Radulphus ait: Res est uulgata quam dico, omne peccatum tribus gradibus consummari: suggestione, delectatione, consensu. Suggestio sine delectatione, non polluit: delectatio uerò peccatum inchoat, sed consensus aditus consummat. lib. 8. cap. 4. in Leuit.

De impulsiuis peccati, ait Giselbertus: Quadripartita materia peccati est, suggestio, delectatio, consensus & actus. Alio modo: Actus malus sine uerecundia, consuetudo, desperatio & defensio. Suggestio fit per hostem, delectatio fit per carnem, consensus per spiritum, audacia per elationem. in lib. Altercat. cap. 5. Et: Quatuor sunt quæ à Deo nos abstrahunt: caro illecebris, diabolus dolis, mundus curis, proximus affectu. in lib. Altercat. cap. 16. Item: Carnalis delectatio prima origo peccati. In lib. Altercat. cap. 5.

Vnde sit. Ansbertus: Nolite, inquit Paulus, locum dare diabolo. Ille enim locum dat antiquo hosti, qui quodlibet mortale crimen admittit. Nam hi qui minima committunt, & tamen à maximis cauent, habitatio antiqui hostis non fiunt, nec eo pręualente succumbunt: quia etsi per delectationem corda eorum nonnunquam penetrat, non tamen per consensum inhabitat. Intrat inquam, per minima, sed non inhabitat per maxima. ille namq; eius fit habitatio, in cuius mente regnat peccatum. Tolle regnum peccato, non inuenitur locus diabolo. Vnde & Apostolus, quia introitum eius ad corda fidelium in minimis excludi non posse præuidit, perpetuam illi habitationem auferendam præmonuit, dicens: Non regnet peccatũ in uestro mortali corpore. lib. 5. cap. 12 in Apocalyps. Et Radulphus: Sicut in sanguine uita carnis est: sic in appetitu praui operis, fomes subsistit conuersationis carnalis. Funde sanguinem, & continuò caro morietur: tolle malam uoluntatem, nec erit qui mala operetur. lib. 2. cap. 3. in Leuit.

De interioribus peccatis idẽ inquit: Quisquis malè

quis malè agere proponit, certum est quia ipso nutu quo iniquitatem affectat, delinquit. Sed & hoc certum esse debet, quòd si malum animi propositum usq; ad opus perduxerit, peius facit. Nam si malum est illud uel proposuisse, peius est utiq; etiam opere cõsummasse. lib. 3. cap. 5. in Leuit. Et: Duobus modis offenditur Deus, corde & opere: dum aut iniquitatẽ in corde uersamus, aut quod malè deliberatum est, ad effectũ perducimus. Idem lib. 20. cap. 4. in Leuitic.

Nemo est sine peccato. Idem: Omnis homo, quanquam iam sanctificatus sit aut baptismo, aut quolibet alio sacramento, quãdiu uiuit inter tentationes huius seculi, nõ potest esse sine peccato. Si tamen confessi fuerimus (ait B. Iohannes) delicta nostra, & purget nos ab omni iniquitate, nõ tantum præterita, sed & si qua contraximus ex hac uita: quia nõ potest homo, quamdiu carnẽ portat, non habere uel leuia peccata. Sed quomodo fiet ista purgatio? Sãguis, inquit, IESV purgabit nos ab omni delicto. Ergo si peccas, nec potes omnino cauere quin aliquando pecces: continuò uide, cõtinuò displiceat, continuò damna. Manet super altare unguentũ, manet sanguis quo asperga ris & purificeris. Est enim in Ecclesia, gratia Spiritus S. est fides passionis Christi, per quã peccati tui uenia cõsequaris. lib. 6. cap. 5. in Leuit. Et omnis homo, quanquã iam sanctificatus sit aut baptismo, aut quolibet alio sacramento, quamdiu uiuit inter tentationes huius seculi, non potest esse sine peccato. Idem lib. 6. cap. 5. in Leuit. Et: Quantalibet hominem uirtus sanctæ cõuersationis euexerit, adhuc ei de uetustate uitæ nascitur, quod & tolerandũ, & quotidie pro uiribus amputandum sit. Idem lib. 10. cap. 1. in Leuit. Theophylactus inquit: Pontifices legales etiamsi cætera fuerint sancti, ut homines tamen aliquid uitij attrahũt, nec omnino seiuncti sunt à peccatoribus. in epist. ad Heb. cap. 7.

Omnia peccata immunda. Radulphus: Si ad spiritualem recurras intelligentiam, omne peccatum, magnum aut paruum, capitale seu ueniale, hominis immũdicia est. Cui quicunq; libens affectum iungit, iuxta peccati mensuram polluitur. lib. 3. cap. 4. in Leuitic.

De fine inquit Ansbertus: Sciendũ, quia plerunq; unum idemq; peccatum, & peccatum & plaga est, & causa peccati. Quis enim nesciat, idcirco Iudæos ad cognitionẽ Christi non peruenisse, quia de obseruãtia legis tumẽtes, eandem spiritualem legem spiritaliter intelligere noluerũt? Et rursum quis ignoret, eo peccati merito, quo in eum dẽ Redẽptorẽ credere noluerũt, ad hoc eos quandoq; uẽturos ut Antichristũ suscipiãt, quẽ nũc magni ardoris desiderio expectãt in tumorẽ itaq; de legis obseruãtia & Antichristi susceptione positus Christi contemptus, peccatum & plaga est, & causa peccati. Peccatũ uerò est per semetipsum: plaga uerò peccati est, quia præcedẽs culpa tumoris illud inflixit: causa uerò peccati est, quia subsequentẽ culpã qua diabolus in Antichristo adorãdus suscipitur, ex se genuit. lib. 7. cap. 16. Apoc. Giselber. Quod dominantur maiores minorib. culpa fecit, nõ natura. Æquis est enim conditio omniũ, siue nascendo siue moriẽdo: & oportuit unius esse fraternitatis, ubi proles censebatur unius paternitatis. Homo ergo irrationabilibus animalibus, nõ hominibus prælatus est, à quibus timeri debuit, nõ ab homine: quia cõtra naturã superbire, est ab æquali uelle timeri. Ipse creator omniũ à rationali creatura magis uoluit amari semper, quàm timeri. Cunctis ergo qui præsunt, restat nõ in se potestatem pensare ordinis, sed æqualitatẽ cõditionis. In lib. Alter. cap. 6. Et: Sicut templũ illud Salomonicũ sordibus idolorũ prophanatũ fœdum est: sic post sanctũ baptisma, animam sæpe grauissimis delictis inuoluitur, à statu suo turpiter deijcitur, & tandẽ uitiorũ igne cõsumitur. In lib. Alter. cap. 18. Radulphus ait: Peccata infernũ potius expectant, quàm cœlũ: mortẽ merentur, non uitã: tormenta, nõ gloriã. lib. 12. cap. 1. in Leuit. Et: Peccatũ quod nos dissimulamus, ipsa qui iudex est omniũ, non relinquet inultũ. idẽ lib. 14. cap. 5. in Leuitic. Theophylactus inquit: Videmus, & apertè cernimus, quòd inobedientes & infideles nõ sunt ingressi in requiẽ. hoc est, ob oculos nobis posita est, & in confesso ipsa peccari pœna. in epistol. Pauli ad Hebr. cap. 3.

De uenialibus inquit Radulphus: Excusabilis fit culpa, ad quã non deliberando accedimus, sed per ignorantiã & infirmitatẽ declinamus. lib. 1. cap. 8. in Leuitic.

Peccatis resistendũ. Radulphus: Aduerte re licet nullum per sanctitatem posse conseerari, qui non carnis concupiscentiã prius mactauerit, quam cum carnis origine traxit. lib. 1. cap. 2. in Leuitic.

Discrimen inter impietatẽ & iniusticiã Theophylactus indicat: Impietas multifida est. Aliud est impietas, & aliud est iniusticia. illa enim ad Deũ, iniusticia uerò ad homines pertinet. Ac illa quidem in speculatione mentis uersantis peccatum est, hęc uerò in opere consistentis. Haud paucæ huius porrò uiæ sunt. Nam iniurius est qui spiam proximo, cùm pecunia & facultatibus, tũ uxore & gloria. In epistol. Pauli ad Rom. capite primo.

De blas-

DE BLASPHEMIA.

Giſelbertus: Quoddam genus lepræ (ſpiritualis) eſt quod ſanari non poteſt, blaſphemia in Spiritum S. hoc eſt, peccati inuerecũdia iactatio, & ueniæ deſperatio, ualidaq; culpæ defenſio. In lib. Alterc. cap. 11. Ansbertus: Si quis dixerit blaſphemiã in filium hominis. Ac ſi diceret: Poſtquã me quiſquã abnegauerit, ſi ad confeſsionẽ ueręq; fidei atque ad pœnitentiam reuerſus fuerit, dimittetur ei. Si quis uerò, poſtquam me denegauerit, cor impœnitẽs uſq; in finem geſſerit, atq; deſperans ſemetipſum remiſsionẽ peccatorum, quę per Spiritum S. largitur, poſſe accipere dubitauerit, incredulusq; in hac parte extiterit: huic neq; in præſenti, neq; in futuro ſeculo remittetur. Ille etenim in Spiritum S. blaſphemiã dicit, qui (ut dictũ eſt) cor impœnitens gerens, remiſsionẽ peccatorũ in Spiritu S. accipere ſe poſſe deſperat. lib. 6. cap. 13. in Apocal. Et: Sciendum duobus modis homines pro irrogatis plagis Deum blaſphemare, uoce ſcilicet, & cordis obdurationẽ. Sciendum etiã, pernicioſam eſſe oris blaſphemiã, ſed perniciоſioré cordis obdurationẽ: quia illa remiſsionem poteſt accipere, ſi quiſquã blaſphemare deſinat: iſta uerò nequaquam, quia Spiritus S. eſt blaſphemia. Blaſphemia enim Spiritus S. eſt, conténere quẽlibet ad pœnitentiã redire, atq; in hac obdurationẽ uſq; ad finem manere. Quia enim pœnitẽtibus nobis per Spiritum S. remiſsio peccatorum datur, ille in Spiritum blaſphemare inuenitur, cuius cor ad pœnitentiam nunquam emollitur. Idem lib. 7. cap. 16. in Apoc.

De hypocriſi ait Theophylactus: Nihil ſic mores alterat, uti hypocriſis. porrò omnis hypocriſis mendacio plena eſt, & aliud qui dem eſt, & aliud fingit. in Luc. cap. 12.

De temulentia ait Theophylactus: Temulentia eſt impetus ſeu furor animi, ebrietas eſt mœror. Ebrietas eſt φιλόπλουτία, amor diuitiarum, adeoq; auaricia, quæ caput degrauans, terram defigere oculos, capútue demittere ac nutare facit. in Oſeæ prophetæ cap. 4.

De ſuperbia inquit Theophylactus: Superbia eſt contemptus Dei, oſtentatio uerò uel arrogantia eſt contemptus hominum, è qua naſcitur iniuria. Nã qui homines aſpernatur, omnes iniuria afficit & conculcat. Quamuis autem arrogãtia natura prior eſt quàm iniuria, nobis tamen iniuria uidetur prior. Deinde mater eius manifeſtatur arrogantia. Item: Radix omnium malorum eſt ipſa charitatis refrictio: hinc enim eſt quòd alter alteri non reconcilietur, alter alterum nõ diligat, nõ miſereatur, nulla erga alium tangatur miſeratione. Quod & Chriſtus dixit: Quando multiplicata fuerit iniquitas, refrigeſcet dilectio. In epiſt. Pauli ad Rom. cap. 1. Et: Duabus iniuſticijs ſuperbus iniuſtè agit, uimq; facit, attollens ſe nedũ contra homines, uerumetiam aduerſus Deum. Theophyl. in Oſeam, cap. 9.

DE LEGE.

SAncta cur uocetur, Giſelbertus indicat: Ideo lex ſancta, quia faciẽda iubet, uitanda prohibet: ex utroq; meritum cumulando, ubi pia uoluntas in dicto procedit negotio. in lib. Alterc. cap. 1.

Lex interdum pro ueteri Teſtamento accipitur. Theophylactus: Quæcunq; lex dicit, ijs qui in lege ſunt loquitur. Nam quæ iſta eſt neceſsitas, ut quæ nobis tradita eſt lex, alijs uerba facere iudicetur? Legem autem appellat totum uetus Teſtamentum, non ſolũ Moſaica, æquè ac iam nunc Eſaiæ pſalmorumq; uaticinia legem nominauit. in epiſt. Pauli ad Rom. cap. 3.

Diuiſionem legis talem recitat Ansbertus: Poſſunt autem animaliũ ſex alæ, in ſingulis & aliter intelligi. Prima ſiquidem in animalibus ala, eſt lex naturalis. de qua tractans Apoſtolus, dicit: Cum gentes quę legem non habent, naturaliter quę legis ſunt faciunt, huiuſmodi legẽ non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Secunda autem ala, lex data per Moſen. Tertia uerò, eminentior legis ſermo prophetarũ. Quarta quoque, excellentiſsima incarnati uerbi mandata. Quinta etiam, Apoſtolorum epiſtolę. Ad extremũ autem ſexta, ſiue regulæ principalium Synodorum, ſiue doctrina catholicorum in Eccleſia tractatorum. lib. 3. cap. 4. Apoc. Et Theophylactus inquit: Tribus annis dicitur paterfamiliâs ad ficũ, fortaſſis propter tres leges, quas nobis dedit Dominus: quæ ſunt, naturalis, legalis & ſpiritualis. Oportebat ſanè nos naturali lege admonitos fructũ facere. Nam natura docet, quid facere oporteat: at quia in nobis naturalem inuenit inutilem, dedit & Moſaicã legem, naturæ adiutricem: quæ cum & ipſa inuenta eſt infrugifera propter noſtrã deſidiam, addidit & ſpiritualẽ. Vbi igitur tres illæ non meliorem reddiderint cuiuſpiã animam, neq; longanimitate & miſericordia Dei fit emendatior, tunc poſtea monere nõ ultrà ſinitur. non enim ſæpe procraſtinationibus Deo illuditur. in Luc. cap. 13. Item: Dominus homini uarias dedit leges. unã, in paradiſo: ſecundam, tempore Noe: tertiam, ſub Abraham, nempe circumciſionẽ. Quartam, per Moſen: quintam, per prophetas. Omnes igitur illæ leges ſi conferantur cum Euangelij euidentia & uirtute, aqueę ſunt, ſi quis eas ſimpliciter & ad literã intelligat.

telligat.idem Iohan.2. Et:Nonnulli quatuor faciunt leges:unam diuinam,docentẽ nos quid deceat: alterã, impugnãtem nos, quæ ex diaboli motu & operatione nos inuadit: tertiam,legem mentis, id eſt naturalem:poſtremã, quæ eſt in membris noſtris, id eſt,amantem peccati uoluntatem,ac habitudinem propenſionemq; ad malũ, quæ in nobis per conſuetudinem callum duxit & obduruit.Idẽ in epiſt. Paul.ad Ro.cap.7.

De Decalogo ſcribit Giſelbertus: Sunt multa in lege præcepta, etiã nouo Dei populo obſeruãda:ut hęc quæ dantur in monte decem prȩcepta,quorum tria ad Dei pertinent charitatẽ, ſeptem ad proximi ſocietatem. & hic ordo eorum: Dominus Deus tuus unus eſt:Non aſſumes nomen Dei tui in uanũ:Memento ut ſanctifices diem Sabbati: Honora patrem tuũ,& matrem: Non mœchaberis: Non occides: Non furaberis: Nõ falſum teſtimoniũ dices: Non concupiſces uxorem proximi:Non cõcupiſces rem proximi tui.Reſolue ſingula. Et hæc iſtorum mandatorũ explicatio.In primo mandato prohibet ſuperſtitionem, in ſecundo damnat errorem, in tertio prohibet ſeculi amorem,in quarto impietatem, in quinto fornicationem,in ſexto crudelitatem,in ſeptimo rapacitatem,in octauo falſitatem,in nono carnis concupiſcentiam, in decimo mundi cupiditatem. Tria in tabula una,ſeptem in alia.Porrò duo tabulæ,teſtamenta duo ſunt:lapideę,propter duritiem Iudæorum, quorum duris cordibus uelamen cæcitatis adhuc eſt oppanſum. Primæ tabulæ tria ad Trinitatem pertinent:ſeptem ſecundæ tabulę ad homines,quibus ſeptenarius conuenit pro ternario animæ, qui eſt irraſcibilitas,concupiſcibilitas,rationalitas,cum quaternario corporis,qui conſtat ex quatuor elementis.in lib.Alter.cap.9.

Vbi promulgata, idem docet. In monte Syna,præcepta diuina in ſaxo exarata, populus accepit cordis ſaxei:hic lex Dei in cordibus nouæ plebis ſcribitur digito Dei. Eodẽ aũt die quo acceperũt Iudæi literã occidentẽ,eodẽ etiã die dedit Dominus diſcipulis ſuis ſpiritũ uiuificantẽ:quẽ diẽ Græci uocant Pentecoſten. Ibid.

De proprietate legis inquit Theophylactus: Tum apparet peccatum, quando fuit tranſgreſsio legis. Nam citra legem peccatum eſt mortuũ:hoc eſt,non reputatur eſſe. Porrò cum lex ſit,quæ quid deceat præcipiat,peccatum uiuit,id eſt ſubſiſtit & uidetur peccatũ: quãdo quidẽ legem tranſgredientes,in cognitione peccent.ad Rom.cap.7.

De intellectu legis inquit Theophylactus: Omnino Lex ſecundum ſpiritum intellecta,Euangelij tum gratiam tum condi tionem in ſeſe exhilarat. idem in propheciam Oſeam cap.2. Et Smaragdus ait: Actiua enim & contemplatiua uita ſimul in Decalogi mandatis coniuncta eſt: quia in eo & amor Dei,& amor ſeruari proximi iubetur. Amor quippe Dei, ad contemplatiuam uitam: amor uerò proximi, pertinet ad actiuam.Smaragdus in Euangel.Luc.cap.8.

De lege naturæ ait Theophylactus: Quãtum ad Deum attinet,illuminat omnes homines.Dic enim obſecro,nónne omnes rationales ſunt? Nónne omnes natura ſcientes bonum?num ſecus habet res?Nónne omnes habent uirtutem ex creaturis cognoſcendi creatorem? Et ita ratio data nobis, & natura nos inſtruẽs, quæ & naturalis lex uocatur, hæc uocata eſt lux nobis à Deo data. Quod autem quidã ratione uſi non ſint, hi ſeipſos obtenebrarunt. in Iohan. cap.1.

De lege illuſtrata inquit Smaragdus: Lex enim in lapide ſcripta eſt: cuius ablato tegmine, gloria reſurrectionis oſtenſa, & abolitio mortis antiquæ, ac uitæ ſperandæ perpetuæ cœpit toto orbe prædicari. in Euangel.Marci,cap.ultimo.

De fine legis inquit Adelbertus: Manifeſtum eſt, conditorem omnium id ſolum in præceptis ſuis intendere, ut amor hominis ad Deum ſingularis, in executione mandati monſtraretur:& pro danda uel accipienda hæreditate, uoluntario gradu patri filius obſequeretur.In lib.Altercat.cap.4. Et Doctrina illa quę prȩcipit rectè uiuendum, litera eſt occidens, niſi ſpiritus adſit uiuificans. Quid ergo prodeſt tibi lex data, niſi aſsit implendæ legi fautrix gratia? Concupiſcentiam neſciebam,niſi lex diceret,non concupiſces. Prorſus bona lex & laudabilis. Sed ubi non adiuuat ſpiritus ad concupiſcentiã malam ſuperandam,quamuis bona lex, prohibendo auget deſiderium malum.in lib.Alterc.cap.7. Item:Legis litera amara eſt, dulcis ſpiritualiter intellecta. in lib.Alterc.cap.9. Item: Lex data eſt,ut gratia quȩreretur:gratia data eſt,ut lex impleretur. Et paulo prius:Porrò lex data eſt quinquageſimo die poſt paſcha:ſic Spiritus S.ſuper diſcipulos uenit peractis eiuſdẽ numeri diebus. Ibi uoces & tonitrua & ſonitus buccinę ſuper montem audita ſunt:hic uox Apoſtolica & prædicatio doctorũ inſonuit,gratia Spiritus S.accepta.in lib.Alterc. cap.9. Et Radulphus inquit:Eſt præceptorum diuinorũ quædam ligatura, & diſciplinæ clauſura,qua peccator, ne poſt concupiſcentias ſuas eat,cohibetur.Radulph. lib.9. cap.1.in Leuit. Item: Per legem diſcimus, quę peccatis noſtris retributio debeatur: ut inde etiã colligere poſsimus,quid nobis aũt correctis p miſericordiã relaxetur, aut non cor-

non correctis, per iudicium reseruetur. Radulphus libro 14. capite 4 in Leuitic. Et Theophylactus: Lex peccatum quidem non est, sed index est & ostensio peccati. in epist. Pauli ad Roman. cap. 7. Et: Lex non potuit à peccatis liberare, uerùm ad hoc cooperata est, ut concluderet omnes sub peccato: hoc est, ut ostendat eos peccatores, & compellat ut remissionem concupiscant, & accelerent ad eum qui hanc præstare elargiriq; possit, Deum. Postquam enim Iudæi non sentiebant peccata, neq; remissionẽ desiderabãt, dedit legẽ concludẽtem eos, & adfligentẽ, habentemq; increpationes, monstrãtemq; peccata, ac compellentem inquirere rationẽ, per quã possint cõdonari. Hæc autem ratio est, ipsa in Christũ fides, per quã benedicimur iustificatẽ: Vt pædagogus ab omni malicia liberat adolescentem, ac disciplinas à præceptore suscipere cum omni cura atque attentione parat: hũc ad modum lex in uirtute moderata, alumnos suos, adeoq; eos qui sub se erant, instituebat, & ad Christũ doctorẽ atq; præceptorẽ adducebat, per reprehensionẽ & ostensionẽ peccatorũ promptiores faciens, & alacriores, ut quærerent eũ qui noxæ condemnationẽ impertiretur, ac de iustificaret. Abeant ergo legis calumnia tores, neq; enim pædagogus aduersatur præceptori, nec lex repugnat nouo Testamento. Theophyl. in epist. Pauli ad Galat. cap. 3. Et: Lex cũ non possit nos ducere rectè, seu iustificare, ad Christum nos remittit, atq; hic est ipse scopus. Quocirca lege utitur legitimè, hoc est, quemadmodũ ipsa lex iubet, qui Christũ legi præfert. idẽ in epist. Pauli ad Timoth. cap. 1. Et: Omnino lex secundum spiritũ intellecta, Euangelij cum gratiã, tũ conditionẽ in sese exhilarat. hoc igitur pacto lex & prophetæ sunt uitis & uinea. Idem in prophet. Oseam, cap. 2.

Homines nõ implere legem, Radul. docet: Quis est qui omnia quæ Dominus præcepit faciat? Nõ eius beatitudinis sumus, nec eius meriti, ut in uniuersis illi obtemperemus. Non est enim homo super terrã, qui faciat bonũ, & non peccet, nec iustificabitur in cõspectu eius omnis uiuens. Quid est ergo quòd tam fortiter astrinxit, dicẽs: Nisi feceritis omnia mandata mea? Sunt igitur quædam mandata, quæ necessitatem afferunt exequendi, nec sine salutis periculo possunt uiolari. Sunt enim quædam sublimiora, quæ suaderi solẽt potius quàm iuberi: sicut de uirginibus dicit Apostolus, præceptum Domini se non habere, consilium tamen dare. Radulphus libro 20. capite primo in Leuitic.

Legem non iustificare, sed fidem, astruit Giselbertus: Legem quidem sanctam, mãdatũ sanctũ, sancta æquè uatum oracula dicimus, sicut à patribus didicimus: sed si sine cõtrouersia recipis, fides legem præcessit, quæ sine lege fideles iustificauit. ac per hoc fides tũ dignitate, tum tẽpore superior fuit: quia lex infirmata per carnem, id est legalibus præceptis, nihil ad perfectum adduxit. uulnera quidem monstrauit, saucios non sanauit: reatum ostendit, uires iusticiæ denegauit. Si enim lex data esset, quæ posset uiuificare, uerè ex lege esset iusticia. In libro Altercat. capite primo. Et: Lex facta est præuaricatorum pædagogus, non absolutio peccatorum, administrata pro ratione temporum, donec per eius arcanũ reuelaretur, quod erat æternũ: & umbram ueritas sequeretur, merces ueritatem. Data igitur lex est, ut gratia quæreretur: gratia data est, ut homo fide iustificatus, per ipsam aliquo modo posset, quod nosset. In libro Altercat. capite primo. Radulphus ait: Lex ante iuuantem gratiam, peccatores quidem conuicit, sed peccata auferre non potuit. libro decimoseptimo, capite primo in Leuitic. Theophylactus: Ante Christum opportunũ erat gloriari in lege, iam uerò minimè opportunum est: siquidẽ inutilis esse lex demõstrata est. Quod si lex potuisset nos iustificare, non habuissemus opus Christo. in epist. Pauli ad Rom. capite tertio. Et: Lex fortior esset fide, & benediceret, & iustficaret hominem, si uiuificare potuisset, ac seruare: iam uerò occidit potius, quatenus non potest à peccatis liberare. Idem in epistol. Pauli ad Galatas, cap. 3. Et: Non ex mandatis iustificati sumus, hæc & hæc facere præcipientibus: uerùm si credideris in corde, & confessus fueris spiritu, seruaberis in ęternũ. idem in epistol. Pauli ad Ephes. cap. 2. Item: Lex cum non possit nos ducere rectè, seu iustificare, ad Christum nos remittit: atq; hic est ipsi scopus. Quocirca lege utitur legitimè, hoc est, quemadmodum ipsa lex iubet, qui Christum legi præfert. Idem ad Timotheum, cap. primo. Smaragdus: Lex iubere potest, iuuare non potest. in Euangelium Iohannis, capite ultimo.

Christum implere legem. Radulphus: Sicut per Christi gratiam legis adimplentur præcepta, sic per eius mortem & resurrectionem legalia complentur promissa. libro decimoseptimo, capite secũdo in Leuitic. Et Theophylactus inquit: Christus nouas leges introducturus ut ne putarent quòd Deo aduersarius esset, dixit, prius occurrens prauæ quorundam suspicioni, quòd non destruat, sed magis adimpleat

legẽ. Quomodo autẽ adimpleuit? Primùm quidem, quia perfecit omnia quę de eo prę dixerunt prophetæ. Deinde, & omnia mandata legis impleuit. peccatũ enim nõ fecit, neq; inuctus est dolus in ore eius. Quin & alia ratione adimpleuit legẽ, hoc est, denuò impleuit. quęcunq; enim illa adũbrauit, ea hic perfectè depinxit. Illa dixit, Ne occidas: hic uerò dixit, Ne iraſcaris temerè: ſicut & pictor nõ corrumpit lineamenta prima, ſed magis illuſtrat & implet. In Matth. cap. 5. Et: Chriſtus præſtitit ac trãſegit, quę lex nõ potuit. nã ipſe ab imbecillitate liberũ fecit corpus, uires illi adſpirans atq; confortans, ut nõ porrò peccati tyrannide opprimatur. Sed quemadmodum per pręuaricationem Adami mortale factum, facile ut à peccato uinceretur conſtitutũ eſt: ſic per obedientiã crucifixi, qui à mortuis reſurrexit, arrabone accepto, aduerſus peccatũ egregiè firmatur ſtatuiturq;. Theophylactus in epiſtol. Pauli ad Romanos, cap. 7. Et: Venit Chriſtus, & impleuit legem, & alia ſuſcipiens, & circumciſionẽ. Legem igitur ſimulac impleſſet, eſſetq; circumciſus, ſemen Abrahami factus, Dei irã diſſoluit, nosq; idoneos reddidit ut Dei promiſsionẽ acceptaremus. Eã enim ob rem accepit circumciſionẽ, ut promiſsiones Dei ueras efficeret, nõ ut legẽ ſtatueret. idẽ in epiſtol. Pauli ad Rom. cap. 15. Et: Dominus omnem iuſticiam impleuit in Spiritu ſancto, cum quo homouſius erat, id eſt eiuſdem ſubſtantiæ, habens ipſum naturaliter ſibi conuiuentem & coniunctum, ac per ſeipſum nobis communicans atq; donans, ut per illum iuſtificemur. Qui enim ſecundum Euangelium iuſti, reuera ſpirituales multis paraſangis præcellunt eos, qui olim in lege iuſtificabantur. in epiſtol. Pauli ad Timoth. cap. 3.

Quomodo peccatum regnarit uſq; ad Moſen, exponit idem: Peccatum regnabat tantiſper, dum lex Moſæ ferretur: hoc eſt, ante etiam legem. Quale igitur erat peccatum iſthuc? nónne, quod eſt ex tranſgreſſione legis? Ecqui tale peccatum eſſe potuit, quum lex non eſſet? Peccatum enim tum imputatur, quando eſt lex: porrò qui hanc tranſgrediuntur, neceſſariò dicuntur peccare. Atqui mors regnauit ad uſq; Moyſen: hoc eſt, priuſquã etiã lex daretur. itaq; peccatũ erat, per quod mors regnauit. Non regnaſſet autẽ, niſi fuiſſet peccatũ quoddã, mortem excitans ac ſtatuẽs: quia uerò demonſtratũ eſt, quòd peccatũ ex trãſgreſſione legis nondũ fuerit, relinquitur, peccatũ iſthuc eſſe peccatũ Adami, per quod mors regnauit etiã in eos qui non peccarant, per ſeſe uidelicet. Legẽ enim non accipientes, neq; tranſgredientes illã, neq; peccare dicuntur: attamẽ in ſimilitudine tranſgreſſionis Adami peccauerunt, ac cõmunicarunt primo ipſo delicti fonte & autore, qui eſt figura Chriſti. Vbi enim uetus Adam omnes obnoxios fecit proprio ſui ipſius delicto ac lapſui, etiã eos qui per ſe non erant lapſi: ſic Chriſtus omnes iuſtificauit, etiam eos qui haudquaquam iuſtificatione digna tranſegiſſent. in epiſtol. Pauli ad Rom. cap. 5.

De ceremonialibus legibus ſcribit Giſelbertus: Sicut fide licet ad Deũ erecti, nondũ uidemus quod ſperamus: ſic lex multa in ſe ſacramenta cõcluſerat, noſtris ſeruata temporibus, quæ populus ſub lege poſitus nõ uidebat. Veritas igitur umbris, ſpiritualia prævalẽt carnalibus, mellis clauſa dulcedo ſuo præſtat alueario. In lib. Alter. cap. 20.

Differentiam ceremonialium & moralium præceptorum ſic explicat Ansberrus: Præcepta uitæ figurandæ, Apoſtolo dicente, in decretis euacuata ſunt: ſed præcepta uitæ peragendæ, etiam ſub gratia ſtabilita ſunt, ipſo Apoſtolo cõfirmante, qui ait: Ergo per gratiã legẽ deſtruo? Abſit, ſed per gratiam legem ſtatuo. Quę ſunt autẽ præcepta uitæ figurandę, ut de multis pauca commorem, niſi carnalium uictimarum oblationes, quæ aut ſingularem illam hoſtiam pro nobis in altari crucis poſitam, id eſt, Dominum redemptorem ſignificabant: aut plurificationem parturiebant. Quæ uerò præcepta uitæ peragendæ, niſi illa decem in tabulis lapideis digito Dei ſcripta? In mandatis igitur uitæ peragendæ, impletur à credentibus lex: in mandatis autem uitæ figurandæ, iuxta literam importabilis quidem eſt, ſed iuxta ſpiritum tranſcenditur lex. Valde enim precioſius eſt, Deo ſemetipſum hominem hoſtiam uiuam offerre, quàm ſanguinem occiſi pecoris immolare. lib. 2. cap. 2. in Apocalyp.

Differentia mandatorum & teſtimoniorum recitatur apud eundem: Aliud ſunt mandata, aliud teſtimonia. Mandata namque Dei ſunt, quibus ad bene uiuendum inſtruimur. Vnde eſt illud: Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut teipſum. In quibus duobus mandatis, ſecundum Apoſtolum, tota lex pendet, & prophetę. Teſtimonium uerò IESV eſt, quod teſtificati ſunt prophetæ, imò Spiritus ſanctus per prophetas, de CHRISTI & Eccleſiæ ſacramentis. Hinc eſt illud primi prophetantis teſtimonium: Relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Quod Apoſtolus exponens, ait: Magnum eſt hoc ſacramentum: ego autem dico in CHRISTO & Eccleſia. Ergo

mandata

mandata ad charitatem, teſtimonium uerò ad fidem pertinere probatur. lib. 6. cap. 12. in Apocal. Et Theophylactus: Differt lex à mandato, quemadmodum uniuerſale à particulari. Legis enim alia ſunt decreta, alia uerò mandata. Decreta itaque legis, & inſtitutiones ſunt ſanctæ: mandata etiam de rebus gerendis, ſancta, iuſta & bona ſunt. Boni igitur & iuſti Dei ſunt legislationes: etiamſi hęretici nonnulli, praui Dei legem eſſe calumnientur. in epiſtol. Pauli ad Roman. cap. 7.

De legis abrogatione inquit idem: Lex nunquid eſt doctrina Dei? Erat quidem, cum ſuo tempore uigeret: hodie autem nō eſt, cū tempus eius expletū ſit. ad Col. cap. 3. Item: Niſi culmus eſſet, frumentum nō eſſet natum: attamen frumento uiſo & electo, inutilis deinceps eſt culmus. Hanc ad rationem lex eſt gratiæ confirmatio atque teſtis: enimuerò ſimulatque gratia illuxit, non eſt opus huius porrò literæ adſidere. Idem ad Philippenſes, cap. 3. Item: Ceſſarunt quidem ac deſierunt legitima hodie, quantum ad Dei uoluntatem pertinet: Iudæi uerò ut contentioſi, qui nunquam nō Spiritui ſancto repugnant, adhuc hodie legalibus occupantur. Idem ad Hebræ. cap. 10. Item: Cum Chriſtus acceperit primitias naturæ noſtræ, & profectus ad ſuperna in locum ſuum, ubi prius erat, in ſinum patris, tum ſtatim omnia deleta ſunt, quæ ad legis adminiſtrationem attinent. idem in Oſeam cap. 5.

Legem non eſſe abolitam, docet Theophylactus: Lex eſt plantatio Dei, non igitur illa eradicata eſt. Manet enim radix eius, ſpiritus qui in occulto eſt: folia autem, hoc eſt apparens litera, defluunt. Legem enim ultrà non iuxta literam, ſed iuxta ſpiritum intelligimus. Theophylactus in Matthæū, capite decimoquinto.

De pietate ſic ait Smaragdus: Pietas enim pars eſt iuſticiæ, quæ propriè (ut ait Auguſtinus) Dei cultus intelligitur. Iuſticia enim eſt æquitas uel rectitudo, quæ unicuiq; ſua tribuit. In epiſtol. Pauli ad Titum, capite ſecundo.

De timore inquit Ansbertus: Eſt itaque Domini timor in mente, ſed timoris duo ſunt genera. Alius enim timet ne incurrat gehennam, alius ne amittat uitam æternam: alius ne puniatur pro iuſticia, alius ne agat contra iuſticiam. Et illum perfecta charitas foras eijcit, iſtum uerò intus aſſumit. de illo dicitur: Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem. de iſto dicitur: Timor Domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi. libro tertio, capite quarto in Apocal. Et Smaragdus: Duo namque ſunt timores: unus, quòd timent homines Deum, ne mittantur in gehennam: ipſe eſt timor ille, qui introducit charitatem. Sed ſic uenit, ut exeat: ſi enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas, quem ſic times. Non bona deſideras, ſed mala caues: ſed ex eo quod mala caues, corrigis te, & incipis bona deſiderare. Dū bona deſiderare cœperis, erit in te timor ſanctus: ille ſcilicet, ne ipſa bona amittas: non ut mittaris in gehennam, ſed ne te deſerat præſentia Domini, quem amplecteris, & æternum frui deſideras. in epiſtolam Iohan. cap. 4.

De proximo ſic idem ſcribit: Nam ſi diligentius requiras qui ſit proximus noſter, diſces in Euangelio: illum eſſe proximum noſtrum, qui uenit, & iacentes nos uulneratos à latronibus, & nudatos à dæmonibus, iumento corporis ſui ſuperpoſuit: & ad ſtabulum Eccleſiæ detulit, & ſtabulario pro cura noſtra & diligentia, uel ipſi Paulo, uel omni qui Eccleſiæ præeſt, duos denarios, noui ac ueteris Teſtamenti, ad noſtræ curæ conceſsit expenſas. in epiſtol. Pauli ad Roman. cap. 13.

Falſus teſtis quid ſit, exponit idem: Falſus teſtis eſt, qui non eodem dicta ſenſu intelligit, quo dicuntur. in Matthęum cap. uigeſimoſexto: Marcum, capite decimoquarto: Lucam, de paſsione Domini capite uigeſimoſecundo.

## DE EVANGELIO.

EVangelium dicitur, eo quòd nunciet nobis res proſperas, & bene ſe habentes: hoc eſt, bona: nempe remiſsionem peccatorum, iuſticiam, reditum in cœlos, adoptationem in filios Dei. Nunciat autem, quòd facile & gratis hæc acceperimus, neque noſtro labore aſſecuti ſimus hæc bona: neque ea ex noſtris acceperimus bonis operibus, ſed gratis ex miſericordia Dei talia bona conſecuti ſimus. Theophylactus in Præfatione ſup. Matth. Et: Propter bona Euangelium eſt. Eſt autem uerbum ueritatis, neque ullum mendacium eſt in illo. Idem ad Coloſ. capite 1. Smaragdus: Euangelium, Εναγγέλιον, bona adnunciatio dicitur, natiuitatis ſcilicet Chriſti, paſsionis & reſurrectionis, & in cœlum aſcēſionis. In alijs locis Euangelium Chriſti dicitur. Marcus enim ait: Initium Euangelij IESV CHRISTI. uerùm, quia Chriſtus uerbum eſt, & in principio erat apud Deum, & Deus erat uerbum, unum atque idem dicitur Euangelium Dei, & Euangelium Chriſti. Ipſe enim Dominus dicit: Ego & pater unum ſumus. & pater loquitur dicens: Omnia mea, tua ſunt, & tua mea. & ideo Euangelium patris,

Euangelium filij est.in epistol.Pauli ad Roman.capite 1.

Vnde sit Euangelium, Theophylactus docet: Salus nostra non per prophetas aut angelos est promulgata primùm,uerùm ab ipso uniuersorum Domino, ab ipsoq; fortè principium sumpsit:dein translata est ad nos firmiter atque fideliter,per eos qui ipsi fuêre huius uerbi spectatores atque ministri.in epistol.ad Hebræos,cap.2.

Euangelij doctrina quæ sit,idem indicat:Euangelium (inquit) non docet defectionem aut inobedientiam erga magistratum,sed moderationem potius & tranquillitatem & obedientiam.in epistol ad Rom. cap.13. Et: Etiamsi præsentia confusionem habeant,futura tamen gloriam:atque hanc nobis annunciat Euangelium.Omne enim Euangelium futurorum est,non præsentium: uel gloriam cultum appellat Dei, quem Euangelium nobis inducit ac prædicat. idem in epistolam ad Timotheum, capite primo.

De fine Euangelij ait Theophylactus: Sicut sinapi uidetur quidem paruũ esse,multam autem habet uirtutem : ita & sermo Euangelij contemnitur quidem à multis, & apparet esse stulticia': cum uerò illum homo susceperit, & miserit in hortum suæ animæ, arborem magnam facit, ita ut & ramos dilatet,ac uolatilia cœli:hoc est,homines qui in sublime uolare nituntur, nidos habeant in ramis . Qui enim supergressi sunt terrestria, in ramis prædicationis, hoc est in dilatatis sententijs quiescunt. idem Luc.cap.13.

De differentia Legis & Euangelij Giselbertus inquit:Per Mosen lex figuratur, per Aaron CHRISTVS. Graues manus Mosi, dura præcepta legis sunt, quæ gratia Euangelij & gratia Spiritus sancti euacuauit. Moses sedet in lapide, cum lex requieuit in Ecclesia: sed Aaron qui dicitur mons fortitudinis, & Vr qui dicitur ignis, sustentabant manus eius, quia graues erant: quia CHRISTVS IESVS in Spiritu sancto ad misericordiam totum reflexit, quod duritia ueteris legis puniendo damnauit . In libro Altercat. capite 9. Item:Hoc interest inter legem operum & fidei,quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit, Non concupisces: ista dicit, Cum scirem, quia nemo potest esse continens,nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum, adij Dominum,& deprecata sum. Ipsa igitur est illa sapientia, quæ pietas uocatur, qua colitur pater luminum, apud quem non transmutatio, nec uicissitudinis obumbratio . In libro Altercat . capite nono. Et Ansbertus ait: Lex quæ iuxta literam foris uidebatur, non æterna, sed temporalia promittebat: Euangelium uerò quod intus celabatur, non temporalia, sed æterna despondebat. libro tertio, capite quinto in Apocalyps. Et Theophylactus inquit : Vetus lex promittebat,eos qui in illa Deo placebant,implendos longitudine dierum : Euangelium autem non temporariam uitam largitur, sed æternam & indissolubilem. In Iohannem capite tertio. Et: Sicut Moyses minister fuit legis, sic & nos uestrę in uerbum fidei ministri extitimus. Et perinde ut is tabulas lapideas habuit, sic & nos uestra corda. Lex porrò atramento scribebatur , Euangelium autem in uobis per Spiritum scriptum est. Quanto igitur interuallo spiritus ab atramento distat,& cor à lapide,tantum & nouum Testamentum à lege discrepat.idem in epistolam ad Corinthios secundam, capite tertio. Et : Lex si acceperit quempiam peccantem, etiamsi hoc minimum ipsum fuerit, ueluti si quis in Sabbato ligna collegisset,eum tollit è medio:Spiritus autem sanctus eos qui innumera flagitia commiserunt, suscipiens in lauacro baptismatis, iustificat, mortuosq; peccato uiuificat. Idem in epistolam Pauli ad Corinthios secundam, cap. tertio. Item: Cum Paulus legem dixisset ministerium mortis, consequens erat dicere, Euangelium esse ministerium uitæ:at quod maius est dixit,ministerium Spiritus. Nouum namq; Testamentũ suppeditandi facultatem habet , non uitam modò:at quod maius est, Spiritũ quoque ipsum, qui uitam suppeditat. Multo igitur celebrius erit lege.ibidem.

## DE IVSTIFICATIONE.

QVid sit.Giselbertus: Hęc est iustitia fidei, credere quod non uides, & ipso merito fidei ad uisionem suo tempore peruenire. in libro Altercat. capite septimo.

Iusticia Dei quid,apud eundem: Iusticiam Dei dico,non qua Deus iustus est: sed qua induit hominem, cum gratis iustificat impium. Huic iusticiæ testimonium perhibent lex & prophetæ.lex quidem hoc ipso quod iubendo & minando, & neminem iustificando,satis indicat dono Dei iustificari hominem per spiritum uiuificantem. Prophetæ autem, quia id quod prædixerunt, Christi impleuit aduentus. In libro Altercat. capite octauo. Et Theophylactus ait: Iusticia Dei seruat nos, non nostra. Qualem enim iusticiam nos habemus, exiccati operibus, & corrupti? At uerò Deus iustificauit nos, non ex operibus nostris; sed ex fide, quæ ad fidem ubertatem

norem & maiorem promouere debet. Nec enim satis est primùm credidisse: cæterùm ex introductoria fide opus est nos ascende re ad consummatiorem fidem, immobilem nempe & firmam sedem seu stabilimentum. sicut & Apostoli dixerunt ad Dominum: Adijce nobis fidem. Postquam expertijt, excedunt humanas cogitationes, meritò nobis fide opus est. in epistol. ad Romanos capite 1. Et: Dei iusticia est, quę ex fide est: hæc non indiget laboribus operibusue nostris, uerùm tota ad gratiam Dei pertinet. Moses adserit per opera iustificari hominem, opera uerò nemo inuentus est explere. Ergo impossibile est in lege iustificari. Idem in epistol. ad Romanos capite 10. Item: Hæc est Dei iusticia, cum quis gratia iustificatus fuerit, ut nullus in eo nęuus, nulla ue macula inueniatur. idem in epistol. ad Corinth. 2. cap. 5.

Vnde fit. Giselbertus: Non tantum modò potuit Adam suæ posteritati conferre ad damnationem, quantum suis Christus ad saluationem. Itaq; maius donum quàm delictum: maior est causa CHRISTI, quàm Adæ: & plura bona uenerunt ex gratiæ dono, quàm ex simplici delicto. Ex protoplasti inobedientia, communis omnium facta est una ruina: ex CHRISTI obedientia, multiplicata sunt Spiritus sancti charismata Ecclesiæ. In CHRISTO ergo imago & similitudo nostra: quia ipse est caput, corpus eius Ecclesia. In libro Altercat. capite quarto. Item: A Deo indubitanter fit salutis exordium, nec per nos unquam, nec nobiscum: uerùm consensus & opus etsi non ex nobis, iam non tamen sine nobis. ibidem. Item: Ab Adam usque ad CHRISTVM septuaginta septem generationes sunt, quibus peccatum Lamech per diluuium, id est totius mundi, deletum est in sanguine Christi. In libro Altercat. capite sexto. Et: Arcus iste, Christus signum propitiationis est: quia ipse solus propitiatio pro peccatis nostris est. Habet autem duos colores, uiridem & rubeum, in quibus aperte monstratur aqua baptismatis, & sanguis redemptionis: quia per hæc duo etiam emundamur à peccatis. Per hos item duos colores dispares, duo iudicia aduertimus. Vnum per aquam, iam factum: aliud per ignem, faciendum. Arcus iste iam positus est in nubibus pro signo fœderis, quia in Christo nobis spes crescit salutis, prędicatorũ doctrinis & miraculis. in eodẽ cap. 6. Et: Sicut triũ Magorum corda, ex ortu sideris, mox illuminata sunt inspiratione diuina: sic omnis homo ex illa uera luce, quæ illuminat omnem uenientem in hunc mundum, illuminatur, mox ut ei lumen uitæ annũciatur. Quos enim ad uitam æternam indebita gratia prædestinauit, hos & uocauit, uocatos iustificauit, iustificatos glorificauit: nec temporis interuallum uel localis distantia intercludit à gratia. illumĩnatur, qui semper affuerunt, ut futuri sint diuinę pręscientiæ. in lib. Altercationis, capite 7. Et: Perfecta scientia est, & consummata iusticia, eum nosse, illiq; per charitatem & passionis suæ iugem memoriam adhærere, in quo & habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & sciĕtiæ Dei abscõditi. Qui enim proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis donauit? In libro Altercat. cap. 22.

Et Ansbertus inquit: Agendæ sunt gratiæ Redemptori nostro, qui nos proprio sanguine redemit de maledictione legis, factus pro nobis maledictum: quiq; dedit, ut spiritu dilectionis suæ non solum impleri, uerumetiam spiritaliter lex posset transcendi, quæ per seruilem timorem carnaliter in suis seruationibus uix poterat enumerari. libro secundo, capite secundo Apocalyp. Et: Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho. Ac si diceret: Humanum genus in primo parente à paradisi gaudijs ad ęrumnam mortalitatis, impulsu antiqui serpentis, in principio pariter defluebat. Sed huius miseriam intuẽs autor eiusdem humani generis, quia eum per inobedientiam foras exisse condoluit, formam serui suscipiens: ad hoc unde exierat, effusione sanguinis sui reduxit: factus utique pro inobediente obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Idem lib. secundo, capite tertio, in Apocalypsin. Item: Mediator noster nascendo, moriendo, resurgendo, atque ad cœlos ascendendo, cunctis fidelibus innotuit, quia ipse esset redemptio mundi. Idem libro tertio, capite quarto, in Apocalyp. Et: Per Spiritum sanctum remissio peccatorum datur. apud eundem lib. sexto, cap. decimotertio in Apocalyp. Et Radulphus ait: Nemo cœlesti ascensu dignus est, nisi purgatus à peccatis. Peccata namq; infernum potius expectant, quàm cœlum: mortem merentur, non uitam: tormenta, non gloriam. Hęc autem auferre non potuit agnus ille paschalis, sed ille potuit de quo scriptum est: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Impossibile, ait Apostolus, sanguine hircorum atq; taurorum auferri peccata. Hic uerò quia dilexit nos, lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. libro duodecimo, capite 1. in Leuitic. Et: Ex auditu legis diuinæ

diuinę concipimus fidem,& Dei discimus uoluntatem:sed ut fides eadem uiua sit,& operando quam didicit iusticiam,certam spei nostræ præbeat nobis læticiam, charitate animãda est, & oleo illo impinguãda, de quo dicitur: Oleum de capite tuo non deficiat.&: Quia impinguasti in oleo caput meum.Idem lib.17. cap.4.in Leuitic. Itẽ: Vendideramus nos Pharaoni, principi uidelicet huius mundi,qui à Deo diuisus est, cui seruiebamus in luto & latere in operib. terrenis:sed redemit nos Dominus precio sui sanguinis, & eduxit nos de lacu miserię, & de luto fecis.Idẽ lib.19.cap.8.in Leuitic. Et: Quicquid enim pro se faceret homo, ad obtinendam ueniam nequaquam sufficeret, nisi peccatorum pœnitẽtiam iusti illius unici immaculata hostia commendaret.Idem lib.2.capite 4.in Leuitic. Et: Quid est igitur,quòd uituli sanguis ad altaris basin funditur,nisi quòd electorum conscientiæ Christi passione mundantur? Testatur hoc Apostolus in epist.Pauli ad Hebræos:Si(inquit) sanguis hircorum & taurorum,inquinatos sanctificat ad emundationem carnis:quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo,emundabit cõscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo uiuenti. eodem loco. Et:Moritur,qui caput suum nudat:quia dũ aliunde quàm de Christi gratia salutem expectat,ipsum Christum,qui uita & salus est, à se alienat.Idem lib.7.cap.3.in Leuit. Et: Tu Domine IESV ęterna cœlestium gloria, ac beata spes mortalium, tu donas peccatoribus ueniam,infirmis uirtutem,pollutis sanctitatem.Tu promittis fessis requiem, mœstis læticiam, morientibus uitam sempiternam. Idem in Præfat.lib.12.in Leuit. Et: Quemadmodum statutum est hominibus semel mori: sic & Christus semel oblatus est, ad multorum exhauriẽda peccata. Idem lib.12.cap.1.in Leuit. Et:Si uerbũ caro factum est, si Deus in terra natus est, & humiliauit se usq; ad mortem crucis: nunquid tanta res sine causa fieri potuit? nunquid sine fructu? Nequaquam : sed quotquot receperunt eum,data est eis potestas, ut filij Dei efficiantur : & habemus fiduciam in introitu sanctorum, in sanguine Christi. O rex, tantæ memor es gratiæ, tantæ inquam gratiæ memor es,quia reparatur reus homo Dei morte.Quid retribuemus tibi pro omnibus, quæ collata nobis agnoscimus?Idem lib.12.cap.1.in Leuitic. Et: Expiatio ad Christũ pertinet, mũdatio ad nos.Ipse enim expiat nos sanguine suo, cuius asperfione mundamur. Idem lib.12. cap.2.in Leuit. Et:In redẽptore nostro sic repositа est generis humani læticiа, ut nisi per illum, nulla salutis spes sit cõcipienda. Idem lib.16.cap.3.in Leuitic. Et: Quæ est oblatio Dominica, nisi qua Christus Dominus,cum adhuc peccatores essemus,semetipsum obtulit pro nobis? Hæc eius oblatio usq; ad cõsummationẽ seculi,per doctores populis annũciatur, ut in illius recordatione salus sit gentibus. Et sicut mulier illa fluxũ sanguinis sustinens,tactu fimbriæ uestimenti eius sanata est:sic Ecclesia per passionis sacræ memoriã,quę à præsentia Christi corporali usq; ad nos demissa est, salutẽ cõsequatur perpetuã. Idem lib.17.cap.5.in Leuitic. Et Theophylactus inquit:Nõ debebat nobis Deus quicquã, sed ex gratia filiũ suum nobis dedit in mortẽ:non pro fidelibus tantũ,sed pro uniuerso terrarũ orbe.Et si enim non omnes sint seruati, ipse tamen quod sui officij erat,impleuit.In epistol.ad Hebræos,cap.2. Et Smaragdus ait: Dilectio patris unde probata est in nobis? quia filium suum unicum misit mori pro nobis, sicut & Paulus apostolus dicit : Qui proprio filio suo non pepercit.in epistol.Ioannis,cap.4.

Deum uelle ut omnes salui fiant, docẽt: ut,Sicut solis radius,uel lunæ globus ęqualis est omnibus:sic uult Deus omnes homines saluos fieri,& ad agnitionem suæ ueritatis uenire : tribuens Ecclesiæ suæ diuersorum charismatum munera, per quæ humanæ occurrit ignorantiæ, prompta quãbusq; quod accepit dispertitæ gratiæ differentia diuidere.in lib.Altercat.cap.3.

Ex misericordia & gratia . Ansbertus: Gaudeamus & exultemus , & demus gloriam ei:quoniam uenerunt nuptiæ agni,& uxor eius præparauit se.In eo autem illi datum est omnibus meritis bonorum actuum,sed sola nos eius misericordia, ad tantam dignitatẽ peruenisse fateamur.lib.8.cap.19.in Apoc. Item:Pręueniente gratia saluamur,& subsequẽte iustificamur. Et paulo pòst:Gratia prędicat hominẽ,ut ei quò pergere debeat,iter ostendat:ipsa & subsequitur,ut ad id quod ostendit,etiã impellat. Idẽ lib.10. cap.22.in Apocalyp. Et Theophylactus inquit: Iustificatur omnes gratis gratia Dei,quæ gratia per redemptionẽ fit:hoc est,perfectam liberationem,quam operatus est Christus.ipse enim sese in preciũ redemptionis dans, iustificauit nos.In epistol.ad Rom.cap.3. Et: Seruauit nos æternùm , non ex operibus quæ fecimus: hoc est, neq; fecimus opera iustitiæ, neque per hæc conseruati sumus: sed uniuersam salutem bonitas ipsius atq; clemẽtia operata est. idem in epist.ad Titum, capite tertio.

Fide

Fide nos iustificari, docet Giselbertus: Fides legem præcesserit, quæ sine lege fideles iustificauit, ac per hoc fides tum dignitate tum tempore superior fuit. In lib. Altercat. cap. 1. Item: Gratia data est, ut homo fide iustificatus, per ipsam aliquo modo posset, quod nosset. Ibidem. Et: Sanctorũ in Ecclesia Christus est hæreditas, cui dicũt: Dominus pars hereditatis meę, & calicis mei. tu es qui restitues hereditatẽ meã mihi. Nõ enim qui filij carnis, hi filij Dei: sed filij promissionis deputantur in semen. Manifestũ est enim, Abraham patrem nostrum prius placuisse per fidem, quàm per circumcisionem: dum uidemus infinitum numerũ Hebræorum periisse circumcisum, & alios absque hoc signo etiam ante aduentum Christi, sola fide gratiam uitæ promeruisse. Igitur hæreditas nostra CHRISTVS IESVS, quem accepimus per fidem, non per carnis circumcisionem. In lib. Altercat. cap. 13. Et Radulphus inquit: Homo per peccatum sese contaminatus, iam à reatu suo sanctificari non potest, nisi per fidem illius qui sanctus sanctorum per prophetam nominatus est. Sicut enim per inobedientiã unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obeditionem iusti constituuntur multi. Neq; enim aliud nomen est datum hominibus sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri. lib. 15. cap. 4. in Leuit. Et Theophylactus ait: Vnde sancti facti estis? Nónne per baptisma in mortẽ Christi? Vnde fideles? nónne quia Christum creditis? nónne quia tanta sunt nobis à Christo credita mysteria? Fideles autem non ideo tantum uocamur, quia credimus: sed quia credita sunt nobis de Deo arcana, quæ ne angeli quidem norant. Vnde fratres? num per propria opera, uirtutis úe operationes? Minimè, uerùm in Christo. in Epistol. ad Colos. cap. 1. Et: Oportet nos credere, si iusti futuri simus. Sin autẽ subtraxerit se iustus, id est, ambiguitatẽ quandam patiatur, uel hæsitationem: uel subtraxerit, id est, tentationibus succubuerit, non habet oblectatio nem in eo anima Christi. Idem in epist. ad Hebræos, cap. 10. Item: Iustus factus ex fide, habet uitam siue futuram, siue illam ipsam iustitiam. Ex operibus enim legis nulla iustificatur caro. lex enim iram operatur, si quis eam transgressus fuerit, & interimit præuaricantes: fides autem per gratiam soluens delicta, iustificat. Idẽ in prophet. Habacuc, cap. 2. Et: Deus iustificauit nos, non ex operibus nostris, sed ex fide. Idem Ioh. 7. Item: Lex quidem uoluit iustificare hominem, non potuit autem præstare: fides autem illud perfecit. Etenim per fidẽ quisquam iustificatur: haud igitur destruit legẽ fides, sed statuit potius. Per hoc statuendi uocabulum, ostendit iacere legẽ. Nam qui iacet, opus habet erectore, qui ipsum statuat, erigatq; in pedes. Idem in epist. ad Rom. cap. 3. Item: Fides est quæ omnia efficit, & iustificat, non opera. idem Rom. cap. 9. Et: Quoniam oportebat nos misericordia donatos, non segnes neq; desides atq; inutiles esse, sed aliquid etiam adferre: dicit propheta, Desponsabo te mihi in fide. Accedentem enim ad Deum, credere necessum est. Nam illic in fide est agnitio Dei. Nisi enim credideritis, inquit, nihil quicquam intelligetis. Idem in Oseam prophetã, cap. 2.

Sola fide nos iustificari, Giselbertus docet. Quid de salute illorum coniectare possumus, qui uel ante diem octauum mortui sunt, uel in deserto infra quadraginta annos nati mortui sunt? Credendum est, quia sola fide saluati sunt: siue propria, qui credere potuêre: siue aliena, qui credere non potuerunt. In lib. Alterc. cap. 1. Et: Quis tantæ cæcitatis obscuratus est ignorantia, ut non uideat omnia ferè legis scita magis ad sensum typicum, quàm ad literam referenda? Hinc manifestè cognoscimus, nõ iustificari hominẽ præceptis bonæ uitæ, nisi per fidem Domini nostri: hoc est, nõ litera, sed spiritu: non lege operũ, sed lege fidei: nõ factorũ meritis, sed gratuita gratia. In lib. Altercat. cap. 10. Et Theophylactus: Demõstrato, quòd lex maledictos faciat, fides autem benedicat: ostendit iam nunc, quòd & fides sola iustificat, & non lex. Citat aũt Habacuc dicentem, quòd ex fide iustus sit uicturus, & nõ ex lege. Lex enim non solum fidem postulat, uerum etiam opera. Pulchrè autem dixit, Apud Deũ. apud homines enim iusti forsan uideri queãt lege detenti, ut Pharisæi iustificantes seipsos coram hominibus. Quia igitur lex ob difficultatem operum non iustificabat, sed maledictioni potius subiugabat: uenit gratia facilem uiã ostendens, fidẽ uidelicet, per quam iustificati benedicimur. En demonstratũ est igitur, quòd nedũ ante legẽ benedicebat & iustificabat fides, sed post legẽ etiã potius. in epistolã ad Gal. cap. 3. Et Smarag. Vt necesse esset sola fide Christi saluare credẽtes. in epist. ad Gal. cap. 3. Et: Quia perfecti estis in fide, perfecti estis in cõuersatione, in sola Christi fide spẽ ponentes, & in cõuersatione cœlesti cõuersantes. Idẽ in epistolã ad Philip. cap. 3. Et: Secundum quod proposuit, nõ ex operibus legis, nec legalibus sacrificijs: sed sola fide, & sanguinis sui effusione, saluare quos præscierat credituros: & quos gratis uocauit ad salutem, multo magis glorificauit operantes. Idem in epistol. Pauli ad Roman. cap. 8.

De fide

De fide Theophylactus inquit: Omnis fides est granum sinapis. cõtempta enim putatur propter stulticiam prędicationis: attamẽ si ceciderit in terram bonam, crescit in arborẽ, in quo uolatilia cœli, hoc est cogitationes summa petentes nidulantur. Igitur quisquis habet omnem fidem, ille potest dicere monti huic, Demigra: hoc est, dęmoni. ostendebat enim, quòd exiret dæmoniũ. in Matth. cap. 17. Et: Qui magna affectione credit, cor suum omnino extendit ad Deũ. Et quid facit? uniturilli. Et feruefactum cor eius, magnam certitudinem sumit, quòd uoti compos fiat, id quod experti sciũt omnes. Opinor autẽ, omnes hoc experiri, qui uel mediocriter attendunt. propterea dicit Christus: Quòd omnia accipietis, quę cum fide petitis. Qui autem credit, totum se dat Deo, cum lachrymis illi colloquens, quasi pedes Domini precando tenere se putans. Theophylactus in Marcum, cap. 11. Item: Omnis anima, si contigerit uestem, hoc est incarnationem IESV, & crediderit quòd incarnatus sit filius Dei, sanctificabitur. Idẽ in Lucam, cap. octauo. Et: Credere possumus & ex parte & in totũ, ut si quis speret in salutem populi uenturum, non in salutem animarum, sed restitutionem & liberationem populi Iudaici: is non quantum oportet credere, credit. & rursus: Si quis credat Dauidi dicẽti, Foderũt manus meas & pedes meos, & cętera quæ de cruce, & alijs quæ in cruce facta sunt, tanquam ex persona Domini prædicit: & recipit ea quæ de passione dicuntur, ea autem quæ de resurrectione non curat: uti est hoc, Quia nõ dabis sanctum tuum uidere corruptionem, & similia, non habet perfectam fidem, sed ex parte. Oportet autem in omnibus, tam his quæ gloriæ sunt, quàm quæ ignominię, credere prophetis. Idem in Luc. cap. 24. Et: O magnum lucrum est, & supra humanã mentem, ut omnis qui credit in illum, duo illa lucretur. unum quidẽ, quòd non perit: alterum, quòd uitam habet, atq; uitã æternã. Idem Iohan. 3. Et: Fides erga Christũ profectò est opus sanctũ & perfectũ, & sanctificans illos qui eam habent. Dux enim sit diligens, fides ad omnem bonam operationem, & bona operatio conseruat fidem. Nã & opera sine fide mortua sunt, & fides sine operibus. Theophylactus in Iohan. cap. 6. Et: Non laborũ circuitionumq; usu & exercitio, non legis operum afflictione: uerùm Deus perficiens & concidens, uel abbreuians sermonem fidei in uniuersa terra, hunc facit in iusticia: hoc est, ut iustificet eos qui illũ susceperint. Si enim cõfessus fueris ore tuo Dominũ IESVM, crediderisq; in corde tuo, quòd Deus excitauit ipsum ex mortuis, seruaberis. Idẽ Rom. cap. 9. Et: Indubitata fides de futuris rebus credere perinde facit, tanquã sint præsentia, quæ & miracula perficit, quæ est adeò ignita & calida, ut & montes transferat. Quemadmodum igitur scutum uel clypeus, omni corpori obiectus est, ceu ianua quędam custodiens & concludens ipsum: hanc ad rationem fit & concludens ipsum: hanc ad rationem fit & indubitata fides animæ est in custodia. Fides est scutum, non uana hominum & pseudodidascalorum sophismata, impostu ræ & deceptoriæ argutationes: scutum fidei contegit, ista uerò impediunt. Fides omnes extinguit tentationes & mala. si enim dæmones sibi subijcit, quanto potius adfectus? Si enim concupiscentia te inflammat, futuris bonis credens, obuenturæ lætitiæ, eam extingues: siue tentationes te inuadant, fidem adhibens futuris bonis, consolationem recipies. Reputa tecũ quomodo ureretur Abraham, quando gnatum offerret: sed fides flammam istam extinguebat. Si enim fidem habeamus, quæ nos seruet & custodiat, protinus seruanteis etiam cogitationes accipiemus, quæ caput nostrum seu præcipuam & principem nostri partem conseruent. idem ad Ephes. cap. 6. Et: Noueris à Deo non esse exigendam rationem, sed siue præsit, aut non præsit: siue tueatur, aut non tueatur, credendum ei. idẽ ad Hebræos, cap. 3.

Quales iustificẽtur. Theophylactus: Qui iustificauit nos cum peccatores essemus, ad iuuabit etiam nos ut custodiamur in iustificia ipsius. per ipsum enim accessum obtinuimus. Quod si, cum procul essemus, adduxit nos: quanto magis propinquiores ac uiciniores nos redditos retinebit? Adduxit autem nos in gratiam hanc. Quomodo? in fide, hoc est, fidem adferentes. Quæ uerò qualis úe est gratia isthæc? Omnium bonorum assecutio, quæ per baptisma nobis dedit: in qua stamus, firmitudinem & rotigerũt: in qua stamus, firmitudinem & robur mutationis omnis expertia habentes. in epistol. ad Rom. cap. 5.

Omnes iustificari, docetur apud eũdem: Siue serui siue liberi, siue pueri siue senes, siue barbari siue Græci, quotquot receperũt eum, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri. Qui autem sunt illi? hi qui credunt in nomine eius: hi scilicet, qui susceptо uerbo lucem ueram per fidem receperunt & declarãtur. Iohan. 1.

Omnes æqualiter iusti. Giselbertus: Iusti qui erant ante aduentum Christi, non diuiduntur à nobis mercede, sed tępore. in lib. Altercat. cap. 13.

De effectu iustificationis inquit Theophylactus: Si edere à ligno unum hominẽ, mortem fecit regnare: multo magis nos gratię cùm

cum exuberantiam tum copiam & largitatem accepimus, & iustificati sumus, uiuemus & regnabimus, per unum IESVM CHRISTVM, cuius fratres & concorpores (ut ita dicam) atq; adeò eiusdem cum ipso corporis sumus: ac perinde ut corpus capiti adnexum est, consimilem ad rationem nos ipsi uniti sumus. Nec enim simplex & unius speciei bonum accepimus, ut ad futura bona dubio simus animo: sed exuberantia gratiæ nostra bona sunt. Quemadmodum si quis quia multa debeat, in carcerem cum uxore & liberis conijciatur. deinde non solum liberetur à carcere, adeoq; debito, cæterùm innumera simul talenta recipiat: ac in regiam aulam introductus, præclarè principatu donetur, dignusque eo iudicetur, regisq; filius constituatur. in epist. ad Roman. cap 5. Item: Iusticiæ fructus est sanctificatio, & puritas, & castitas: finis uerò, uita æterna. Idem in epistol. ad Roman. cap. 6. Et: Non sola fides sanctificat, sed & uita. Simulac enim credidimus & baptizati sumus, accipimus Spiritũ. Enimuero nisi uita accesserit Spiritu Christo; digna, gratia Spiritus extinguitur. Idẽ Rom. 5. Item: Omnes sunt homines Dei, peculiariter uerò iusti, non sola creationis ratione, sed uendicationis etiam, quòd Dominus eos sibi peculiariter uendicet. Porrò si Dei homo es, ne quæras auertentia te à Deo. Idem ad Timoth. cap. 6. Smaragdus inquit: Grandis honor credentibus in Christum donatur, ut sint uidelicet fratres Domini IESV CHRISTI, & filij patris altissimi: ut sint hęredes Dei patris, cohæredes autem Christi. Grandis, inquam, honor est eis, ut fulgeãt sicut sol in regno patris, & sedeant super duodecim tronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Grandis honor est eis, quibus filius Dei dicit: Sicut dilexit me pater, & ego dilexi uos, manete in dilectione mea. Et uos amici mei estis: & iam non dico uos seruos, sed amicos. Grãdis honor est, quibus dicit: Quodcũq; petieritis patrẽ in nomine meo, dabit uobis. Et iterum: Videbo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrũ nemo tollet à uobis. Quibus dicit: Ipse enim pater amat uos, quia uos me amatis, & creditis. Grandis honor est eis, pro quibus patrem filius exorans ait: Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unũ, sicut & nos. & item: Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus: ego in eis, & tu in me: ut cognoscat mundus, quia tu me misisti: & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Grandis honor est credentibus, pro quibus dicit: Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut uideant claritatem meam, quã dedisti mihi. in epistol. Petri, cap. 2.

Iusticiam uniuersalẽ sic describit Theophyl. Iusticia est uirtus uniuersalis, quemadmodum etiam solemus iustum appellare, qui inculpatæ uitæ est. Quinetiam Dominus: Nisi, inquit, exuberet iusticia uestra plus quàm scribarum & pharisæorum. omnem enim uirtutem hic dicit. Sanctitas autem, puritas est, atq; adeò implere quod à nobis Deus exigit. Quemadmodum & in uita defunctis dicimus iusta uel sancta, quãdo quis quæ debentur ei perfecerit: & ἀφωσιωσάμην, hoc est expiationẽ feci. Quia uerò & in ueteri Testamento iusticia dicebatur, illam huius fuisse figuram affirmat. in epistol. Pauli ad Ephesios, cap. 4.

## DE FIDE.

FIdes quid sit, Theophylactus exponit. Fides est essentia eorum quę non sunt, subsistẽtia eorum quæ nondum subsistunt: ut resurrectio nondum subsistit, sed fides statuit eam, obq; oculos nobis ponit. Item: Fides facit ut ista mente nostra cernamus, haud secus ac si in præsentia esset. in epistol. ad Hebræos, cap. 11. Item: Postquam fides reprehenditur apud non intelligentes uirtutem ipsius, qui adseuerant eã esse rem indemonstrabilem, adeoq; manifestam impostura: ostendit Paulus, quòd maxima quæq; per fidem transigantur, & non per rationem, aut consilia humana. Nam quòd Deus uerbo, quæ sunt, ex ijs quæ non sunt creauit, quæ demonstratio nobis exhibuit? nulla sanè, sed sola fides. Fide igitur intelligimus consummata esse secula: hoc est, facta esse uerbo Dei. Cur fide? quia quòd ex inuisibilibus, & ex ijs quę non uidentur, facta sint quæ uidentur, fide opus habeat. Idem in epistol. Pauli ad Hebræos, cap. 11.

De fide duplici, Theophylactus inquit: Fides duplex est. altera nostra: ut, Fides tua te seruauit. altera uerò donum Dei, per quam miracula fiunt. ut cum ait Christus: Si habueritis fidem instar grani synapeos, dicetis monti huic: Transfer te hinc illò, & transferetur. ad Roman. cap. 12.

De fide historiæ, inquit Radulphus: Per fidem historiæ tam ueteris quàm noui Testamenti, intramus templum Dei, & incorporamur populo Dei. lib. 10. cap. 1. in Leuit.

Vnde fides. Theophylactus: Fides recta ex Scripturis est. Eius gratia inquit: Qui credit in me, sicut Scriptura dicit: hoc est, quemadmodũ testatur de me Scriptura, quòd filius sum Dei, quòd creator, quòd dñs uniuersi. Multi enim putãt se credere, sed nõ ut dicit Scriptura: atq; ita suas sequuti sunt sectas, quales sunt omnes hæretici. In Ioan. cap. 7.

Et Smaragdus: Descendit fides, quia desuper est. in Lucam cap. 24.

Fides per uerbum contingit. Radulphus: Si mensis septimus, tempus fidei gentium intelligitur: quæ erat prima dies mensis huius, nisi sub prædicatione Apostolorum, quando in omnem terram dispersi usq; in fines orbis, tanquam tubæ cœlestes, Christi Euangelium sonuerunt. Fides enim ex auditu, auditus autem per uerbum Christi. Quomodo autem audient sine prædicante? In tuba igitur prædicationis, nostræ fidei prima dies est. lib. 17. cap. 1. in Leuitic.

De natura fidei, inquit idem: Vestibulum nobis est, quia per fidem tendimus ad speciem. Quandiu credimus quod nondũ uidemus, quasi extrà adhuc sumus: cum autem eò peruenerimus, tum fides non erit, sed species. extra uestibulum ergo nulla hostia immoletur, quia extra fidem spes salutis non datur hominibus. quippe sine fide impossibile est placere Deo. lib. 2. cap. 2. in Leuitic. Item: Hæc fides, nec quicquid ad fidem pertinet, absq; charitatis adiutorio sanctificare potest. Fides namq; sine operibus, teste apostolo Iacobo, otiosa est. Operari autem sine charitate non potest: quia fides est, ut ait Apostolus, quæ per dilectionẽ operatur. Idem lib. 6. cap. 2. in Leuit.

Eadẽ fides utriusq; Testamenti est, ut Giselbertus docet: Fides una est utriusq; Testamenti: quia quod nos credimus factũ, illi crediderunt faciendũ. in lib. Alterc. cap. 3.

De fidei effectu ait Smaragdus: Si fides in nobis, Christus in nobis: ergo fides tua de Christo, Christus est in corde tuo. In Euangel. Ioan. cap. 11.

De incredulitate inquit Theophylactus: Quid est, Qui credit in filiũ, nõ iudicatur? Nunquid si immũdã egerit uitã, nõ iudicatur? Maximè quidẽ. non enim uerè fideles sunt eiusmodi, ut Paul. dicit: Deũ enim (inquit) fatẽtur se scire, operibus autẽ negãt. ueruntamen hoc loco dicit, quod propter ipsum credere, nõ iudicatur, dabit autẽ pœnas graues malorũ operũ: propter incredulitatẽ autẽ quã nõ habet, non punietur (semel enim credit) at qui nõ credidit, iã iudicatus est. Quomodo? primùm quidẽ, quoniã & ipsa incredulitas, condemnatio est. Esse enim extra lucem, per se maximũ supplicium est. in Iohan. cap. 3.

## DE BONIS OPERIBVS.

SMaragdus ait: Spiritales autem hostiæ opera nostra, eleemosynæ & præces dicuntur, ad distinctionem carnalium, intellige uictimarũ. in epist. Pet. cap. 2.

Quòd bona præstanda sint, Radulphus docet inquiens: Apostolus sobriè & iustè & piè uiuẽdum nos edocet: sobriè, scilicet ad nos: iustè, ad proximum: piè, ad Deum. li. 6. cap. 1. in Leuit. Et: Sicut uitatur peruersa actio, ne humanos aspectus offendas: sic etiã uitãda est uoluntatis deprauatio, ne occulto inspectori displiceas. Idẽ lib. 8. cap. 1. in Leuit. Itẽ: In morũ compositione aliud est quod sibi debet homo, aliud quod proximo: sibi quippe sobrietatẽ, proximo debet iusticiã. unde & Apostolus sobriè & iustè uiuere nos admonet in hoc seculo, expectantes beatã spem & aduentũ gloriæ magni Dei. Idem lib. 9. cap. 3. in Leuitic. Et Theophyl. inquit: Nõ oportet solũ fugere malitiã, sed etiã facere fructũ uirtutis. Declina enim (inquit) à malo, & fac bonũ. in Matth. cap. 3. Et Christus docet nos, si fidẽ absq; operibus habuerimus, nihil nobis eã profuturã. Ibidẽ. Itẽ: Si uis beneficia accipere, benefac: si uis diligi ab inimicis, dilige etiam inimicos. Etenim lex Dei & prophetæ illa dicũt: fermè & naturalis lex præcipit. idem cap. 7. Et: Oportet nos primùm audire sermonem, & intelligere, ne simus qui iuxta uiã. Deinde firmiter retinere quod auditũ est: præterea non esse amatores opum. Quid enim proderit, si audiero, & retinuero, & diuitiarum amore suffocor? Idem in Matth. cap. 13. Et: Tu si lepra laboras, & pharisaica lepra inflatus es, quæ à Deo separat, suscipe IESVM in domum tuam, & unge eum unguento uirtutum. Idem in Matth. cap. 25. Et: Quando prædicaueris seu docueris, etiam bona opera fac, ne uanus sit sermo tuus. Nisi enim Christus & miracula adiecisset, uanus fuisset habitus sermo eius. Theoph. in Matth. cap. 3. Et: Sicut reges ambulare debemus super serpentes & scorpiones, & imperare peccato. Christiani enim dicimur, hoc est, uncti: & ipsi, sicut tunc reges dicebantur Christi. Sit igitur uita nostra non seruilis & illiberalis, sed regalis & libera. Feramus autem & coronã spineam, hoc est studeamus coronari asperitate continẽtiaq; uitæ, non uoluptuariæ, neq; delicatæ. Ibid. in Marc. ca. 14. Itẽ: Oportet non solũ declinare à malo, sed & facere bonũ. Et prius oportet abstinere à malo, & postea uirtutẽ aggredi. Quemadmodũ & fonte turbato, ut aqua pura de fonte at, prius lutũ expurgandũ, ut haurias puram aquam. Idem in Luc. cap. 19. Item: Oportet fideles & feruidos esse bonum operantes, & zelotas aduersus malitiã, & mansuetos erga malè operantes. Odio enim habẽda malicia, nõ is qui malè agit: cuius habenda est cura, infirmus enim est. Et hoc est malè agere, à maligno uexari, & facere malum. Idem in Luc. ca. 22. Et: Oportet esse potentem in opere & sermone corã Deo, & tũc corã omni populo. Prius enim placere debemus

Deo: deinde danda opera, ut & inter nos sine macula uiuamus, quantum fieri potest: & neq; quomodo hominibus placeas, sed quomodo seruias Deo studendū: neq; uiendum ut multis sis scandalo, sed & hoc post illud prouidendum. Idem in Luc. cap. 24. Item: Benefacere alicui lex non prohibet, quæ lex est Dei semper bene facientis. Idem in Iohan. cap. 5. Item: Vt ne si audeas, nos ex operibus haud esse iustificatos, desses tias circa opera: subijcit Paulus, post fidem iam haud nulla operum est commoditas & necessitas. Conditus es enim in CHRISTO IESV, & noua creatura factus es in CHRISTO IESV, defuncto uetere homine in baptismate. Ac quemadmodum principiò cum non esses, produxit te ut esses: sic etiamnum ut bene esses, te protulit: conditusq; es nō ut ocieris, uerùm ut opereris, circumambulesq; in bonis operibus: hoc est, omnem ætatis tuæ cursum in hisce perficias, non duos tresue annos, sed omnē uitæ tuæ uiam. Deus enim præparauit hæc: quocirca non sunt uel differenda, uel reijcienda, ceu opere diuinitùs destinatō. In operibus bonis: non uno nimirum opere, sed omnibus. nam si unum desit, mutilata est uirtus. Idem in epistolā Pauli ad Ephes. capite secundo. Et: Quia non satis est à malis abstinere, ut regnum assequaris; sed bonorum operum peractio etiam est necessaria (si enim bonum operari prætermittimus, in gehennam præcipitamur, etiam si malum non operemur: ut ex multis Euangelij locis liquet) hanc ob rem Paulus praua auferens, ad bonorum operationem adhortatur. Idem ad Ephes. cap. 4.

Vnde sint. Radulpus: Sollicitè uigilandum est, & precibus assiduis rogandus est Dominus, ut qui cœpit in nobis bonum, ipse perficiat: & sanctæ deuotionis oblatio, usque ad finem debitum illibata permaneat. Idem libro secundo, capite secundo, in Leuitic. Et: Pontifex noster Christus affectum pietatis, per quem proximis indigentibus subuenimus, prouehit ad iuuatque per Spiritum sanctum, ut ex fraterna charitate, ad diuinam cōsurgere possimus. Idem lib. 5. cap. 4. in Leuit. Et: Omnis qui iusticiæ fructum afferre cœpit, quādiu tamen hic uiuit, de nullo opere suo cōfidit. Si quid boni agit, Deo applicat, non sibi: in malis uerò quæ gessit, non alium, sed seipsum attendit. idem libro octauo, cap. 6. in Leuitic. Et: Rectè quarto anno fructus nostri Domino sanctificantur: ut intelligamus, quia tunc uerè in iusticia solidamur, si quicquid boni agimus, non nobis, sed Deo adscribimus: si non de nostra uirtute, non de ipsius gratia præsumamus. Qui enim confidunt in Domino, sicut mōs Sion, &c. maledictus autem qui spem suā ponit in homine, & brachium suum in carnem. Idem lib. 14. cap. 3 in Leuit. Et: Sicut cui Deus adiutor est, omnes suos despicit inimicos: sic homo suo reatu diuino destitutus auxilio, præda hostium fit. idem libro 20. capite 1. in Leuitic. Item: Deo deferente, uana est spes in homine posita. Idem lib. 20. cap. 1. in Leuit. Et Theophylactus inquit: Praua opera ex nobis solis fiunt. ea de causa & opera carnis nominauit, quæ simul laborem ac difficultatem habeant: bona uerò, non nostra tantum, cum indigent. enimuero cœleste iuxta auxilium requirunt. In epistol. ad Galat. cap. 5. Et: Quando fecerimus quod bonum est, Deus facit hoc in nobis per IESVM CHRISTVM: hoc est, utitur illo mediatore pro operatore. Qui enim principio nobis salutem est operatus, quid mirum si in operatione etiam uirtutum mediator efficiatur, ac paternā in nobis uoluntatē repleat, ipse nos confortans, & robur inspirans ad bonorum operum transactiones? Idem ad Hebræos, capite 13.

Quæ facienda. Idem: Fuge immisericordiā, & fac eleemosynas, & alias quidē sensibiles, alias autem spirituales. Pasce Christum, qui esurit salutē nostrā: sed & esurientē doctrinas si paueris, & potaueris, pauisti Christū, & potasti. in Christiano aūt Christus est, & fides pascitur, & crescit doctrinis: sed & si uideris peregrinū à superna patria, induc tecū, & collige: hoc est, dū tu ingrederis in cœlos, introduc & illū, ne alijs prædicās, ipse sis reprobus. Et si quis uestē incorruptionis abiecerit, quā per baptismū induit, & nudus sit, indue illū. Et infirmū fide (ut Paulus dicit) assume, & uinctū in carcere: hoc est, corpore illo tenebroso inuise, illi quasi splendorem, admonitionē donans. Has sex species charitatis omnes imple quidem corporaliter: imple autem & spiritualiter. nam cum duplicis naturæ simus, possunt hæc & bifariam perfici. In Matthæum, capite uigesimoquinto. Et: Primum & magnum mandatum est, diligere Deum: secundum simile, diligere proximum. Quomodo autem simile? eo quòd simul inter ea connexa sunt. Qui enim diligit Deum, diligit & facturam eius. Homo autem maximè propria factura Dei: & ita qui diligit Deum, diligit etiam omnes homines: & dum proximum diligit, multo magis Deum diligit. Nam si homines diligit, qui multas sæpe scandalorum occasiones & odia fouent: quanto magis Deum, qui semper benefacit? Audi autem Dominum: Qui diligit me, mandata mea seruabit.

nabit. Vides, nos diligendo Deum, seruare mandata eius. mandata autem eius omnia, de amore mutuo tractant. Et iterũ: In hoc scient omnes, quòd mei discipuli estis, si dilligitis inuicem. Vides iterum, quòd ex mutuo amore discitur amor erga Christum, ita ut simus eius discipuli & amici. Obserua autem, quomodo omnes animæ uirtutes enumerarit. Est enim uirtus animæ animalis, quam insinuat dum dicit, Ex tota anima: quæ dicitur nutritiua. ea est & plantarum, quę & ipsa quoq; Deo tota est danda. Est insuper rationalis uis, quam nominauit lex intelligentiam. Omnes igitur animæ uirtutes, charitati sunt offerendæ. Idẽ in Marcum, cap. 12. Et: Mandata nostra sunt diuina, ingenuis maximè quadrantia: uidelicet, Ne intuearis fœminam, ut concupiscas: ne iures: rem tuam possides. Atque hæc mandata non pœnæ formidine, sed spiritus cupiditate & dilectione perficiuntur. Et quia pleriq; haud parum multa mandata transgrediuntur in ueteri Testaméto, indicio est quòd spiritus Dei in illis non aderat. in epistol. Pauli ad Rom. cap. 8.

Iuxta Decalogum opera facienda. Theophylactus: Sic oportet Deum diligere totà anima, hoc est, omnibus partibus & uirtutibus animæ ei adhærere. Hoc est primum & magnum mandatum, ad pietatem nos exercens. Secundum autem simile est illi, quod nos excitat ad faciendum quæ sunt iusta homini. Duo enim nos in interitũ ducunt: mala doctrina, & corrupta uita. ut igitur non incidamus in impia dogmata, diligendus est Deus: ne autẽ sit uita peuersa, diligendus est proximus. Qui enim diligit proximum, omnia mandata implet: & qui implet mandata, diligit Deũ. Atq; ita duo illa mandata inter se cohærent & copulantur, & continẽt omnia alia mandata. Quis enim diligens Deum & proximum, uel furatur, uel uindictæ auidus est, uel adulterium committit, uel scortatur, uel occidit? in Matthæum, cap. 22.

Qui possint bona opera præstare. Radulphus: Quisquis supernæ patriæ ciuis est, nõ iam timore supplicij, sed amore charitatis immundiciam deserit. lib. 7. cap. 1. in Leuitic. Et: Quærentes regnum Dei, & diuinis obsequijs inhærentes, Christi gratia nunquam deserit. Vbicunq; enim sunt duo uel tres congregati, ipse est in medio eorũ. ibidem. Et: Dignum est ut à nobis prius se per pœnitentiam abluat, qui superuenturis uirtutibus in se locum parat. Radul. lib. 12. cap. 1. in Leuit.

Quomodo præstãda. Radulphus: Quicquid fecerit homo, nisi ex charitate hæc fecerit, nihil ei prodest. libro secundo, capite secundo in Leuit. Et: Non solum gemere debet anima quod perperam egit, sed etiã quòd in bonis actibus sterilis fuit plangere: & plangendo, bene agendi desiderio (si amplius liceat) se inflammare. Cuius exemplum est, quòd mei etiamsi facultas negetur, affectus tamen à Domino acceptatur. Radulph. lib. 3. capite 6. in Leuitic. Et: Omnis qui Deo placere desiderat, necesse est ut mente, locutione & opere ab Aegyptiorum peruersitate discedat. Idem libro 5. capite 4. in Leuitic. Et: Homo postquam à peccatis mundatus, à delictis sanctificatus est, etiãsi iam cum Apostolo dicere possit, Nihil mihi cõscius sum: præterita sua crimina ad memoriam reuocare, ut si in præsenti non inueniunde cõscientia mordeatur, præterita recordãs, & se in humilitate custodiat, & gratiarum hostiam illi per quem inimici potestatem euasit, offerat. Radulph. lib. 10. cap. 1. in Leuit. Et: Non considerat Deus, quantum à nobis accipiat: sed ex quanto, affectionibusq; interioribus omni nostrę actioni præcium datur: & quicquid sine charitate fit, pro nihilo computatur. Idem lib. 20. cap. 5. in Leuitic.

Fide operandũ, Radulphus docet: Quicũq; alienus est à Christo, nulla est ei cũ sanctificatis communio. Qui aũt Christi sunt, cibum suum in sanctificatis agnoscunt. Hi namq; soli quicquid boni faciunt, fidei suæ uirtute sanctificari præsumunt. Alij bona faciunt non bene, quia sine fide Deo placere non possunt. Omne enim quod ex fidẽ non est, peccatum est. libro decimoquinto, capite 4. in Leuit. Et Theophylactus ait: Sine fide nihil prodest charitas, imò ne dilectio quidem fuerit sine fide. in epistol. Pauli ad Ephes. cap. 6.

Quare placeant opera, Radulphus docet inquiens: Dominus quippe Christus altare nostrum est, quia oblationes nostras ei imponimus. Per ipsum enim, si quid boni agimus, patri acceptũ fieri posse speramus. Vnde & Petrus apostolus in Epistola sua: Offerentes, inquit, spirituales hostias, acceptabiles Deo per IESVM CHRISTVM. lib. 1. cap. 1. in Leuitic. Et idem: Vt autẽ in filijs Aaron omne genus electorũ accipiamus, idcirco oblationes Dominicę per filios Aaron iubentur adferri: ut exinde aduertere liceat, nullius oblationem à Deo accipi, nisi summi sacerdotis nostri per bonam conscientiam & fidem non fictam filius efficiatur. Offerentes, ait B. Petrus, spirituales hostias. libro primo, capite quarto, in Leuitic. Et: Per Christum si quid boni agimus, patri acceptum fieri posse speramus. ibidem.

Ordo operum exponitur ab Ansberto. Prius est credere, dehinc quod quisq; crediderit

dit amare. uide uerò, quòd credulitas & amor compellit operari. lib. 2. capite secundo, in Apocal. Et Theophylactus: Postquam quis seſe tradiderit Deo, non debet denuò ad uitæ huius curas conuerti. Oportet sanè & parentes uenerari, sed magis oportet uenerari Deum. in Matth. cap. 9.

Non sunt perfecta opera, ut Ansbertus monet: Quamlibet quisq; in hac uita sit iustus & sanctus, nunquam tamen ita perfectus est, ut quotidie nō inueniat, quo in uirtutibus crescat. Quod Psalmista quoq; intuens ait: Nunquid obliuiscetur misereri mei Deus? aut continebit in ira misericordiam suam? Et dixi: Nunc cœpi. Quasi enim quædam inchoatio est electorum, ipse prouectus uirtutum. Quotidie enim electi inchoant, quia per momenta temporum uirtutibus uirtutes addunt. libro decimo, capite uigesimo secundo, in Apocalyp. Et Radulphus inquit: Vix bonum opus compleri potest sine alicuius peccati admixtione. Metuendum itaq; est, ne dum completæ deuotionis remuneratio expectatur, à nobis etiam reatus admixti pœna exigatur. lib. 1. cap. 1. in Leuitic.

In hac uita bene operandum esse, docet Theophylactus: In seculo præsenti operari possumus, in futuro autem seculo ligantur omnes uirtutes animæ operatiuæ, & non potest fieri aliquid boni in abolitionem peccatorum. Stridor autem dentium, pœnitentia est, quæ tunc stultè & inutiliter fit. in Matth. cap. 22.

De fine sic inquit Giselbertus: Quicquid sapientiæ, quicquid boni habemus, in obsequium Creatoris totum exhibere debemus. Nos enim omnes de plenitudine eius accepimus. In libro Altercat. capite decimooctauo. Et Theophylactus ait: Nisi crediderit quispiam, compensationem esse bonorum & malorum, non bene placebit Deo. in epistol. ad Hebræos, capite undecimo. Et: Quicunque animam suam ædificabit operando mandata Christi, illum neque pluuia, id est diabolus, qui de cœlo decidit: neq; flumina, homines scilicet lædentes, qui ab hac pluuia multiplicantur: neq; uenti, hoc est spiritus mali: & in summa, tentationes omnes, si talis fuerit, poterunt deijcere. Idem in Matthæum, cap. 7. Et: Non habentes bona opera excluduntur, propter quæ in nobis accendit lumen. nisi enim bona opera faciamus, extinguitur lumen Dei in nobis. Idem Matthęi capite 25. Item: Opera nostra, & quæ præcedunt, & quæ sequuntur, sunt in gloriam Dei. Idem in Marcum, capite undecimo. Item: Nos per omnia placeamus Deo, sed non aliter nisi in omni opere bono. ubi enim omne opus bonum est, ibi & omnis bona uoluntas Dei. Idem ad Coloss. cap. 1. Et: Ne existimetis, quòd citra lucrum aliquid faciatis: cæterùm omnia sunt coram Deo, itaq; & mercedem reddet. idem in epistol. Pauli ad Thessalonienses, cap. 1.

De mercede operum inquit Ansbertus: Cum Deus mercedē seruis reddit, ipsa sua in eis dona remunerat. Non enim reddere mercedem se diceret, nisi opera mercedis accepisset. Sed nos opus mercedis habere nequiuimus, nisi ab illo ut operaremur accepissemus. Sub hac certè intelligentia quotidie oramus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Si nostrum est, cur ut detur petimus: sed fit noster accipiendo, qui non erat habendo. libro quinto, cap. 11. in Apocalyp.

Iusticiā nō esse ex operibus, docet Theophylactus: Nemo ex proprijs operibus iustificatur, sed alterius ope indiget, nimirū CHRISTI IESV gratia. In epistol. Pauli ad Romanos, cap. 3.

De bona intentione inquit Radulphus: Sæpe contingit, ut quod bona intentione incipitur, dum minus cauemus, in uitium conuertatur. Sæpe enim bono operi dum laus humana obuiat, mentem operantis immutat. lib. 1. cap. 8. in Leuitic.

Quis sit proximus, docet Theophylactus: Christus ipse definit proximum, inquiens: Omnes qui eiusdem naturæ sunt, proximi tui sunt. Sis igitur uicissim & tu illis proximus, non loco, sed affectione & studio ergaillos. in Lucam cap. 10.

De charitate inquit Theophylactus: Vniuersam legem implet, qui proximum diligit. In posterum itaq; quisque proximum suum amore prosequi debet fraterno, quandoquidem tot, tanta, tamq́ue uaria beneficia ex ipso, adeoq́ue ex dilectione erga ipsum recipiat, ut legem uniuersam compleat. Idem in Epistolam Pauli ad Romanos, capite decimotertio. Et: Charitas est radix omnis philosophiæ. Longanimis enim est, qui longo & magno est animo. Ibidem ad Corinthios, capite decimotertio. Et: Charitas nobis plurimi facienda est, ac per ipsam alias uirtutes magnificare omnes, idq́ue propter temporis cùm rationem, tum opportunitatem. Nam propè est resurrectio, pulsat item fores iudicium: operæq́ue est precium, nos è sopore socordiæ desidiæq́ue excitari, esseq́ue paratos ad resurrectionem haud indigna opera. Idem ad Romanos, capite decimotertio. Et: Si spirituales sumus, diligemus nos mutuò potius: & si diligemus, spirituales efficimur, ac deinceps carnalem concupiscentiam haud perficimus. Idem in epi-

ſtolam Pauli ad Gal. cap.4. Et: Si quando uiderimus ſanctos periculis immerſos, ſuccurramus eis. hoc enim tutum eſt, maximeque Chriſtianos decet, in huiuſmodi rebus pericula contemnere. Idē ad Philippenſes, cap.2. Item: Qui ſeſe uehementer diligūt, indigent fœlicitate, quæ eſt ex mutua præſentia & conſpectu, quandoquidem inde magis inflammatur charitas. Idē ad Theſſalon. cap.2.

De beneficentia, ait Theophylactus: Beneficentia generat humilem moderatamque mentem. qui enim bonis & beneficis moribus eſt excultus, is iuxtà humilis, non ſuperbæ mentis eſt. Ab humili, nec alta ſpirante affectu, manſuetudo eſt. qui enim ſuperbus eſt, is & concitationis eſt animi. A' manſuetudine longanimitas, id eſt magnanimitas. Idem in epiſtolam Pauli ad Coloſſ. capite 3.

De caſtitate inquit Radulphus: Neque enim cum remiſsione & negligentia caſtitas poterit retineri: ſed cohibendus eſt uiſus, obſtruendus auditus, lingua refrenanda, ipſa etiam cogitatio à noxijs euaginationibus reſtringenda. libro ſexto, capite 1. in Leuitic. Et Smaragdus ait: Caſtitas enim & in uirginibus eſt, & in continentibus, & in uiduis & coniugijs. in epiſtolam Pauli ad Galatas, cap.5.

De humilitate inquit Smaragdus: Diſcimus enim fratres humilitatē ab excelſo, ut faciamus inuicem humiles, quod humiliter fecit excelſus. Nec dedignetur, quod fecit CHRISTVS, facere Chriſtianus. Nam quod dicit, Exemplū dedi uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis: oſtendit nobis, ut ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut Dominus donauit nobis, ita & nos inuicem. Itaque nobis delicta donemus, & pro noſtris delictis inuicem oremus. Atque ita quodammodo inuicem pedes noſtros lauemus. in Euangel. Iohannis, cap.13.

De eleemoſyna, Radulpus: Non magni eſt eleemoſyna meriti, quæ ex ſuperabundanti & cum nimia deliciarum reſolutione tribuitur. Illa omnino, illa accepta eſt, qua ſic indigenti conſulitur, ut & tribuentis nonnulla indigentia ſubſequatur. lib. 1. cap.8. in Leuitic.

De fortitudine inquit Idē: Fortitudo alia reproba, alia Deo placēs & ſancta. Reproba fortitudo eſt, cū homo aliquid uirtutis per Dei donum adeptus, ſibi eam tribuens, largitori ingratus exiſtit: & dē ea ſuperbiens, proximorum infirmitatibus minimè cōdeſcendit. De huiuſmodi Dominus in Pſalmo, ſuperbam phariſæorū iuſticiam notās, conqueritur dicens; Ecce cæperunt animā meam, irruerunt in me fortes. Fortitudo uerò illa à Domino probatur, quæ nec ſibi quod habet tribuit, & alios qui id munera necdum aſſecuti ſunt, nequaquam contemnit. Horum uox eſt in Pſalmo Domino proclamantium: Fortitudinem meam ad te cuſtodiam. Et: Diligam te Domine, fortitudo mea. His etiam Apoſtolus præcipit dicens: Infirmum in fide ſuſcipite. libro quarto, capite quarto, in Leuiticum.

De zelo, inquit Theophylactus: Æmulatio res bona eſt, ſi quando uirtutem cuiuſpiam aliquis imitetur: at uerò zelus haudquaquam bonus eſt, ſi quis contendat, à uirtute eijcere rectè operantem. in epiſtolam Pauli ad Galat. cap.4.

De mendacio officioſo ſic inquit Giſelbertus: Non eſt damnabile mendacium, quod transfertur ad proximi, ſecundum Deum, profectum. in libro Altercat. capite ſeptimo.

De iuramentis inquit Theophylactus: Melius eſt peierare aliquando, quàm propter iuramentum impium aliquid facere. in Matth. cap.14.

## DE ORATIONE.

ORatio fumi uirgula dicitur: quia diſola cœleſtia poſtulat, ſecreta progreditur, ut ad terrena atq; temporalia appetēda pro terreno ſtudio minimè reflectatur. Ansbertus lib.8. cap.18. in Apoc.

Et Theophylactus: Precatio dein, & oratio, & interceſsio, ceu idem ſignificātia, ab Apoſtolo ſunt adſumpta ob perſpicuitatē: quippe qui tot uocum congerie ineuitabiliter, citra recuſationem facere efflagitet eum, quod poſtulat, & ad quod hortatur. Nonnulli inter hæc diſcrimen curioſe fecerunt, aſſeuerantes δέησιν eſſe ſupplicationem, adferentem pro liberatione à triſtibus atq; duris: προσευχὴν uerò orationem, petitionem bonorum: ἔντευξιν autem, id eſt interceſsionem, accuſationem impiè agentium, & iniuriam inferentium, qui ſunt incorrigibiles. in epiſtol. Pauli ad Timoth. capite ſecundo. Et Smaragdus: Spiritales hoſtiæ ſunt, orationes ſanctorum. Dirigatur, ait Pſalmus, oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. in epiſtolam Petri, capite ſecundo.

De interiori oratione inquit Giſelbertus: Moſes, quid clamas ad me? ſecretiſsimis auribus Dei, deſiderijs magis quàm uerbis clamamus. Ei enim qui omnia nouit, deſideria noſtra uoces quædam ſunt. Deſidera bonum, & clamaſti. Iſte uocem habet, fide clamauit, ſicut mulier quæ ſimbriam ueſtimenti eius tetigit. Porrò alij quidam præ timore clamauerunt, fide de-

fecerunt.in lib. Altercat. cap. 8.

In oratione uigilandum. Smaragdus: Bene autem in orationibus uigilare iubemur, ut cum ſtamus ad orationem, cogitatio omnis carnalis & ſecularis abſcedat, ne quicquam tunc animus præter id ſolum cogitet quod precatur. Subripit enim frequenter hoſtis, & ſubtiliter fallens preces noſtras, à Deo auocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud proferamus in uoce: cum intentione ſincera Deum debeat non ſonus uocis, ſed animæ ſenſus orare. in epiſt. Petri 1. cap. quarto.

Quomodo ſit orandum, Theophylactus monet: In Eccleſia orandum eſt, ſed recto animo, & citra oſtentationem. Locus enim non nocet, ſed modus & intentio. Non ſunt longæ preces faciendæ, ſed breues quidem, & crebræ. oportet enim pauca loquentes perſeuerare in precibus. Nõ enim ut doceamur petimus, ſed ut nos à temporalibus & ſecularibus curis abſtrahamus, & ocioſe & magna cum utilitate cum eo colloquamur. in Matthæum, capite ſexto. Et: Orantes non ſimpliciter, ſed cum omni precatione & rogatione, cum fletu, & pectoris compunctu & complauſu, cum inflexione genuum, idque genus ſimilibus: nec ſtatis tantũmodo horis, uerùm & omni tempore, idque in ſpiritu: hoc eſt, ſpiritualia petentes, & nihil mundani. Item: Sobrium eſſe oportet armatum, quem apud regem, adeoque Imperatorem ſtare oporteat. Ea eſt uere precatio, quæ fit cum perſeuerantia. Theophylactus in epiſtolã Pauli ad Epheſios, cap. 6.

Corde orandum. Radulphus: Non niſi amantium, uirtus orationis eſt. Amor nempe deſiderium parit, deſiderium orantes facit. uera namque poſtulatio, non in oris eſt uocibus, ſed in cogitationibus cordis. ualentiores enim uoces apud ſecretiſſimas aures Dei, non faciunt uerba noſtra, ſed deſideria. Æternam quippe uitam ſi ore petimus, nec tamen deſideramus, clamantes tacemus. Si uerò deſideramus ex corde, etiam cum ore conticeſcimus, tacentes clamamus. Deſiderium enim pauperum exaudiuit Dominus, & deſideria cordis eorum audiuit auris tua. Pſalm. 9. lib. 1. cap. 4. in Leuitic.

Ieiunandum & orandum. Theophylactus: Si uerè preces fiunt, ſi non ſolum oretur, ſed & ieiunetur: ut ne grauetur, qui orat ciborum uaporibus, ſed expeditus ſit & leuis. In Marcum, cap. 9.

A curis uacandum. Theophylactus: Dominus oraturus erat, & aſcendit in montẽ. Et enim oportet etiam nos à negotijs ocioſos orare, & non in medio multorum, ſed pernoctantes, ne ſtatim ut cœperimus ceſſemus. Poſt orationem autem elegit diſcipulos, ut doceat iam nos, quando quempiam in ſpirituale miniſterium ſumus ordinaturi, cum precibus hoc faciamus, ut doctis à Deo, & ab illo petentibus reuelet quis idoneus ſit. in Lucam, cap. 6.

Bona conſcientia orandum. Giſelbertus: Locũ orationis bona cõſcientia Deo facit. qua ſublata, nec in templis manufactis Deum orando placabis. In lib. Altercat. cap. 7. Et: Bona conſcientia eſt, ubi conuertitur ad iuſticiam, qui iniuſtus eſt. Renuncia omni peccato, & ſecurus eris in orando: uigila orandi affectu, & potieris orationis effectu. ibid. Et Radulphus ait: Qui Deum audiunt præcipientem, ut benigni proximis exiſtant, ipſi quoque à Domino petentes exaudiuntur, ut quod alijs impendunt, citius aſſequantur. libro 17. capite ſecundo in Leuitic.

Fide orandum. Theophylactus: Meritò Chriſtus ſermoni de oratione, ſermonem de fide cõnexuit: quoniã omnis orationis fundamentum ac baſis eſt fides. Niſi enim crediderit homo, quòd hoc quod petet, accepturus ſit in ſuam utilitatẽ, uana hæc eſt oratio quã facit. Et propterea Dominus de oratione docens, etiã fidei meminit: declarãs interim, paucorum fore tunc orare, quãdoquidẽ fides in paucis inuenietur. Igitur cũ uenerit Dominus in nube, nõ inueniet fidem ſuper terram niſi in paucis: faciet autem hanc tunc. Inuiti enim omnes confitebũtur, quòd Dominus IESVS CHRISTVS in gloriam Dei patris: ſiquidem uocãda eſt hæc fides, & non magis neceſsitas. Nullus enim erit infidelium, qui non credet quòd ſolus ſit Saluator is, quem antea blaſphemarat. in Lucam cap. 18.

Per Chriſtũ preces offerri, docet Ansbertus: Nõ aũt mirũ, ſi orationes uel lachrymæ noſtræ nõ per nos, ſed per ſummũ põtificẽ noſtro Deo offeruntur, cum Paulus exhortetur dicens: Per ipſum offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo. libro 4. capite 8. in Apocalypſin.

In nomine Chriſti orandum. Smaragdus: Ideo pro omnibus paſſus & mortuus eſt, ut omnis creatura in nomine eius precem fundat. in epiſtolam Pauli ad Philipp. capite ſecundo. Et: Quodcunq; petieritis in nomine meo, hoc faciam. Ipſum enim Quodcunque * non ait, petieritis utcunque: ſed, In nomine meo. IESVS enim interpretatur ſaluator: quapropter quando uolumus ut faciat quodcũq; petimus, nõ utcũq;, ſed in nomine Saluatoris petamus. Nõ ergo cõtra ſalutẽ noſtrã petamus. Sic ergo perrexit ad patrẽ, ut non relinque

ret indigentes, sed exaudiret petentes. Idē in Iohannis Euangelion, cap. 13.

Vbi. Theophylactus inquit: Christus semper seorsim orare cōsueuit, dans & nobis figuram, ut quietem in precibus inquiramus. in Marcum, cap. 14.

Quæ petenda sint, Theophylactus annotat: Rerum noxiarum petitio, non uocatur petitio apud Deum. Nam qui Deum orat, debet petere quæ ille dat. Quando autem quis noxia petit, non ad Deum petitionem facit. ipse enim noxia non dat. Insuper audi & ipsum Dominum, quomodo doceat nos petere quæ oportet: Panem (inquit Luc. 11) & piscem & ouum filius petit. Sicut igitur hæc hominis sunt cibus, ita & petitiones nostræ utiles nobis esse debent. Item: Panem petit omnis qui fidem in Trinitatem, & rectitudinem dogmatum reuelari sibi petit. Hæc enim cor, sicut panis, confirmant. At piscem petit, qui in mari uitæ huius est, & quærit à Deo adiutorium, ut in medijs tentationibus non submergatur: sed uiuat, & sicut piscis custodiatur. Ouum autem petit, qui sibi uirtuosarum animarum fructus dari petit. in Luc. capite 11. Et: Oremus ut hæc in nobis quoq; impleantur nunc, nempe ut fiant nuptiæ, hoc est coniunctio Dei cum anima nostra, quamdiu sumus in Cana Galileæ, loco inquam inferioris huius & deuolubilis mundi, eius qui rotatur & rotat alia. Idem in Ioan. cap. 2. Et: Etiamsi infideles fuerint reges, alijque homines: pro ipsis tamen orandum, ut à cæcitate sua liberentur. Duo autem bona oriuntur ex eo, quòd pro cunctis mortalibus intercedimus. Inimicitia dissoluitur, quæ nobis cum quibusdam est. nemo enim potest hostili animo esse aduersus eum, pro quo preces ad Deum fundit. Ad hæc, meliores ipsi redduntur, dum à uitijs precum nostrarum auxilio transferuntur, utq; non adeò porrò erga nos efferantur, uenenatarumque belluarum instar gerant. Quàm enim arduū eos qui persequerētur, atque cęderent & interficerent, audire pro se interpellari apud Deum, orariq́ue ab ijs quos ipsi cùm cæderent, tum opprimerēt? Theophylactus in epistolam Pauli ad Timoth. capite secundo.

Pro alijs orandū. Radulphus: Omnis sanctus, cum uiderit peccatorem conuerti aberrore uiæ suæ, gaudere debet: & quantum potest, ut laqueos iniquitatis euadat, precibus suis eum adiuuare. lib. septimo, cap. sexto, in Leuitic.

Formulam orationis habet Radulphus: Ad lepræ tractatum, prout potuimus, spiritu tuo ducti, ô lumen nostrum, enauigauimus: nunc propensius inuocamus te, sentientes aliquatenus quid oneris aggrediamur: & quia in altum iam procelsimus, nec sine periculo, nisi tu præcedas, per abyssum istam uela damus. Tu igitur dubitantibus uiam monstra, tu benignius aspira. Aufer uelamen à facie Moysi huius, ut intueamur claritatem uultus ipsius. Magistrum namque ac Dominum læti dicimus te: aperi nobis sensum, ut intelligamus, quia scripserit iste de te. libro nono, capite primo in Leuitic. Item: De spe igitur nostra audituri sumus, de spe quam tu Domine IESV miseris mortalibus tribuisti: tu æterna cœlestium gloria, ac beata spes mortalium: tu donas pectoribus ueniam, infirmis uirtutem, pollutis sanctitatem. Tu promittis fessis requiem, mœstis lęticiam, morientibus uitam sempiternam. Tu nos in illud cœleste sanctuarium præcessisti, ubi etiam nunc adstas uultui Dei pro nobis: & quò ingressus es, illuc anchoram spei nos figere præcepisti. Ferto igitur magister opem, tantam materiam tractaturis: rege mentem, & stylum compone, ut te duce sub legis palea triticum Euangelicum inuenire possimus, & generis humani lęticiam, eloquio non dissimili proferamus. Radulphus in Præfatione lib. 12. in Leuit.

Perseuerandum in oratione esse, docet Theophylactus: Magnum auxilium in afflictionibus & periculis fert precatio, modò perseuerans sit, & continua. In Luc. cap. 18. Item: Nos si quando precum nostrarum non efficiamur compotes, ne ægrefe-ramus. Neque enim Paulo sumus potiores, qui pro cruce etiam sua remouenda Dominum precatus, non est tamen quod uoluit assecutus. hoc enim illi commodabat. in epistol. Pauli ad Rom. cap. 1. Et: Multis orationibus nobis opus est, & assiduis. Nam & Paulus citra intermissionem orat: ac etiamsi nihil perficeret, nondum tamen desistit. Idem ad Colos. cap. 1. Item: Nouit diabolus quantum bonū sit oratio, unde propterea nos ab ea resilire facit: quo circa dicit Paulus, Perseuerate. Quia uerò qui perseuerat, sępenumero ad socordiā ac defectionem perducitur: adijcit, Vigilātes, hoc est sobrij existētes, ut adeò semper fiat recentes ad opus orationis, insuper in gratiarū actione hāc facientes. Hæc enim uera est oratio, quæ gratiarū actione cōtinet pro omnibus quæ scimus, & quæ nescimus, quibus beneficiū accepimus, aut etiam afflicti sumus, & pro cōmunibus beneficijs. Idem in epistolam Pauli ad Colossenses, capite quarto.

Contra sanctorum nimiam uenerationem, inquit Theophylactus: Sancti non omnia norunt, cùm qui ante Christum

stum uixerunt, tum qui post Christū. Nam & Elisæus ignorabat, quid deesset Sunamitidi. Helias putabat etiam se solum relictum, cum adhuc septem millia essent: quin etiam Samuel ante hos, docetur non attendere in faciem primi fratris Dauidis. Hunc ad modum Apostoli non nouerunt omnia. Hoc autem factum est, ut neq; ipsi attollantur, neq; alij de ipsis maiora quàm par sit imaginentur: neue nos posteri dicere possemus, quòd humanæ naturæ modum illi transcendissent: neque homines tantum essent, quandoquidem maiora quàm uires hominis admitterent, præstitissent: ac proptereà nos socordes planè, ac tantum non desperantes maneremus: sed ut discamus, quod neque ipsi absque diuino auxilio, Deiúque gratia, hæc transegerint, neque propriis laboribus hæc perfecerint bona. Idem in epistolam Pauli ad Thessalonicenses, capite tertio. Et: Licet sancti orent pro nobis, sicut pro illa Chananæa mulierem Apostoli (Matthæi decimoquinto:) attamen nos pro nobis ipsis petentes magis audimur. Est autem Cananæa, symbolum Ecclesiæ è gentibus collectæ. In Matthęum capite sexto.

De discrimine uoti & petitionis, dicit Theophylactus. Aliud est uotum, aliud oratio. Votum enim est promissio coram Deo, ut quando promittit quis se abstinere à uino, uel alia re quadam: oratio autem est petitio bonorum. Ibidem.

De effectu orationis inquit Theophylactus: Per petitionem, orationem & inuocationem nominis eius, mira operari quis potest. ita & Apostoli: In nomine IESV CHRISTI surge & ambula. ibidem, in Iohannem capite 14.

De gratiarum actione Theophylactus inquit: Gratias Deo agere debemus non pro propriis tantummodo bonis, uerùm & pro bonis proximi. hoc namq; charitatis est. Idē in epistol. Pauli ad Roman. capite 1. Et: Dignum est gratias nos agere Deo pro cunctis beneficijs alijs, quæ in nos ille transtulit. Dignum etiam est pro fide credentium gratias agere, quòd sic illuminati sunt, quòd cruci appositi sunt, deficientes à peccante lege atq; Sathana. id enim fraternæ charitatis est. Idē in epistol. Pauli ad Ephesios, cap. 1. Et: Gratiarum actio cuncta purgat: qui uerò ingratus est, ipse est immūdus & pollutus. Idem ad Timoth. cap. 4.

## DE POENITENTIA SEV *conuersione.*

RAdulphus uidetur duplicē constituere pœnitentiā, acriorem scilicet seu uirilem, ac remissiorem seu fœmineā: & hanc quidem cuilibet populari, illam uerò principi uiro imponendam esse. lib. 3. cap. 2. in Leuitic. Et Theophylactus ait: Pœnitentia est animi in meliorem sententiam permutatio. in proph. Ionam, cap. 1.

Quòd sit agenda pœnitētia. Giselbertus: Delectabiles cibi Christo pœnitentia & cōuersio peccatorum. In lib. Altercat. cap. 7. Et: Post peccatum nō poterit tibi pœnitentia denegari. In libro Altercat. capite nono. Item: Si homo cadit, quamdiu non confitetur, & pœnitentiam non agit, sanctus non est, ideoque in peccatis suis morietur: si post peccatum surgit, sanctus erit. Ideoq; sacerdotis est, peccata portare confitentiū. in lib. Altercat. cap. 13.

Vnde pœnitentia. Radulphus: Ipsi ergo asscribendum est, quòd ad illum conuersi sumus: quod autem ante conuersionem peruersi fuimus, corrigendum. libro uigesimo, capite quinto, in Leuitic. Et: Nullus dignè potest plangere, quod prauè cōmisit, nisi spiritus Christi eum adiuuerit. Idem libro tertio, capite primo, in Leuitic. Et Theophylactus: Deus dat diuinam uitam, sanctificans nos & cogitationes per aduentum bonorum desideriorum, & corpora per bona opera: & quiddam etiam abundantius dat, ut etiā alijs prodesse possimus docendi gratia. Profectò & regna cœlorum, ut abundantiori quadam remuneratione nos præmiat. Sic igitur est pastor bonus, sed non mercenarius, ut Iudæorum principes, negligentes scilicet populum. in Iohan. cap. 10.

De impulsiuis pœnitentiæ, inquit Radulphus: Non coactam, sed spontaneam agere pœnitentiam oportet: nec humano timore ad hoc compelli, sed amore diuino & propriæ salutis intuitu prouocari: lib. 3. cap. 1. in Leuitic.

De contritione, inquit Radulphus: Nemo peccatū suū dignè plangit, nisi antea se peccasse intellexerit. Nec fieri potest ut cōgrua sollicitudine hostiā qua purgari possit, ei prouideat, qui reatū suū adhuc ignorat. lib. 2. cap. 5. in Leuit. Item: Ego peccati noticiā non eā hic accipio, qua unusquisq; qui malè agit, scit peccatum esse quod agit: sed eū solū peccata sua ueraciter cognoscere æstimo, qui peccatū quàm perniciosum sit, quantaue pœna plectendū, pauido corde perpendit. Radul. lib. 3. cap. 1. in Leuitic. Et: Sicut non cognoscit Deum, qui non eū ut dignus est diligit, teste Iohanne: quia qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est: sic nec peccatum cognoscit, quisquis non ei dignam odij uicē rependit. ibidem.

Nemo desperet. Smaragdus: Nemo desalute desperet. quia & si magni sunt morbi scele-

bi ſcelerum, qui deprimunt, omnipotens eſt medicus qui ſaluet: tantum meminerit quiſq; quòd idem filius Dei, qui uenit mitis ut ſaluaret, uenturus eſt diſtrictus ut iudicet. in epiſtol. Iohannis apoſtoli, cap. 4.

De induratione, inquit Giſelbert. Deus excæcat & obdurat deſerendo, & non adiuuando. Deus enim quando non adiuuat, iuſtè facit: quando adiuuat, miſericorditer facit. uerùm iuſta Dei iudicia, licet occulta, non ſunt à nobis diſcutienda temeritate ſoluta, ſed uigilanti prouidentia metuenda. in lib. Altercat. cap. 12.

Ansbertus ait: Neq; imperatiuo modo, neque optatiuo cuilibet diuinitùs dicitur: Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: ſed permittētis eſt uox. Ira enim diſtricti iudicis exigit, ut qui eā ſequi ad innocentiā contemnunt, adhuc magis nocere permittantur. Vnde ſcriptū eſt: Et non audiuit populus meus uocem meā, & Iſrahel nō intendit mihi: & dimiſi eos ſecundū deſideria cordis eorū, & ibunt in uoluptatibus ſuis. In qua ſcilicet ſententia culpa præceſsiſſe docetur inobedientiæ, per quam à Deo dimiſsi, ire permiſsi ſunt in uoluptatibus ſuis. Sed ualde à uobis cum tremore cōſiderandum eſt, quòd iuſtus & omnipotens Deus, cum præcedentibus peccatis iraſcitur, permittit ut cęcata mens etiam malis labatur. Vnde Moyſes ait: Nondum completa ſunt peccata Amorrhæorum. Dauid quoque dicit: Appone iniquitatem ſuper iniquitates ipſorum, & non intrent in iuſticia tua. Propheta etiam alius dicit: Maledictum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Sanguis enim ſanguinem tangit, quando peccatum peccato additur, ut ante Dei oculos adductis iniquitatibus anima cruentetur. Hinc Paulus apoſtolus ait: Vt impleant peccata ſua ſemper. Vnde etiam Dominus per alium prophetam dicit: Si conuerſus iuſtus à iuſticia ſua, fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo. Ac ſi apertè dicat: Quia uidere pœnitendo noluit, ubi iam impegit, iuſtò eum iudicio deſerens, ponam ei ut alibi impingat. Quod tamen Deum ponere, eſt nequaquam ad peccandum premere, ſed nolle à peccato liberare: ſicut de Pharaone, quod ſæpe protulimus, dicitur: Ego indurabo cor eius. Non enim cor peccantis Dominus obdurat: ſed obdurare dicitur, cum ab obduratione non liberat. Miſericors enim Deus tempus nobis ad pœnitentiam relaxat: ſed cum eius prorogatam pœnitentiam nos in augmentum uertimus culpæ, hoc ipſum tempus quod ad parcendum piè diſpoſuit, diſtrictius ad ferendum uertit: ut cum reuerti quis etiam ſpacio temporis accepto per hoc mala ſua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, ſi cōuerti uoluiſſet. Vnde ſcriptum eſt: Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autē tuā & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei. De benignitate ergo omnipotentis Dei, ira ſibi in die iræ reprobi theſaurizant: quia dū ad pœnitendū tempus accipitur, & ad peccandum exhibetur, ipſum remedium gratiæ uertunt in augmentum culpæ. Vnde & omnipotens Deus, qui collata remedia cōſpicit in culpæ augmentum trahi, ipſam benignitatem quam contulit, in iudicij diſtrictionem uertit: ut inde pòſt amplius feriat, unde modò amplius expectat. Et quia homo deſerere malum non uult ut uiuat, augget unde moriatur. cāpite uigeſimoſecundo Apocalyp.

De nouitate ait Radulphus: Omnis qui de præteritis malis ſuis pœnitentiam agit, ſi eam prodeſſe ſibi exoptat, caueat omnimodis neceſſe eſt, ne eadem rurſus committat. Scriptum eſt enim: Qui diligit Dominum, exorabit pro peccatis, & continebit ſe ab illis. Item: Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius? Idem lib. 3. capite primo, in Leuitic.

De contritione inquit Giſelbertus: Regula diuina æquitatis eſt, ut ſi homo ſe ipſum iudicet & accuſet, ſententiam minaget: ſi ſe defenderit, iudicij gladium euaginet. In lib. Altercat. capite quinto. Item: Tanquam mortuus effici debet, quem prioris uitæ tædet. in libro Altercat. capite 17. Et: Omnis diuinæ legis tranſgreſſor, intuitu diuini iudicij meritò confunditur, cum pro delicti conſcientia, & à facie ſummi iudicis abſconditur. In libro Alterc. cap. 5. Et Ansbertus: Attendat prauus quiſq; fidelis, quā cordis amaritudine, quo mentis dolore, poſt fidei agnitionem perpetrata crimina debeat lugere: ſi ad fidem uenientibus primi Eccleſiæ prædicatores, ad abluendā priſtini erroris nequitiam, lamentum pœnitentiæ indixerunt. libro 4. cap. 9. in Apocalyp. Item: Sicut fumus præcedit incendium, ſic flammam fidei & charitatis præcedit confeſsio peccatorum. libro 7. cap. 5. in Apocal.

Deū recipere pœnitentes, Ansbertus ſtatuit: Vocabitur fidelis & uerax, & iuſticiā iudicat. Quaſi dicat: Qui ſpē uenię cōuerſis tribuit, non fruſtrabitur quenquam in ſuis promiſsionibus, quia fidelis eſt in omnibus: ſed qui uana ſecuritate prius * conuer-

ſionis gratiā, à feruore ſancti certaminis in tepiditatem

tepiditatem ueniunt uitæ remissioris, cum attendunt fidelem ueniæ promissorem, debent utiq; pertimescere ueracem & iustum in suis sententijs iudicem. Vnde & hic dicitur: Verax uocatur, & iusticiam iudicat. ubi subaudiendum est: Quia si uerax est, & iusticiam iudicat, nullum impœnitentem impunitum relinquit, nullum non conuer sum misericordia saluat. lib. 9. cap. 19. in Apocalyp. Et Radulphus: Testis est Euangelica autoritas, gaudium esse angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Ipsa igitur conuersio nostra, mox ut ab iniquitate respiscimus, Deo nostro angelisq; eius solennis est: quia pater pijssimus prodigum filium, etiamsi partem substantiæ quam ab eo acceperat, cum meretricibus consumpsit: reuertentem tamen lætus suscipit, & obuius exit: proferri stolam primã iubet, ut nudus uestiatur: occidi uitulum saginatum, ut eius esuries reficiatur. Manducemus, inquit, & epulemur: quia hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuẽtus est. Radul. lib. 16. cap. 3. in Leuit.

Agentes pœnitentiam saluari, docet Radulphus: Neq; dormientes & negligentes Christi morte saluantur, sed qui uoci illius obtemperãt, dicentis: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. lib. 1. cap. 1. in Leuitic.

Deum sæpe homines à peccatis coherce re, inquit Giselbertus: Volenti homini peri re, gratia diuina persæpe succurrit, tentationes extinguit, & effectum peccati aliqua occasione impedit. In lib. Altercat. cap. 7.

Quomodo Deus inuitet peccatores. Giselbertus: Tribus modis inuitat Deus ad se peccatorem, uirtutibus signorum, occulta compunctione, ore doctoris. in lib. Altercat. cap. 21.

Non differendam pœnitentiam Radulphus testatur: Nemini salutis suæ curã procrastinandam, quasi pollicendo sibi prius diuturna flagitia, bonam uitæ consummationem. Manifesta quippe & euidens illa gratia est, nec in hominis ditione posita, quando sub articulo mortis imminẽtis, sub tempore iam deficientis ætatis, spiritu ubi uult spirante, repẽtè anima peccatoris suis lachrymis baptizatur: & peccandi appetitũ abijciens, in affectum iusticiæ tota conuertitur. lib. 3. cap. 6. in Leuitic.

Non relabendũ esse, monet Ansbertus: Sed sciendum, quia ille à pristinis inquinamentorũ sordibus perfectè lauat stolã suã, qui post lachrymarũ tempus ad iniquitatẽ non recurrit, sed statim ad custodiã mandatorũ semetipsum conuertit: ut tanto iã conditori suo placere studeat post pœnitẽtię lucrum, per obedientiam mandatorũ, quanto ante cõuersionem eidem displicebat impœnitens per inobedientiam peccatorum. quamobrem in stola candida, uita significatur immaculata. libro 10. capite 22. in Apocalyps.

Cur alij conuertantur, alij non, Radulphus exponit: Cum sapientia (inquit) foris prædicet, & latè per orbem in plateis det uocem suam, dum prophetiæ leguntur, dum Euangelium recitatur: quid est quòd unus audit & corrigitur, alius audiens in nullo mutatur, nisi quòd huic per Dei gratiam cœlum exhibet rorem suum, ut terra illius germinet: alij uerò suo merito diuini uerbi medicina subtrahitur, ut (sicut superius diximus) argui se audiat & contẽnat: & somno lethali grauatus, sub increpatione diuina nihil salubris timoris cõcipiat. Quisquis igitur talis est, pro salute sua laborare contemnit: fieri tamen non potest ut nõ laboret. homo enim ad laborem nascitur. Laborant itaq; omnes, & boni & mali: sed boni fructuosum laborem quærunt, mali uerò inutiliter laborant. Labor, ait Salomon, stultorum affliget eos, qui nesciunt pergere in ciuitatem. lib. 20. cap. 1. in Leuit.

Quòd Deus interdum per castigationẽ aliquos ad pœnitentiã uocet, testatur Theophylactus: Vt in corporalib. afflictionibus, quæ per molles medelas curari nequeunt, opus est austerioribus pharmacis: sic inter homines, quotquot per clementiam Dei ad pœnitentiam non ducuntur, per seuerio ra castigati, sæpenumero hoc agnoscunt. in Oseam cap. 6.

De pœnitentia digna, sic ait Smaragdus: Ille pœnitentiam dignè agit, qui sic præterita mala deplorat, ut futura iterũ non committat. Nam qui plangit peccatum, & iterũ admittit peccatum, quasi qui lauet laterem crudum: quem quanto magis abluit, tanto magis lutum facit. De pœnit. distinct. 3.

## DE SACRAMENTIS *in genere.*

DE usu Sacramentorum inquit Giselbertus: Instituta sunt sacramẽta quasi quędã spiritualis medicinę, ad sanandos languores animarũ, qui uisibiliter tractantur, sed inuisibiliter operãtur. in lib. Altercat. cap. 8.

Quis Sacramenta distribuat, Smaragdus indicat: Sacramenta prophetiæ per sanctos doctores, qui hæc toto orbe prædicarent, distribuit. in Euang. Ioan. cap. 6.

De indignis inquit Theophylactus: Qua ratione reus fit indignè assumens? Perinde nimirum, ac ipse sanguinem Domini effundat. Vt enim qui tum pupugerunt Christũ, non ut biberent effuderũt, uerùm ut effunderent: sic indignè bibens, nihilq; inde cõmodi

modi referẽs, fruſtra ac temerè profudit ſanguinẽ. Porrò Iudæi dilacerarunt regis chlamydem: at qui indignè manducat, in cœnũ & lutum iſtam chlamydem, hoc eſt, ſuam ipſius animam iniecit. in epiſtol. Pauli ad Corinth. cap. 10. Item: Hinc ſunt immaturæ mortes, diuturnæq; ægritudines & morbi, eo quòd multi indignè aſſumant corpus Chriſti. Quid igitur? qui non ægrotant, & ad extremam uſq; ſenectam ſeruantur incolumes, non ne peccant? Peccant ſanè: ſed non huius temporis pœnæ ſolæ indignè accedentibus deſtinatæ ſunt, ſed in futuro quoq; ſeculo, illic difficiliora grauioraq; ſunt repoſita ſupplicia: neq; hic nos puniti eſſemus, niſi deliquiſſemus. in epiſtol. Pauli ad Corinth. cap. 11.

Quomodo accedendum ad ſacramenta ſit, docet Theophylactus: Iudica & explora conſcientiam tuam, & ſic accede ad menſam Domini: nõ quando fuerint feriæ, ſed quando purum teipſum ac dignum inueneris. Idem ad Corinth. cap. 10.

DE BAPTISMO.

Illuminatio dicitur baptiſma, quia baptiſmus in tribus merſionibus fit; ita & triduo manent, qui per baptiſmum illuminãtur. Theophylactus in Marc. cap. 8.

De medijs ſalutis ita inquit Giſelbertus: Paul. Poteſt quidem: ſed, ipſo Domino teſte, ſine his homo ſaluari non poteſt. Ait enim ipſorum inſtitutor ſacramentorum: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt uidere regnum Dei. Non enim in hominis poteſtate eſt, aliam uiam ſalutis iſtis ſpretis eligere: ſed in poteſtate Dei eſt, ſi homo iſta habere non poteſt, bonam uoluntatem habenti gratuitò miſereri. In lib. Altercat. capite 1.

De duplici natiuitate inquit Radulphus: Gemina eſt homini collata natiuitas. prima, qua mundo huic naſcitur: ſecunda, qua in Deum renaſcitur. lib. 15. cap. 6. in Leuitic. Et Theophylactus ait: Homo cum ex duobus conſtet, ex corpore & anima, habet natiuitatis quoq; modum duplicem. Aqua enim ſi uiſibiliter accipiatur, ad corporis pertinet purificationem: Spiritus uerò inuiſibiliter concurrens, ad inuiſibilis animæ regenerationem pertinet. Quod ſi rogas, quomodo aqua poteſt generare? interrogabo & ego, quomodo ſemẽ, & ipſum aquoſum exiſtens, poteſt in hominem transformari? Igitur ſicut in corporali ſemine, totum eſt gratiæ diuinæ: ita & in baptiſmate aqua ſubdita eſt, & ſpiritus omnia operatur, & in uocatio per preces, imò Dei præſentia. ſymbola enim ſepulturæ & reſurrectionis in aqua illa perficiuntur. Tres merſiones, triduanæ ſepulturæ ſymbola ſunt: deinde regreditur homo, ſicut Dominus, fulgidior & clarior incorruptionis ferens indumenta, qui in aqua corruptionem ſummerſit. in Iohannem cap. 3. Et: Audiens quòd Chriſtus baptizarit, ne putes quòd per ſe baptizarit, ſed per diſcipulos. hoc enim diſcipulorum opus in magiſtrum refert Euangeliſta. Sed quæris: Quare non ipſe baptizauit? Diſce. Superius dixit Iohannes, quòd ille uos baptizabit Spiritu ſancto. Spiritus autem ſanctus nondum erat datus, eo quòd nondum tempus erat. Igitur ſi baptiſaſſet: & quid igitur præſtabat Iohanne? uel deniſſet ſpiritum, atq; ante tempus: ſed id indignum Deo, qui in tempore facit omnia. Quod autem tempus dandi Spiritum? tempus poſt aſſumptionem. Proinde diſcipuli Ieſu baptizabant, ut plures ad Saluatoris doctrinam adducerent. Vnde & his baptizantibus, etiamſi Iohannes baptizabat, & non ceſſabat duo bona faciens: unum quidem, quia ad ſe uenientes, de Chriſto loquens ad illum adducebat: alterum uerò, quia curabat ne diſcipuli ſui in maiorem zelum & contentionem prouocarentur. ſi enim ceſſaſſet baptizare, quid non feciſſent diſcipuli eius, alioqui maiori inuidia Chriſtum perſequentes? Nam cum ſæpe clamarit, & primas ſemper Chriſto tribuerit, non perſuaſit eis ut accederent ad illum: in quãtam ergo inuidiam impuliſſet, ſi ceſſaſſet baptizare? Idem in Iohan. cap. 1.

Vnde ſit. Ansbertus: Qui non ex ſanguinibus, ſed ex Deo nati ſunt. Ex Deo, ſcilicet per uerbum prædicationis, & lauacrum regenerationis, quibus quotidie ſacramentis Chriſtus ſibi generat hæredes. Non ſibi ergo quiſquam de prædicatione, non ſibi applaudat de baptiſmatis ſacramẽto: quia & per ora docentium Chriſtus docet, & per manus ſacerdotum Chriſtus baptizat, cui ſucceſſores hæredes tanquam defuncto fratris ſemen ſpiritaliter ſuſcitant. lib. 9. cap. 19. in Apocalyp. Et Theophylactus inquit: Deſcendit ſpiritus ſupra baptiſmũ, ut teſtimonium perhibeat, quòd maior ſit qui baptizatur, quàm qui baptizat. in Matthæum cap. 1.

De materia, ait Theophylactus: Apud nos aqua baptiſmatis, eſt aqua ſimpliciter: cum autem acceſſerit Spiritus ſancti gratia, propter inuocationẽ Dei, morbos * ſolius animarum: & ſi quis cæcus fuiſſet, obcæcatis oculis animæ, ne poſſit dijudicare bonum à malo, ab aqua illa curabatur. in Iohan. cap. 5. Et: In ipſo uſu baptiſmatis, corporis cauſa aqua adſumitur. cum enim gemini ſumus, gemina etiam purificatio eſt. idem in epiſtol. Pauli ad Hebræos, cap. 10. Et Smaragdus inquit: Quis enim eſt in hac uita,

uita, ut non sit magis magisq; mundandus? Quare non ait, Mundi estis per baptismum, quo abluti estis: sed ait, Propter uerbum quod locutus sum uobis: nisi quia & in aqua uerbum mũdat? Detrahe uerbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit uerbum ad elementum, & fit sacramentum, etiam ipsum tanquam uisibile uerbum: hoc est, uerbum fidei prædicamus, quod dicit Apostolus: Quia si confessus fueris in ore tuo. Hoc uerbum fidei tantum ualet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum ualentem corde credere ad iusticiam, & ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per uerbum, de quo Dominus ait: Iam uos mundi estis, propter uerbum quod locutus sum uobis. in Euangeliũ Iohannis, cap. decimotertio. Et: Cum non solum animæ, sed & corpora uenient ante tribunal Christi, ut reportet unusquisq; propria corporis prout gesit. Smaragdus in epistolam Pauli ad Romanos, cap. 8.

Quomodo baptismus debeat administrari, docet Ansbertus: De tribus deitatis personis tacere omnimodis nõ audemus, nec debemus, maximè cum in hac Trinitatis confessione baptizemur, in hac unitatis fide saluemur. lib. 10. cap. 21. in Apocal.

Ordo baptizandi in adultis à Smaragdo traditur: Primùm docẽt omnes gentes, deinde doctos intingunt aqua. non enim potest fieri ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi antea anima fidei susceperit ueritatem. Baptizantur autem in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti; ut quorum est una diuinitas, sit una largitio: nomenq; Trinitatis unus Deus est. in Euangel. Matthæi, capite ultimo. Et: Ordo præcipuus iubet Apostolis, ut primùm docerent universas gentes: deinde fidei tingerent sacramento: & pòst fidẽ ac baptisma, quæ essent obseruanda præciperent. ibidem.

Vnum esse baptismum, monet Theophylactus: Non multa sunt baptismata, sed unum est baptisma. Si enim iterum eos in primordijs religionis instituret, si rursus baptizaret, qui deflexissent à uita Christiana digna, per huiusmodi reiterationem essent baptismi multi necessariò. uerùm hoc est absurdum. Non oportet igitur nos reiterare baptisma, sed in priore baptismate perseuerare. Obserua quòd pœnitentiam baptismus excipiebat. postquam enim pœnitentia ipsa per sese non possit puros reddere, propterea baptizamur, ut uniuersum hoc sit gratiæ Dei. in epistol. Pauli ad Hebræos, cap. 6.

Omnes baptizandos, docet Theophylactus: Docete omnes gẽtes, inquit Matthæi 28, baptizantes eos: ut ita multa sint baptismata, quorumlibet puta, & singulorũ ubicunq; degentium. Siquidem unum baptisma dictum est, æquè atq; una fides: propter dogma, nempe in sacris, unum existens in omni Ecclesia, quę acceperit baptismũ per inuocationẽ Trinitatis, mortem ita Domini, & resurrectionem exprimendo, per trinam illam demersionem & extractionem. Et quia semel cuiuis fidelium datum est, dicere queat aliquis, unum propterea dici: sic baptismi quidem multi sunt, quandoquidem & baptizati multi. Aliàs aquæ baptismatum hoc modo à Domino etiam dissociantur: ut cum duplices nos simus, utpote ex animo & corpore: corporis quidem purgatio per aquam, animi uerò per spiritum perficiatur. in prophetam Naum, capite primo.

Paruulos baptizandos Smaragdus docet: Sinite paruulos uenire ad me. talium est enim regnum cœlorum. Hanc enim sanctam, puram & innocentem infantiam, per baptismi gratiam, casta mater gignit Ecclesia. in epistol. Petri, cap. 2.

De fine baptismi, inquit Giselbertus: Nónne de una massa corruptibilis naturæ, & sua mutabilitate defluentis, uniuersa humani generis propago trahitur: sed alijs deorsum in ea qua nati sunt corruptione iustè relictis, alij sursum dono gratiæ cœlestis subleuantur? Sic ex una aqua baptismatis animæ creatæ, imò renouatæ, localibus distinguuntur effectibus. Simon Petrus ex aqua uitæ creatus, assumptis uirtutum pennis euolauit: Simon Magus ex eadem aqua reformatus, in solita palude depressus ad ima remansit: quia in domo magna ex eadem massa uasa fiunt diuersa, aliæ in honorem, alia in contumeliam. in libro Altercat. capite tertio. Item: Tu homo nouus es Adam in paradiso positus, id est, in Ecclesia regeneratus: & quasi duobus commixtis elementis, terra & aqua, in baptismate sicut Adam temperatus, tu ab originali peccato per precium Christi sanguinis emundatus. In lib. Altercat. cap. 5. Itẽ: Homo uetusto morbo per baptisma solutus non plangitur, cui de hoc mundo migranti cœlũ aperitur. in lib. Altercat. cap. 7. Et: In baptismo omne peccati ueteris fermentum euacuatũ est. & ô utinam usq; ad resurrectionem nostram hoc fermento carere possemus. in lib. Altercat. cap. 8. Et: Nos omnes Christiani censemur, in baptismo Christo nomina nostra dedimus: & tamen nõ omnes ita currimus, ut comprehẽdamus. Habemus enim fidei donum, uirtutem eius abnegantes. in lib. Alterc. cap. 13.

Item: In fonte baptiſmatis purgamur immundi & captiuati, per Chriſti bellatores Euangelicos ab hoſte retracti, & noſtrę ſtationi uel principi reſignati. in lib. Altercat. cap. 13. Item: In baptiſmate Spiritum S. quiſq; peccatorũ ſordibus ablutus accipit, & à Deo patre profiteri filius adoptionis gratia incipit, & tunc ſibi regni cœlorũ ianuam aperiri, & ciuem ſe cœleſtis patrię angelorum ſanctorũ conſortem intelligit. in lib. Alterc. cap. 22. Et Radulph. inquit: In baptiſmate reatuum noſtrorum facta eſt abolitio. lib. 10. cap. 1. in Leuit. Et Theophylactus inquit: Verbum Dei finxit & formauit Iſaac, neq; non genuit. Conſimili ratione ſuper nos filios Dei, in lauacro baptiſmatis, ueluti in matrice, uerba Dei pronunciantur, eaq; nos refingũt & reformant. ſiquidem in nomen Patris & Filij ſanctiq; S. baptizati generamur. Ac perinde ut illuc Iſaaci generationẽ promiſerat, quam poſthac impleuit: ſic & noſtram regenerationẽ promiſit ſanè per prophetas, ac poſthac cõſummauit. in epiſt. Pauli ad Rom. cap. 9. Et: Adam clauſit cœlos, per Chriſtum aũt apertiuntur: ut diſcas, quòd quãdo baptizaris, aperit eos. Idem in Matt. cap. 3. Item: Per baptiſmũ eijcitur malus ſpiritus. ibidem. Et: Nos gratia Chriſti per baptiſmum iuſtificati, accipimus uirtutem, ad uincendum aduerſarium noſtrum, iam deiectum & occiſum à Chriſto. Idem in Matth. capite 20. Item: Baptiſma nos omnes purificat. ibidẽ. Et: Spiritus S. deſcendit ſuper baptiſmum Iohannis, non quòd illo opus habeat Chriſtus. Aut quomodo hoc poſsibile, cũ in eo ſubſtãtialiter maneat? ſed ut tu diſcas, quòd quando baptizaris, & in te Spiritus S. ueniat, interea & hoc operatur Spiritus S. deſcẽſus. Porrò cœli diffinduntur: ut diſcamus, quòd quando baptizamur, aperiãtur & nobis. Idem in Marc. cap. 1. Et: Qui habet baptiſma, ad requiem uadit, iuxta rationẽ uiuens: & uiuit in ordine, quaſi in domo quadam. Idem in Marc. cap. 14. Et: Quotidie qui baptizantur, liberantur à uulneribus animæ, oleo quidẽ unguenti uncti: ſtatim autem communicantes, & diuini ſanguinis participes fiunt. Idem in Luc. cap. 10. Item: Quicũq; baptizati ſumus in Chriſtũ, induti ſumus Chriſtum. Et annulum dat in manũ, ſignaculum Chriſtianiſmi, quod per opera habemus. idem in Lucam, capite decimoquinto. Et: Omnis quibaptizatur, & filius Dei efficitur, imò reſtituitur: & in ſumma, omnis qui à peccato purgatur, particeps ſit ſaginati illius uituli, & lætitiæ author ſit patri, & ſeruis eius angelis & ſacerdotibus, tanquam ex morte reſurrexiſſet, & poſt perditionẽ fuiſſet inuentus. Idẽ in Luc. cap. 15. Et: Cum Chriſtus propter hoc uenerit, ut tollat peccata mũdi: haud aliter remiſsionẽ peccatorũ accipere poſſumus, quàm per baptiſmũ. Impoſsibile eſt autem baptizari eum, qui non credidit. Omnino igitur neceſſariũ, poſtea in ſuo peccato mori infidelem. non enim exuit ueterem hominem, quia non baptizatus fuit. idem in Iohan. cap. 8. Et: Quotquot baptizati ſumus ſpiritualiter, in Chriſto baptizati ſumus. Verùm ubi baptizatus quis fuerit, tunc & tentationibus ſubiacebit. idem in Ioan. cap. 9. Et: Quemadmodum ferrum in igne commorãs, ferrum fit: ſic & caro eorum qui per baptiſma Spiritũ acceperunt, tota ſpiritalis efficitur. idem in epiſt. Pauli ad Rom. cap. 8. Et: Quemadmodum argentum econtrario ſolis poſitũ, remittit radios etiã ipſum ex repercuſſu ſolis: ſic & nos in baptiſmate per Spiritũ purgati, illiusq; radijs illuſtrati, iubar quoddã ſpirituale, quod ſola mẽte cõprehenditur, remittimus: ac transformamur in eandem imaginẽ, à gloria ſpiritus ad gloriã noſtrã, eamq; talem, qualem par eſt habere eum qui à ſpiritu Domini, qui nulli eſt ſubiectus, illuſtratus eſt. Nam cum Dominus ſit, heriles etiam faces & flammã habet. Siquidem omnes fideles Spiritu S. replentur per baptiſma, animaq; ipſorum fulget. Idem in epiſt. Pauli ad Cor. 2. cap. 3. Item: Omnes ſumus occiſi à peccato, reuiximus & uiuificati ſumus per Chriſtum per baptiſma, mecarnem uiuentem: hoc eſt, iuxta ueterẽ & carnalem uitam. Omnes enim ſpiritu regenerati, nouam & ſpiritualem uitam aſpicantur, ducũtq;. ibidem. Et: Baptiſma ut per ſubmerſionem uel intinctionẽ, mortem, ſic per emerſionem ſeu extractionẽ reſurrectionem denunciat. idem ad Col. cap. 3. Et: Spiritus S. demoratur in nobis per baptiſma: quem ſpiritum ſi ſeruauerimus, nec perſequemur prauis operibus, cuſtodit & ipſe nobis, quęcũq; à Deo habemus. Idẽ in epiſt. Pauli ad Timot. 2. cap. 1. Et: Chriſtus per crucẽ & mortem quã ipſe ſuſtinuit, purgauit nos, non ſolum quòd mortuus ſit pro peccato noſtro, cum ipſe omni peccato uacaret: daretq; uictoriã nobis, quam ipſe tamen nobis nõ debebat: ac ſolueret naturam, quæ ſimpliciter ob Adami peccatum ac tranſgreſsionẽ condemnata erat: ueriũ etiã per hoc, quòd dederit nobis baptiſma imaginem mortis ſuæ, per quam undiq; ac ſigillatim pręteritorum nobis peccatorum condonationẽ recipimus, dũ baptiſamur: atq; potentiã, ne poſthac adeò facilè à peccatis intercipiamur. Idem ad Hebr. cap. 4. Et: Baptiſma crux eſt. Simul enim crucifixus eſt

xus est uetus noster homo, ac simul insiti su
mus similitudini mortis eius, & rursus con
sepulti sumus ipsi per baptisma. Perinde nã
quæ ut mortuus est ille in cruce carni, pari
ter. Qui aũt secunda uice baptizatur, quã
uita & nos in baptismate mortui sumus pec
tũ in se est, rursus cruci Christũ adfigit. At
qui hoc absurdũ est. semel enim mortuus
est, & resurrexit, & mors in eũ nõ porrò do
minatur. Non igitur est secundum baptis-
ma, quãdoquidẽ nec secũda crux sit. Quid
enim prohiberet, si secundum permittere-
tur, quo minus tertiũ & quartũ concedere-
tur, ad infinitum usq; facto procursu? Non
dixit aũt, Recrucifigentes, ac destitit loqui:
sed adiecit, Sibi ipsis: ut ostendat, quòd se-
gniter & ignauè uitã nostrã trãsigamus. Nã
sic omnia agimus, quasi secundũ baptisma
præsto sit, uanã ita in nobis ipsis opinionẽ
constituentes. Idem in epistol. Pauli ad He
bræos, cap. 6. Et: Omnes qui baptizãtur,
simul sunt insiti in mortẽ Christi. idẽ ad He
bræos, cap. 10. Item: Baptisma Christi sa-
nè mortem Christi effigiat. ut igitur mors
Christi una sit, & baptisma unũ. Quid igi-
tur adeò intrepidè peccas? cum nõ sit spes
amplius te per baptisma denuò fœliciter
delere posse admissa crimina? Bona igitur
opera tibi uendica. idem. Et Smaragdus
ait: Sancta Ecclesia in sacramentũ Domini-
cę resurrectiõis, baptismi lauacrũ percipit:
ut sicut ipse resurrexit à mortuis per gloriã
patris, ita & nos expurgati à peccatis per
aquam regenerationis, in nouitate uitæ
ambulemus. In epistol. Petri 1. cap. 3. Et:
Quis enim sine lauacro regenerationis re-
missionẽ peccatorũ cõsequi, & regnũ ualet
intrare cœlorũ? Idẽ in euangel. Iohan. cap.
3. Itẽ: Quia qui ex aqua & spiritu regene
ratur, inuisibiliter in nouũ mutatur homi-
nẽ, & de carnali efficitur spiritualis. qui i-
deo rectè nõ solũ spiritualis, sed etiã spiri-
tus uocatur: quia sicut substãtia spiritus in-
uisibilis est nostris aspectibus: ita is qui per
gratiam Dei renouatur, inuisibiliter fit spiri
tualis, & Dei filius, cũ uisibiliter omnibus
caro & filius hominis appareat. Smarag-
dus in Euangel. Iohannis, capite tertio.

De nouitate post baptismũ, inquit Theo
phylactus: Spiritus sanctus demoratur in
nobis per baptisma, quẽ spiritũ si seruaue-
rimus, nec persequemur prauis operib. cu-
stodit & ipse nobis quæcunq; à Deo habe-
mus. Da igitur operã ut custodias spiritũ, &
ipse rursus seruabit tibi depositum. in epi-
stol. Pauli ad Tim. 2. cap. 1. Et: Nõ sufficit
ad custodiã puritatis baptizari: sed & mul-
to studio opus est, ut imago adoptionis in
filiũ Dei figurata in baptismate, incoinqui-
nata seruetur. Idcirco multi qui in baptis-
mo gratiã receperũt adoptionis, per igna-
uiã nõ fuerũt filij Dei usq; ad finẽ. Fortasis
aũt & hoc quis dixerit, quòd multi recipiũt
eũ per hoc quod solũ credunt: quales sunt
qui dicũtur Catechumeni, nõdũ autẽ facti
sunt filij Dei: potestatẽ autẽ tũc habent, cũ
uoluerint baptizari, & hãc gratiã consequi,
adoptionẽ inquã in filios. idem Ioan. cap. 3.

Tentatiões sequi baptismũ, docet Theo
phyl. Post baptisma Christus tẽtatur: osten-
dens nobis, quòd post baptisma tẽtationes
nos sint excepturæ. in Luc. cap. 4.

Qui excidãt baptismo, Ansbert. monet:
Qui lauatur baptismatẽ ab operibus mor-
tuis, & crimina mortalia post ablutionẽ ad-
mittit, nihil ei ꝓfuit quod lotus fuit. Hinc
Dominus per Esaiam admonet dicens: La
uamini, mundi estote. Lauatur enim, & mũ
dus est, qui & per baptismũ præterita crimi
na diluit, & post baptismũ recentia nõ ad-
mittit. Sed quid si cõtigerit post hanc ablu
tionem, stolam sordibus peccatorũ inqui-
nari? Nullus de uenia desperet, si iterum la
uari cupit. Restat enim adhuc & aliud bap-
tisma, quo momentis singulis baptizantur
publicani & meretrices. Et quod est illud,
nisi fons lachrymarũ? In quo uidelicet Ma-
ria post multas criminum maculas, & Pe-
trus ablutus est post trinam Domini nega-
tionem. Ansbertus lib. 1. cap. 1. in Apocal.

De retentione baptismi inquit Theophy
lactus: Etiamsi baptisma acceperis, & filio
us Dei fueris per baptisma, non agaris au-
tem spiritu, amisisti uitam & conuersatio-
nẽ Christiano dignã. Omnes quidẽ spiritũ
accipimus per regenerationis lauacrũ, agè
autẽ per omnẽ uitã eodẽ: id uerò à nobis,
tanquã nostrũ exigitur. Propterea nõ dixit
Paulus, Quotquot spiritũ acceperũt, hi sunt
filij Dei: sed, Quotqnot spiritu aguntur. in
epistolam Pauli ad Roman. cap. 8.

Encomion baptismi recitat Giselbert.
Rubrũ ergo mare propter fidem passionis
Christi, quæ fides baptismi sacramẽta cõfir
mat: quia sanguis & aqua magna sunt Ec-
clesiæ sacramẽta. Quoties uerò figura bap-
tismi in antiquis seculis latuerit, Hierony-
mus perpaucis ostẽdit: Crystallũ super Che
rubin uidetur extensum, id est compactæ
& densiores aquæ. Fabricatur homo de li-
mo, & inter manus Dei aquarum sacramẽ-
ta uersantur. Fons in paradiso in quatuor
principia diuiditur: qui postea egrediens
de templo, & contra solis ortum uadens,
amaras aquas, mortuasq; uiuificat. Peccat
mundus, & sine aquarum diluuio non pur
gatur. Columba Spiritus sancti, expulso a-
lite teterrimo, ita ad Noe quasi ad Christũ
in Iordane deuolat, & ramo refectionis ac
luminis pacem orbi annunciat. Pharao cũ

exercitu suo in typo baptismi aquis suffocatur. Tu cõfirmasti, inquit, in uirtute tua mare, contribulasti capita draconum in aquis, unde reguli & scorpiones arentia quęq; sectantur: & cum uenerint ad aquas, hydrophagos & lymphaticos faciunt. Mara mutatur sacramento crucis, & LXX palmæ Apostolorum dulcoratis legis gurgitibus irrigãtur. Patriarchis puteos fodientib. repugnãt allophyli. Bersabeæ ciuitas iuramenti, regnũq; Salomonis nomen sumpsit à fontib. Rebecca, Rachel, & filiæ sacerdotis Madiã, apud aquas inueniũtur. Præcursor in aquis fontiũ iuxta Salim, Saluator post Iordanẽ cœpit prædicare. Primũ eius signũ ex aquis est. Samaritana uocatur ad puteũ. Sitientes inuitãtur ad aquas: nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu Sancto, nõ potest uidere regnum Dei. Percusso latere Domini, profluit sanguis & aqua. Mutat cõtra naturam Aethiops pellem suã, & pardus uarietates suas. Vox Domini super aquas. Dominus diluuium inhabitare facit, qui ascenderunt de lauacro. Micheas: Demerget, inquit, Dominus iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra. in libro Altercationis Synagogæ, capite octauo.

### DE CLAVIBVS.

Quid sint claues, docet Theophylactus: Claues intelligas, quę ligãt & soluunt: hoc est, delictorum uel indulgẽtias, uel pœnas. Habent enim potestatem remittendi & ligandi, qui, sicut Petrus, episcopatus gratiam assecuti sunt. in Matthæi cap. decimosexto.

De absolutione inquit Radulphus: Aspergitur digito pontificis, sanguis: ut intelligas, Christi potestate ueniam peccatoribus tribui. Sunt tamen eiusdem & illi participes, quibus ipse ait: Quodcunq; solueritis super terram, solutũ erit & in cœlis. lib. 12. cap. 1. in Leuitic. Item: Quisquis itaq; reum se intelligit, si dum uitæ & bonæ ualetudinis spacia longiora sperare potest, ad satisfactionem redit, sufficit ei ut cornua altaris suo sanguine tãgat: ut scilicet aliquos gregis Christi pastores, suo fletu & contritione ad compassionem flectat: quorũ ope & potestate (ut prædictum est) à peccatorũ suorum uinculis absoluatur. Radulph. lib. 3. cap. 6. in Leuit.

De excõmunicatione inquit Theophylactus: Infidelem & incorrigibilem puniebant, Satanæq; tradebant. Quomodo? Eijciebatur ex ecclesia, abijciebatur à charitate, tradebaturq; nudus lupo. in epist. Pauli ad Timoth. Item: Anathema, separationem & abalienationem significat. Quemadmodum enim ornamentum, seu munus Deo consecratum ac repositũ, nemini contingere licet, neq; etiam audet aliquis: hãc ad rationem in excommunicationis ratione. Sane fieri solet, ueruntamen alia ratione. Sacro enim muneri nemo sese admouere audet honoris causa, quia Deo collatum consecratumq; est: ab hoc uerò, excommunicato nimirum separantur omnes ceu sanctitatis experto, abalienatoq; à Deo. idem in epistol. Pauli ad Rom. cap. 9.



Finis. Radulphus: Neq; enim in Ecclesiastico iudicio hoc agitur, ut homo lædatur: sed aut eius absolutio quæritur, si dignus est: aut correctio, si reus. Nemo igitur quemlibet amicum, nec ipse homo seipsum contra salubris disciplinæ remedium tueri debet: sed sit aut spontanea peccati cõfessio, aut innocentię simplex ostensio. lib. 10. cap. 3. in Leuitic. Item: Quod per sacerdotale iudicium fit, Deus ipse facit, sicut scriptum est: Quodcunq; ligaueris super terram, ligatum erit & in cœlis. Radul. lib. 20. cap. 5. in Leuitic. Et Theophylactus inquit: Si tu offensus habes eum qui te iniuria affecit, si cut publicanum & gentilẽ, erit ille & in cœlo talis: si autem solueris eum, hoc est ignoscis, erit ei & in cœlo cõdonatũ. Nõ enim solum quæ soluunt sacerdotes, sunt soluta: sed quæcunq; & nos iniuria affecti uel ligamus uel soluimus, & ipsa erunt ligata uel soluta. in Matth. cap. 19.

### DE CONFESSIONE.

Giselbertus ait: Quãdiu peccator amat uitium, tamdiu clausus animus pressum retinet oris ostium, & ad Deum uocantem nõ egreditur, per simplicem confessionis occursum. Omnis enim qui malè agit, odit lucem. Igitur si uocem Domini tu peccator audieris, aperi os in confessione salutis, & casum pœnitentia uincis. In lib. Alterc. cap. 5. Et Radulphus inquit: Quid est peccatorum confessio, nisi quædam uulnerum ruptio? quia peccati uirus salubriter aperitur in cõfessione, quod pestiferè latebat in mẽte. lib. 7. cap. 6. in Leuit. Et Theophylactus inquit: Nõ sufficit mẽtalis fides, sed & oris cõfessio exigitur. Nam quia duplex est homo, duplex fiat & sanctificatio. Sanctificatur quidem anima per fidem, corpus autẽ per confessionẽ. Quem igitur puduerit crucifixũ confiteri Deum suum, illius & ipsum pudebit. in Marc. cap. 9. Item: Non sufficit fides in sola anima, sed uult & per os cõfiteri nos Deus. non dixit autem Christus, Qui confitebitur me: sed, in me, hoc est, in mea uirtute. Nam qui confitetur, superna uirtute adiutus confitetur. Idem in Matth



capite 10.

De cõfeſsione in baptiſmo, inquit Theophylactus: Confeſsio in inſtitutione baptizandorum fit, qua profitemur nos defecturos ab Sathana, atq; caſtra noſtra ad Chriſtum locaturos, ut planè ei adhæreamus. Theophyl. in epiſtolam Pauli ad Timoth. capite ſexto.

DE COENA SACRA.

De fine cœnæ inquit Theophylact. Qui edit & bibit carnẽ & ſanguinẽ Domini, in ipſo manet Domino, & Dominus in ipſo. Contẽperatio enim fit noua & ſuper rationem, ita ut ſit Deus in nobis, & nos in Deo. Non audis terribilẽ auditum: non Deũ nudum mãducamus. tãgi enim nequit, & incorporeus eſt: & neq; oculis, neq; manibus apprehendi ualet. Iterũ nudi hominis caro nihil prodeſſe poteſt: ſed quia ſibi Deus carnem uniuit, ſecundũ ineffabilem cõtemperationem, uiuifica eſt & caro: non quòd in Dei naturam tranſierit, abſit: ſed ad ſimilitudinẽ candentis ferri, quod & ferrũ manet, & ignis oſtendit operationem. in Iohannẽ cap. 6. Item: Quid enim eſt panis? Corpus Chriſti. Quid autem fiunt adſumentes corpus Chriſti? Non corpora multa, ſed unum corpus. Quemadmodum panis ex multis granis unus efficitur, ſic & nos multi cum ſimus, unum efficimur corpus Chriſti. Theophylactus in epiſtol. Pauli ad Corinth. cap. 10. Et: Deus propterea corpus ſuum tradidit, ut uniat nos cùm erga ſeipſum, tũ nos inter nos mutuò. Quia enim prior carnis noſtræ natura corrupta eſt à peccato, uitaque deſtituta eſt: dedit nobis ſuam ipſe impeccabilem, & omnis peccati expertem, uitæ plenam, ſimilem tamen noxacem, & uitæ plenam, ſimilem tamen nobis carnẽ: ut eam aſſumentes, in ipſam permiſceamur, & uiuamus citra peccatũ, quatenus & ipſe peccati expers eſt, & quatenus licet. Idem ad Corinth. cap. 10.

Differentiam inter ſacramentũ & rem ſacramenti, Giſelbertus recitat: Inter ſacramentũ & rem ſacraméti hoc intereſt, quòd ſacramentum eſt exterius elementum: res uerò ſacramenti, gratia interior, quæ inuiſibiliter percipitur, & inuiſibiliter operatur. Inſtitutio autem Sacramentorũ quantum ad Deum, diſpenſationis: quantum ad hominem, neceſsitatis eſt. in lib. Alter. cap. 1.

De materia Cœnæ, inquit Giſelbertus: Ne cunctéris obſecro de agno, quem nunc accipit Eccleſia in altari, patrũ ſequens ueſtigia nonnulla differere. Magis credendũ, & indubitanter ſciendũ eſt, quòd idem homini & ſacramentum & res ſacramenti eſt, corpus Chriſti, uerum ſanguinis & corporis ſui ſacramentum, ſecundum ſpeciem uidelicet panis & uini, uiſibile ſacramentum eſt. Aliàs nobis inuiſibile, ſecundum hoc quod de uirgine natus eſt, & in cruce pependit, & ad cœlos aſcendit, & ſedet ad dexteram patris, res ſacramenti eſt. Sic ergo credimus, quòd ante conſecrationem panis & uinum eſt, poſt conſecrationem corpus Chriſti uerum: ſanguis Chriſti uerus eſt, non tantum uerum ſacramentaliter, ſed etiam uerum eſſentialiter. in libro Altercat. capite 8. Et: De corpore & ſanguine Chriſti accipe. In modica particula tantum habes, ut in magna. in libro Altercat. capite nono. Et: Quod eſt ſanctæ Eccleſiæ epulum, niſi Chriſti corporis & ſanguinis ſacramentum? In libro Altercationis, cap. duodecimo. Et Theophylactus inquit: Ipſum corpus Domini, eſt panis quĩ ſanctificatur in altari, & non reſpondens figura. Non enim dixit Chriſtus, Hoc eſt figura: ſed, Hoc eſt corpus meum. Ineffabilĩ enim operatione transformatur, etiamſi nobis uideatur panis. Quoniam infirmi ſumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem: & ideo panis quidem apparet, ſed caro eſt. In Matth. cap. 26. Item: Hoc quod in calice eſt, illud eſt quod ex latere effluxit Chriſti, ſanguis nimirum precioſus. Ex eo accipientes, cõmunicamus: hoc eſt, unimur Chriſto. idem in epiſtol. Pauli ad Corinth. cap. 10.

Modum non eſſe inquirendum, Theophylactus monet: Oportet nos, cũ audiuerimus, Niſi ederitis carnem filij, non habebitis uitam, in ſumptionibus diuinorũ myſteriorum indubitatam retinere fidem, & non quærere quo pacto. Nam animalis homo, hoc eſt, qui ſequitur cogitationes humanas & animales, non eſt capax eorum quæ ſunt ſuper naturam, & ſpiritualium. Atq; ita & ſpiritualem eſum carnis Dominicæ non intelligit, cuius qui nõ ſunt partĩcipes, non erunt participes æternæ uitæ, eo quòd non ſuſceperunt IESVM, qui eſt uita æterna. Non enim nudi hominis caro eſt, quæ manducatur, ſed Dei: & quæ Deificare ualet, utpote contemperata Deitati. Iſta etiam uerè eſt cibus, eo quòd non ad paruũ tempus duret, neque corrumpatur, ſicut corruptibilis cibus, ſed æternæ uitæ ſit ſubſidium. Similiter & potus ſanguinis Domĩni, uerè eſt potus: quia non ad tempus ſufficit ſiti, ſed ſemper abſque ſiti conſeruat: nec indigere permittit bibentem. ſicut & ad Samaritanam dicebat: Qui bibit ex aqua quam ego dabo, non ſitiet. Nam quiſquis gratiam ſancti Spiritus per ſumptionem diuinorum myſteriorum ſuſceperit, neque famem ſpiritualem, neque ſitim patietur, qualem increduli. In Iohannem capite ſexto.

Qui debeãt accedere, Ansbertus docet:

Qui obedientiæ mandatis semetipsum humiliter prosternens, oblectamenta peccati superauerit, ille ad accipienda corporis & sanguinis mei sacramenta dignè pertinget. lib.2.cap.2. in Apocalyp. Et Theophylactus inquit: Dicendo autem, Quod pro uobis datur & effunditur, non pro solis Apostolis signat corpus eius esse datum, & sanguinem eius esse effusum, sed pro humano genere. Quando igitur dicit, Quod pro uobis datur: hoc est, pro nostro hominum genere. Vetus enim pascha perficiebatur ob liberationem ex Aegypto, & sanguis agni propter seruata primogenita: nouum autem pascha propter remissionem peccatorum, & cogitationem sanctificatarum & conseruatarum Deo. Primùm autem panis, & deinde poculum. in Luc. capite uigesimosecundo.

## DE SACRIFICIIS.

DE spiritualibus sacrificijs ita inquit Gyselbertus: Offer quod es Deo, nulla unquã acceptior hostia Christo. Maius quod offertur affectu, quàm quod manu. in libro Altercat. capite sexto. Et: Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, aut quid Dominus requirat à te: facere iudicium & misericordiam, & sollicitum ambulare coram Deo tuo. Tria hæc sunt quæ offerre debes, quia & Deus Trinitas est, & trina oblatione placari potest. Offer ergo iudicium Filio iudici, offer misericordiam Spiritui sancto charitati, offer solicitudinem Patri. in libro Altercat. capite nono. Item: Diuersa quidem ad tabernaculum offerebantur, quæ usque hodie & offert suo loco, & suscipit Ecclesia: magis tamen mysterialiter oblata in libro recensentur & explicantur. postea dicit, Offerebant autem hęc uiri cum mulieribus: quia exceptis solis gradibus & ordinibus Ecclesiasticis, pari cum uiro intentione, mulier cum uiro cœlestia quærit, se suaque offerrendo, & uirum nonnunquam prȩcedit uiriliter bonis actibus insistendo. in lib. Altercat. cap. 9. Item: Nos ipsos Deo sacrificium facimus, cum uitam nostrã diuino cultui dicamus: membra hostia in frusta cõcisa cremamus, cum in igne diuini amoris à uitijs uirtutes distinguendo ardemus. in lib. Alterc. cap. 10. Et: Non uoluptatem remissioris animi, sed uoluntatem & discretionem cordis quærit Deus in sacrificijs suis. in lib. Altercationis, cap. 10.

De significatione sacrificiorum inquit Ansbertus: Victimarum oblationes aut singularem illam hostiam pro nobis in altari crucis positam, id est, Dominũ redemptorem significabãt: aut pluralẽ corporis eius, quod est Ecclesia, mortificationem partu-

riebant. libro 2. capite 2. in Apocalypsim.

De typis ueteris Testaméti, inquit Theophylactus: Typus ueteris Testamenti fuerunt uictimæ & oblationes, quæ per sanguinem peragebantur: Sancta uerò sanctorum nostri sacramenti figura fuerunt, nostræq; religionis, quæ nobis est erga Christum. Habebat igitur uetus Testamentum iustificationes, hoc est, symbola, signa, leges, ritus. At enim tum habebat, nunc uerò non habet: cessauit enim. in epistolam ad Hebræos, cap. 9. Et: Sacrificia uetera figuralia erant, & omnia sancta in figura fuerunt, separata à Deo, aliud spiritale quiddam adumbrantia: ut agnus, columbæ, turtures. Animæ autem quæ Deo offeruntur, in ueritate sunt sanctificatæ & consecratæ Deo, sicut & Paulus dicit: Exhibete membra uestra sacrificium uiuum, sanctum. Idẽ in Iohannem cap. 17. Et: Propitiatorium dicebatur operculum arcæ, ut ex ipsa Scriptura exactius disces: nec decipiaris quorundam uerbis, ut aliud quiddam esse putes. Significabat autem Christum, qui placatio factus est pro peccatis nostris: obtegnauit autẽ omnia quę erant in ueteri Testamento, atq; communiuit Christus. in epistol. ad Hebræos cap. 9.

Sacrificia non liberant à peccatis. Theophylactus: Legales quidem asperſiones & sacrificia non liberant à peccatis, figura enim fuerunt. Spirituale autem & uerum sacrificium, per fidem & agnitionem liberat nos, qui ultrà serui non sumus, sed liberi Dei efficimur. in Iohannem cap. octauo. Et: Si robur habuissent uictimæ legales, non perpetuò neque assiduò offerrentur. semel enim oblatæ, emolumento & fructu prolato quieuissent. Iam uerò quia quotannis assiduò & continuò offerebantur, planum est, quòd infirmiores essent quàm ut possent quenquam perfectum reddere. Atque hanc ob causam, post primam uictimam uel oblationem, alia quædam offerebatur. quemadmodum fortiora pharmaca semel etiam imposita curant: quæ aut sæpius reiterantur & imponuntur, hoc ipso ostenduntur esse minus fortia. Subfitur hic quæstio: Num & nos uictimas exangues & incruentas offeramus? Cui respondemus: Omnino. cæterùm memoriam facimus mortis Domini, estque unum sacrificium, non multa, quandoquidem semel oblatus est. Ipsum quidem semper offerimus, imò potius memoriam illius oblationis facimus, qua se ipse obtulit, ceu iam nunc facta sit: proinde unum est sacrificium. Nam quod ad quæstionem attinet, Postquam multis in locis offertur, multi igitur CHRISTI erunt? non

benè colligitur. Nequaquam enim multi sunt, sed unus est ubiq; : & hic plenus, & ist- hic plenus & perfectus, unumq; corpus. Quemadmodum enim in multis locis obla- latus Christus, unum corpus est, & nõ mul- ta corpora: sic & unum sacrificium. in epist. ad Hebræos, cap. 10. Et: Nihil aliud tran- figunt uictimæ & oblationes, quàm quòd solummodo peccatorum recordationem faciant: hoc est, indicium & reprehensio- nem. Non enim remissionem præstant: uerùm per adsiduam istam oblationem demonstrant, indissolubilia esse populi pec- cata. Si enim remissa essent peccata, quid opus erat sacrificijs? Idem ad Hebræos, cap. 10. Et: Non ob peccata offerentium re- iecta sunt ueteris testamenti sacrificia, sed propter sui ipsorum imperfectionem. ibid.

De collatione sacrificiorum ueteris & noui Testamenti, inquit idem: Iudaicum sacrificium non est Deo placens, neq; gra- tum est. Quis enim (inquit) exquisiuit ea ex manibus uestris? Fidelium autem sa- crificium, rationalis cultus, uehementer apud Deũ requiritur. Sacrifica enim Deo, inquit, sacrificiũ laudis, & glorificabis me. Rationalis cultus est, non solum qui uer- bo fit, cæterùm etiam uita Christo digna, quando nimirum nullus irrationalis affe- ctus in nobis regnat: sed ratio, imò uer- bum Dei potius omnia gubernat. in epist. Pauli ad Romanos, capite duodecimo. Item: Ipse Christus unam obtulit hostiam, corpus suum pro peccatis nostris, in per- petuum nobis sufficiens, ut non alio sacri- ficio, neque secundo indigeamus. idem ad Hebræos cap. 10.

De regeneratione sic inquit Theophy- lactus: Adeò uitijs eramus immersi, ut nul- la ratione purgari possemus, sed opus e- rat regeneratione. Nam παλιγγενεσία, id est, iterata generatio, & renouatio, alteram natiuitatem, nouamque formationem si- gnificant. ut enim domum ruinosam & planè ueterem non suffulcimus, uerùm ad fundamenta usque diruimus ac demo- limur, nouamque reficimus: consimilem ad rationem Deus non superstruxit nos, sed cœlitùs construxit ac reparauit. Quo- modo? Ne enim quæras modum. Spi- ritus, inquit, totum transegit. Vnde hoc perspicuum? Ex eo quod abundè eum ef- fudit supernos. Non enim tantummodo per hunc refinxit nos, sed largè ipsum e- tiam nobis impertijt, ut & illud per hoc monstretur. Ac meritò. postquam enim mũ dauit nos, tum & Spiritu suo sancto ab- undè nos impleuit: hoc est quod ait, Effu- dit. Hæc autẽ per IESVM cõtigerunt, siqui- dẽ ipse est mediator atq; largitor cunctorũ bonorum. in epistol. Pauli ad Titum, cap. 3.

## DE ECCLESIA.

ELectorum Ecclesiam idcirco diuinũ eloquium mulierem appellat, quia ab sponso cœlesti tanquam sponsa annulo fidei subarratur: eique sacramentis cœlestibus uita & moribus, ut uxor, con- iungitur: atque eundem Christum prædi- cationis uerbo in cordibus Christiano- rum, ut mater, párere uidetur. Hæc enim est illa sponsa, cui à Domino per prophe- tam dicitur: Desponsaui te mihi in iusticia. Et cuius membra Paulus alloquitur, di- cens: Despondi uos uni uiro, uirginem ca- stam exhibere Christo. Ansbertus libro sex- to, capite duodecimo. in Apocalypsin. Et: Electorum Ecclesia propter inhabitantem in se Deum, ciuitas: propter lauacrum re- generationis, sancta: propter uisionem in- timæ pacis, Hierusalem: propter cœle- stem conuersationem, uel futuram remu- nerationem, noua: & propter præcipuam dilectionem, morumque ornatus, sponsa uocatur. idem libro nono, capite uigesimo- primo, in Apocalypsin. Et Theophyla- ctus inquit: Ecclesia multos quidem ha- bet baptizatos, sicut in area omne quod in agro cultum fuit: sed inter hos alij qui- dem sunt palea, hi scilicet qui leues sunt, & spiritibus maliciæ agitantur: alij autem triticum, qui utiles sunt, & alios pascunt doctrina & opere. in Matthæum capite tertio. Et: Ecclesiæ nomen, coniuncti- nis & coadunationis est indicium. idem in epistolã Pauli ad Corinthios, capite pri- mo. Et Smaragdus: Omnem ergo Ec- clesiam, sacerdotium sanctum appellat, quod sola domus Aaron in lege nomen & officium habuit: quia nimirum omnes sum- mi sacerdotis membra sumus, cuncti oleo lætitiæ signamur, uniuersis congruit quod subdit. in epistol. Petri, cap. 2.

Duplex est Ecclesia, ut Ansbertus docet: Duæ, inquit, in mundo sunt partes, una Christi, altera diaboli. Sed Christi nec dis- iuncta, nec scissa, nec diuisa: quia una est columba mea, perfecta mea. unde & Do- minus in Euangelio ad patrem de creden- tibus agit: Rogo ut unum sint, sicut & nos unum sumus. Pars autem diaboli, in qua- tuor subdiuiditur partes: foris uidelicet, in gentilibus stulticiam, in Iudaicam per- fidiam, in hæreticam pertinaciam: & in- tra Ecclesiam, in reprobandam quorun- dam Christianorum uitam. qui uidelicet errores & unum corpus faciunt, & tamen multum inter se dissentiunt. libro quarto, capite sexto, in Apocal.

Ecclesia quid sit, docet Smarag- dus: Domus spiritualis, Ecclesia est iu-

ſtorum, de lapidibus uiuis & animabus ædificata ſanctorum. in epiſtolam Petri, capite ſecundo.

De duplicibus membris Eccleſiæ dicit Radulphus: Duo ſunt fidelium genera: unum eſt robuſtius, quod perfectionis amore temporalia poſtponit: & ut Deum plenius poſsideat, eligit in hoc mundo nihil poſsidere. Aliud uerò infirmius eſt, quod licet diuinas leges attendat, & ſecundum illas agat: quantum tamen eiſdem legibus docetur non eſſe contrarium, temporali iucunditate fruitur, coniugijs inhærens, filios generans: & poſſeſsiones terrenas non ſolum ſibi, ſed etiam ſuæ ſucceſsioni procurans. Qui autem huiuſmodi ſunt, neceſſe eſt in ſuo genere uitijs reſiſtant, & in criminum incentores ſpiritus debellare contendant. Radulph. libro decimonono, cap. 8 in Leuitic.

Vnde ſit. Giſelbertus: Adam dicitur ſimilitudo Chriſti: quia ſicut Adam à Deo ſolus conſtitutus eſt, ut ab eo procrearentur alij, & ſicut de latere dormientis procreata eſt mulier: ſic Chriſtus à Deo patre ſolus eſt omnium ſpiritualium pater conſtitutus, & ſanguis & aqua è latere fluens Eccleſiam generauit & conſecrauit. in lib. Altercationis, cap. 4. Et: Vnus eſt author Eccleſiæ Chriſtus ſine peccato, ad quē omnes proficiunt qui ſe peccatores nouerunt. in lib. Altercat. cap. 6. Item: Eccleſia uerbū uitę non ſolum prudentibus, ſed etiam ſtultis prædicat. Doctor enim diſcretus & ſapiens, ſapientibus & inſipientibus debitor eſt. in lib. Altercat. cap. 7. Et Ansbertus: Adam dormiente, coſta ex latere detrahitur: detracta, in mulierem ædificatur: quia uidelicet Redemptori noſtro in cruce moriēti, lancea latus percutitur: percuſſum, uim ſacramentorū emanat, per quam ſancta Eccleſia ſpiritalis uiri ſui uxor aptatur. Ansbertus lib. 3. cap. 5. in Apocalyp. Theophylactus inquit: Dominus eſt paterfamiliâs, qui conuocat omnes homines ad prandiū, & fruitionem æternorum bonorū. in Luc. cap. 13. Item: Peccatoribus in latis & ſpacioſis peccatorum uijs errantibus, mittit pater filium ſuum ad cœnam inuitantem, qui ſecundū carnem ſeruus fuit: qui non uenit ut uocet iuſtos, ſed peccatores: inuitatq; eos liberaliter, prę doctis illis & diuitibus, & carni indulgentibus. Theophylactus in Lucam, cap. 14. Et: Chriſtus dicit ſeipſum ſatorē, ſemen autem uerbum. Exijt autem non loco, ſed ubiq; erat: ſed ſecundū illud quod nobis propior factus eſt, per carnē, dicitur egredi è finibus paternis. Exijt autem ad nos, quoniā nos ad ipſum intrare non potuimus. Et ad quid faciendum exijt? Num ut exurat terram propter ſpinas? num ut puniat? Minimè, ſed ut ſementem faciat. Semen autem ſuum dicit, eo quòd & prophetæ ſeminauerunt: at non ſemen ſuum, ſed Dei. Ipſe ut Deus ſemen ſuum, hoc eſt, proprium ſeminauit. non enim diuina gratia illuſtratus eſt, ſed ipſe erat ſapientia Dei. Idem in Matthæum, capite quinto. Et: Venit autem quærere ouem illam unicam, quæ eſt humana natura, & gaudet ſuper illa magis quàm angelorum firmitate. Idem in Matthæum, cap. decimonono. Et: Quemadmodum ſenſibilis ſpiritus à cerebro in totum corpus per neruos diffunditur, & à capite omnis ſenſus eſt, & motus: hunc ad modum Eccleſiæ corpus à CHRISTO ſuppeditatur, hoc eſt accipit uiuere ſuum, & creſcere ſpiritualiter. Vide autem hoc habet? Quando conſtruitur, coagmentatur: hoc eſt, connexionem ad ipſum, & cum ipſo habueris. Spiritus enim ſanctus per iuncturas & connexiones ſuppeditationem, adeoq; conſtructionem augmenti dat. Quocirca ſi non fuerit connexum neque compactum ad caput corpus, non coagmentatur etiam ad ipſum: hoc eſt, non componitur, neque ſpiritus iam ſuppeditatio ſequitur, neque augmentum Dei, id eſt optimæ ſecundum Deum uitæ & conuerſationis. Theophylactus in epiſtolam Pauli ad Coloſſenſes, capite ſecundo. Smaragdus ait: CHRISTVS nunciatur per Chriſtianos amicos, tanquam mulier, hoc eſt Eccleſia adnunciante, ad Chriſtum ueniunt: qui foris ſunt, & nondum ſunt Chriſtiani, credunt per iſtam famam. in Euangel. Iohannis, cap. 4.

Quomodo Eccleſiam ingrediamur, docet Giſelbertus: Quod oſtium arcæ ſit ex latere, ſignificat, quòd nemo intret in Eccleſiā, niſi per ſacramentum remiſsionis peccatorum, quod de latere aperto Chriſti manauit. in lib. Altercat. cap. 6.

Vbi ſit. Theophylactus: Antea quidem manè, in Iudæa erat cognitus Deus: nunc uerò in uniuerſum terrarum orbem egreſſo Apoſtolorum ſonitu, impleta eſt tellus cognitione Domini, uelut aqua multa cooperiente maria. in Oſeam cap. 6.

Quod ſit Eccleſiæ caput, exponit Theophylactus: Quemadmodum Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, eius curam gerit, eamque ſeruat: ſic & maritus ſeruator ſui eſt corporis, id eſt uxoris. Item: Chriſtus omnium bonorum autor eſt Eccleſiæ, & quod ad animam attinet, pulchritudinem ei acquiſiuit, eamque exornauit. Theophylactus in epiſtolam Pauli ad Epheſios, capite quinto. Et Smaragdus: Vbi ſe dicit Dominus uitem, & diſcipulos ſuos palmites, ſecundum

cundum hoc dicit, quòd est caput Ecclesię, nosque membra eius. in Euangelium Iohannis, cap. 13.

De rectore Ecclesiæ, inquit Theophylactus: CHRISTVS gregi suo consulit, & se diligentes remunerat, & super multa constituit: nempe super eos, pro quibus sanguinem suum effudit. in Iohannem, capite vigesimoprimo.

De tribus ordinibus in Ecclesia, inquit Smaragdus: Tres sunt in Ecclesia ordines: fidelium, coniugatorum, continentium & doctorum. in euangelium Iohannis, capite secundo.

Est mixtus cœtus. Giselbertus: In Ecclesia quidam sunt apertè mali, quidam fictè boni, quidam etiam bonis operibus consummati. in libro Altercationis, capite primo. Item: Vinea sanctæ Ecclesiæ ab Abel usque ad seculi terminum, ab agricola summo plantata, nunquam tantis spinis inhorruit: quia etiam flores etsi raros haberet, eorum pulchritudine cultoris industria patesceret. in libro Altercat. capite tertio. Et: Sicut munda & immunda in arcam introierunt: sic in Ecclesia boni cum malis commixti sunt. in libro Altercat. capite sexto.

Ansbertus: Vniuersalis Ecclesia ex electis & reprobis hominibus constare permixta uidetur. lib. primo, capite primo, in Apocalyp.

Et: Sicut omnes electi uirtutum similium compagine, unum Redemptoris corpus de se reddunt: sic reprobi uitiorum pari utilitate coniuncti, unum antiqui hostis corpus efficiunt. O quàm multi, Cain impium non uiderunt: & tamen, quia huic imitantur, ipsi Cain probantur. De quibus scriptum est: Væ illis qui uiam Cain abierunt. Quàm multi Antichristi esse meruerunt, Ioanne apostolo docente, qui ait: Nunc Antichristi multi facti. Quorum uenturum caput, idem ipse iam in mundo esse protestatur. Sicque fit, ut & præcedentia membra subsequentibus, & rursum subsequentia præcedentibus inueniantur coniuncta. Idem libro 2. capite 2. in Apocalyp.

Et: Intra sanctam Ecclesiam multi sunt, qui Christum uerbotenus tantum profitentur, in nomine sanctæ Trinitatis baptizantur, sacramentis cœlestibus participantur. Ideo ergo sani æstimandi sunt, quia unum incredulorum uulnus, scilicet CHRISTI abnegationem, non habent? Nequaquam: quia eandem abnegationem, quam non habent in uoce, habent in operatione. De talibus enim dicit Apostolus: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Idem libro septimo, capite decimoquinto, in Apocalyp. Et: Gratia sola omnes uocati sumus tam boni quàm mali: at uita eorum qui ingressi fuerunt, posthac non indisquisita erit. Idem in Matthæum cap. 16. Et Smaragdus: Illa ergo piscatio in qua specialiter, in quam partem mitti rete debeat, non iubetur, præsentem Ecclesiam designauit, quæ bonos simulac malos colligit: nec eligit quos trahat, quia & quos eligere possit ignorat. in Euangelium Iohannis, capite ultimo.

Quis sit Ecclesia. Theophylactus: Vnusquisque nostrûm est Ecclesia, quæ sit domus Dei. in Matth. cap. 16.

Ex Iudæis & gentibus constat. Giselbertus: Quicunque uel de circumcisione, uel gentilitate in Christum crediderunt, unius Ecclesiæ membra censentur, filius totius Ecclesiæ, filij unius sponsi & sponsæ nouscuntur. in libro Altercat. in Præfatione.

Et Radulphus ait: Vocationem Gentium non consummatione temporum futuram, omnes quos propheticus spiritus attigit, præuiderunt antequam fieret. in Præfat. lib. 17. in Leuit.

Quales in Ecclesia fiant. Theophylactus: In mundo, post nuptias non porrò uirgines manent: in Ecclesia autem qui antehac uirgines non fuerunt, post nuptias fasce uirgines efficiuntur. hac ratione uniuersa Ecclesia uirgo est. Qualem autem dotem adferens aptauit? Regnum cœlorum. Huius figura erant, quæ cum Abrahamo contigerunt, quando seruum misit, ut ethnicam puellam matrimonio quæreret filio. Hic etiam Deus misit seruos suos prophetas, desponsaturos filio suo CHRISTO Ecclesiam, ueluti regium uatem Dauidem, cum dicit: Audi filia, & uide, & obliuiscere populi tui, & domus patris tui. Præsens itaque tempus desponsationis est: futurum autem nuptiarum erit, cum clamor auditus fuerit, Ecce sponsus. in epistolam Pauli ad Corinthios secundam, capite undecimo.

Membra Ecclesiæ sunt infirma. Ansbertus: Bene gentes in CHRISTVM credentes, uasis comparantur fictilibus. uasa enim sunt, quia thesaurum illum à seculo absconditum, in seipsis reconditum possident: sed fictilia, quia adhuc carnis corruptione grauantur. Hinc per Paulum dicitur: Habemus thesaurum istum in uasis fictilibus. Quòd autem hæc uasa, tactu uirgæ confringi narrantur: pars uasorum debet intelligi, quæ ad hoc dissipantur, ut in melius reformentur: ad hoc censura districtionis quidam à pristina conuersatione euertuntur, ut in melioris uitæ studium commutentur.

tentur.libro ſecundo,capite 2.in Apocalyp.

De ordine Eccleſiæ, Theophylactus ait: Vt in in acie militari bona ordinis collocatio phalangem firmam efficit: ſic & in Eccleſia, quando bonus ordo charitatis fuerit omnia conſtituentis, ſi ſectæ abſint, fit robur ac ſoliditas,atq; firmamentum.in epiſtol.Pauli ad Coloſ.cap. 2.

De ætatibus Eccleſiæ, ſic inquit Giſelbertus:Sicut ſex ſunt gradus ætatis humanæ, ſic ſeculorum ſex ætates: ſic Eccleſiæ, cuius uita infantilis quodammodo in prima ætate, ſicut infantia in homine: in ſecunda puerilis, ſine certis magiſtris & doctoribus, ſicut pueritia in annis leuioribus: in tertia iuuenilis,robuſtior in Abraham & ſua progenie, ſicut iuuen tus in ſua ætate. In quarto gradu ipſa ætas Eccleſiæ, adoleſcẽtiæ deputatur, ſicut in Dauid & magnis prophetis & ſanctis.In quinto gradu robuſtior, quia in tranſmigratione Babylonis ipſa Eccleſiæ uirtus probatior & fortior, ſicut robuſta ætas hominis.Deniq; in ſexta ætate ſenectus eſt, ubi nobis Chriſtus occurrit, in quos fines ſeculorum deuenerũt. in lib.Altercat.cap. 4.

De fundamento Eccleſiæ,inquit Theophylactus:In ſummo angulari lapide,Chriſto nimirum, omnis ædificatio,id eſt omnes fideles conſtructi & uniti, congenitè, adeoq; connaturaliter & indiuulſæ creſcunt & replentur, ut fiant templum Dei. Habitabo enim, inquit Leuit. 26. in ipſis. Communiter autem Eccleſia, hoc eſt,collectio omnium fidelium, dicitur templum Dei,& unuſquiſq; priuatim.in epiſtol. Pauli ad Epheſios,cap.2.

Quòd una ſit Eccleſia.Ansbertus: Sicut arca Noæ,Eccleſia: octo uerò animæ intra arcam,Eccleſia:non tamen arca & octo animæ, duæ Eccleſiæ, ſed una eſt Eccleſia. libro quarto,capite octauo in Apocal. Et: Sicut ſæpe iam diximus, & omnes ueræ fidei tractatores dixerunt, Dominus & Eccleſia una perſona eſt,caput & membra unum ſunt corpus.In capite ergo ſuo coronatur Eccleſia,id eſt in CHRISTO IESV, de quo per Paulum dicitur :Ipſe eſt caput omnium Eccleſiarum.libro quinto,capite 12.in Apocalyp. Et Theophylactus inquit: In CHRISTO IESV non eſt Græcus, neq; Iudæus,neq; ulla differentia.unus enim character omnibus, unum ſigillum baptiſmatis,unus paſtor, uerbum Dei, & Deus. in Iohannem capite decimo. Et: Vt corpus unum eſt,& multa,propter membra :ſic & membra & multa ſunt, & unum, eo quòd in unum corpus coagmentantur.Vbi igitur differentia ? ubi maius? ubi minus? omnia enim unum ſunt. Sic igitur & Chriſtus, id eſt, Chriſti Eccleſia. hoc enim modo,Eccleſiam nominauit à capite. Perinde enim ut corpus & caput, unus ſunt homo:conſimilem ad rationem, Eccleſiam & Chriſtum,ueluti corpus & caput,unum eſſe ſiens,pro Eccleſia Chriſtum poſuit Paulus. Dicit igitur, quòd in Eccleſia unum quodam omnes ſumus,etiamſi ex diuerſis iunctis conſtet, concinnatumque ſit, iſthuc unum,&c. idem in epiſtolam Pauli ad Corinth. capite duodecimo. Item: Si adeò diſiunctos, tantoque interuallo diſtantes ſpiritus non coniunxit atque uniuit:quanto magis,poſtquam unum facti ſumus, nõ debemus contriſtari, ceu diſcrimen quoddam ſit inter nos. in epiſtolã Pauli ad Corinth. capite primo: Et: Ædificamini in domum ſpiritalem , in quo nimirum unitas ipſa totius ſanctæ Eccleſiæ aptius commendatur. Smaragdus in epiſtolam Petri, capite ſecundo.

De duratione Eccleſiæ,inquit Ansbertus: Quem pius pater pœnitentem recepit, annulo fidei decorauit,atque innocentiæ ſtola ueſtiuit, ſimulq; in domum conuiuij,id eſt,cœleſtis patriq; ædificiũ,quo Dominicæ diſpenſationis ſacramenta celebrãtur,introduxit. Quantiſcunq; autẽ ſchiſmatũ aut perſecutionũ arietibus quatiatur,nõ mouetur: quia firmum firmamentum ſtat, habens ſignaculum hoc, Nouit Dominus qui ſunt eius. lib. 2.cap. 3.in Apocalyp.

De Eccleſiæ poteſtate inquit Ansbertus: Hæc eſt illa poteſtas Eccleſiæ, quam principaliter meruit accipere à Chriſto, ut uidelicet in cœlo pariter & in terra ligans & ſoluens, alijs ſua prædicatione conuerſis ueniam placationis, alijs uerò minimè conuerſis iram irroget ultionis.lib.7.cap. 16.in Apocalyp. Et Radulphus ait: Hoc paſtorali relinquendum eſt diligentiæ, ut quos dignos cõuicerint,eijciãt:aut ſi tãtę poteſtatis ſunt ut eijci nõ poſsint, deuitent.Quos cunq; uerò cenſura nondum ſeparauit Eccleſiaſtica,nos qui ſubditi ſumus, uſq; ad tẽpus extremæ uẽtilationis tolerare oportet,nõ cõdemnare.lib. 5. cap. 4.in Leuitic.

De notis Eccleſię,inquit Ansbertus:Prius eſt ſemper hypocritarũ,ut quicquid boni egerint, ſemper hoc ante oculos humanos oſtendant: quicquid uerò mali, ex uoto abſcondãt.Hinc eſt,quòd eos Dominus ſepulchris dealbatis cõparat, quæ foris quidẽ apparent hominibus pluchra,intus autẽ plena ſunt oſsibus mortuorum,& omni ſpurcitia. lib.6. cap. 13. Apocal. Et: Quid uerò ſtruthiorum nomine,niſi hypocriſis deſignatur? Struthio quippe ſpeciem uolandi habet,ſed uſum uolandi nõ habet: quia & elatio hypocriſis cunctis intuentibus

bus imaginẽ de se sanctitatis insinuat, sed tenere uitam sanctitatis ignorat. In peruersa igitur mente draco cubat, & struthio pascitur: quia & latẽs malicia callidè tegitur, & intuentiũ oculis simulatio bonitatis antefertur. Ansbert. lib. 8. cap. 18. in Apoc. Ité: Non soli Euangelistæ, sed omnis electorũ Ecclesia, circumquaq; per orbem diffusa, in singulis membris professionibusq; diuersis, urbibus, regionibus, prouincijs, linguis & gẽtibus uarijs, ore & opere, in prosperis & aduersis, hac cõtinuata professione Deum collaudat, qua dicitur: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens. Ansbert. lib. 3. cap. 4. in Apocal. Item: Et apertum est templum Dei. Potest in eo templũ intelligi apertum, quod mediatorẽ nostrũ legimus in cruce lancea perforatum: & uisa in templo arca testamenti, subaudi sanguinis & aquæ sacramenta, quibus ædificatur Ecclesia. Sicut enim ex costa Adæ dormiẽtis formata est mulier: sic è latere Christi pendẽtis in cruce, fabricata est Ecclesia. Idem lib. 5. cap. 11. in Apocalyp. Et: Habet siquidem & Ecclesia pro modulo suo has claues in Christo, cum pro disciplinæ cœlestis uigore quosdã Sathanæ tradit in interitum carnis, sed ut spiritus saluus sit in die Domini: sicut Paulũ fecisse cognoscimus, qui Corinthium peccantem hac pœna iudicauit plectendum. Nec mirum, si habeat in Christo claues mortis & inferorũ, quæ ipso annuẽte, in Petro accepit claues regni cœlorũ. Vnde scriptũ est: Tibi dabo claues regni cœlorũ, & quodcũq; ligaueris. Et rursum: Accipite, ait, Spiritũ S. quorum remiseritis peccata. Idẽ lib. 1. cap. 1. in Apoc. Giselbertus: Per tria reuertitur Christus ad Ecclesiã, uel ad animã: precibus, ieiunijs, lachrymis. Porrò duo reddũt totã Ecclesiã: fides recta, uita immaculata. Tria remedia sunt Ecclesiæ, uel cuiusque animæ, baptismus, pœnitẽtia, martyriũ. in lib. Alterc. cap. 21. Theophylactus inquit: Ecclesia est ueritatis cõstitutio, omnia nãq; quę in ea peragũtur, uera sunt, & nihil in ea est opacũ & umbrosum, qualia sunt quę lege sanciũtur. Pro nobis enim uerbũ & prædicatio est splendida, pro malis punitis uita est coronata, intus fructũ habens. in epist. Pauli ad Timot. cap. 3.

De mundatione Ecclesiæ, inquit Radulphus: Ecclesia fidelium fide sua iam hîc quidem mundari incipit: sed licet peccato pro uiribus resistat, fieri tamen nõ potest ut quã diu hic uiuit, plenè peccati cõtagio careat. lib. 4. cap. 1. in Leuit.

Deus habitat in Ecclesia. Ansbertus: Nõ alius Deo inuenitur locus in terra, quàm unica eius Ecclesia, in qua & septiformis spiritus gratia, & trinitatis baptisma dari uel accipi potest ad salutẽ, cum utraq; foris generent danti uel accipienti perniciem: nõ quia malum est quod datur uel accipitur, sed quia malè extra Ecclesiam utitur, à quo datur uel accipitur. Redeant ergo hæretici ad unitatem matris Ecclesiæ, ibiq; Spiritum sanctum accipiant, ubi more lampadarum lucet & ardet. lib. 3. cap. 4. in Apocal.

Deus colitur in Ecclesia. Radulphus: Sancta Ecclesia altare nobis est. sola namque esse dinoscitur, in qua Domino piè sacrificatur: munus uerò non recipitur, quod extra eam offertur. libro primo, capite primo, in Leuitic.

Habet miracula. Ansbertus: Sanctorum Ecclesia, quæ corpus redemptoris sui est, inter cætera sua miracula uerbo prædicationis eminet. in epistolam ad papam Stephanum. Theophylactus: Mirabilis est Ecclesia, quasi ex miraculis constituta, Domino cooperante Apostolis, & sermonem cõfirmante per sequentia signa. in Marcum capite duodecimo.

Ecclesia pugnat contra diabolum. Ansbertus: Michaeĺ & angeli eius præliabantur. Absit à fidelium cordibus, ut hoc prælium in initio temporis, quando per superbiam antiquus hostis cum satellitibus suis de cœlesti patria ruit, factum fuisse existiment: sed à passione Christi in Ecclesia inchoatum fuisse, & nunc usque fieri: & in fine seculi, quando etiam solutus fuerit, consummari. libro quinto, capite duodecimo in Apocalyp.

Christus pro Ecclesia dimicat. Ansbertus: In magna mẽtis celsitudine stare debet, qui contra seculi principem certamen init. Sed cum deuicta morte, idem leo & agnus, Dominus scilicet IESVS CHRISTVS, ad dexteram patris sedere dicatur: quid est quod hoc in loco Scriptura ista nouissimo eũ tempore super montem Sion stare testatur, nisi quia sedere iudicantis est, stare uerò adiuuantis? Qua uidelicet narratione Christus pro Ecclesia, quę adhuc in laboris certamine desudat, dimicare ostenditur. lib. 6. cap. 14. in Apocalyp.

Contra primatum sic exponit illud Matthæi 16. Ansbertus: Hinc Petro typum Ecclesiæ gerenti, Dominus ait: Tu es Petrus, ac super hanc petram. ac si diceret, Super me, ædificabo te. libro 3. capite 5. in Apocalyp. Theophylactus in 16. caput Matthęi, petram seu fundamentũ, super quod extructa sit Ecclesia, confessionem seu doctrinã Christi exponit. ita enim ait: Quia enim confessus erat eum Dei filium Petrus, dixit, quòd hæc confessio quã confessus est, fundamentum erit futurum credentium: ita ut omnis homo extructurus fidei domũ, hoc

iacturus sit fundamentum. Smaragdus inquit: Siue super hanc petram, id est super illum quem ore tuo cõfessus es, dicens, Tu es Christus filius Dei uiui: siue super hanc petram, super confessionem Petri. in Euangel. Matthæi, cap. 16.

Typum Ecclesiæ Giselbertus proponit, inquiens: Paradisus typus est Ecclesiæ: ligna Paradisi, omnes utiles disciplinæ: fructus lignorum, mores piorum: lignum uitę in medio paradisi, Christus in medio Ecclesiæ: ad quem qui manum porrexerit, uiuet in æternum. lignũ scientiæ boni & mali, occasio probandi liberi arbitrij. in lib. Altercat. cap. 5. Et: Tabernaculũ uarijs speciebus, sed partim uilioribus instructũ, Ecclesia est, constans diuersitate malorum & bonorum, sanctorum & peccatorum. in lib. Altercat. cap. 9. Et: Arca testamenti, Ecclesia est, intus & foris deaurata, id est splendore uitæ & pulchritudine sapientiæ decorata. Cuius longitudo quinq; palmarum, scilicet duorum cubitorum & dimidij, longanimem Christi patientiam, & suorum membrorum in mundo significat. Latitudo eius, charitatis amplitudo est: quam ad nos habuit, qui sanguine suo nos redemit. Altitudo arcæ, incomprehensibilitas diuinæ maiestatis est. in libro Altercat. capite nono.

Extra Ecclesiam non est salus. Giselbertus: Quòd perijt omne genus hominum extra arcam positorum, significat, omnes extra Ecclesiam inuentos, siue paganos & Iudæos, siue schismaticos, hæreticos, uel malos Christianos, perituros. Ecce arca cõtinet coruum & columbam, bonos & malos: quorum alij simplicitate & pace fraterna gaudentes saluantur, alij carnalibus illecebris capti damnantur. in lib. Alterc. cap. 6. Et: Sicut Dominus in rubo Mosi monstrabatur: sic nũllus nisi in Ecclesia Christum uidere meretur, si tamen deposuerit omnia mortalia uitia, quod significant depositá à Mose calciamenta. in libro Altercat. cap. 8.

## DE MINISTERIO.

EPiscopatus dicitur παρὰ τὸ ἐπισκοπεῖν πάντας, id est, ex eo quòd omnes uisitet, omnesq; consideret & obseruet. Theophylactus in epistol. Pauli ad Timot. capite tertio.

Vnde sint ministri. Radulphus: Christo Ecclesiæ suæ curam gerente, qui suis omnibus promisit dicens, Non relinquã uos orphanos: non desunt, nec usq; in finem deerunt ueris Israëlitis pastores, quorum & informentur exemplis, & doctrina pascãtur. lib. 17. cap. 5. in Leuitic. Et: Ad sacerdotem quippe pertinet hæc æstimatio, sicut peccati, sic & delicti: sicut operis, sic & cogitationis. Considerabit ergo domum illius sacerdos, utrum bona an mala sit, sicut de pecore immũdo paulo antè dissertum est: & perpendet, utrum conscientiæ suæ reatũ paruipendat, aut malum reputans intimo condemnet affectu: & sicut uiderit, sic iudicabit. Radulph. lib. 20. cap. 4. in Leuit.

Quales deligendi. Giselbertus: Ad Ecclesiam, ad statum suum confirmandum, eligendi sunt, qui fide & opere cæteros præcurrunt: & quod rectè docent, faciunt. in lib. Altercationis, cap. 18.

Doctores probandos esse. Theophylactus: Animaduerte opus esse exercitatione & meditatione, & peritia Scripturarum, ut dijudicaturi simus quis nam sit hæreticus, & quis non. Nec simpliciter omnibus accommodare aures debemus. guttur enim & œsophagus cibum gustat, anima uerò probat sermones. in epistol. Pauli ad Hebræos, cap. 5.

De malis inquit Giselbertus: Qui uenale habent Euangelium, & Ecclesiæ sacramentum, lepra non carebunt in ęternum. in lib. Altercat. cap. 12.

¶ Qualis debeat esse minister uerbi Dei, Giselbertus docet: Verus & discretus doctor non est, qui iuxta qualitatem & capacitatem subditorum, pro locis, pro personis, pro tẽporibus se exhibere idoneus non est. in lib. Alterc. cap. 10. Radulphus inquit: Qui pastoralem curam suscipit, ad tantum officium mentem mundam curet afferre: quod tamen nõ sufficit, nisi in eadem munditia ad finem usq; studeat perseuerare. lib. 4. cap. 3. in Leuit.

Sit coniugatus. Theophylactus: Si quis duxerit uxorem, sollicitus est, & anxiè cogitat res huius mundi: episcopum uerò non cõueniat * in huius mundi negotijs sollicitum esse, qui dicit, Vnius uxoris maritum? Nonnulli hic dicunt, quòd obscurè & clam culum cœlibem hic indicarit, uel petiuerit. Quod si fieri hoc non possit, habeat coniugem unam: ueruntamen sit tanquam non habeat. hoc est, nõ redigatur in seruitutem cupiditatum ipsius. Porrò nõ ut legem sanciat, hoc dicit, quòd omnino oporteat episcopum uxoratum esse: quî enim isthuc statueret, cum aliàs dicat, Volo uos omnes esse sicut meipsum? uerùm quia tempus istum postulabat. in Epistol. Pauli ad Timot. capite tertio.

Acutus sit. Theophylactus: Episcopum oportet esse acutum, perspicacem, mentis compotem, qui curis & infœlicitatibus nõ mergatur: sed semper expergefactum, ut omnia uideat, omnibusq; adstet. Item: Moderatũ, demissum, honesto habitu conspicuum

spicuum. Si enim indigenis tantum commodat, affectu laborat. Oportet igitur eum erga hospites etiam candidiorem esse, ac simpliciorem. hoc enim maximè ad fraternam charitatem attinet. Item: Qui docere possit. præmemorata sanè subditi etiam exigunt: hoc uerò maximè omnium Episcopo adesse conuenit, non temulentum uel ebrium, sed eum qui uim faciat cæteris, sibi placentem. Item: Non enim qui manibus feriat tantummodo, sed eum qui non importunè feriat fratrum consentiam. Item: Oportet eum domestica præbere exempla. in epistol. Pauli ad Timoth. capite tertio.

Non superbus. idem: Episcopus uoluntariorum dominator & princeps, sibi placere non debet: neq; sui esse amans, ut suo consilio & uoluntate, citra subditorum sententiam omnia agat. nam tyrannicum hoc in epistol. Pauli ad Titum, cap. 1.

Vbi debeat docere. idem: Sicut Christus non in solis ciuitatibus docuit, sed & in uicis: ita & nos discamus paruas non despicere, neq; semper magnas quærere ciuitates: sed & in conteptis oppidulis prædicemus, seminãdo sermonem. in Marc. cap. 6.

De officio ministrorum, inquit Giselberthus: Calciamenta in pedibus, sunt exempla patrum in actionibus: baculus in manibus, hoc est, cura pastoralis illorum est, quorum fortitudo alijs quoddam proficiendi documentũ est. Non ne uirga pastoralis huius baculi typo quodam cõstare uidetur? quæ curua in summitate, directa in medio, in fine acuta est: ut pastor trahat iacentem, imò retrahat aberrantem: pungat surgere nolentem, ferat infirmum. Ipse pastor per omnia se præbeat directum, ad legis præceptũ seruãdum. Vnde quidam ait: *Fer, trahe, punge gregẽ, seruando per omnia legẽ.* in libro Altercationis, capite 8. Et: Duo sunt distincta prædicatorum officia, conuocare ad unam fidem populum, & per diuersa unius fidei dogmata cohortari ad uirtutum profectum. in lib. Altercat. capite 12. Ansbert. inquit: Doctores Ecclesiæ, & sacerdotes & angeli sunt. Sacerdotes, quia spiritales hostias immolant: angeli, quia uentura quoq; annunciant. Quod utrumque Malachias propheta breuiter insinuat, dicens: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore eius: quia angelus Domini est exercituũ. lib. 4. cap. 8. in Apocal. Item: Pari reatu astringitur, & ille qui praua docet, & ille qui praua docere tacens permittit. idẽ lib. 2. cap. 2 in Apoc. Radulphus ait: Cũ arguendi, laudandi, obsecrandi sint homines: qui malè agunt, arguendi: qui uero benè, laudandi: & ut in melius proficiant, obsecrandi sunt. Radul. lib. 1. cap. 1. in Leuit. Et: Sancti doctores cũ uerba asperæ increpationis mouent, charitatis amore sæuiunt, non inflatione elationis intumescunt. Mori namq; pro eis parati sunt, quos quasi usq; ad mortem sæuientes affligunt. Peruersi uerò pastores nonnũquam, cum per increpationis zelum subditorum uitia corrigere uidentur, si quid ab eis fortè perpessi sunt, iniurias suas occultè uindicant: & pietatis speciem prætendẽtes, interius furoris stimulis excitantur. de quibus per prophetam dicitur: Et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. Nisi enim à subditis cupiditati eorum seruiatur ad uotum, aliqua crimina eis obijcientes, quasi zelo diuino succensi, subditos persequuntur: & maliciæ suæ deseruientes, pietatis imagine palliantur. idem lib. 1. cap. 6. in Leuit. Item: Leuitas quippe mansuetudinis non solum in corde esse, uerumetiam in corripiẽtis uerbis foris apparere debet: ut uidelicet ille qui corripitur, tanto libentius diligentis uulnera suscipiat, quanto ob utilitatem suam omnia fieri non ignorat. ibidem. Et: Sæpius contingit, ut cum doctor ad increpationis uerba descenderit, modum excedat: & acrius quàm oportuit delinquentem obiurgans, cum sanare debuerit, amplius lædat. ibidem. Et: Sicut pastor alienæ peruersitati obtemperare non debet, ut à iusticia declinet: sic nec in iudicandis subditis, suæ libidini deserui re. idem lib. 4. cap. 3. in Leuit. Et: Omnis bonus doctor duplici debet doctrina suis præesse discipulis: id est, ut omnia bona & sancta factis amplius quàm uerbis ostẽdat: si qua uerò discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda. Alioqui si uita illius cõtemnitur, restat ut & prędicatio contemnatur. Idem lib. 5. cap. 4. in Leuitic. Et: Tunica hyacinthina uestitur pontifex, si uitam angelicam in terris agens, creber sit in oratione, assiduus in lectione: si se magis uerbi Dei in ecclesia prædicatorem, quàm in forensibus conuentibus causidicũ exhibeat: si terrenas diuitias magis erogare studeat, quàm congregare. idem lib. 6. cap. 1. in Leuit. Et: Qui locũ prædicationis suscipit, mala inferre nõ debet, sed tolerare: ut ipsa sua mãsuetudine irã sæuientiũ mitiget, & peccatorũ uulnera in alijs ipse uulneratus afflictionibus sanet. idem lib. 6. cap. 1. in Leuitic. Et: Spiritualis quisq; doctor, quod in alto per lumẽ cõtemplationis haurit, hoc inferius per sonũ prædicationis populis infundit. Radulph. lib. 6. cap. 2. in Leuit. Item: Pastor Ecclesiasticus officij necessitate stimulatus, dum

doctrina sua commissorum sibi culpas re darguit, uoce sua admonitus, in se quoq; si quid uitiosum est, citius deprehendit. idem lib. 7. cap. 1. in Leuitic. Et: Sæpe dictorum uirtus perditur, cum apud corda audientiũ loquacitatis incauta importunitate leuigatur: & autorem suum hæc eadem loquacitas inquinat, qui seruire auditorib. ad usum profectus ignorat. Radul. lib. 11. cap. 1. in Leuit. Et: Duobus modis nõ coinquinatur à malo sacerdos: si non consentiat, & si redarguat. Nam si peccantem uidens, à iusta increpatione timore compescitur, ipse suo silentio reus inuenitur. Idem lib. 15. cap. 1. in Leuit. Item: Quicunq; ergo locum iam tenet regiminis, caueat necesse est, ne adulando potestatibus, peccatis se contaminet alienis: & dum humanã declinat offensam, diuinam incurrat uindictã. ibidem. Item: Spado uirginem opprimens, non prolem quærit, quam scit se gignere non posse, sed suæ libidini seruit: & uirginem quam fœcũ dare non potest, potest tamẽ uiolare: ita & doctor iracundus, qui nullo ducitur filiorũ affectu, cum erga aliquem furore succenditur, immoderatè uindicat, quicquid est illud unde offenditur. Non igitur fructũ quærit, sed suæ iracundiæ satisfacit: nec corrigere studet, sed punire: unde & innocentium mentes corrumpit, quia ad suum odium illas accendit. idem lib. 15. cap. 5. in Leuit.

Theophylactus ait: Veri pastoris est erga gregem misericordia affici. in Matth. cap. 8. Et: Tria oportet nos adferre & contribuere ad ministerium, animam periculorum amantem, sapientiã & intellectũ, uitamq; inculpatam: Deum autem uirtutem dare, per quam hæc omnia efficacia sunt. Theophylactus in epistol. Pauli ad Ephes. cap. 3. Item: Duo oportet habere doctorem: alterum, ut fidelis sit: alterum, ut docere possit. idem, ad Timoth. cap. 2. Smaragdus ait: Doctorum est enim, cognoscere distantiã legis & Euãgelij, ueritatis & umbræ: & nouã Euãgelicæ fidei gratiã, & perpetuę cœlestis patrię dona proferre. Idẽ in Ioan. cap. 2. Et: Piscatores, sunt Ecclesiæ doctores, qui nos rete fidei cõprehensos, & de profundo ad lumẽ elatos, quasi pisces littori, sic terræ uiuentiũ aduehũt. Quasi enim quædã retia piscantiũ, sunt cõplexæ prædicantiũ dictiones, quę eos quos cęperint, in fide nõ amittũt. Vnde & retia, quasi retinẽtia sunt uocata. sed hæc retia modò laxantur in capturã, modò lota piscãtur: quia nõ omne tempus est habile doctrinæ, sed nũc exercẽda lingua doctoris, nunc suimet cura gerenda. Smaragdus in Euangel. Luc. cap. 5.

Nõ conniuendũ ad peccata. Radulphus: Quod si alienũ peccatũ ea intentione dissimulaueris, quasi faueas illi, nõ ut correptio ni eius cõgruũ tẽpus inquiras, anni tẽpore reprehensibilis es. lib. 3. cap. 4. in Leuit.

Docere debet. Theophylactus: Quãdo ad ministeriũ mittimur, discamus, ut licut Apostoli, quãdo prædicauerint, congregauerũt se apud IESVM: ita & nos, ne totos ab eo qui mittit abripiamus: sed illũ sciamus caput, & ad illũ redeamus, annunciemusq; ei omnia quę uel docuimus uel fecimus. neq; enim satis est si doceamus, nisi & fecerimus. Quiescere aũt facit Christus discipulos: ut sciant prælati, laborãtes in uerbo & doctrina dignos quib. detur sua quies, & nõ semper intendãt laborib. in Marc. ca. 6.

Itẽ: Quãdo docueris, etiã fac bona opera, ne uanus sit sermo tuus. Nisi enim Christus & miracula adiecisset, uanus fuisset habitus sermo eius. Theophyl. in Marc. cap. 1. Et: Sicut sol carnẽ cohibet, & nõ sinit uermes procreare: ita & sermo doctoris, si recès & mordax sit, carnales homines cõstringens, nõ sinit in ipsis generari uermẽ irrequietũ. Theophylact. in Marc. cap. 9. Et: Oportet episcopos custodire gregẽ suũ, ἀγραυλεῖν in agro canere: hoc est, canere spiritualia, & docere populũ, & sic audire diuinas uisiones & auditus. Bethlehẽ interpretamur domum panis: quæ aũt alia est domus panis, quàm Ecclesia, in qua panis repositus estẽ? Officiũ itaq; spiritualiũ pastorũ fuerit, quę rere panẽ cœlestẽ: quẽ cũ uiderint, debẽt ilIũ & alijs prędicare. sicut & pastores qui uiderunt infantẽ Christũ, loquuti sunt de eo & alijs. Idẽ in Luc. cap. 2. Et: Qui cœlitus descẽderat, ut figura & exemplar fieret nobis in omnibus, docet nos ne pigri simus ad docendũ, sed circumeamus per omnia loca, & prædicemus. Quęcunq; enim fecit, in admonitionem nostri fecit. Theophylactus in Luc. cap. 7. Et: Cui datũ est multũ, ab eo requiretur & multũ: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Per hoc enim signatur, pœnam, quã merentur doctores, futuram maiorem. Datur igitur & commendatur doctoribus. Datur quidẽ, ut gratia sanandi morbos, & faciendi miracula: commendatur autem eis uerbi & doctrinæ donum. Et profectò donum uerbi opus habet labore, & amplius exigitur à doctoribus. Oportet enim eum non esse deficientem ac ignauum, sed multiplicare talentũ uerbi. Theophylactus in Luc. cap. 12. Et: Doctor secundum Christũ debet prior ipse crucem tollere, & clauis configere carnes suas, ut fulgeat timore Dei, & careat affectionibus. deinde eam etiam auditoribus imponere. Idem in Lucam cap. uigesimo tertio. Et: Omnis doctor & minister uerbi, formet & effingit cognitionem boni, adeoq;

adeoq; ueritatem in discipulorum animis. Idem in epist. Pauli ad Rom. cap. 2. Et: Euangelium annunciare, est præceptū Christi, ac debitū: ac si hoc perficiam, nulla mea uirtus, neq; meum opus est. Væ enim mihi, si isthuc mandati nō expleam, neq; transigam. cædar nāq; plagis multis, quippe qui mandato Domini non sim obsecutus: citra aliorum uerò sumptum Euangelium promulgare, uoluntatis ac deliberationis est propriè honos atq; cupiditas, ac propterea gloriatio est. Theophylactus in epist. Pauli ad Corint. cap. 1. Item: Doctoris est non solum adhortari, uerumetiā optare ac orare, & bifariam fulcire, tum doctrina, tum superni auxilij per orationes suppeditatione. idem ad Corint. cap. 16.

De ordine docendi, inquit Radulphus: Necesse est quippe, ut post increpationis acerbitatem, prius disciplinæ districtionem mens ægra uerborū iaculis confossa, si eius correptio & digna reatus sui pœnitentia apparuerit, pastoris clementia re foueatur, ut si quid fortè rancoris contra ipsum pastorē inter uerba asperitatis contraxerat, fomentis subsequentibus aboleatur. lib. 1. cap. 6. in Leuitic.

Exempla etiá proponenda. Smaragdus: Quem uerbo erigit, hunc etiā dextera confortat: quia sermo docentis in corde auditorum minus ualet, si nō etiam propriæ actionis commēdetur exemplis. in lection. Actuum Apostolorum, cap. 3.

De potestate ministrorū, scribit Ansbertus: Prędicatores potestatem habent, ut reprobis cœlum claudant, electis aperiāt. Sed hanc potestatem in capite possident membra, sine quo omnino nihil possunt agere membra. quodq; in ipsis membris clamat & dicit, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. de quibus adhuc subditur: Et potestatem habens super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terrā omni plaga, quotiescunq; uoluerint. lib. 5. cap. 11. in Apocal.

De moribus sic ait Ansbertus: Reuera nihil prodest prophetia, ubi fuerit reproba uita, nihil inquā prodest benè docere, & male uiuere. lib. 10. cap. 22. in Apoc. Radulphus ait: Tanto minus unusquisq; doctus deprehenditur, quāto minus patiens inuenitur. Iracūdi enim doctores, cum regiminū loca percipiūt, quo impellente, ira in mentis ueritam dissipata quietis tranquillitate confundunt: quos cum furor agit in præceps, ignorant quicquid irati faciunt, ignorant quicquid à semet irati patiūtur. Radul. lib. 6. cap. 1. in Leuit. Et: Post documēta fidei, etiam conuersationis fidelium pastoribus cura habenda est. Qui enim fidei prædicat integritatem, ne fides ipsa apud auditores suos ociosa sit, necesse est ut & uitæ eos doceat sanctitatem. Hunc ordinem in uerbis suis seruauit ipse Dominus, cum Apostolis suis præcipiens ait: Euntes docete omnes gentes, baptizātes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus S. docentes eos seruare omnia quæcūq; mandaui uobis. Prius docete, quid credāt: deinde docete, ut etiā mandatorū meorū regulam obseruent. Doctrina aūt hæc nō tā in uerbo cōstat, quàm in exēplo. Magis enim ad bene agendi uoluntatē excitatur, qui alium uidet benè agentem, quàm si tantū audiat pręcipientē. lib. 6. cap. 4. in Leuit. Et: Scriptura sacra doctores instruit, quid de Christo populis prædicent, monet eos, ut suo exemplo ad religionē fideles excitent: eadem ne à iusticiæ exorbitent tramite, eius quem prædicant, Christi formam illis imitandā proponit. Idem lib. 6. cap. 5. in Leuit. Et: Sæpè etiā doctorum cor, uitiorū tentationibus tangitur, ut modò eleueturiactatione superbiæ, modò iræ stimulis inflammetur. Sed cum bonorū auditorū uitam considerant, eamq; profecisse suis exhortationibus pensant, erubescūt se tales nō esse: & tanto se in monte stabiliūt, quāto penè in culpa labebantur. Nam cum ipsa sua doctoribus uerba ad memoriam redeunt, erubescunt non seruare quod dicūt. Idem lib. 7. cap. 1. in Leuit. Theophylactus inquit: Doctorē conuenit esse mitē, ac deamantem etiá eos qui ei insultauerint, perinde ac nutrix pueros, etiamsi eam feriant. in epist. Pauli ad Thessal. cap. 2.

Orare debet. Theophylactus: Sacerdos ueluti communis orbis terrarum pater consistit, omnium curam gerens: quem & procunctis oportet mortalibus preces fundere, perinde ac Deus prospicit cunctis, cui sacrum facit, ac sacerdotio fungitur. in epist. Pauli ad Timoth. cap. 2.

In uocatione manendū. Idem: Est sanè & specialis curę ac gubernationis donum, diaconatus uel ministerium, qualis erat septem diaconorum functio. Intelliges autē & uniuersum omne opus spirituale per ministeriū. Ait ergo: Si quis functionem quampiam nactus est, in ea functione perseueret (necessum est enim sententiæ huic apponere μενέτω, id est, perseueret) neq; aliquid ultrà quęrat, neq; aduersus alium extollatur: sed maneat, diligens amansq; quod accepit. in epist. Pauli ad Rom. cap. 12.

De sustentatione, inquit Giselbertus: Dispēsatores Ecclesiæ cum seminant spiritualia, necesse est ut in licentia Domini metāt carnalia. in lib. Altercat. cap. 13. Theophylactus ait: Operæpreciū est, Doctores haud

laborare rerum neceſſariarum penuria, ſed copia potius earundem adfluere, ut ne hiſce conquirendis incumbentes, uerbi miniſteriũ negligant, quemadmodum & leuitæ in ueteri Teſtamẽto uixerunt. in epiſtol. Pauli ad Timoth. cap. 5.

De inobediẽtia erga Doctores, ait Theophylactus: Si ceſſeris, & morem geſſeris uel præſidi uel principi tuo, onus quod ex cura tui ille gerit, ei leue reddis ac facile, ut qui gaudeat propter obedientiã tuam. Sin impudens fis ac inobediens, ipſe quidem excubias canet pro anima tua: uerumtamẽ niſi correxeris inobedientiam tuam, ingemiſcis aduerſus eam ad Deũ. quod ſanè tibi inutile futurũ eſt. Reputa hic tecũ, quòd præſuli & epiſcopo non aliam uindictam permittat, quàm gemitũ, quæ res manſuetudinem in eo ſanè conciliat: ei uerò qui in inobedientia ſua perdurat, neq; uitæ ſuæ impuræ mores in melius alterat, maiorem pœnę certè ac ſupplicij pyram accendit, ſeueriorem uindicem & punitorẽ Deũ permouens. in epiſtol. Pauli ad Hebr. cap. 13.

De dignitate ait idem: Tanta eſt ſacerdotij dignitas, adeoq; qui eo funguntur, altiores ſunt proprijs fratribus, atq; ijs qui ex eodem lumbo ſint egreſsi. ad Hebr. cap. 7.

Vnde ſit effectus, Giſelbertus monet: Sacerdos impleat ſuum officium, Dominus dabit benedictionis effectum. in lib. Altercat. cap. 13.

De effectu miniſtrorum, ait Ansbertus: Sciendum, quia cũ prædicatores ſancti ad auditorũ mentes loquendo ueniunt, Chriſtus utiq; per eos uenit, qui & per eos loquitur. Hac confidentia Paulus dicit: At experimẽtum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? Siue enim per internam aſpirationis gratiam, per ſemetipſum ſine ſono uocis humana corda nũc illuſtret, ſiue per ſanctos prædicatores eorum mentes uerbo fidei tangat, ipſe uenit certè qui dixit: Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit. lib. 10. cap. 21. in Apocal. Radulphus inquit: Per prælatos noſtros reconciliamur Deo, ſicut Petro dictũ eſt: Quodcunq; ſolueris ſuper terram, ſolutum erit & in cœlo: ſiue per ſummum omnium pontificem Chriſtum, ſicut idẽ Petrus teſtatur dicens: Offerentes ſpirituales hoſtias, Deo acceptabiles per IESVM CHRISTVM. lib. 11. cap. 1. in Leuitic.

De fine miniſterij, inquit Theophylact. Chriſtus per ſacerdotes, etiãſi indigni fuerint, operatur gratia: & ſanctificantur omnes, etiamſi indignus fuerit ſacerdos. in Luc. cap. 9.

De Apoſtolis ait Theophylactus: Circũire paſsim terrarũ fines, & promulgare uerbum, Apoſtolorum munus eſt: perſuadere uerò auditoribus, totum eſt Dei. in epiſtol. Pauli ad Rom. cap. 1. Et: Apoſtolus, hoc eſt legatus ideo dicitur, quòd ſit ablegatus ad oues domus Iſrael: Pontifex autem confeſsionis noſtræ, hoc eſt fidei. non enim legalis cultus pontifex eſt, ſed noſtræ fidei. idem ad Hebr. cap. 3.

Contraria miniſterio recitat idem: Multi ex pontificibus in hunc modum peccãt. Nam & ipſi negociatores uendũt boues in eccleſia: hoc eſt, qui præſtantes in uerbo doctrinæ, non iuuant, ſed tradunt his qui affligere uolunt. Inſuper & oues, hoc eſt, ſimpliciorem & communem populum: & colubas, hoc eſt, ſpiritualia dona uendũt & maiores dignitates conferunt his qui plura dant: quos Dominus eijcit ex templo, indignos iudicans ſacerdotio. Ad hęc ſi quis ſolentum & nummum, hoc eſt, ſermonem & dogma uendat, & fortaſsis cum ſit doctor, nõ annunciet uerbum, niſi lucrum habeat, etiam eius menſuram ſubuertit Dominus, ſedem dico doctrinæ: & ſermonem quem ille cohibet propter maliciam, non dans illum omnibus, Dominus IESVS per miſericordiam effundit, populisq; dat, illum quidem à principatu deijciens, & alium in doctrinæ ſedem collocans. Theophylactus in Iohan. cap. 2.

De mercenario, ſic inquit Smaragdus: Mercenarius quippe eſt, qui locum quidẽ paſtoris tenet, ſed lucra animarũ non quærit. Terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris palcitur, impenſa ſibi ab hominibus reuerentia lætatur. Iſtæ ſunt enim mercedes mercenarij, ut pro eo ipſo quo in regimine laborat, hic quod quærit inueniat, & ab hæreditate gregis in poſterum alienus exiſtat. in Euangel. Iohan. cap. 10. Item: Mercenarius nullo zelo accenditur, nullo feruore dilectionis excitatur: quia dum ſola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. ibid.

## DE CRVCE.

SMaragdus inquit: Caſtigare enim & uerbis & uerberibus dicimus, ſicut Pilatus de Domino ait: Caſtigatum eum dimittam. id eſt, uerberibus flagellatum. in epiſt. Pauli 2. ad Corinth. cap. 6.

Quòd Eccleſia ſit ſubiecta cruci, docet Ansbertus: In hac ærumnoſa peregrinatione, in hoc carceris exilio tribulationem exterius patitur Eccleſia, cum aut ab aduerſarijs probra, uincula, carceres, uerbera, famem ſitimq; tolerat, gladij quoq; ac diuerſorum tormentorum excipit mortem: aut cum à ſeipſa laboribus, fatigationibus, ieiunijs, uigilijsq; laſſata, penè ſuccumbit. Quæ nimirum etſi interiori conſolationem, exteriori

nori tamen homini tribulationem afferre uidentur. Affligitur quoq; alia tribulationis interna penuria, cum reſiſtente ſpiritui carne, nec dum plenè uitia ſuperare uel extinguere ualet. lib. 2. cap. 2. in Apocal. Et ait Apoſtolus: Omnes qui piè uolunt uiuere in CHRISTO IESV, perſecutionē patientes patitur, adhuc piè uiuere non probatur. Si ergo quiſquam perſecutionem non patitur, adhuc piè uiuere non uidetur, ab aduerſario perſe qui dedignatur. Idem lib. 6. cap. 12. in Apoc.

Item: Miſſa Euangelicæ prædicationis falce in mundo, quos à priſtino errore uel terreno deſiderio abſcindēs Eccleſia fidei uinculo aggregauit, magnis tribulationibus tradidit. Quæ uidelicet preſſurę idcirco lacus iręq; Dei magnus uocantur, quia quanquam per eas ad paternam hęreditatem dilecti filij erudiantur: tamen ex ira diſtricti iudicis humani generis euenisse probātur, quę hic temporaliter iuſtos affligūt, ut ſint quibus Deus miſericors poſtea in æternum parcere poſsit. Idem lib. 7. cap. 14. in Apocal.

Theophylactus ait: Poſt Chriſtum ſequitur non ſolum is qui illum cōfitetur filium Dei: ſed & qui per omnia grauia tranſit, & illa ſuſtinet. in Matth. cap. 16. Chriſtus omnino docet nos, ſi quando in aduerſa pro multorū ſalute incidimus, ne triſtes ſimus: ſed gratias agamus Deo, qui noſtram afflictionem operatur, in multorum ſalutem. Idem in Marc. cap. 14.

Smaragdus: Ipſa paſsio quę uos fatigat, ei quoq; quæ per totum mundum eſt Eccleſiæ Chriſti, ueſtræ uidelicet fraternitati communis eſt: & quia à conſtitutione mūdi ſemper paſsi ſunt iuſti, pudeat uos ſolos præ omnibus ſuſtinere non poſſe. in epiſt. Petri, cap. 5.

Diuiſionem talem ponit Theophylactus: Duo ſunt genera tentationū. Aliæ ſunt uoluntariæ, ut ebrietas, homicidium, adulteria, aliæq; affectiones. hiſce enim tentationibus ſponte nos ſubmittimus. Inuoluntariæ uerò ſunt, quibus tyranni & ualidiores nos ſubijciūt. Igitur à uoluntarijs tentationibus, hoc eſt affectionibus fugere nos oportet, & eas deprecari & dicere, Ne inducas nos: hoc eſt, ne permittas nos incidere in tentationem: hoc eſt, uoluntariam tentationem. Theophylactus in Luc. cap. 10.

Vnde ſit. Theophylactus: A' Deo tentationes adducuntur. quod ſi à Deo, ad commoditatem omnino nobis cedēt. Ipſe nāq; primo ſcopo nos tētare uidetur, eiq; ſic placet ad depoſitionem & reiectionem peccatorum, uel ad probationem & examinationem noſtræ fidei, plures etiā coronas cùm tribuit, tum permittit. ad Hebr. cap. 12.

De cauſa martyriorum, inquit Giſelbertus: Quis, rogo, tot millium martyrum ſanguinem fudit, niſi fides & amor Chriſti, qui paſſos exterius, nunc intus roborauit? Habitauit enim per fidem Chriſtus in cordibus martyrum, procul dubio ipſe cauſa efficiēs martyriorum. Fortis enim, ut mors, dilectio: quæ niſi martyrum corda poſſediſſet, lictor fruſtra necem minando ueniſſet. Amor igitur ęternus uoluntatem in eis excitauit, ut ſanguinis eſſent prodigi: poteſtas ſumma affuit, nō preſſuris membra *amantibus cederent hoſti. Ipſe uir ſanguinū gladium Neronianum euaginauit, qui Petro fugienti dixit: Venio Romam iterum crucifigi. in lib. Altercat. cap. 15.

Radulphus ait: A' malis hominibus cum affligimur, uidendum eſt ne fortè improbitate noſtra hoc ipſum potiamur. Antiqui quoq; hoſtis ſæuitiam experientes timendum nobis eſt, ne iuſti iudicis iuſticiam accuſemus, & murmurationis malo interius corrumpamur. lib. 1. cap. 7. in Leuitic.

Nemo ſe ſua ſponte obijciat afflictionibus. Theophylactus: Nos ipſos obijcere tētationibus non debemus: neq; eſt operę pretium, ut nos ipſos in eas inijciamus. Vbi uerò huiuſmodi ſunt mala, è quibus euadere non poſsis, ſolo Deo indiges: & ab illo duntaxat cùm inquirenda, tum expectanda eſt redemptio & liberatio. Sin tolerabilis ac moderata fuerit tentatio, à nobis aliquid opis etiam cogitandū quidem eſt: uerùm & hoc totum Deo tribuendum uenit, quemadmodum & Paulus in ſporta effugit. In epiſt. Pauli 2. ad Corinth. cap. 12.

Chriſtus ſponſus Eccleſiæ. Giſelbertus: Ipſa Chriſti ſponſa Eccleſia Spiritu ſancto imprægnata, nutritio inter mūdanas uariętates indiguit: ſine quo ſicut nec fuit, ſic ſine tali ſponſo nihil boni unquā potuit, uel poterit. in lib. Altercat. cap. 20.

Quomodo ſe pij in cruce gerere debeāt, monet Radulphus: Primùm namq; ab ira diuina protegit nos pœnitentia. fidei uerò noſtræ munimentum eſt in authoritate ſanctorum martyrum, qui Chriſtianæ fidei teſtes, & fidelium duces, pro eiuſdē fidei defenſione uſq; ad effuſionē ſui ſanguinis certauerunt. Sed quia in hæreſibus etiam martyres inuenti ſunt, qui obſtinatione diabolica, nec timore mortis, ueternoſam ſui erroris impietatem abijcere uoluerunt, inter ipſos quoq; martyres Scriptura dijudicat: & ſanctorum ab iniquis cauſam diſcernēs, eorum qui pro uera fide paſsi ſunt, pietatem cōmendat. in Præfatione. Et: Siquando inimicus ad cor noſtrū irrepere tentās, uenenum nobis iniquæ perſuaſionis propinare uoluerit, legis ſacræ præceptis inſtructi, eius ſuggeſtionibus obuiemus, ſicut de

iusto scriptum est: Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius. Quo contrà de populo qui legem ipsam in ore habuit, & non in corde, qui diuinis eloquijs ornari maluit, quàm armari, à Domino dicitur: Auertisti adiutoriũ gladij eius, & nõ es auxiliatus ei in bello. Idem lib.19. cap.8.in Leuit.

De patientia, inquit Theophylactus: Patientiam in persecutionibus perfectam in uobis faciet. Quomodo? Roborans uos, & confortans. nã patientia est opus fidei. Proinde qui non habet patientiam, neq; opus fidei indicat. in epistol. Pauli ad Thessal.2. capite 1. Et: Expectantibus Dominum in die tribulationis. hoc est, castigationem ab ipso adductã placida mente sustinentibus, tolerantibusq; ipsum ceu castigantem patrem: talibus inquam, benignus, mansuetus, clemens est. idem in prophet. Naum, capite 1.

Smaragdus inquit: Cur absconditse, nisi quòd homo inter homines, factus redemptor noster, alia nobis uerbo loquitur, alia exemplo. Quid autem nobis hoc exemplo loquitur? nisi, ut etiam cum resistere possumus, iram superbientium humiliter declinemus. in Euang. Iohan. cap.8.

De constantia, inquit Ansbertus: Nõ modicæ, sed maximæ uirtutis est, inter pressuras & tribulationes, uerbum Dei intemeratum seruare, ac nomen eius nõ negare. Vnũ autem è duobus est. aut maxima uirtute uiget ille, qui uerbum Dei conseruat, nomẽq; eius non abnegat: aut medicam habet uirtutem, & uerbum Dei negligit, nomenq; eius denegat. libro secundo, capite tertio in Apocalyps.

Radulphus ait: Dei serui licet sæpius uulnerentur, licet nunc uinci, nunc uincere uideantur: si tamen Domino suo fidem suam seruant, ut in certamine perseuerantes, nũquam se hostibus uictos tradãt: sed aut fortiter resistant uitijs, aut suis uulneribus congruum pœnitentiæ medicamentum prouideant: quamuis optatę pacis libertatem in hac forsitan uita minimè cõsequantur, nec peccati prorsus effugiant seruitutem: speramus tamen de illius misericordia, cui deuoti perstiterunt, & rectè agendo, & commissa plangendo: quia post huius carnis depositionem, iubileum suum inuenient: in quo nec peccatorum, quibus dolentes per infirmitatem cesserunt, uenia fraudabuntur, & diu desideratę libertati restituentur. lib.19. cap.7.in Leuitic.

De fine crucis, inquit Giselbertus: In nuce tria inueniuntur, amarum exterius indumentum, soliditas, & dulcedo. In passione Christi amaritudo, robur ex morte, qui mortem uicit moriendo, diuinitatis habuit in resurrectione dulcedinem. Sic & Ecclesia habet in pugna carnis & spiritus amaritudinem, in uictoria fortitudinem, in resurrectione dulcedinem. in lib. Altercat. cap.12. Item: Primus Adam implendo suam uoluntatẽ, posteritatẽ suam morti addixit: Christus patri obediens, nos à morte redemit. in lib. Altercat. cap.15. Et: Regi seculorum gloria, cuius uindicta sępe gratia est: & pena quam irrogat, misericordia. in lib. Altercat. cap.4.

Ansbertus: Sicut aurum per ignem probatum, percussionibus productum, candelabrum efficitur: sic sanctorũ Ecclesia igne tribulationis ad purum excocta, tentationum ictibus in longanimitatẽ extenta consummatur. lib.1. cap.1. in Apoc. Et: Paulus pressurarũ uinculis colligatus dicebat: Vestra conuersatio in cœlis est. Et rursum: In omnibus tribulationem patimur, sed non derelinquimur: deijcimur, sed nõ perimus. Quibus scilicet uerbis, imò exemplis discimus, tãto magis Dei sanctos cœlestibus promiquare, quanto amplius pro redemptoris nomine tribulationibus contigerit arctari. Quo contrà, iniquos & mala læpisse mè pati, & post passionẽ non coronari, sed condemnari. non enim facit pœna sanctos, sed iusticia. Similia plerũq; sustinet iustus, similia & iniustus. Sed iustus propter iniquitatem coronatur, iniustus uerò propter iniquitatem dãnatur. Hinc Psalmista exorat, dicẽs: Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta. ibid. in Apocal. Et: Ego quos amo, arguo & castigo. Prosperantur siquidem ad tempus iniqui, æterna morte plectendi: affliguntur ad modicum electi, perennibus bonis uegetandi. Ansbertus lib.2. cap.2. in Apocalyp. Item: O Magna gratia, ô magna pietas, ô magna dignitas, ut is qui uicerit, nõ aliud quàm conditorem suum in præmium accipiat. ibid. Et: Non illis inuidendum, qui temporalibus flagellis iudicantur indigni: quia & electi per præsentes tribulationes ad hęreditatem paternã, & reprobi sine temporali flagello ad mendicitatem perueniũt æternã. Ansbertus lib.3. cap.3. in Apocalyp. Item: Solet hoc donum proprium esse sanctorũ, ut quo magis pressuris angustãtur in terra, eo amplius contemplationis penna leuentur ad summa. Hinc Paulus tribulationibus circũdatus, pressuris angustatus, & fortasse catena constrictus, dicebat: Nostra conuersatio in cœlis est. Hinc idem ait: Quando infirmor, tunc fortior sum. Idem lib.6. cap.12. in Apoc. Itẽ: Corporales plagę temporaliter affligũt etiã iustos, ut iustiores exsistant; sed spirituales reproborũ animas interficere probantur.

probantur.Idem lib.7.cap.15.in Apocalyps. Et:Aliquando dum propter auditam Euangelij prędicationem,atq; contemptam,plagæ in mundo crebrescunt:ideò diuina iudicia quosdã electos eisdẽ diuinis plagis castigãt,ut solummodo in eis uirtutes exami nent & augeant:quosdam autẽ, ut scelerũ ac negligentiarũ uulnera, quibus intra sanctam Ecclesiã sauciati fuerãt, in eis sanent: quosdam uerò,ut sanctorũ effusum sanguinem misericorditer in eis uindicẽt,qui nũquam ad fidem conuertuntur,ne in futurũ ultionem de eis expetant:quę́q; idcirco eadẽ persecutione latentes intra Ecclesiã falsos Christianos cruciant,ut qui sint appareant, ac nequaquam ultrà lateãt, sed quibus sint digni uulneribus addici cuncti agnoscant. Idem lib.7.cap.15.in Apocalyp. Et: Gaudere & exultare debemus, cum aliqua aduersa in hac peregrinatione rebelles patimur:sciẽtes proculdubio, quia paternò affectu pro nobis ipse conditor noster, iusto iudicio contra nos oppugnat. Huic sensui Psalmista concinit,dicens:Eripe me Domine ab homine malo , à uiro inquo libera me.Ansbertus lib.8.cap.18.in Apocalyp. Itẽ:Sicut in torculari uuæ calcibus tunduntur,ut uino promptuaria repleantur:sic nimirum electi pressurarum afflictionibus cõteruntur,ut in cœlestibus habitaculis recondantur.Et sicut una calcatione,atq; una põderis depressione,uinacea foras proijcienda à uino separantur:sic una eademq; tribulatione reprobi,ab electorum uita & moribus,quorum iudicantur indigni consortio, disiunguntur.Idem lib.9.cap.19.in Apocal. Itẽ:Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decolorauit me sol. ac si diceret electo tum Ecclesia:In præsentiũ tribulationũ angustijs despectui esse non debeo: quia quo magis exterius affligor, eo amplius illustrãte desuper Sole iusticię, interius noua appareo.Huic sensui Apostolus cõcinit, dicens: Licet is qui exterius est homo noster corrũpatur, tamen interior renouatur de die in diẽ.apud eundem lib.10.cap.21.in Apocal. Radulphus inquit:Cũ singula mẽte pertustro, quicquid in hoc mundo etiã à malis geritur, ad bonorũ utilitatẽ fieri perpẽdo. lib.5.cap.3.in Leuitic. Item: Qui modica & tẽporalia propter pietatẽ sustinere refugiunt,immensa & æterna ob impietatẽ supplicia sustinebunt.Radul.lib.8.cap.1.in Leuit. Et: Misericors Deus nõ permittit nos tentari supra quàm sufferre possimus: sed iuxta uires suorum militum temperat infestationes inimicorum. Ipse uincit in martyribus,ipse parcit in confessoribus: ut & infirmiores nimio certaminis pondere non frangantur, & quorundam fidelium fortitudo agone multiplicius coronetur. Idem libro decimonono,capite octauo,in Leuit.

Theophylactus ait:Qui ultimi in hoc seculo uidentur proter afflictiones & persecutiones,erunt primi propter spem in Deum. in Marc.cap.10. Et: Cum persecutionem patimur, gratia Christi floremus. Idem in Luc.cap.1. Et: Crux est morificatio affectionum,ita ut moueri nequeant,& operari. Nam qui crucifigitur, clauis affigitur, & operari nequit:unde doctor secundũ Christum debet prior ipse crucem tollere, & clauis configere carnes suas,ut fulgeat timore Dei,& careat affectionibus: deinde eam etiã auditoribus imponere. Theophylactus in Luc.cap.23. Et:Infrà quidem est certamen, suprà uerò corona in splẽdore sanctorum. Nam & rex maiori honore afficiens certatores,ad superna uocans eos coronat. Theophylactus in epistol. Pauli ad Philip. cap.3. Et: Hæc pericula sunt quæ fidem consolidant,citra hęc autem uana fuerit,& uacua.Idem ad Thessal.cap.1. Et:Non abeunt sanctis tribulationes citra lucrum. Hinc & Dauid Psal. 17. In tribulatione, inquit, mea inuocaui Dominũ, & exaudiuit me ad latitudinem.Et Esaias cap.26.In afflictione tui mentionem feci.Tum Paulus: Tribulatio patientiam efficit,patientia uerò probationem. Consimilem ad modum Ionas,quando anima eius periculi magnitudine deficeret,non ad conuicia delapsus est:sed,Dominum recordatus sum, ait.hoc est:Inuocaui ipsum,ut esset audiutor meus. Theophylactus in Ionam,cap.2.

De consolatione in cruce,ita scribit Giselbertus:Immisso ligno fit aqua potabilis: sic quicquid obuiat nobis amaritudinis,tolerabile nobis fit respectu Christi passionis. Constat planè, quòd illatas nobis iniurias sæpe magis impatientia nostra reddit intolerandas,quàm malicia irrogantis. Quid enim respectu passionis filij Dei peccator dignè pati potest, qui in peccatis totus natus est? Proinde ueritatis & iusticiæ cultor pro delicijs reputat, quicquid pro Christi amore mũdanæ tentationis uapor irrogat.in lib.Alterc.cap. Et: In fidelibus nũc Christus regnat per fidem, regnaturus in eis in æternum per speciem,nunc in spe, postea in re: nunc per laborem in uia, postea per requiem pacatissimã in patria. in lib. Altercat. cap. 20. Ansbertus inquit: Ad ęternorum comparationem bonorum, parum est quod ad præsens patitur Ecclesia sanctorum:& ad ęstimationem manentium tormentorum, nihil est quod temporaliter delectat uoluptatibus reproborum. lib.1.cap.1.in Apocalyp.

Theophylactus ait: Christus non ueluti

Deus tantum nouit, uerumetiam ut homo nouit per experientiam. Caro autem Christi haud pauca tolerauit, nouit quid sit afflictio, nouit quid sit tentatio. Itaq; potest succurrere: hoc est, promptus est, & pronus, ut manum porrigat & compatiatur. in epistolam Pauli ad Hebræos, capite secundo. Et: Nos benignum Dominum nostrum celebremus, qui nolens mortem peccatoris, uult ut conuertatur, & uitam ducat: qui interdum benè placentes ipsi sanctos contristarè sustinet, contraque ipsorum uoluntatem alijs misericordiam impertit. Idem in prophet. Ionam, cap. quarto. Et: Ne hoc existimetis uos, inquit Christus: non enim moriuntur quasi à Deo derelicti. Si enim nullus expasserculis qui uenduntur, in obliuione est: multo maioris igitur uestra mors erit, qui amici mei estis: quasi ego non prouideam uobis? Equidem tantam uestri curam gero, ut & omnia uestra subtiliter perspecta sint, & numerati capilli uestri. Igitur quamuis in tentationem uos permittam cadere, suppeditabo tamè ubertim sufferendi uires. Sæpe autem si quem infirmiorem uidero, non permitto illũ in tentationes incidere. Nã qui sum curator, & omnia benè scio, & numerata habeo etiam minutissima, distribuo unicuiq; quod suæ mẽsuræ cõgruit. Theophylactus in Luc. cap. 12. Item: Quando incidis in tentationẽ, crede quòd nisi cognouisset te posse illas euadere, non permisisset te in eas incidere. Theophylactus in Iohan. cap. 18. Et: Inuadãt quidem tristia & difficilia, credentes Deum: uerum istis malis, adeoq; periculis & afflictionibus Deus in commodũ adflictorũ credẽtium utitur. Item: Etiamsi uniuersus orbis insurgat aduersum nos, Dei tamen sapientia ad nostrã salutem & gloriã inuertet insurrectionẽ istam. apud eundem in epistol. Pauli ad Rom. cap. 8. Et: Ne uideatur afflictio & angustia esse signũ diuinę derelictionis, profert Paulus in medium prophetam, qui iam anteą hæc ita fieri uaticinatus sit: maximamq; consolationem subindicarit esse, pro Dei gloria pati, adeoq; occidi totũ diem, quod sanè fit consilio. naturæ namq; hoc est impossibile. Occidi autem, est offerri & mactari Deo. hoc subindicat per hoc quod ait: Tanquam oues cędis. Ac perinde ut illæ non resistunt, dum cæduntur & mactantur: hunc ad modum neq; nos reluctari oportet. Theophylactus in epist. Pauli ad Rom. cap. 8. Et: Deus hic erudit & castigat, ut illic misereatur. Castigamur autem hic, non punimur: cæterũ à patrè admonemur, ut ne cum mundo, id est, infidelibus illic condemnemur. Deo enim cũ fideles uehemẽter curę sint, pro delictis suis ita à Deo



tractantur. Idem in epistol. Pauli ad Corint. cap. 11. Item: Ne despondeas animũ, quisquis audis afflictiones & mala. quãto enim exuberant hæc ipsa mala, tanto exuberant cõsolationes. Christi enim passiones sunt, quas hic nos patimur, nosq; efficimur participes adflictionum ipsius. Maxima uerò est hæc ipsa consolatio, quòd Christi afflictiones sustineas: imò uerò non illas solas, uerumentiã longè plures. Exuberant enim passiones Christi in nos: hoc est, plura perferimus tristia, quàm Christus pertulerit. Theophylactus in epist. Pauli 2. ad Corint. cap. 1. Et: Adeò totum est potentia Dei, ut & testacei cum simus, tot, tantis, tamq; variis tentationibus impulsi, non frangamur, neq; perdamus thesaurũ qui in nobis est. Adfligimur enim in omni cum loco, tũ tempore, inter amicos, inter hostes: sed non constringimur, angustiaue concludimur, Deo cordibus nostris latum consolationis cam pum patefaciente. Item: Corpore & externis rebus deijcimur ab aduersantibus nobis, sed non perimus, quantũ ad alacritatẽ animæq; instantiã attinet: tum quo ad corpus, à Deo etiam conseruamur. Theophylactus in epistol. Pauli 2. ad Corinth. cap. 4. Et: Hæc perfectissima est uictoria, quando dũ agimur & pellimur, persequentibus superiores reddimur. Ne igitur incredulus perseueres. Deus enim est, qui nos in certaminibus adiutat, imò qui & dilexit. quare nihil mirũ, si uel in medijs periculis uictoriam facile obtineamus. idẽ ad Rom. cap. 8. Et: Pie auditor, quia adflictiones sunt præsentis temporis, id est, transitoriæ: gloria uerò futuri seculi nunquã cessaturi, & indilubilis, adspernare adflictiones, & amplectere gloriã. ibidem. Et: Quoniam nouimus Dei potentiam atq; uires, & quòd hoc tẽpore nos è periculis liberet, & quòd postea nostra nos susciabit splendidos, nõ defaticimus, neq; recusamus pati. Porrò exterior homo, id est corpus, corrumpitur. Quomodo? dum flagris cęditur, dum agitur: interior uerò, id est, spiritus & anima, renouatur. Quanam ratione? Quũ bene sperat, & liberè agit, quasi propter Deum patiens & gaudẽs. Theophylactus in epistol. Pauli ad Corinth. 2. cap. 4. Et: Multa nunc patitur corpus, uincitur, uerberatur, innumeris calamitatibus obijcitur: ob eam rem humilationis corpus est, quod corruptioni atq; dolori subiectũ sit: sed transfigurabitur, id est, ipsum permanens induet incorruptibilitatem. Theophylactus in epistol. Pauli ad Philippenses, cap. 3. Itẽ: Afflictio hæc est maxima consolatio: quòd qui passus est, excitatus est, iásq; in cœlis est: tũ quòd ille uenturus est, ut nos liberet ab uentura ira, hoc est à pœna, tanquam

quam eos qui illi per fidem placuerimus, perq; immaculatam uitam: neq; parcet illis qui nos opprimũt. Quoniam autem pericula iam sunt in manibus, bona uerò in spebus, magnam ipsis fidem tribuit. siquidem expectant & sperant firmiter, quæ futura sunt. idem ad Thessal. 1. cap. 1. Et: Hęc est, quæ sustineat corda nostra in tentationibus decidentia, tantumq; non desperantia; futurorum bonorum spes. Dedit autẽ hanc nobis Deus nõ pro laboribus meritis nostris, uerùm ex gratia. idem ad Thessal. 2. cap. 2. Et: Duabus rationibus his ex pericõseruemur, uel quòd celeriter exijs riculis eripimur: uel quia bonis spebus alamur. idem ad Timoth. cap. 1. Et: Ne mœreas quasi acerba & tristia patiaris. nondũ omnia superauit uerbum, necdũ subijcienda tempus consummatum est, subijcientur tamen omnino. ibidem ad Hebræos, cap. 2.

De calumniatoribus, inquit Radulphus: Omnia quæ à iustis etiam laudabiliter geruntur, maledicorum linguis fuscantur, & sinistra interpretatione deprauantur. lib. 9. cap. 2. in Leuit.

Qui martyres dicantur, indicat Ansbert. Illi principaliter dicũtur martyres, qui pro Christi testimonio mortẽ pertulerint Christi. lib. 1. cap. 1. in Leuit. Item: Nullus fidelium dubitat duo esse martyrij genera: unum in aperto, alterum in occulto. Mori enim in carne, martyrium est in publico: ferre uerò contumeliam, probra, irrisiones, que, martyrium est in occulto. Quod etiã apertissimè Dominus declarat, qui duobus Zebedęi filijs Iacobo & Iohanni loquitur, dicens: Calicem quidem meum bibetis. Quid enim per calicem, nisi tormentũ passionis exprimitur? Et certè cuncti nouimus, Iacobum ab Herode decollatum, Iohannem uerò in pace defunctum. Sed uterq; calicem bibit: quia unus horum aperto, alter uerò occulto martyrio coronati sunt. Ansbert. lib. 4. cap. 6. in Apocal. Item: Ampliorem tribulationem & angustiam nouimus sustinuisse persecutores in anima, quàm sanctos martyres in carne. isti in tormentis ridebant, illi dentibus stridebant. isti gaudebant, illi mœrebant: isti Deum laudabant, illi pœnę exanimes fiebant: isti uincebant, illi gemebant. Et ut ipsi sancti fatebantur, iudicantibus sublimioribus, ferientibus robustiores manebant. idẽ lib. 7. cap. 16. in Apocal.

Vbi fiant martyres, Radulph. docet: Iuxta patrum sententiam, quisquis extra Ecclesiæ unitatẽ patitur, pœnas pati potest, martyr fieri non potest. Vna est enim Ecclesia: in qua quisquis conflari uoluerit, ab omni etiam poterit peccatorum sorde purgari. Quisquis igitur uel mala patiendo, uel boni aliquid agendo, seipsum Deo sacrificat, ad hoc tabernaculũ accedat, ut pacificũ possit esse quod offerat. li. 13. cap. 1. in Leuit.

De differentia passionis Christi & nostræ, inquit Radulphus: Dominica passio ab aliorum sanctorum passionibus magno interuallo distare docetur. Ipse enim absq; suo prorsus peccato, nostris peccatis debitam sustinuit mortem: alij uerò omnes qui mundi huius pressuras sustinuerunt, etsi nõ in homines qui eos affligebant, tamen in Deum peccauerant. lib. 6. cap. 5. in Leuitic.

## DE MIRACVLIS.

Ansbertus inquit: Quia sępe homines uerba uitæ etiam intellecta despiciunt, adiunguntur miracula, quibus terreantur. sicut scriptum est: Fulgura multiplicabis, & conturbabis eos. Vnde & idẽ Habacuc cum dixisset, In lumine iacula tua ibunt: protinus addidit, In splendore fulgoris armorum tuorum. Fulgor quippe armorum, est claritas miraculorum. Armis namq; nos tuemur, iaculis aduersarios destruimus. Arma ergo cum iaculis, sunt miracula cũ prædicamentis. Sancti enim prædicatores uerbis suis, quasi quibusdam iaculis aduersarios feriunt: armis uerò & miraculis seipsos defendunt, ut & quantũ sint audiendi, sonent per imperiũ iaculorũ: & quantũ sint reuerẽdi, declarẽt per arma miraculorũ. Istis enim tanquã nubibus, uerbis pluẽtibus, cõminatione tonãtib. miraculis coruscãtibus, tremefactus formidauit & credidit mũdus. lib. 3. cap. 4. in Apoc.

Theophylactus inquit: Differunt signũ & prodigium. Signum dicitur de eis quæ secundũ naturã fiunt, nouo tamẽ quodam modo, ut Petri socrum repẽtè curari febricitantem: hîc enim febrim curari, secundũ naturã est: tũ uerò noua quadã ratione contigit, nẽpe adeò celeriter per tactũ. Prodigia uerò ad ea pertinent, quę nõ sunt secũ naturã: ueluti eũ qui natura cæcus sit, sanitati restitui. haud rarò etiã signa & prodigia per dæmones fiunt. in epistolam Pauli ad Roman. capite. 15.

De falsis miraculis Theophyl. scribit: Nũquã tãta tãq; eximia signa facta sunt. Quoniã autẽ & uenefici, & præstigatores multa edũt, adiecit Paulus, Et uirtutes. Magorum enim miracula nõ sunt potentia, sed imbecillitas, & apparens imaginatio, planęq; uanę res. idem ad Hebræos, cap. 2. Et: Quæ ueneficorũ sunt, nõ Spiritus sancti sunt, uerùm immũdorũ dęmonũ impostur ę. ibidẽ.

De prodigijs ait Smarag. Prodigia dicũtur porrò dicentia, id est, nouũ aliquid longè futurum prædicẽtia. Signa dicuntur indicia aliqua, ab eo quòd aliquid significẽt.

in

in Lection. Actuum Apostolorum, capite 5.

## DE ANTICHRISTO.

QVid sit Antichristus. Theophylactus ait: Quidã existimant, Antichristũ esse abominationẽ desolationis, eo quòd uastaturus mundum, & subuersurus sit Ecclesias, ac sessurus sit in templo. in Matth. cap. 24.

Vnde sit Antichristus, Radulphus docet: Iniquus ille de Ecclesiasticis parentibus nascisturus est, & inter filios matris Ecclesiæ fidei sacramẽta primò suscepturus. Vnde & iste inter filios Israel natus perhibetur: alioq; fieri non posset, quod testatur Apostolus, ut ad Ecclesiasticos honores perueniret, & in tẽplo Dei, uidelicet in fideliũ societate, cathedrã dignitatis acciperet, nisi eos à quibus ordinandus est, affectata primitùs fideliũ forma deciperet. Quo tamẽ honoris culmine sibi collato, postmodum in superbiã abusurus est, dum aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ostendens se tanquam sit Deus. Iste igitur de filijs Israel matrẽ habiturus est, & patrẽ Ægyptiũ. Quod enim ab Ecclesia suscepturus est, forma scilicet Sacramentorũ & fucatę sanctitatis imago, infirmum apud ipsum erit, & quodammodo fœmineum, ita ut ad sanctificandos mores illius nihil possit. Ex Aegyptijs uerò non matrem, sed patrem habebit: quoniam iniquitas hostis antiqui, rectoris uidelicet tenebrarum harum, in eius moribus prævalebit: à quo etiam totus possidebitur, ut eius instinctu peccatores omnes scelerum immanitate transcendẽs, homo peccati specialiter per Apostolum nominetur. lib. 18. in Leuit. cap. 1.

Quãdo uenturus sit, monet Giselbertus: Quòd in uespera horror Abraham inuasit: hoc est, quòd in fine mundi Antichristi persecutio horrẽda Ecclesiam fatigabit. in lib. Altercat. cap. 7. Radulphus inquit: Nulla existimo manifestiora aduẽtus Antichristi indicia, iuxta illud Apostoli: Quia cũ dixerint homines, Pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus: & dies Domini sicut fur, ita in nocte ueniet. lib. 18. cap. 1. in Leuit.

Theophylactus: Quo tẽpore uenturus est Antichristus, erunt pseudochristi & pseudoprophetæ multi, & in apparitione dæmonum, qui dispergunt uidentium oculos, ut quosdam decipiant: atq; adeò, nisi ualde sobrij sint, & iusti seducentur. in Matth. cap. 24. Et: Romanum imperium quãdo sublatum fuerit è medio, tum Antichristus ueniet. quamdiu enim huius imperij robur steterit, non facilè quisquã subijcietur ei: eo uerò dissoluto, inducet ei anarchiã, hoc est, libertatem, uel potius turbulentum rerum statum, qui capite & principe careat, conabiturq; cùm hominum, tum Dei imperium rapere. Nam perinde ac alia, ante Romanum hoc, imperia dissoluta sunt, ueluti Medorum à Babylonijs, Babyloniorum uerò à Persis, Persarum à Macedonibus, Macedonum ab Romanis: hunc ad modum Romanum ab Antichristo, is uerò rursus à Christo. Atq; hæc multa cum perspicuitate Daniel nobis proponit cap. 2. Quidam per Cõtinens, idololatriam intellexerunt. Quum enim, inquit, continens error desierit, idolorumq; cultura fuerit extincta, tum Antichristus adueniet. Quemadmodum & Dominus dixit: Prædicabitur Euangeliũ hoc in testimonium eis, tumq; aderit finis. Alij autem Continens, Dei terminum nominarunt. quando enim completus fuerit terminus Dei, qui nunc detinet Antichristi aduẽtum, institeritq; finitũ tẽpus, tũ reuelabitur. Dictum est autẽ, à nõnullis asseueratũ, Spiritum sanctũ esse remoram. Quum enim ille propter scelera mortalium sublatus fuerit è medio, ac defecerit, locus tũ relinquetur iniquo, ut reueletur. Ac principiũ, inquit, sumpsit mysteriũ iniquitatis. Theophylactus in epist. Pauli ad Thessal. 2. cap. 2. Et in aduentu Antichristi, imò ad ipsum tẽpus consummationis, futura tribulatio grauissima. idem in Luc. cap. 17.

Qualis futurus. Theophylactus: Quando uenerit Antichristus, illicitę uoluptates in hominibus increscent, & dissoluti erunt, delicijs uacantes. Erit enim ille peccati & maliciæ omnis sentina. Vnde tam aliam potestatem & uitam inuehat miserandæ tunc hominum generationi, quàm omnino eã quæ illi propria? Ex improbo enim quid purificabitur? idem in Luc. capite 17. Et: Non ad idololatriã homines perducetur, & cultuerùm omnes deos demolietur, & culturas eorum, siue idola, seq; ipsum solum prædicabit Deum. Item: Non in templo prius sedet, quod est Hierosolymis: sed in ecclesijs simpliciter, & omni diuino delubro. Item: Opera & miracula edet omnia ad errorem. in epistol. Pauli ad Thessal. 2. cap. 2. Et: Horribilis erit undiq; ex potestate, ex crudelitate omnia faciẽs, ut imponat, atq; iniuriam inferat mortalibus, saluti ipsorũ uastans. Vt ne uerò quis ambigens quærat, Quur ergo permisit eum Deus uenire, cũ tantũ sit incõmodi daturus miseris mortalibus? subdit Paulus, Ne metuas. in perennibus enim fortis est atq; robustus: qui etiã si ille nõ aduenisset, increduli tamẽ permansuri erant. idẽ ad Thessalonic. secunda, cap. secundo. Et: Operationem erroris, opera Antichristi uocat Paulus, quæ facit ut decipiat. uel illũ ipsum sic nominauit, operantẽ per

per Sathanam, ut multos seducat. Ibidem.

Quomodo. Giselbertus: Porrò septē annis inopiæ uenient Antichristi temporibus, quando uerbi diuini cara erit annona: quia facie Antichristi præcedat egestas. in lib. Altercat. cap. 7. Item: Dauid Christus est, qui leonē & ursum ad oues Christi grassantes interfecit: ursum, diabolū: leonē, Antichristum: alterū nunc latenter insidiantem, alterum in fine mundi apertè sequentem. in lib. Altercat. cap. 15. Item: Concubina eius synagoga est, ex qua Antichristus, quasi Abimelech, qui sibi regnum usurpat filijs nobilibus interfectis: sed unus euadit, id est, credentiū populus. Ierunt, ait ille qui euasit, ad oliuam, ad ficum, ad uitē, ut imperarent eis. Quæ ergo ista ligna sunt? Ligna ista, uani sunt homines, qui peruersa intentione spiritualium appetūt prælationem, nec merentur. Dicūt enim ipsi boni, Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Ramnū igitur eligunt, & per hoc electus & eligentes pereunt. Istorum assectæ perfidi Iudæi in fine seculi Antichristū eligunt, & uitem Christū non recipiunt, iuxta illud: Ego ueni in nomine patris mei, & me nō recipitis: alius uenerit in nomine suo, hunc recipietis. Tandē exijt ignis de ramno: id est, iniquitas de Antichristo, & cōsumpsit confidentes in uano. uitis itaq; Christus est: oliua, Spiritus S. filius, Euangelicæ gratiæ dulcedo. Porrò intercessor Abimelech & fautores Sichimitas pessimus uenit spiritus: sic praua semper electio sicut malum initium, sic habet & finē. in lib. Altercationis, cap. 14.

Ansbertus: Et pedes eius similes aurichalco. Hoc in locō quanquā omnes sancti prædicatores, rectè per pedes angeli possunt intelligi: congruentius tamē ad illa nouissima Ecclesiæ membra rediguntur, quæ sub Antichristo nimio persecutionis incendio sunt excoquenda: sed in morem firmissimi metalli, sine detrimento fidei perdurā da. lib. 1. cap. 1. in Apocal. Item: Ego seruabo te ab hora tentationis, quæ uentura est. Quia hęc eadem tentationis hora non iam uenisse, aut in præsenti esse, sed uentura prædicitur: melius per hāc Antichristi tempus specialiter comprehendi intelligitur. Tunc enim uenient illa tentatio, quæ non per partes, sed totum simul examinabit mundum. Tunc quod nusquam in retroactis temporibus apparuit, persecutores eiusdē Ecclesiæ miraculis coruscabunt: & hinc tormenta sę tient, illic miracula suadebunt. Ansbertus lib. 2. cap. 3. in Apocalyp. Et idem dicit, Antichristi & diaboli duorum esse unam personam. libro quinto, capite 11. in Apocalyp. Item: Antichristus, qui se in similitudine Christi mortuū fuisse ac resurrexisse simulatè confingit. Eiusdē quoq; bestiæ nomine ipse autor maliciæ, atq; inhabitator Antichristi, diabolus signatur: sicut illic innuitur, ubi de præmissa bestia dicitur, Adorabūt eū omnes qui habitāt in terra. Ansbertus lib. 5. cap. 11. in Apocal. Et: Tanto robustior tunc sanctorū erit constantia, quanto immanior persecutorū sæuitia. Ansbertus lib. 6. cap. 12. in Apocal. Itē: Et quidē huius capitis corpus (ut suprà iā diximus) apparuit, & nūc uidetur, & futurū esse creditur. Ipsum uerò membrorū caput, qui nec dum apparuit in se, iam apparuit in suis. De quo scriptum est: Datū est ei os loquens magna & blasphemias. O quanti illius tentationis tempora non uiderunt, & tamen in eius tentationis procella uersantur? Cain tempus Antichristi non uidit, & tamen membrum Antichristi per meritum fuit. Ansbertus lib. 6. cap. 13. in Apocalyp. Et: Per leonem rectè amor trāsgressionis, id est Antichristus, designatur: qui & inaudita prædicās, & inaudita comminans, terret & fraude decipit, & ui secularis potentiæ premit. Idem lib. 6. cap. 13 in Apocalyp. Item: Et dedit illi draco uirtutem suam, & potestatem magnam. Quam potestatem tunc bestiæ tradet, cū per Antichristū ubiq; super gentes & regna eleuatus, contra bonos delæuiet. Et paulo pòst: Et quia non solum potentia temporali opprimet, uerumetiam signis & uirtutibus plures decipiet, idcirco hæc potestas magna uocatur. Huic sensui Paulus apostolus cōcinit, dicēs: Tūc reuelabitur ille iniquus, quē Dominus IESVS interficiet spiritu oris sui. Ansbertus lib. 6. cap. 13 in Apocalyp. Et: Characteres seu notas Antichristi sæpè facit Ansbertus, diuitias, potentatus, signa, & uirtutes. lib. 6. cap. 13 in Apocalyp. Item: Nulla ex parte in Antichristo à blasphemijs locus uacat, quia & uocibus Christum abnegans, se pro illo adorandū ingerit: & in hac pertinacia mentis perdurans, secundū duritiam suam & cor impœnitens, usq; in finem perseuerat. Si enim ab hac pertinacia resipiscens Christum fatere tur uerū Deum esse, quē seipsum affirmat, ueniæ locus ei quodammodo patēret: sed quia desperans in seipsum, ad pœnitentiam non recurrit, ac per hoc in Spiritum etiam sanctum, per quem remissio peccatorum datur, blasphemiam intorquet, ueniā peccatorum accipere nō meretur. ibidem. Item: Multos in susceptione Antichristi ex incredulis gentibus ijdem Iudæi sequaces habebunt: & non solum multos, sed etiam innumerabiles turbas. Nam sicut in bonum per imitationem fidei, gentes quoque filios Abrahæ Scriptura sacra uocitat, non de eius carne nascendo, sed

confitendo

confitendo Christum de tribu Iuda à mortuis resurrexisse uictorem: sic in malum Iudæos ex gentibus sectatores credendũ est habituros, qui Antichristum, qui de tribu Dan dicitur nasciturus, suscipiendo atque sequendo, eorum notentur esse complices in charactere criminis, quorum participes erunt in pœna sempiternæ damnationis. Ansbertus lib.7.cap.16.in Apocalyp. Ité: Sicut uasa ęnea incẽdio graui subacta, ab intimis exiliendo, scatentia foris ebulliunt, & suę capacitatis metas excedũt: sic & pars bestiæ in uictoria existens, cum Christi Ecclesiam infatigabili uiderint dimicare constantia, intolerabilibus inuidentiæ facibus inflammati cõceptum corde incendiũ oris impuri exhalant blasphemijs. Idem libro 7. cap.16.in Apocalyp.

Radulphus inquit: Antichristus in nomine suo ueniens, & se supra omne quod dicitur Deus extollens, fidem diuinam euacuare contendet. lib.15.cap.2. in Leuitic. Et: Restat tempus Antichristi, sub quo iterum luna conuertetur in sanguinem, & multis sanctorum martyrum legionibus complebitur numerus beatorum. Idem lib. 18. capite 2.in Leuitic.

Theophylactus: Cum uenerit Antichristus, illicitę uoluptates in hominibus increscent, & dissoluti erunt delicijs uacantes. id quod & Apostolus dixit: quòd in extremis temporibus erunt homines uoluptatũ magis quàm Dei amatores. Et meritò in regno deceptoris florebunt mala. Erit enim ille peccati & maliciæ omnis sentina, unde quam aliam politiam & uitam inuehet miserandæ tunc hominum generationi, quàm omnino eã quę illi est propria? Eximprobo enim quid purificabitur? Erunt tũc homines in omnibus delicijs, sicut temporibus Noe, & nihil graue formidabunt: sed neq; credent, si quis illis de quibusdam aduersis euenturis dicet. sicut & hi qui temporibus Noe & Loth fuerunt. in Luc. capite decimoseptimo.

Vbi. Ansbertus: Quia uerò in illis tũc regionibus, in quibus Christus traditur crucifixus, in quibus & caput malorum apparebit, Antichristus sedebit atq; regnabit, immanior persecutio Ecclesiam uexabit: ideo præ omnibus illa ciuitas quæ occidit prophetas, & lapidat eos qui ad se missi sunt, subaudi terrena Ierusalẽ, mortua sanctorũ corpora in plateis habere describitur: tanquam scilicet ubi principale certamen erit, ibi mortuorum corpora multipliciter iaceant. In quibus uerbis patenter etiam datur intelligi, quia præ omnibus principaliter tunc Iudaica plebs Antichristo adhærebit, usq; quò Enoch & Elia prædicantibus, qui ex ea fuerint saluandi reuertantur ad Christum. lib.5.cap.11.in Apocalyp. & libro 6 in Apocalypsin, cap.13. Babylonẽ illam secundam appellat Romam. & lib.8.cap.17, bis. Item: Quid per quartum regnum, nisi Romanorum imperium designauit, in quo uidelicet isti decem reges esse memorantur, post quos utiq; Antichristus dicitur surrecturus. Ansbertus libro octauo, capite 17.in Apocalypsin.

Radulphus: Porrò septimum huius bestiæ caput regnum erit Antichristi, quodin ter decem cornua quartæ bestiæ paruulum orietur. inter minutias quippe Romani imperij, quod iam per multa diuisum est, Antichristus consurget: & primò tribus regibus sibi consociatis, & à Christi fide: quam prius tenebant, euulsis. incertum est autem qui illi futuri sint: deinde totum mundum occupabit, & potentior cęteris regibus apparebit. Meritò igitur Iohanni, qui sub Romano scripsit imperio, de septẽ regnis illis ab angelo dictum est: Quinq; ceciderunt, unus est, & alius nondum uenit. lib.18. cap. 1.in Leuitic.

De numero bestiæ multa habet Ansbertus in Apocalypsin, lib.6.cap.13.

Quis sit ille futurus. Theophylactus: Quis nam ille sit, nos docet Paulus, nimirũ homo Sathanam in sese habens, per se operantem. Item: Omnem exhibebit porentiam & uirtutẽ, sed nihil ueri habebit. Omnia namq; ad impostura uergent. Prodigijs enim mendacij, hoc est, uanis & mentitis, uel ad mendacium ducentibus eos qui hisce accommodarint aurem. Hæc autem dicit Paulus, ne seducantur, qui tum uicturi sunt. in epistolam Pauli ad Thessalon. 2. capite secundo.

De potentia Antichristi, inquit Radulphus: Ad tantam ergo & tam subitam rerũ mutationem, quis non conturbetur? quis non concutiatur? nisi ea quę uiderit, ad Scripturas referat, & super temporis illius statu Dei legẽ consulat, ut quid in de sentiendum sit, iudicante Moyse discernatur: & sacris paginis, tam nouis quàm ueteribus retractatis, sub prophetiæ lucerna nouitas illa discutiatur. lib.18.cap.1.in Leuitic. Ité: Ipse de regibus triumphabit, & super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam. plurimos namq; qui nunc in religione constantes æstimantur, subijciet sibi. ibidem.

De fine Antichristi, inquit Ansberrus: Si quis diabolum, eiusq; imaginem, uidelicet Antichristum, adorauerit, eumq; aut fide aut operibus imitatus fuerit: nõ hic ad præsens flagella recipit, tanquam mero uino potatus, sed in futurum perenni uindicta plectetur,

plectetur,tãquam fecibus debriatus.lib. 6. cap.14.in Apoc. Radulphus inquit: Terra cui uæ dicitur,trans flumina Æthiopiæ esse perhibetur: quia damnatus homo ille tanta immensitate iniquius est,ut omnium peccantium peccata transcendat. Iste igitur tunc repentinus adueniens,& ex improuiso se ingerens, filiorum Israel interrumpet festiuitates,pacem conturbans Ecclesiæ,& diuturnæ tranquillitatis in breui statum euertens. Vnde & propheta Iezechiel contra Gog uaticinans, hunc sanctæ Ecclesiæ hostem immanissimũ satis apertè uidetur exprimere.lib.18.cap.1.in Leuitic. Et: Hoc sub Antichristo futurum est, cum iuxta Apostolum uenerit discessio. tunc enim fiet terræmotus magnus, terrenorum scilicet hominum magna commotio: qui cùm terrore,tum blanditijs inimici, à fidei soliditate discedent: solq; fiet niger tanquam saccus silicinus, quia fulgens uita prædicantium ante reproborum oculos aspera & despecta monstrabitur. Luna etiam in sanguinem conuertetur, cum sancta Ecclesia martyrum suorum sanguine perfundetur: cadentibus stellis in terram, multis scilicet qui tanquam cœlestia luminaria uidebantur,à persecutionis immanitate corruentibus.ibidem.

Theophylactus inquit: Non aderit aduentus Domini, nisi uenerit defectio: id est, Antichristus.defectionẽ enim ipsum uocat, cũ reuera sit: quippe qui multos faciet deficere,etiã electos,si fieri possit. Hominẽ autem peccati illum ipsum uocat, ut qui omnẽ peccatorum genus peracturus sit,& alios ad peccatum supplantaturus. Filius etiam perditionis est, quandoquidem & ipse sit perditus. Quis autem & ille est? Nũquid Sathanas? Haud quaquam: sed homo quispiam,omnem Sathanæ operationem ostẽdens.in epist.Pauli ad Thessal.2. cap. 2.

Christus delebit Antichristum. Theophylactus: Perinde ut ignis,etiam ante aduentum suum,quum adhuc procul fuerit, bestiolas tamen exiguas torpere ac stupere facit,absumitq;: hunc ad modum Christus, uel solo imperio,siue afflatu Spiritus sancti pleno,delebit & obscurabit ipsum,solo que aduentu suo abolebit,hoc est omnino torpentem faciet. Vbi enim uisus tantum fuerit, sistet deceptionẽ. idem ad Thessal. 2. capite secundo.

Opinio est,quòd ex Dan uẽturus sit. Gislebertus: Nota, quòd castra Dan ad Aquilonẽ posita sint, ex quo Antichristus futurus erat.in lib. Altercationis,capite 13. Itẽ quòd ait,quosdam opinari,quòd Nero futurus sit Antichristus. libro 8. in decimumseptimum caput Apocalyps.

Sic Radulphus ait: Tribus enim Dan, quæ ad Aquilonem castrametatur, illum præsignare uidetur,qui de eadẽ tribu nasciturus, in his qui à feruore charitatis remoti,& quasi sub glaciali plaga positi sunt, accipiet principatum: & à lateribus Aquilonis, sicut de Iezechiele protulimus, ducet exercitum. Quod uerò nouissima proficiscebatur hæc tribus, sub Antichristi futura temporibus, Ecclesiæ postremitas monstrabatur. Nec quenquam moueat, quod tribus Dan in castris Israel computabatur, cum Antichristus hostis Ecclesię sit futurus. Hostis siquidem fidelibus erit, sed tamen ex fidei professoribus maximam multitudinis suæ partem congregabit.lib.18.capite primo in Leuit.

## DE TRADITIONIBVS. *humanis.*

RAdulphus: Quædam sunt,quæ uel saluti, uel honestati communi minus commoda uidentur: si tamen sumpta fuerint,nullum peccati contagium inferre probantur.lib.13.cap. 2.in Leuitic. Et regulam tradit: Non humanis traditionibus, sed Spiritus sancti dogmatibus, fidei formanda nobis integritas est. Idem lib .10. capite primo in Leuitic.

De ieiunio ait Theophylactus: Oportet ieiunare eum, qui dæmonem patitur, & qui sanaturus est. & utrisq; necessarium est ieiunium: magis autem illius qui dæmonẽ patitur, ieiunium exigit sermo. Oportet autem nõ ieiunare solum, sed & orare: neque solum orare, sed & ieiunare. Sic enim ueræ preces fiunt,si nõ oretur solũ,sed & ieiunetur.in Marc.cap.9. Et: Quidã ieiuniũ adseuerãt corporale exercitiũ esse, sed non est. nam illud spirituale est. idem in epist. Pauli ad Timoth. cap.4. Et: Ieiunium nõ fuit per sese sufficiẽs,ut propitiũ redderet, aut placaret Deũ, nisi & mores corrigãtur, & bona opera exhibeãtur. idẽ in Ionã ca.3.

De solitaria uita,inquit Theophylactus: Omnis qui in solitaria uita actiuam uitam agit, & seruiles affectiones iram & concupiscentiam gubernat, & suam cuiq; mensuram tritici in tempore distribuit,ira quidem,ita ut odio habeat odio habentes Dominũ,& suas inimicitias aboleat: concupiscentia uerò, ita ut necessariam carnis gerat curam,& omnem in Deũ dirigat. Theophylactus in Luc.cap.12.

De contemplatiua uita, Theophylactus ait: Sępius contẽplatiuus cognitione & ingenio prẽuenit,practicus autẽ detrimentũ habet: attamen feruore ac studio illius uincit alacritatem. Et uidet prior diuinum quoddam mysterium practicus. An non tale quiddam contigit in disciplinis? Etenim

nim cum duo pueri sunt, unus ingenio acutior, alter tardior, prę occupat hic suo studio uelocitatem naturæ alterius. Etenim in spiritalibus sæpe practicus, & sermone idiota, sensu quiddam sublimius percipit contemplatiuo. in Iohan. cap. 20.

DE SCANDALO.

ANnsbertus Scandalũ litis & peccati facit. Sic enim inquit: Qui scãdalizauerit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundũ maris. Quod nõ de solo litis scandalo debemus accipere, sed de omni specie peccatorũ: secundũ illam regulam quã sancta Scriptura frequẽtat. Hinc Dominus ait: Si scãdalizat te oculus tuus, manus uel pes, abscinde eum, & proijce abs te. Et quid per oculum, manũ uel pedẽ, nisi carnalis cogitationum propinquitas, hoc loco debet intelligi? Nunquid nam, qui inimicos iubemur diligere, propter scandalũ litis propinquos debemus abijcere? Absit. Sed propter illud scandalũ peccati, quod ex eorũ imitatione contrahit anima nostra. Hinc est quòd Mariæ Magdalenæ, post abiecta crimina dicitur: Vade in pace. Ac si ei diceretur: Hucusque in peccati scandalo fuisti, sed iã in pace uirtutũ perfice cursum. Quod enim ad omnium peccatorũ speciẽ scandali nomẽ pertineat, testatur etiã Paulus apostolus, dicẽs: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego nõ uror? Subaudi, nõ scandalizor? In ipsa enim sua ustione, scãdali nomẽ inclusit: quia cõsequens ratio fuit, ut sicut negando dixit, Quis infirmatur, & ego non infirmor? sic etiã diceret, Quis scandalizatur, & ego nõ scandalizor? Quod utique compassione tantum ac pia simulatione eum fecisse dubium nõ est. lib. 8. cap. 17. in Apocalyp.

Theophylactus ait: Licet necesse sit euenire scãdala, nõ tamẽ necesse est ut nobis noceant, uel ut nos perdãt: etiãsi amici sint, nihil inde nobis damni. in Matth. cap. 19.

DE CONIVGIO.

GIselbertus uocat Sacramentum. Alterius societatis sacramentũ in coniugio, alterius societatis sacramentũ est in coniugij officio. Propterea natura humana duplici qualitate distincta est, ut in uiro quidem robustior, in fœmina infirmior esset: uir regeret, illa regeretur: animus quasi uir rationalis carnem sibi subijceret, animo cum suis concupiscentijs caro subesset. in lib. Altercationis, cap. 5.

Theophylactus inquit: Bonũ & eximia res est cuiuis mortaliũ, nec soli sacerdoti, perinde ac nõnulli malè intelligũt, mulierẽ non attingere, sed uirginẽ permanere, Tutior autem, nostramq; plurimũ imbecillitatem adiuuãs est matrimonij res. Verisimile est enim, uirum continentiã amare, mulierem autem non item: aut e diuerso. Fornicationis autem uitandæ causa, dicens, compellit nos ad continentiam. Si enim fornicationis causa permittuntur nuptiæ, nõ debent posthac matrimonio iuncti intẽperanter, sed pudicè ac moderatè cõgredi. Theophylactus in epistol. Pauli ad Corint. cap. 7. Et: Si qui duxerit uxorẽ, sollicitus est, & inxiè curat res huius mundi: episcopũ uerò non conueniat, in huius mundi negotijs sollicitum esse: quî dicit, Vnius uxoris maritum? Nonnulli hic dicunt, quòd obscurè & clanculum cœlibem hic indicarit, uel perierit. Quod si hoc fieri non possit, habeat coniugem unam, uerumtamen sit tanquã non habeat: hoc est, non redigatur in seruitutem cupiditatum ipsius. Porrò non utique sanciat, hoc dicit, quòd omnino episcopum oporteat uxoratum esse. qui enim isthuc statueret, cum aliàs dicat: Volo uos omnes esse sicut meipsum? uerùm quia tempus ita postulababat. At si contingat, inquit Paulus, sit unius uxoris uir. Id uerò Iudæorum causa dicebat. illis enim permittebatur polygamia: hoc est, cum multis connubia iungere. Theophylactus in epistol. Pauli ad Timoth. cap. 3. Et: Haudquaquam nos matrimonium prohibemus, cæterùm eas quæ nubere nolunt, ad uirginitatem adhortamur: honoratior enim est ipsa. Atqui nuptiæ & matrimonium propterea non sunt ingloria, in celebritate: quemadmodũ neq; quia aurum pretiosius est, argentum gloria precioq; uacat. Quod uerò pretiosius est, pretioso pretiosius est: & quod melius est, bono melius est, nõ malo. Qui ergo potest, uirginitatis aurum retineat: si uerò non posset isthuc, matrimonij argentũ recipiat. Idem in epistol. Pauli ad Timoth. cap. 4.

Vnde sit. Theophylactus: Non simpliciter ac temerè multũ seduloq; laborat Paulus pro coniugij firmitate, sed quia Deus eius principio huius eximiam curã gestiam à fit. Adamo enim sororem suam, imò potius filiam, & quid dico? carnem ipsius copulauit. Deinde multiplicato genere, latius matrimonium extendit, ut ne dilectionem ad solos cognatos contraheret. Porrò uitanostra per coniugia continetur. Ait ergo: Vxores subiectæ estote maritis uestris. Si enim in concordia matrimonium floruerit, pueri pulchrè educantur, & famuli ordinatè se habent, adeoq; cuncta tam uicinorum quàm amicorum sunt in fœlici statu. ad Ephesios, cap. 5.

Qualis sit cõiunctio, apud eundem: Dei consilium

consilium noluit polygamiam, ut hæc relinqueretur, & altera duceretur uxor: & iterũ relinqueretur illa, & assumeretur alia. Nam si hoc esset, fecisset Deus unum quidem uirum, multas autem mulieres. Nunc autem hoc non fecit, sed masculum & fœminam fecit, unum uni copulari iubens. in Marcum, capite decimo. Et: Vxor & maritus non corporum potestatem habent: sed enim uxor & serua est, & domina mariti. Serua quidem, quatenus non habet proprij corporis potestatẽ, ut tradat ipsum quibus uelit, cæterùm maritus dominatur in ipsum: domina uerò, quatenus rursum maritus corpus ipsius est, nec habet is corporis sui potestatem, ut tradat ipsum scortis. Cõsimilem ad rationẽ maritus est cùm seruus tum dominus suæ cõiugis. Theophylactus in epistol. Pauli ad Corinth. cap. 7. Et: Maritus principẽ & præcipuum locum in coniugio obtinet. caput enim est, & seruator: uxor uerò subiungatur atq; obediat, corpus enim est. Quemadmodum & Christus Ecclesiæ caput, eius curam gerit, eamq; seruat: sic & maritus seruator sui est corporis, hoc est uxoris. idem ad Ephesios, cap. 5. Et: Dilige uxorem. Quali mensura? Qua & Christus Ecclesiam. Gere curam ipsius, quẽ admodum & Christus Ecclesiæ: ac si quid te oporteat pati, uel mori pro ipsa, ne recuses: iam enim copulatus ipsi hęc facies. Quẽ admodum autem Christus odientem se adulterum, & auersantem sese adduxit nõ minis, neq; contumelijs: hunc ad modum, si ipse auersantem te conspexeris coniugẽ tuam, atq; lugentem, multa dilectione ac prouidẽria attrahere ad te festina. Et si quicquam patiaris pro ipsa, nec obijcias, neque conuicieris ei. neque enim Christus Ecclesiæ obiecit quicquam. Idem ad Ephesios, cap. 5. Et: Debet unusquisq; uxorem suã diligere ac fouere, haud secus quàm seipsum. Nec mihi dicas, Hunc & hunc defectum habet uxor mea. nam & tu in carnẽ tua defectus habes, ueluti manum mutilam, pedem claudum, oculum strabum: sed minimè abscindis hæc, sed maiore illa cura dignaris. Theophylactus in epistol. Pauli ad Ephes. cap. 5. Item: Diliget coniunx uirum, tanquam membrum: metuet autem seu honorabit, tanquam caput. Quid uerò si non metuat mulier? Tu tamen dilige, tuoq; officio fungere: similiter & mulier, etiamsi enim nõ diligatur, metuat tamẽ. ibidẽ. Et: Deus cuiuis uxorẽ dedit, ac terminos naturę posuit, mixtionem uidelicet, quæ est cuique cura propria uxore. Excessus itaq; est & circumuentio in re, hoc est in congressu, si fiat cum uxore proximi. Ibidẽ ad Thessal. cap. 4. Et: Si quispiam matrimonio iunctus est, huic per sanctificationem temperantia hîc denunciatur: non quòd nuptiæ sint sanctificatio, sed quia seruant sanctificationẽ ex baptismate, nec reijciant per legittimam mixtionem. Preciosa res est matrimoniũ, seu nuptiæ: non autem sancta, sed sanctificationis custos. Theophylactus in epistol. Pauli ad Hebræos, cap. 12.

Mulieres sint subditæ. Theophylactus: Postquam uxores debent subdi maritis, ut Ecclesia Christo: Ecclesia autem & mulieres sint: Ergo tanquam Christo, subdi debet marito coniunx. ad Ephes. cap. 5.

De dignitate coniugij, inquit Theophylactus: Adeò preciosa res est matrimoniũ, ut possit cum eo ad sanctum thronum Epi scopalemq; sedem ascendere. in epistol. Pauli ad Titum, cap. 1.

De fine coniugij inquit Giselbertus: Ex omnibus sacramentis, quæ ad remedium hominis instituta sunt, solum coniugij sacramentum ante peccatum hominis legitur institutum: non tamen propter peccatum, sed ad sacramentum solum, & ad officium. ad sacramentum, propter eruditionem: ad officium, propter exercitationem. Coniugium constabat in consensu socialis fœderis, officium uerò coniugij constabat in copula carnis. in libro Altercation. cap. quinto.

De diuortio, inquit Theophylactus: Si uir infidelis uxori fideli iniungat ut secum sentiat, & particeps suæ in fidelitatis fiat, dirimat potius matrimonium mulier, & à uiro abscedat. Satius enim est connubium ipsum dissoluere, quàm pietatẽ in Dei cultum dimittere. in epistol. Pauli ad Corinth. cap. 7. Et: Quamdiu res in ambiguo fuerit, haudquaquam est dirimendum connubium. Quòd si saluam non feceris, nil tibi officiet. Saluam autem hanc si reddideris, & alijs profuisti, & tibi. Item: Haudquaquam propter infidelitatem fiat diuortiũ, nisi alteri sic uideatur ac placeat. idem.

De polygamia, inquit Giselbertus: Pro magno crimine obijciuntur Iacob quatuor uxores. Sed quoniam mos erat, crimen nõ erat: nunc autem crimen est, quia mos non est. Alia sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Sed Iacob non contra naturam hoc fecit, qui non lasciuiendi, sed gignendi causa illis mulieribus utebatur. Nec contra morem, quia illo tempore in illis terris hoc factitabatur: nec etiam contra præceptum, quia nulla lege prohibebatur. Nunc uerò legibus & moribus hoc non licet. Quæ duo si quis contempserit, etiamsi tantummodo generandi causa uratur pluribus fœminis: peccat tamen, & humanam uiolat societatem,

cui necessaria est filiorum propagatio. Sed quia homines aliter se habẽtibus moribus, non possunt delectari uxorum multitudine, nisi libidinis magnitudine errantes: nõ putant haberi non potuisse uxores multas, nisi concupiscentiæ carnalis flagrantia. in lib Altercationis, cap. 7.

## DE MAGISTRATV.

VNde sit. Theophylactus: Non est potestas, nisi à Deo. Quid ais? Ecqui princeps uel magistratus à Deo electus est? Non hoc dico, inquit Paulus: neq; de omnibus & singulis principibus uel magistratibus mihi sermo nũc est, sed de re uel officio eius. Nã principes esse, & alios quidem magistratu fungi, alios uerò magistratibus subdi, neq; sursum neque deorsum omnia misceri, Dei sapientiæ dico opus esse. Non dixit, non esse principem: sed, nõ esse potestatem nisi à Deo. Quare de ipso magistratus hîc officio disserit. in epistol. Pauli ad Rom. cap. 13. Et: Potestates à Deo ordinatæ sunt, cuiusmodi & patris erga filiũ, & mariti erga coniugẽ cõtemplaberis, aliasq; uniuersas: ut in animalibus, ueluti apum, gruũ, & piscium. ibid. ad Rom. cap. 13.

De fine magistratuũ, inquit Giselbertus: Quòd Moses dux & Aaron sacerdos populo prælati sunt, significat, quòd in præsenti Ecclesia semper regum, ducum & cõsulum defensione indigeat sacerdotalis sanctitas: & cum sibi conueniunt sacerdotes & reges, nihil tutius: cum dissentiunt, nihil pernicioſius. in lib. Alterc. cap. 13. Theophylactus inquit: Adhortatur Deus, ne quenquam defraudes, ne cui imponas, ne auariciæ inhies, neq; rapias aliena. Magistratus etiam super hisce iudicat, adeoq; fert sententiã. Adiutrix itaq; est potestas ad bona opera nobis, si modò ipsi mentem aduertamus. in epistol. Pauli ad Roman. cap. 13. Et: Princeps non facit metum in nobis, uerùm nostra nequitia: propter quam & gladius ipsius operatur, estq; efficax: hoc est, uis eius pœnã & supplicium inferens. Non enim temerè est ense circumcinctus magistratus, sed ut puniat sceleratos. Dei enim minister est. Idem ad Rom. cap. 13. Et: Tu ipsi testimonium dicis, quod à magistratu beneficio afficeris, quatenus mercedem ei pendis, ut ei uidelicet qui rebus tuis prospiciat. Non enim principi tributum soluissemus, nisi agnouissemus nostrũ nobis lucrum, adeoq; commodũ ex huiusmodi profectura sanè accrescere. Siquidẽ ipsi nos citra curam ducentes uitã, principes nostros & magistratum excubias canere sinimus. ibidem. Et: Deo etiã placet, ut suis ministris tributa pendatis. Nam Deo sedet in animo pacem Reipublicæ inserere, necnon uirtutem: uitiũ autem abigere. Atq; in hoc principes ministrant uoluntari Dei, pro cõmuni constitutione & salute laborantes, inq; idipsum perseueranter incumbentes, ut nos in pace ac tranquillitate ætatẽ suam quisq; transigamus. Sin quisquã malè magistratu suo & publica functione abutatur, id nihil aduersus rei ipsius pulcherrimę elegantiã efficit. Irrefragabiliter igitur debes impositam tibi erga magistratum gratitudinem & beneuolentiam. Redde quæ debes ijs, quibus uarij præsidatus & magistratus sunt commissi: cui tributum debetur, huic exactio capitumue census, ei tributum da: cui uectigal, uel pro mercium importatione census. Nec solum pecunias reddite, sed timorem etiã: hoc est, reuerentiam & dignationem, atq; eximium honorẽ. Theophyl. in epist. Pauli ad Rom. cap. 13.

De uindictis magistratuũ, inquit Radulphus: Deo peccatorem puniri præcipiente, humana clementia, inobedientia potius & contumacia dicenda est. Hinc est quòd Abraham, qui Deo iubente, nec dilecto filio pepercit, tantam apud ipsum gratiam adeptus est. Econtrà uerò Saulo, quia cõtra imperiũ Domini pepercit peccatoribus Amalech, ad quos delendos missus fuerat, de regno deiectus est. lib. 3. cap. 4. in Leuit.

De obedientia erga magistratus, inquit Theophylactus: Et in corporalibus & in externis obediendum est regi, in internis autem & spiritualibus soli Deo. in Matt. cap. 22. Et: Necessum est subdi & obedire, nõ solum ut non experiaris iram Dei & magistratus, tanquam immorigerus, & crucieris puniarisue intolerabiliter: uerumetiam, ut ne uidearis expers esse conscientiæ, mente & ratione uacare, ingratus nimirũ erga benefactorem. Plurimũ enim prosunt rebus publicis magistratus: per ipsos enim uita nostra, & uictus consistit: qui nisi diuinitùs suo fungerẽtur officio, iam olim omnia perirjssent, potentioribus imbecilliores deuorantibus. Cõscientia igitur tua persuadeat tibi, ut suo honore tanta tibi bona donãtes nunquã nõ digneris. Idẽ ad Rom. in 13. cap.

## DE MORTE.

CHristus occultè mortem somnum nominat, propter multa. Primò quidẽ, qui à fastu erat alienus. nolebat enim ad ostentationẽ facere, sed occultè, resurrectionem excitationẽ à somno nominauit. Quomodo autẽ hac dictione usus fuisset, nisi mortem somnũ appellasset? Quod autem hoc uerũ, propter modestiam inquit occultè locutum, manifestum ex eo quod sequitur. Nam dicens, Mortuus est: non addidit, Vado ut resuscitem illũ. Alia autẽ est, ut ostendat nobis, quòd omnis mors somnus

nus sit,& requies. Tertia uerò, quamuis a-
mnus uidetur, eo quòd eum Dominus re-
suscitaturus erat. Et sicut nobis facile est ex
citare dormientem: ità illi, imò innumeris
modis facilius est, resuscitare mortuum.
Theophylactus in Iohan.cap.9.

De tribus mortibus, Ansbertus dicit: Sa-
cra Scriptura tres ponere mortes solita est.
unam scilicet peccati, alteram autem car-
nis, tertiam uerò supplicium damnationis.
lib.2.cap.2.in Apocalyp.

Radulphus inquit: Mortem Christi, re-
surrectionẽq; illius in manibus habemus,
humani generis medicinam. Nos enim,
quod nemo Christianus ambigit, & anima
& corpore mortui sumus. Mors namq; ani
mę impietas est: & mors corporis, corrupti
bilitas, per quam fit & animę à corpore ab-
scessus. Vtriq; ergo rei nostræ, id est & ani-
mæ & corpori, medicina ex resurrectione
opus erat: ut in melius renouaretur, quod
erat in deterius commutatũ. Resuscitatur
uerò anima per pœnitentiam, & in corpore
adhuc mortali renouatio uitæ inchoatur à
fide, qua creditur in eum qui iustificat im-
pium: bonisq; moribus augetur & robora-
tur de die in diem, cũ magis magisq; reno-
uatur interior homo. Corpus autẽ tanquã
homo exterior, quanto est hęc uita diutur-
nior, magis magisq; corrumpitur uel æta-
te, uel morbo, uel uarijs afflictionibus, do-
nec ueniat ad ultimam, quæ ab omnibus
mors uocatur, cuius resurrectio differtur in
finem. lib.16.cap.3.in Leuit.

Smaragdus ait: Intueatur quisq; animã
suam, si peccat, moritur: peccatũ mors ani-
mæ est. Prima mors, consensio est peccati:
hanc mortem significabat puella illa, quæ
nondum erat foras elata, sed in domo mor
tua iacebat, & quasi peccatum interius late
bat. Secunda mors est, non solum consenti
re peccato, sed etiam facere. Hoc significa-
batiuuenis, quem Dominus pœnitentem
matri suæ, id est Ecclesię resuscitatum red-
dit. Tertium genus mortis immane est, cõ-
suetudo mala. quod significatur per Laza-
rũ: unde & bene de illo dicitur, Fœtet. inci-
pit enim habere pessimam famã, ne despe-
ret peccator, quia Dominus omnes miseri
corditer resuscitauit. In Euang.Ioan.cap.11.
Et de morte secunda dicit: De morte æter-
na, de morte damnationis, cum diabolo &
angelis eius, ipsa est uera mors. Nam ista
mors corporis, migratio quædã est sanctis
ad meliorem uitam: impijs uerò ad pœnas
perpetuas. Smaragdus in Euang.Ioan.cap.
8. Et: Mortem animæ dicit. anima enim
quæ peccauerit, ipsa morietur. Vita quippe
carnis, anima; uita animæ, Deus est. Mors
corporis, amittere animam: mors animæ,
amittere Deum. Vnde constat, quòd in ani
ma mortui omnes in hac luce nascimur, tra
hente ex Adam originale peccatum: sed
Christi gratia fidelibus regenerãdo agitur,
ut in anima uiuere possint. uerbũ baptisma
tis, & fidei mysteriũ, illis solis prodest, illos
de morte traijcit ad uitam, qui syncera men
te diligunt fratres. Smaragdus in epistol.
Ioan.1.cap.3.

Vnde mors, Theophylactus docet: Cum
Adam idem cecidisset, etiam ij qui nõ ede-
runt de ligno isto, facti sunt ex illo morta-
les, mortiq; subiugati: perinde ac ipsi etiam
impegissent, quandoquidẽ iste impegerit.
in epist.Pauli ad Rom.cap.5.

Morientes uiuere. Theophylactus: Nos
qui uentura bona sumus accepturi, etiamsi
moriamur, uiuemus tamẽ: neq; quicquam
erit in posterum, quod nos à spei nostræ e-
uentu prohibere possit. in epistol. Pauli ad
Rom.cap.5.

Quomodo anima moriatur, Ansbertus
monet: Non dubium, quòd sicut recedente
anima moritur caro, sic Deo deserente
anima moriatur. lib.5.in 11.cap.Apocal.

Cur mortis hora ignota sit, Theophyla-
ctus exponit: Homo si nouisset ultimum su
um diem, nihil non scelerum conaretur pa
trare alijs diebus, deinde fine uitæ appro-
pinquate baptizaretur. Deinde plerique si no
uissent in crastinum sese morituros, forsan
innumeris malis hostes affligere medita-
rentur, tanquam iam de seipsis desperãtes,
hostiumq; sanguine conuiuari cupientes:
quod nunc nõ fit, mortis terrore eos remo
rante, uitæq; æternæ cupiditate atq; amo-
re. in epist.Pauli ad Thessal.cap.5.

Differentia post mortem. Giselbertus:
Quod funus Iacob tantis filiorum planctibus septuaginta diebus dedicatur, quid ali
ud est nisi quòd omnes sancti, ante aduen-
tum Christi, originalis culpę nexibus astri-
cti, quando hac uita decesserunt, cœlum nõ
meruerunt, sed ad inferna descenderunt?
uerùm homo uetusto morbo per baptisma
solutus non plangitur, cui de hoc mundo
migranti cœlũ aperitur. in lib.Alterc.cap.7.

De sepultura ait Radulphus: Mortuorũ
sepulturas ad religionis officiũ pertinere,
nulli dubium sit. lib.8.cap.1.in Leuit.

De luctu mortuorum, inquit Radulphus:
Sciendum, quia non compassionem quæ
cõsanguineis solet impendi, detestatur Do
minus, cum hoc sanctos patriarchas & pro
phetas fecisse legimus. Nam Abrahã mor-
tua Sara, uenit ut plangeret & fleret eam. Ia
cob quoq; mortuũ existimãs Ioseph, scisis
uestib. indutus est cilicio, lugens filiũ mul-
to tẽpore. Ipso uerò mortuo Iacob, Ioseph

cũ fratribus ſuis & cunctis ſenibus domus Pharaonis, deferens patrem in terram Chanaan, uenit ad areã Azad, quæ ſita eſt trans Iordanẽ, ubi celebrantes exequias planctu magno atq; uehementi, impleuerunt ſeptẽ dies. Sed & Ioſia rege mortuo, ſcriptum eſt quòd uniuerſus Iuda & Hieruſalẽ luxerunt eum: Ieremias autẽ maximè. In Eccleſiaſtico etiam legimus, quòd luctus mortui etiã ſeptem diebus legitimè celebratur. Et præcipiendo ibidem dicitur: Fili, in mortuum produc lachrymas. Poſtremò ipſe Dominus, non ne ad ſepulchrũ Lazari lachrymatus eſſe perhibetur? Radulph. lib. 7. cap. 3. in Leuitic.

Quomodo finis & interitus rerum ſit futurus, Theophylactus docet: Permutabuntur à corruptione ad incorruptibilitatẽ, adeò facile, ut nõ plus iſthic laboris Deo inſumendũ ſit, quàm ei inſumitur qui ueſtẽ quampiã inuertit. Quod ſi transfiguratio nem & innouationẽ ad perfectiorẽ formã ipſius, nimirum mundi, adeò facile operatur, in minori opere alterius indigebit adiutoris? Minimè gentium. Porrò haud parũ ſolaminis præbet fidelibus in hoc mundo oppreſsis, nouiſſe, eas res & opera quæ nunc uident, non ita duratura perpetuò, cęterùm acceptura alterationem: tum eũ quem ipſi deuenerẽtur & colant, in ſempiternum permanere, ſemperq́ue uiuere. Ad Hebræos cap. 1.

## DE RESVRRECTIONE.

QVòd ſit reſurrectio futura, Theophylactus docet: Erit reſurrectio, & non corporalis & diuinior quidam uitæ ſtatus, angelicus uidelicet. Incorruptibiles enim erimus, & ijdẽ qui ſumus manentes: propterea q́; tollentur & nuptiæ. Nunc enim nuptiæ propter corruptionem fiunt, ut ſucceſsione generis durantes, homines non pereant: tunc autem, ſicut angeli abſq; nuptiali ſucceſsione illi ipſi erunt, & nunquam deficient: ſic & qui reſurgunt, ſine nuptijs permanent, nunquam imminuendi. in Marc. cap. 12. Et: Reſurrectio eſt caput noſtræ fidei. Si enim non eſt reſurrectio, neq; Chriſtus excitatus eſt. Quòd ſi non eſt excitatus, neque incarnatus eſt: efficitur q́; hac ratione, ut uniuerſa fides noſtra labefactata euaneſcat. Idem in epiſtolam Pauli ad Corinthios 15. Et: Hæc demonſtratio eſt euidens, nos de reſurrectione certos eſſe. ibidem. Item: Non omnes quidem morientur, omnes tamen alterabuntur, etiam qui non moriuntur: hoc eſt, ad incorruptibilitatem transferentur. Ne igitur, ſi moriaris, metuas quòd non reſurgas. Ecce enim dico tibi, quòd nonnulli ne morientur quidem. Attamen hoc non ſatis eis eſt ad reſurrectionem illam, niſi immutentur etiam, & ſic ad immortalitatẽ ueniant, ab mortalitate illa quam habent corporum. Vt igitur illos non iuuat, quòd nõ moriantur: ſic nobis non nocebit, quòd moriamur. Nã & illis mutatio mors eſt. Moritur enim in ipſis corruptio, permutata in incorruptibilitatem. Item: Ἐν ἀτόμῳ, id eſt, in inſectili & indiuiſibili: hoc eſt, minutiſsimo temporis ſpacio, ac ueluti palpebrę ictu uel momentu, tanta taliaq́; fient. Quæres eſt omniũ mirabiliſsima. Nõ enim tantũ quia putrefacta corpora reſurgẽt, nec quod quiſq; propriũ recipiet, mirari cõuenit: uerùm quod adeò celeriter, ut nullis etiã uerbis exprimi poſſit. Theophylactus in epiſtol. Pauli ad Corint. cap. 15. Et: Reſurrectionẽ intellige, celebrẽ in nubibus ſubleuationẽ. Omnes etenim reſurgunt, at nõ omnes reſurgẽdo ſubleuabuntur in nubes: uerùm peccatores infrà quidem expectant iudicem, ſanctiuerò in nubes rapiuntur in occurſum Domini. Idem ad Philip. in 3. cap. Zmaragdus ait: Perdidiſſet Chriſtus fructum paſsionis, ſi non eſſet ueritas reſurrectionis.

Quid ſit reſurrectio, docet Radulphus: Reſurrectio eſt noua poſt mortem uita. Vnde Apoſtolus: Sicut Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam patris: ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. lib. 8. capite ſexto in Leuitic.

Et Theophylactus: Reſurrectio, eſt eius quod ceciderat ſurrectio. Immortalis enim anima non cecidit, ſed corpus hoc: itaq; & reſurget iterum coniugali animæ compoſitum. In Marc. cap. 12.

Dẽ duplici reſurrectione dicit Giſelbertus: Prima reſurrectio animarũ eſt, quæ eſt remiſsio peccatorũ per Spiritũ S. Secunda corporũ, ubi poſt ſeptẽ curſus ętatũ ad octauam uenitur: id eſt, ad ſabbatiſmũ æternæ gaudio celebrandũ. in lib. Altercat. cap. 3.

Ansbertus: Prima reſurrectione, quà à morte peccati ad uitã iuſticię animæ reſurgunt, toto nunc tẽpore agitur: ſecunda uerò, qua de terræ puluere ad uitã corpora redeant, in futurum expectatur. lib. 3. cap. 4. in Apocalyp.

Theophylactus inquit: Duplex eſt reſurrectio. una quidẽ cõmunis & generalis, qua omnes etiã peccatores reſurgũt: altera, qua ſoli iuſti aſſumũtur in occurſum Domini in aera, & prius cũ magna fiducia Domino occurrunt. Hanc autẽ reſurrectionẽ Paulus ἀνάστασιν, hoc eſt exurrectionẽ nominat, propter eleuationẽ à terra. Peccatores enim reſurgent quidẽ ex ſepulchris in terrã, de terra autẽ nõ exurgent in aeré. Infrà enim manebunt, ſicut condemnati: atq; ita iuſti reſurgunt & exurgunt, qui rapiuntur in nubibus

bibus in occursum Domini in aera. Peccatores autem resurgunt tantum. in Iohan. capite sexto.

Smaragdus ait: Duas ergo resurrectiones, suam scilicet mox futuram, & nostram in fine seculi uenturam, duobus uerbis præsentis temporis & futuri, eleganter breuiterque promisit. In Euangel. Iohannis, cap. 13. Et: Duplex intelligitur resurrectio. Vna, qua mente & fide cum Christo à terrenis resurgimus, ut cœlestia cogitemus: aliaque generalis erit in carne. hæc in secundo erit, illa in primo Domini fuit aduentu: idcirco absoluta sententia definiuit Apostolus, quòd Christus iam non moritur, ut & hi qui conuiuent ei, de æternitate uitæ securi sint. in epistolam Pauli ad Romanos, capite sexto.

Vnde sit. Radulphus: Quod de nostra resurrectione speramus, Christus non solum uerbo docuit, sed & exemplo suo asseruit. Vnde & Apostolus contra eos qui de tanta hac spe nostra desperabant, hoc argumento utitur, dicens: Si Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in uobis, quòd tesurrectio mortuorum non est? prima Corinth. decimoquinto. Radulphus libro 6 cap. 5. in Leuit. Et: Nimirũ quia Christus die octaua à mortuis resurrexit, & nobis in se credentibus octauo tempore, post sex scilicet mundi huius ætates, & septimam requiem animarum, eandem resurrectionem promisit: sub hac spe agendũ est, quicquid agimus boni, ut octauo die hostias nostras Deo offeramus, sub spe scilicet octauæ resurrectionis. Radulphus libro 7. capite 1. in Leuitic. Et: Sciendum tamen, quòd allegoricè dies octaua, tempus designet gratiæ, in qua fides resurrectionis manifestè populis declarata est. Ante aduentum enim Christi, solam hanc uitam sciebant homines, promissionis spem nõ habentes: postquam uerò Deus pro nobis mortem nostram sustinuit, tertia die resurgens, uerbo & exemplo ad spem nos resurrectionis erexit. Offert itaq; Aaron uitulum pro peccato octauo die: mysticè præfigurans, quòd cum uenisset plenitudo temporis, ille pro peccatis nostris immolandus esset, qui sua morte & resurrectione, resurgendi spem hominibus daret. ibidem.

Et Theophylactus: Ne angaris animo, quòd mortali corpore cinctus es. habes etiam spiritum Dei, qui excitauit Christum ex mortuis. Æquè autem ac illum excitauit, sic & te resuscitabit, imò uiuificabit. Resurgent autem & illi, quibus spiritus Dei non fuerit, sed ad iudicium: qui uerò spiritum habuerint, in uitam nunquam ruiturum. idem in epistol. Pauli ad Romanos cap. 8. Et: Primitiæ, adeoque uia resurrectionis Christus est: post ipsum, qui ad eum pertinent, hoc est fideles & probati in ipso, primi resurgent, illo ex cœlis ueniente. Est enim par ut iusti priuilegio quopiam gaudeant, atque in ipso excitentur. Quum enim rapiendi sint in aerea, in occursum Domini, præ alijs excitantur. Itaque peccatores infrà expectant iudicem, ceu condemnati atque aduersarij. Deinde omnium rerum consummatio erit, ipsiusq; adeò resurrectionis, ceu omnibus in commune uniuersum excitatis. Nec enim (ut nunc fit) Christo solo resurgente res humanæ suum priorem statum locumque obtinet, sic tum erit: uerùm omnia finem accipient. Theophylactus in epistolam ad Corinth. cap. 15. Et: Quemadmodum Deus Dominum IESVM excitauit, qui corporaliter & passus erat, & mortem obierat: sic & nos excitabit. idem ad Thessalon. capite quarto. Et: Iussio Dei faciet reddere terram corpora, ad immortalitatem transformata: ut uerò omnes in unum colligantur agmen per diuersa loca dispersi, uox archangeli efficiet angelis ministrantibus. ibidem. Et: Non porrò in eum mors dominatur, ac uniuersam naturam in ipso hac perfectione, adeoque omnes homines per Christum resurgere faciet. idem ad Hebræos, capite secundo.

De materia resurrectionis, inquit Ansbertus: Fœlix qui dum adhuc in carne mortali uiuit, à morte animę resurgit: quia dum resurrectio carnis aduenerit, simul cum eadem carne solutis doloribus, fugatis mœroribus, absterſis que lachrymis in æterna lætitia uiuit. libro 9. capite uigesimo, in Apocalyp. Item: Omnis oculus eum uidebit: subaudi, omnis homo quicunque tũc surrexerit, siue ad uitã siue ad mortem. Non autem animalium, quibus non est datum post mortem resurgere: quia nec eis post mortis ruinam uitalis spiritus remanet, quibus solus sanguis ad uitam proficit. Videbit uerò eum omnis oculus, dictum est, in forma serui, in qua ab impijs iudicatus est: non in forma diuinitatis, quæ ab ipsis uideri nõ potest. lib. primo, in cap. primum Apocalyp.

Giselbertus inquit: Licet futura sit octaua dies, tamen operis Dei septẽ sunt dies; quia homo, cuius uniuersalis resurrectio est, non in alia, sed in ipsa qua conditus est, specie resurrecturus est. in lib. Alter. cap. 11.

Theophylactus: Illud corpus, quod post resurrectionem habebimus, spirituale nominauit Paul. hoc est, quod à diuino spiritu uiuificetur & gubernetur, modoq; indici-

bili & spirituali ad incorruptionem alteratum sit: per resurrectionē, spirituale & subtile, & extraneum ab omni inquietudine, neq; cibi neq; alterius cuiusquā indigens: quamuis ad confirmationem illorum comederit comedens. Quòd enim comedit Christus, non secundum naturam comedit, sed secundum dispensationem: ad docendum, quòd illud ipsum corpus quod passum est, surrexerit. in Luc. capite uigesimoquarto. Et: Vt ne audiens aliquis, quòd caro & sanguis regni Dei hæreditatem non adeant: & rursus, quòd mortui resurgant incorruptibiles: existimet corpora non resurgere, quòd nunc ex carne & sanguine constent: infert Paulus, Resurgent, inquiens, quidem corpora, sed non ut caro & sanguis permaneant, ut quæ in incorruptibilitatem sint transformata. Obserua autem uerba hæc, aduersus eos qui dicunt, quòd non eadem corpora excitentur, sed alia. Corruptibile enim hoc, & mortale hoc, non aliud: sed hoc, cum demonstratione & emphasi. Itaque corpus quidem idem manet (ipsum enim est quod induitur) mortalitas autem & corruptibilitas obscurabitur ac delebitur, immortalitate & incorruptibilitate ipsum continente. Est autem discrimen inter corruptionem & mortalitatem: quòd mortalis dicatur de solis animatis, corruptio autem de inanimatis. In nobis autem sunt quædam inanimatis similia, uelut capilli & ungues: hæc igitur etiam immortalitatem induent. in epistol. Pauli ad Corinth. cap. 15.

Qualis sit futura. Theophylactus: Nos in resurrectione perfectum corpus resumpturi sumus. in Lucam, cap. 2. Et: Resurrectiò non in cibo, aut potu, aut carnali uita erit: sed qui resurgunt, sicut angeli Dei uersantur. Idem in Luc. capite nono. Et: Tanquàm in nubes subleuandi primi resurgent, cæteri postremi resurgent, ut qui neque rapiendi sint in æthera, neque Christo occursuri. Idem ad Thessalon. capite quarto.

Differentiam fore resurgentium, inquit Ansbertus: Apostolus cum omnes dicat resurgere incorruptos, quæ sit tamen electorum mentis incorruptio, designat dicens: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Ergo quia non solum incorruptionem corporis, uerumetiā incommutabilitatē mentis recipiunt, ab ea specie quam nunc habent, tanquam terra & cœlū transeuntes, in pulchriorē statū cōmutantur: & quasi ipsi iam nō sunt, sed alij, dum à uetustate primæ corruptionis in nouitatem transeunt secundæ regenerationis: non quò (ut quidam hæretici putarunt) ueritatem carnis habere desinant, sed quò (ut dictum est) uetustatem corruptionis ac mutabilitatis amittant. lib. 9. in 20. caput Apocalyp.

De fine resurrectionis, inquit Giselbertus: Circumcisio signaculum quoddam est iusticiæ, ad similitudinem sigilli: quòd sicut in octauo die circumciditur homo, sic in illa generali resurrectione, id est octauo die, tolletur omnis uetustas ab homine, gratia Dei liberato. In libro Altercat. cap.

Ansbertus: Quicunq; non uixerint toto isto tempore, quo agitur prima & beata resurrectio animarum, non audierint uocem filij Dei, & ad uitam iusticiæ de morte peccati non transierint: profectò in secunda resurrectione, quę carnis est, ad mortem secundam cum ipsa carne translibunt. Sicq; fiet, ut & electi de uita iusticiæ ad uitā trāseant beatitudinis, per carnis resurrectionem: & reprobi, de morte peccati, ad mortem transeant ultionis per eandem carnis resurrectionem. libro nono, in 20 caput Apocalypsis.

Radulphus inquit: Dies octauus uniuersalem signat resurrectionem, quia Dominus octauo die, post septimam scilicet sepulturæ suæ, resurrexit à mortuis. Hæc omnibus manifesta sunt. Cuius diei celebritatem quis dignè possit effari, qua iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum, qua gaudium & læticiam obtinebunt, fugiet dolor omnis & gemitus. In illa die offeret Dei populus holocaustā Domino, quando absorbebitur quod mortale est à uita, & tā mentē qtàm corpore clarificatus, diuinis in perpetuum laudibus inhærebit. libro 17. in 13. cap. Leuitic.

Differunt Christi & nostra resurrectio, ut idem ait: Consummatio Christi magno interallo à nostra distinguitur. Ipse quippe passus, tertia die resurrexit: nos uerò cū defuncti fuerimus, nostrā resurrectionē in fine temporum expectamus. libro sexto, capite quinto in Leuit.

## DE EXTREMO IVDICIO.

QVòd sit iudicium futurum. Ansbert. Gratias agimus tibi Domine. In quibus gratiarum actionibus, duos Domini aduentus comprehendunt: primum & secundum, humilem & excelsum, occultum & manifestum. Cum enim dicunt, Accepisti uirtutem tuam magnam, & regnasti, & iratæ sunt gentes: sine dubio primum eius aduentum in carne designant. Cum uerò subiungunt, Aduenit ira tua & tempus mortuorum, secundum in maiestate præclarum. libro quinto, in undecimū cap. Apocalyp.

Theophyl. Christus sæpe memor est resurrectionis,

surrectionis, ut persuadeat hominibus, ne ijs solum quæ uidentur, Dei prouidentiam circumscribant: sed sciant esse & alium statum, in quo absque dubio fruituri sunt remunerationibus uirtutis. in Iohan. capite sexto.

De tribus iudicijs, inquit Giselbertus: Triforme unius Trinitatis iudicium esse non dubites. primum, quo diabolus de cœlo deiectus est: & ultimum, quo idem in fine mundi cum omni corpore suo in ignem æternum præcipitandus est: medium, ipsum diluuium. Primo & ultimo soli reprobi feriuntur, & soli electi reseruantur: isto autem, id est medio, nec soli electi reseruantur, nec soli reprobi suffocantur. Credendum enim est, nonnullos ipso iudicio diluuij purgatos, alios per hoc præ damnatos. in lib. Altercat. cap. 6. Et: In tribus tremendæ maiestatis iudicijs timeamus. Primo, quòd diabolus proiectus est de cœlo, & homo de paradiso. Secundo, quòd mundus deletus est diluuio. Tertio, mundi conflagratio. in libro Altercation. capite 19.

Quis iudex. Theophylactus: Et tunc uidebunt Dominum ut filium hominis, hoc est, in corpore. Nam quod spectatur, necessariò erit, aderit tamen cum potestate & gloria magna. in Marc. cap. 13. Et: Cum uenerit Christus in die extremo, indignum illum seruum iudicabit, quem puduerit confiteri crucifixum Deum suum. Non enim ueniet tunc humilis, neq; (sicut hic apparebat) contemptus, ita ut quem eius tunc pudere debeat: sed in gloria & cum comitatu angelorum. in Marc. cap. 9.

Iudex Christus. Ansbertus: Sedet, uel sedebit Ecclesia, iudicans duodecim tribus Israel. sed in Christo atque per Christum, cuius corpus est, sedent certè uel sedebunt membra ad iudicandum: sed in uno, atque per unum caput, cui subdita sunt atque coniuncta. libro tertio, capite 4. in Apocal. Smaragdus: In eadem forma carnis atque substantia ueniet iudicaturus, in qua uenerat iudicandus: cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit: cuius etiam gloria diuina, quæ quondam in monte tribus discipulis apparuit, peracto iudicio ab omnibus sanctis uidebitur, quando tolletur impius, ne uideat gloriam Dei. in lection. Actuum Apostolorum, capite primo.

Quomodo uenturus Christus, docet Ansbertus: Veniet certè tẽpus, & propè est, quando is qui humilis apparuit, excelsus adueniat: qui prius ut agnus siluit, postmodum ut parturiens clamet: & cuius nunc patientiam contemnitis, iram excipiatis, quando partem claritatis eius non ut gaudeatis, sed ut doleatis, aspexeritis. lib. 1. in 1. cap. Apocalyp.

Vnde sit. Ansbertus: In eadem incarnatione filius uenturus est ad iudicandos uiuos & mortuos, in qua uenit iudicari à mortalibus, in qua remeauit ad dexteram patris, sicut scriptum est: Hic IESVS qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet, quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum. libro 1. in 1. cap. Apocalyp.

Theophylactus ait: Dominus ipse iubebit nos in uoce Archangeli, qui alijs angelis præsidet: & clamantis, Apparate uos omnes, iudex enim præstò est. Æquè enim ut pater in monte Syna tubas habebat, & angelos administrantes: hunc ad modum iam filius ueluti rex aut imperator eadem habiturus est, uel iussu Dei faciet reddere terram corpora ad immortalitatem transformata: ut uerò omnes in unum colligantur agmen, per diuersa loca dispersi, uox archangeli efficiet, angelis ministrantibus. in epistolam Pauli ad Thessal. cap. 4.

Quale sit futurum. Giselbertus: Quod Dauid Salomoni filio suo præcepit de iusta retributione eorum qui sibi solatio fuerunt, uel iniustè nocuerunt, licet ipse patientissimè eos regnans toleraret: quid melius significari potest, quàm futuram retributionem iudicij uenturi, in qua impij pro mercede pœnam perpetuam, iusti autem æternam beatitudinẽ percipient? In præsenti quoq; tempore patientia Dei sæpe bonos tribulari atq; angustari permittit, & eeõtrariò reprobos delicijs temporalibus & prosperitate terrena uti cõcedit. Quibus tamen utrisq;, per iudicem uiuorum & mortuorũ, prẽmia certa in futura restituet, quando his qui ad dexteram eius sunt, dicturus erit, Venite benedicti: illis autẽ, qui ad sinistram eius erũt, dicet, Discedite à me. Aug. in 1. cap. lib. 3. Reg.

Ansbertus inquit: Cum istis siquidẽ nubibus, uenturum esse ad iudicium humani generis Redemptorem, ueraciter fatemur. Veniet enim cum nubibus prædicatorum, sicut de illo per prophetam dicitur: Ecce ueniet Dominus ad iudicium cum senioribus populi sui. Veniet autem cum nube mã suetudinis, simulq; uindictæ ultionis: quia & iustos ab ira furoris sui misericorditer tegens, blandè ad regnum uocabit: & reprobos iudicio damnationis seueriter ad laci profunda minabit. Illis namque dicet, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi: istis autem, Discedite à me male dicti in ignem æternum, qui præparatus est dia-

est diabolo & angelis eius. Veniet uerò cũ nube illuminationis & obcæcationis simul: quia & electos diuinitatis suę luce perfundet, quorum uox in Psalmo resonat, dicens: Apud te est fons uitę, & in lumine tuo uidebimus lumen: & reprobos mancipabit in tenebras exteriores, de quib. sub persona uniùs impij alibi dicitur, Tollatur impius ne uideat gloriam Dei. Rursumque in Euangelio: Tollite eum, & ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores. Quæ uidelicet nubes illuminationis atque obcæcationis, sicut in Exodo legimus, agit ut toto noctis tempore filij Israel atque Ægyptij ad se inuicem nõ possint accedere. libro 1. in primum caput Apocal. Et: Plangent se super eum omnes tribus terræ. Tanquam apertè diceretur: Etsi multarum miseriarum luctus ibi erit, ad comparationem tamen fletus ex uisione claritatis Christi, nullus erit. Magis enim tunc dolebunt infœlices, pro eo quòd talem perdiderunt Dominũ, quàm quòd in tam atrocissimum inciderint tormentum. Hinc Habacuc eidem uenturo iudici dicit: Videbunt te, & dolebunt populi. ibidem. Et: Patet procul dubio, quia & resurrectio mortuorum, & concrematio elementorum, simul adueniet: atque omnia Deo iudicante per ignem, cum aduersarios idem ignis inuoluens in infernum abstulerit, & purgatos quosdam electos ad regnũ miserit, tunc cœlum nouum & terra noua parebunt. Idem libro nono, cap. 20. Apoc.

Radulphus ait: Christus non in forma seruili, in qua prius uisus & despectus est: sed in maiestatis suæ gloria, ut seruos suos glorificet, apparebit. Vnde Apostolus: Christus, inquit, semel oblatus est ad multorũ exhaurienda peccata: secundò sine peccato apparebit expectantibus se in salutem. libro quarto, capite primo in Leuitic. Et: Res est nota, quam loquar: Cum ad iudicium suum Christus uenerit, uniuersæ credentium multitudinis triplex fiet partitio. Quidam cum eo iudicabunt: quia teste Isaia, Veniet ad iudicium cum senioribus populi sui. Alij iudicabuntur, qui iterum in duas partes diuidentur. Alij ad dextram statuentur, alij ad sinistram. Ad dextram positis, enumerabuntur eleemosynę quas fecerunt: ad sinistram constitutis, enumerabitur crudelitas & sterilitas misericordiæ. Audient illi, Venite benedicti patris mei. percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi: audient isti, Ite male ledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Hoc Euangelij lux manifestè declarat, hoc legis umbra sub ænigmatum suorum figuris occultat, libro duodecimo, capite primo in Leuitic.

Theophylactus: Examen ualde magnum faciet rex eorum, qui post ingressum in sordido habitu inuenientur. Horreamus igitur cogitantes, quia nisi quis uestem habuerit puram, nihil ei proderit nuda fides. non solum enim è nuptijs ejicitur, sed in ignem mittitur. Theophylactus in Matthæum, cap. uigesimo secundo. Et: In extremo iudicio iudex nos excipiet, dona respuens. nam iuxta opera sua iustificabit unumquemque. est autem & metuendus. Veniet enim in gloria sua, & cum angelis, & non contemptibilis. idem in Matth. cap. 16. Et: Nihil ita occultum est, quod non reuelabitur. Omnia enim & uerba & cogitationes, nudæ ante iudicium in supremo illo die apparebunt. Theophylactus Luc. cap 12. Et: Cum omnibus sanctis & angelis ueniet Christus in gloria patris, & in splendore indicibili: licet noctem nocarit tempus illud, eo quòd repentinum & inopinatum, uel quia tenebris inuoluentur peccatores. Iustis enim lux orietur, imò ipsi magis fulgebunt quàm sol. idem in Luc. cap. 17. Item: In secundo aduentu, quando apparebit Rex cum angelis, in gloria patris ueniens, & omne genu flectetur ei: tunc sanè ad rationem adiget & eos qui dona acceperunt, & inuenientur. Idem in Luc. cap. 19. Idem dicit Theophylactus super epistol. Pauli ad Hebr. cap. 9. Et: Omnis incredulus cõdemnatus est, quòd hinc migrãs mox supplicio sit tradendus, & nõ in iudicium producendus, iuxta illud: Nõ resurgent impij in iudicio. Indigni enim habentur, ut rationem dent impij, sicut & diabolus. in iudicium igitur non resurgét, sed in condemnationem. idem in Iohan. capite tertio. Et: In secundo aduẽtu manifestabitur Christus, & omnibus apparebit in gloria, simul cum angelis aduenies (nunc enim usqueadeò absconditus est, ut & hoc nomine criminetur ab impijs) cũ igitur & uos manifestabimini nõ simpliciter, sed in gloria. Quare diem istam desiderate, nõ hãc: in illam uiuere uos præparate. cũ enim uera manifestabitur uita uestra. præsens namque mors est: siquidem per corruptionem consistit, fluxum & refluxum. Idem in epistolam Pauli ad Colos. cap. tertio. Et: Sin Deus hic longanimis fuerit (ut sæpe consueuit) ut per mansuetudinem suam ad sese peccantem trahat: in extremo tamẽ iudicio sine supplicio nõ erit, etiamsi hic nõ asper extiterit. Idem in prophet. Naum, capite 1. Item: In futuro iudicio cuilibet peccatorum in faciem retegũtur, quæ ipse in tergo & clàm peregerit: hoc est, deformitas flagitiorũ ab ipso com-

commissorũ.idem in Nàum,cap.3. Et: In futuro iudicio alius alio abominabilior erit, iuxta mensuram operum impuritatis. Ibidem.

Quando sit futurum. Giselbertus: Notandum,quòd uerno tempore, quando totus mundus omnium nascentium florentissimus & plenus delicijs est,occupauit diluuium inhabitantes orbem, & nihil minus sperantes, & defluentes delicijs repentino interitu absorbuit omnes: talis erit ultimi iudicij forma. Exultante cum suis habitatoribus mundo immundo,adesse repentè iudex terribilis in iudicio. In lib.Altercat.cap. 6.

De angelis ministris,inquit Theophylactus:Angeli uenient in extremo iudicio,ut congregent electos,qui tanquam in nubes rapti occurrant Domino. Item: Quemadmodum folia ficu habente, statim æstas adest: sic & post afflictionem Antichristi, statim absque ullo mediatore aderit Christus aduentus: qui reuera æstas quædam est iustis ab hyeme, peccatoribus autem hyems ab æstate.in Marc.cap.13.

Ansbertus:Nouissimi examinis die, iudiciũ per angelos exerceri,nullus qui Euãgelium legit ignorat.libro septimo,capite tertio in Apocal.

De malis. Giselbertus: Quisquis sibi exemplo Ægyptiorum thesaurizauerit iram, itidem exemplo illorum improuisam excipiet uindictam:sic uniuersale iudicium duris corde & impœnitentibus eximprouiso superueniet,tanquam laqueus & tanquam fur: ueruntamẽ iustus nunquam subitanea morte moritur.Præuenit mortẽ ante mortem,nil de morte metuens nisi quod sequitur mortem.Porrò exeuntibus de Ægypto fluctus occurrunt: sic nobis mundum relinquentibus,tentamenta malorum. Impiorum enim mens non immeritò fluctibus comparatur,quæ semper ad interitum bonorum excitatur. in libro Altercationis, capite octauo.

De pijs. Ansbertus: Sciendũ nobis est, quia hoc habitaculum Dei,hęc ciuitas Dei, hæc sponsa Dei,nunc quidem in hac peregrinatione fit noua habitatio Dei,ex quo per huius seculi tempus, desuper gratia Dei ueniente, per lauacrum regenerationis in Spiritu sancto de cœlis misso,subinde ciues eius accrescũt. Sed in ultimo iudicio Dei,quod fiet per eius filium IESVM CHRISTVM,tanta eius & tam noua de Dei munere claritas apparebit, ut nulla remaneant uestigia uetustatis:nec ultrà iam dicat, Inueteraui inter omnes inimicos meos: quandoquidem & animæ ad incommutabilitatem,& corpora ad incorruptionem & immortalitatem, nouâ ex uetere corruptione & mortalitate transibunt. libro nono, capite uigesimoprimo,in Apocalypsim.

Adhortationem talem ponit Theophylactus: Si cogitaremus uenturum Dominum, & in foribus finem & consummationem uitæ nostræ, minus utique peccaremus.in Luc.cap.duodecimo. Et: Cum in uia huius uitæ sumus, demus operam uirtutibus uacando, ut à diabolo liberemur, & nihil commune cum eo habeamus,ne quãdo in futuro iudicio tradat nos iudici. Opera enim quæ in hac uita facimus, illa tradunt nos iudici,& iudex nos tradit exactori, dæmoni cuidam nos torquenti & affligenti,& postea punit nos.idem in Luc. capite duodecimo.

## DE INFERNO.

QVi in inferno futuri. Theophylactus: Hostes Dei sunt omnes infideles,& dęmones,qui & ipsi subijcientur Deo:hoc est,inefficax eorũ malicia manebit, inextinguibili igni traditorum. in epistol.Paul.ad Hebr.cap.10.

Qualia tormenta in inferno sint futura, exponit Ansbertus: Erunt siquidem tenebræ exteriores, fletus & stridor dentium, Domino in Euangelio de seruo nequam dicente: Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.Erit sitis,sicut diues ad Abraham dicit: Mittite Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Erit pauor & horror, ut Iob deprecans Domino dicit:Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam uadam, & non reuertar, ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.Erunt & alia innumera:quia profectò quęcũq; mala possunt esse, nil de his damnatis deerit. De quibus melius lugendo interius,quàm loquendo exterius aliquid proferimus.libro septimo,in decimũsextũ caput Apocalyps. Item:At qui nunc post redemptionis tempora ad inferos descenderint, nequaquam ad uitam, sed ad condemnationem in futurum de monumentis resurgent. Restat ergo, ut alius ignis, uel aliud supplicium esse credatur,per quod nunc purgandi transeant illi qui hic rectè uixerunt, & tamen minima pecccata uel non uitauerunt, uel commissa non diluerunt, uel certè tempus pœnitentiæ in lamentis non expleuerunt: cum constet, apud inferos nullum posse purgari. Idem lib. nono,in uigesimum caput Apocalyp.

Radulphus inquit: Pœnæ duplicitas & ad tempus & ad qualitatẽ illius referri potest. Ad tempus, quia cum reprobi præsentes pœnas iustis intulerint, ipsi post huius temporis dolores ęterna incendia sustinebunt. Ad qualitatem uerò, quia qui corporis cruciatibus bonos affligũt, ipsi & corporis & animæ dolores æternaliter non euadent. lib. 12. in 1. cap. Leuit.

Theophylactus: Terribilius gehẽnæ supplicium est. Qui enim occidunt, solum corpus destruunt, animæ aũt fortasis benefaciunt: Deus autem in gehennã proijciens, & animam & corpus punit. Gehennam autem cum dixit, significat perpetuã pœnam. Gehenna aũt dicitur à semper nascendo. in Matth. cap. 10. Et: Opera quæ in hac uita facimus, illa tradũt nos iudici: & iudex nos tradit exactori, dęmoni cuidã nos torquenti & affligenti: & postea punit nos, donec & minutorum peccatorũ pœnam luamus, & mensuram pœnę impleamus. Nunquam autem impleta est pœnæ mensura, semper ergo puniemur. Si enim in carcere manebimus, donec extremum minutum reddamus, & nunquam reddituri sumus: manifestum, quòd æternum sit futurum supplicium. in Luc. cap. 11. Et: Quidam dicunt esse locum subterraneum tenebrosum: alij autem, transitum animę à lucido in obscurum & immundum, dicunt infernũ. Quam diu enim in corpore est anima, apparet propter operationes suas: postquam autem à corpore emigrauerit, inuisibilis fit. Hoc igitur dixerunt esse infernum. Idem in Lucam capite 16.

De loco animarum, ait Radulphus: Spiritus iustorum iam cum Deo regnantes, sua quidem fœlicitate fruuntur: sed adhuc corporum suorum gloriam præstolantur: quia iuxta Danielem, Qui dormiũt in terræ puluere, euigilabunt, & mortuus homo rursum uiuet. Radulph. libro 16. in 4. capite in Leuit. Et: Donec animæ nostræ recipiant corpora sua, suæ interim quietis iucunditate, diuina contemplatione, mutua etiam societate seu dilectione pascuntur. libro decimooctauo, capite quinto in Leuitic. Item: Iubilæum unusquisq; nostrũm post hanc uitam statim inuenit, si de corpore mundus exit. Tunc enim ad hæreditatẽ iustus reuertitur, sicut est scriptum: Cum deserit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. Idem lib. 20. cap. 5. in Leuit.

De sinu Abrahæ inquit Theophylactus: Sinus Abrahæ uocant continentiam bonorum, quæ reposita sunt iustis, qui à tempestate huius maris ingrediuntur in portus cœlestes. in Lucam cap. decimoseptimo.



VNde uita. Theophylactus: Ideo Christus semel est mortuus, quòd unius mortis factus sit precium. decretum enim erat hominibus semel mori. Semel itaq; mortuus est pro uniuersis. Quid igitur? num ergo non morimur? Næ: sed non ita morte detinemur, ut antehac: sed per spem resurrectionis, cuius dux & princeps factus est, qui pro nobis morte subijt Christus. Sed ne mors quidem, est mors illa, uerùm super. Quia igitur mors omnes deterstura erat, propterea mortuus est, ut nos liberaret. in epistol. Pauli ad Hebr. cap. 9.

Qualis uita æterna sit futura, docet Gilbertus: Si tantum gaudium & tanta iucunditas est ista uita mortalis, quæ consistit ex præsentia spiritus in corpore corruptibili: quanta iucunditas erit uita illa immortali, ex præsentia deitatis in spiritu rationali, dum ipse homo, quod minus ex diuina creatoris acceperat conditus, per gratione eiusdem postmodum acciperet gloriam eius. in lib. Altercat. cap. 3. Et: Cum mortale nostrum induerit immortalitatẽ, & corruptibile nostrum induerit incorruptionem: cum mors absorpta fuerit in uictoria, & principium suum reperit perfectæ libertatis noua creatura: cum uenerit quod perfectum est, & euacuatum fuerit quod ex parte est: & quod uidemus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem à facie ad faciem uidebimus: cum cessante mentis & corporis mutabilitate, liberum arbitrium fuerit liberatum, ut quod uolumus possimus, & quod possumus rectè uelimus: ubi sicut uoluntatem possibilitas, sic possibilitatem præcedit ordinata uoluntas: & quibus nunc accidit ex natiua corruptela uelle & posse peccare, tunc habuerimus nullam & nusquam uel uelle uel posse peccare. in lib. Altercat. cap. 4. Et: Filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus, quia cũ apparuerit, similes ei erimus: quoniam uidebimus eum sicuti est. Ibi non erit amodò labor & luctus, uectigalium debitorum exactor onerosus: non erit ibi lethalis chirographi testator admissus: non hæredum proscriptio, non exilij luctus & uexatio, sed status æternitatis. in lib. Altercationis, cap. 20. Et: Sicut in hac uita alius inuenitur alio sanctior: sic in illa beatitudine alius inuenitur alio eminentior, Apostolo teste, qui ait: Stella à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorũ. Hinc est quòd in domo Patris mansiones multæ esse perhibentur. Hinc per B. Iob dicitur: Paruus & magnus ibi sunt. Ansbertus lib. 10. in 21. cap. Apocalyp.

Radulphus ait: Post singulorum iustorũ pausatio-

pausationem, tanquam diurna Sabbata, post diuersarum ætatum electionem, in quibus uelut anni septimi plures reperiuntur: quia sicut in anno septimo multi erant dies uacationis, sic in singulis ætatibus magnus est numerus multitudinis eorum qui ad requiem colliguntur: post omnia inuatore redeunte, fiet generalis congregatio dispersorum Israel: quando reformatis corporibus electorum, congregabitur turba illa, quam uidit B. Iohannes, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis: turbam quam dinumerare nemo poterat, stantes ante thronum in conspectu agni. libro 18. capite 2. in Leuitic. Et: Vita beata non immeritò locus mundissimus nominatur, quia fœlix illa ciuitas contracto peccati aculeo, & prorsus eliminato, non in se hostem habet, cum quo confligere, & de quo triumphare cogatur: sed post multiplices triumphos, iam pace quietissima coronatur. libro quarto, cap. 1. in Leuitic. Item: Contaminatur fides nostra, si de gloria immortalitatis tam carnaliter senserit: ut postquam absorpta fuerit mors in uictoriam, postquam incorruptibile hoc induerit incorruptionem: beatos iã & sanctis angelis coæquatos, rursus ad conubitus immundiciam, ad uentris & guttu ris illecebras existimet esse redituros. libro 5. cap. 2. in Leuitic. Et: Triplex est Sabbati figura. nam in præsenti uita dupliciter obseruatur: in futura autem sabbato sabbatorum Deo promittente speratur. Erit enim tunc, ut Isaias testatur, mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato. In mense siquidem fiet dierum collectio: dies autem uirtus intelligitur, sicut & peccatum nox. Quantumcunque ergo iustus dum hic uiuit, uirtutibus abundet: illi tamen uirtutum plenitudini non ualet æquari, cum replebimur in bonis domus Dei: quia mensis ille erit ex mense, id est, à mensium cæterorum exceptus munero, & omnem uitæ presentis transcendens profectum sanctitatis perfectio. Erit & sabbatum ex sabbato: quia sanctorum quies hic inchoatur, illic uerò qualibet ex parte perficitur. libro decimo sexto, capite primo in Leuitic. Et: Sicut sex diebus fecit Deus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit die septimo: sicut Christus sexta feria in cruce positus compleuit opus suum, dicens post propinatum acetum, Consummatum est, sabbato autem quieuit in sepulchro: sic & iustis omnibus in mundo pressura, in mundo labor indicitur: sed post mundi finem, qui per sex ætates quasi per sex dies partitur, in septima eis requies perfecta seruatur. lib. 16. cap. 1. in Leuitic. Et: Vita æterna duos annos facit: primum, ante corporum resurrectionem, dum iam requiescũt animæ iustorum: secundũ, post corporum reparationem. Sed uterq; iste annus anni sexti frugibus locupletatur, dum per laborem præsentem & animarum quies, & corporum immortalitas obtinetur. lib. 18. cap. 5. in Leuitic. Item: Cibus spiritalis, ad quem iam hic ex quantulacunque parte pertingunt animæ iustorum, dum renouantur de die in diẽ, & cogitationibus sanctis spiritualibusq; saginantur affectionibus: multo uberius illis post mortem dãtur, cum deposita corruptibilis carnis sarcina, à pristinæ seruitutis iugo reuelatæ ueritatis perceptione, magna quiete & beatorum spirituũ societate lætantur. Hæ sunt igitur ueteres fruges, quibus usq; ad nouum annum uescuntur filij Israel: quia hac interim prima stola contenti sunt sancti, sola scilicet animarum suarum fœlicitate, quã ex tempore mortalitalitatis suæ ex parte frui cœperant, cum renouarentur spiritu mentis suæ, donec stabilem, & occasum amplius non habituram, etiam in corporibus suis percipiant immortalitatem. lib. 18. cap. 5. in Leuitic. Et: In illa spiritus alacritate, in corporis immortalitate, alia est claritas solis, alia lunæ, alia stellarum: quia teste Apostolo, talis erit resurrectio mortuorum. Omnes igitur tunc diuinæ uisioni uacabunt, quia diuino munere hoc ipsum percipient: sed tamen alia erit eorum gloria, qui etiam corpore corruptibili grauati, postpositis curis temporalibus, huic sancto negotio se mancipauerunt, ut cordis oculum purgarent: & inter tenebras uitæ huius, ueritatis lumen inquirerent. alia illorum, qui semper dum hic uiuunt, terrenis curis adhærentes, ab amore occupationis huius pessimæ non nisi mortis uiolentia separantur. Alius erit honor continentium, qui hic in carne uiuentes, extra carnẽ facti sunt: alius coniugatorum, qui carnis uoluptatem non nisi carne deficiente relinquere uoluerunt. Dispar quoq; futura est remuneratio uoluntariæ paupertatis. lib. 19. cap. 2. in Leuitic.

Theophylactus inquit: Neq; enim mihi uidetur idem paradisus & regnum. Bona enim regni neque auris audiuit, neque oculus uidit, neque in cor hominis ascẽdit: paradisum autem & oculus uidit Adæ, & auris audiuit de eis. De omnibus enim, inquit, lignis quæ sunt in paradiso edens comede. nam licet unum tantum lignum interdictum sit eis: uerum & ipsum uiderunt, & de ipso audierunt. Lętabatur enim in spiritu Adam, alioqui tantum operatio-

nem cum lętitia in agricultura non obiuiſſet. Atque adeò non eſt contrarium quod Paulus dicit. Latro itaq; paradiſum ſortitus eſt, non autem aſſecutus eſt regnum: aſſequetur autem, quando & omnes quos enumerauit Paulus. nunc autem hoc tempore paradiſum habet, qui eſt pars ſpiritualis quietis. in Luc. cap. 23. Et: Hodie pleriq; ſunt increduli. in futuro tamen ſeculo omnes agnoſcent, quid nobis donauerit, cernentes in gloria nullis uerbis explicabili ſanctos. idem in Epiſtol. Pauli ad Epheſ. cap. 2. Item: Quemadmodum Sabbatum requies dicitur in Scriptura, nihil etiam uetuit quo minus poſthac introitus in terrā promiſsionis diceretur requies: ſic hodie nihil prohibet poſt hāc rurſus requiem uocari futuram, regnum uidelicet cœlorum: in quod, qui non crediderunt, non ingredientur. Idem ad Heb. cap. 4.

Zmaragdus: Nihil quidem dignum inueniri, uel comparari ad futuram gloriam poteſt. In quo enim mortale immortalibus conferas, aut inuiſibilibus uiſibilia, aut ęternis temporalia, aut caduca perpetuis? in epiſtol. Pauli ad Rom. cap. 8.

De aſpectu cruciatuum in inferno, ſic ſcribit Ansbertus: Sed mirandū ualde eſt, cur hi qui ſumma fœlicitate perfruuntur, miſerorum cruciatus ſub oculis habere dicantur. Quia enim cœleſtis patriæ ciues perfectum gaudium ex uiſione ſui conditoris habebunt, procul dubio ex miſerorum cruciatu nullum mœrorem contrahent: & quia eos minimè ad ueniam redire poſſe conſiderant, profectò ad eos nulla miſericordia ſeipſos inclinant. Cur ergo in conſpectu eorum cruciantur, qui nec illorum miſerijs ultrà compati, ut pro eis apud iuſtum iudicem interueniant, nec de illorum ſupplicijs ullum mœrorem habere probantur? Sed ſciendum nobis, quia ordinante diuina iuſticia hoc ideo fit, ut dū impiorum cruciatus iuſti conſpiciunt, in Dei laudibus creſcant: quia & in ſe cernunt bonum, quo gratis remunerati ſunt: & in illis aſpiciunt ſupplicium, quod miſericorditer euaſerunt: eritq;, ut malorum tormentum ad electorum proficiat laudis incrementum. Ita enim tunc pulchra erit uniuerſitas, dum & gehenna iuſtè cruciat impios, & æterna fœlicitas iuſtè remunerat pios. Sicut niger color in pictura ſubſternitur, ut ſuperiectus albus uel rubeus pulchrior oſtendatur: ita (inquam) tunc malos benè ordinans Deus, fœliciora exhibet gaudia beatorum, oſtenſis ante oculos eorum ſupplicijs reproborum. Et quamuis illud ex uiſione Dominica eorum gaudium non ſit quo creſcat: magis tamen autori ſuo ſe debitores ſentiunt, quando & bonum cernunt, quod gratis percipiunt: & malum, quod miſericorditer euaſerunt. lib. 6. in 14. cap. Apocal.

## DE PHILOSOPHIA.

Iſelbertus ait: Philoſophorū ſcripturę, quaſi luteus paries dealbatus, nitore eloquij foris pollent: quæ ſi quando ueritatis ſpeciē prætendunt, falſa admiſcendo, quaſi colore quodā ſuperducto lutum erroris operiūt. Sed pagina uitæ quatuor ſi fauus eſt, ſimplex quidē in uerbis, dulcis in myſterijs. Vnde illud eſt: Eſt diues, cū nihil habeat: & eſt quaſi pauper, cum in multis diuitijs ſit. Mundi philoſophia pompoſo uerborū apparatu, ueritatis theſauro priuatur. In præfat. lib. Altercationis. Item: Anetum conditis eſcis & conſumptis proijcitur: ſic peractis in ſtudētibus ſuis officijs, ſecularis ſcientia, ne diuinam impediat, à ſtudijs ſacris amoueatur. in lib. Altercat. capite 1. Et: Mundana ſapientia nihil puritatis, nihil gratię, nihil iuſticię promittit: quippe quæ ſenſum ſanum ſuis inſtitutis aliquoties peruertit. Gladius enim diaboli Dialectica eſt, & ſuos uerbo & ſenſu in errorem traducit ſequaces. Sicut enim de melligrati liquore in magno uaſe poſito, ſi uel modicum guſtaueris, reliquum eiuſdem ſaporis intelligis: aut ſi maris ſaporem experiri uolueris, non opus eſt ut totum ebibas mare, cuius amaritudo in paruis guttulis prodit eius uniuerſale: ſic ſe habet qualitas diuinæ & mundanæ philoſophiæ. In altera hauſtus cœleſtis diſciplinæ, in altera uanitatis & ſtulticię teſtimonium eſt. Iſta turbulenta dictat deuiantis errorem: illa intelligēti animę uiam demonſtrat eminentiorē. in lib. Altercat. cap. 3. Et: Mundanæ quidem & ſeculares ſcripturæ materiam habent opera conditionis, diuina uerò pagina materiam habet opera reſtaurationis. in libro Altercat. capite quinto. Item: Aqua in ſanguinem (apud Ægyptios) uerſa, erratica peccatisque obnoxia philoſophorum ſunt dogmata: ranæ, poetarum carmina: ſcyniphes, ſubtilitas hæreticorum. in libro Altercat. capite octauo. Et: Philoſophorum hoc ſolum ſtudium, auertere genus humanum à cultura diuina. in libro Altercat. capite decimo. Item: Quicquid à poetis uel alijs ſecularibus ſcriptis & exemplis in uſum noſtri profectus uertere poſſumus, non abnuamus. in lib. Altercat. capite 12.

Ansbertus: Multa à lege & prophetis uera didicerūt philoſophi huius ſeculi, quę tamen poſtea in prauū dogma conuerterunt. Referunt enim quidam, ut de cæteris taceamus, multa Platonem à Ieremia prophetā in Ægypto

in Aegypto posito, uera didicisse: sed hæc ipsa postmodum (ut dictum est) in prauissimum dogma conuertisse. lib. 7. in 16. caput Apocalyps.

Radulphus inquit: Et quidem in eorum (scilicet sapientium huius mundi) scriptis multa reperiuntur quæ placeant, quæ cum sacris paginis magnam consonantiam habeant: cum aut rerum inuestigãt naturam, aut humanos mores examinãt, recepti nõnunquam etiam in ipsius diuinitatis notitiam. Deus enim, teste Apostolo, reuelauit illis: quia tamen illum nescierunt, sine quo nemo ad patrem redit, non nos eorum consolatur sapiẽtia, ut saluari posse credamus, quos Mediatoris nec sanguis abluit, nec salutaris hostia reconciliauit. Inde est, quòd eorum nonnunquam & dicta suscipimus, & damnationem dolemus. lib. 16. cap. 3. in Leuitic.

De augurijs idem ait: Auguria idcirco sacra lege damnantur, quia gentili superstitione adinuenta sunt, ad ineundã cum dæmonibus societatẽ: qui huiusmodi significationibus, Magia & Astrologia, augurijs, cum hominibus talium curiosis confabulantur ad eorum seductionem: nonnunquam uera nunciantes, ut in errores inducant. lib. 14. cap. 4. in Leuitic.

Theophylactus ait: Christus docuit & sanauit, ut tu discas, quòd philosophia nostra uerbo & opere cõstet: & neq; dicenda sint, quę facere nõ licet: neq; facienda, quæ dictu sunt absurda. In Luc. cap. 9. Et: Cum multi sint cœli anagogicè dicendo, paucos sanè numerabimus, & eos qui sunt faciliores capru. Est enim primum cœlum finis actiæ, quando mores suos quisquam rectè formauerit. Deinde naturalis philosophia est cœlum alterum, cum scientiam aliquis de uniuersi cognitione, ceu comprehensibilem circumscripserit. Deinde, tertium est cœlum Theologica scientia. in epist. Pauli 2. ad Corinth. cap. 12.

## DE LIBRIS SACRAE *Scripturæ.*

DE libris sacris ita scribit Giselbertus: Captiuato enim Dei populo à rege Babylonico, tota penitùs Bibliotheca per Chaldæos, hostes pacis & ueritatis, incensa est. Combusto etiã templo, ut tuorum infortunio ciuium satis edoctus es, preciosa quoque templi quæq; perierunt, quædam captiuitati prædæq; mancipata sunt. Itaque uelox in lege Domini Esdra scriba, accepta nonnulla à tyrannis remissionis gratia, ex his quæ memoriter tenuit, & ex his quæ Spiritus sancti gratia inspiratur, totius diuinæ paginæ monumenta (ut creditur) restaurauit, ubi etiam prædictum testimonium prophetico more subscriptis adiecit. Nihil igitur in prioribus, id est Mosaicis scriptis, uel posterioribus, nõ authenticum: quia totum effluxit per inexhaustam sancti Spiritus abyssum, quicquid imbiberant & protulerant mundicordium ora prophetarum. Porrò quòd quibusdam libris caret Ecclesia, sicut Salomonis, qui tractauit & disputauit de uirtute radicum, & ira bestiarum, & de naturis rerum, id est, de hysopo qui egreditur de pariete, usq; ad cedrum, quæ est in Libano: & in libro Regum, ubi legitur, Reliqua autem uerborum eius quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in libro uerborum dierum Regum Iuda? hæc causa est, quòd hi libri à Chaldæis incensi, cum alijs reparati non sunt. Veteris enim & noui Testamenti series 30. libris continetur: ueteris quidem 22 uolumina, noui 8. utrumque tamen Testamentum tribus ordinibus continetur & distinguitur: uetus quidem in Legem & Prophetas & Hagiographa, nouum uerò in Euangelia & Apostolos & Patres sanctos. Lex 5. uolumina continet, Prophetæ 8, Hagiographa 9, Euangelia 4, Apostoli 4. Denique librum Samuelis sequuntur libri Regum: quorum primum dicitur fecisse Nathan, ultimum Ieremias. totum uolumen liber Regum dici solet: sed impropriè, quia duo uolumina quæ præcedunt, Samuelis sunt. ante tempus enim Samuelis non fuerunt reges apud Iudęos. Dicimus autem, librum quendam dictum fuisse Librum uerborum dierum regum Iuda: id est, sanctorum temporum: qui ex multis libris, qui temporum singulorum regum facti sunt, de eorum factis quasi breuiarium quoddam magnum: Ieremias uerò quæ sibi digna retineri uidebantur, scripsit in ultimo libro Regum. Postea Esdras, uidens eum multa præterijsse, quæ digna erant memoria, apposuit in libro Paralipomenon, Hebraicè Dabreniamin. Deniq; quæcunque in Scripturis Apocrypha dicuntur, uel propter dubium autorem est, uel propter nullam fidelis Synagogæ uel Ecclesiæ confirmationem. In libro Altercationis, capite primo. Et: Itaque à primordio creaturarum attende scriptorum per Spiritum sanctum authoritatem. Genesis de creaturarum exordio, de generationum sibi temporibus alternantibus succedentium catalogo, de floribunda humani generis massa, sed diluuio deleta, de trifaria terrę inter filios Noe diuisione, de confusione linguarum, de uocatione Abrahæ, & eius fide, & circumcisionis prærogatiua, & eiusdem generis successione usque ad Mosen, mystico plerun-

que charactere procedit. Exodus uerò grauissimam populi afflictionem, Mosi ortum, fugam & reditum, afflicti populi Dei per plagas Aegypti solatium: plebis credulæ tandem liberationem, Pharaonis & exercitus sui interitum exponit. Hebræosque ex Aegypto eductos in desertum traijcit, diuinorumq; præceptorum cum legis sanctione regulas comprehendit. Leuiticus (ut ipse melius nosti) sacrificiorum diuersorum ritum mysticum, genus, ordinem, consecrationem sacerdotum, Leuitarũq;, tabernaculi mystici typica cũ suis ceremonijs utensilia, summi pontificis artificiosissimam paraturam, cœlestibus sacramentis plenam describit. Numerorum uerò liber, pugnaturum aduersus ethnicos ac infideles reges populum censet: principes ac duces instituit, castrorum stationes ordinemq; disponit: tabernaculum muneribus principum, Leuitarum ministerio, lucernis & candelabris ornat & instruit. Legem expiationis & confitendi peccati, item zelotypiæ & consecratorum seu Nazaræorum describit: Mariam ob murmur lepra percussam, Mosi fratris interuentione sanitati restituit. Murmurantem tædio laboris & carnium desiderio tumultuantem populum igne multat, & cædit serpentum morsibus. Rebelles ac schismaticos Chore, Dathan & Abiron hiatu ac uoragine terræ inclusos, uiuos demergit in tartara. Ad Christi natiuitatem, fideiq; propagationem mystico stellæ ortu Balaam arioli præludens uaticinio. Deuteronomium quoq;, secunda lex, & Euangelicę legis præfiguratio, repetitis iusto ordine collatis à Deo filijs Israel innumeris beneficijs, decretis item atque promissis prophetico Mosi spiritu benedictionibus, ijs qui legem Domini ritè seruarint: reluctantibus uerò, ac (quod iam crebra experientia præmonente futurum timebatur) dura ceruice iugum Domini ferre recusantibus, compluribus maledictionibus comminatis Mosen, cum iam centum ac uiginti esset annorum, mysticæ sepulturæ tradit in terra Moab contra Phogor, uidelicet extra terram promissionis: hoc nimirum significante Spiritu sancto, nisi sepulto Mose, id est, carnali legis intelligentia mortificata, atq; ab humana consuetudine ceu terræ altius insepulta, neminem ad terram promissionis, id est, ad beatam uitam, absque Iosue ducatu, id est, nisi IESV seruatoris fides præluxerit, posse introduci. Iosue, aliàs IESVS, filius Naue, typum Domini non solum in gestis, uerumetiam in nomine gerens, transit Iordanem, hostium regnum subuertit, diuidit terram uictori populo: & per singulas urbes, uiculos, montes, flumina, torrentes, atque confinia, Ecclesiæ, cœlestisq; Ierusalem spiritualia regna describit. Iudicum liber nunc bellis perstrepens, nunc rursus optata pace pauliſper interquiescens, haud obscura significatione præsentem militantis Ecclesiæ statum delineat: quam etiquandoque hæreticis uel tyrannis succumbentibus pacis commoditate aliquanſper frui contingat: protinus tamen uideas alicunde, uel domestica principum simultate excitari atque oriri, quod inquietudinem ac tempestatem illi conciliet. Samuel, in Heli mortuo (ut diuus Hieronymus inquit) & in occiso Saul, ueterem legem abolitam monstrat. Porrò in Sadoch atque Dauid noui sacerdotij, nouiq; imperij sacramenta testatur. Malachim, id est, tertius & quartus Regum liber à Salomone usque ad Iechoniam, & à Ierobeam filio Nabath usque ad Oseæ, qui ductus est in Assyrios, regnum Iuda & regnum describit Israel. Si historiam respicias, uerba simplicia sunt: si in literis sensum latentem inspexeris, Ecclesiæ paucitas, & hæreticorum contra Ecclesiam bella narrantur. Esdras, & Neemias, adiutor uidelicet & consolator à Domino in unum uolumen coarctantur: instaurant templum, muros extruunt: ciuitatis: omnisq; illa turba populi redeuntis in patriam, & descriptio sacerdotũ, Leuitarum, Israelis, proselytorum, ac per singulas familias murorum ac turrium opera diuisa, aliud in cortice præferunt, aliud in medulla continent. Proxima deinc Euangelicæ libertati duobus Machabæorum libris, Iudæorum aduersus gentes Persarum prælia, nobilesq; triumphi, fœdus quoq; amicitiarum cum Romanorum ducibus atq; legationum narrantur. Christus quippe iam præ foribus adesse uidebatur, ac in strenuis illis, ac uerè fidelibus Machabæis salubre contra gentium infidelitatem bellũ gerés: interim missis (iuxta Isaiæ uaticinium) Apostolis ad gentes in mare, in Aphricam & Lydiam tenentes sagittam, in Italiam & Græciam: primùm quidem Romanum imperium conuersis ex circumcisione Iudęis perpeti societate, ac necessitudinis nexu indissolubili copulauit, donec gentiũ plenitudo intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. In lib. Alterc. cap. 20.

Radulphus inquit: In sacra Scriptura species dictionis quatuor sunt: historica, prophetica, prouerbialis, & simpliciter docés. Historia est præteritarũ rerum narratio, ut in quinque libris Moysi. In quibus licet res de quibus agitur, plenæ sint figuris: historialiter tamen legislator ea uel à Domino iussa, uel à se & à populo illo completa esse

esse pronunciat, Item Iesu Naue liber, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Ezras, Esther, quatuor Euangelia, Actus Apostolorum, ad diuinam historiam pertinent. Nam Thobias, Iudith, & Machabæorum, quãuis ad institutionem Ecclesiæ legantur, perfectam tamen non habent auctoritatem. Prophetica locutio est, cum futura prædicuntur. Ista in Psalmis reperitur, Isaia, Ieremia, Iezechiele, Daniele, duodecim prophetis. Hæc plano sermone nonnulla prænunciat, ut est illud Isaiæ: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium. In quampluribus prouerbiali utitur, ut idem de eadem re: Exibit uirga de radice Iessæ, & flos de radice eius ascendet. Prouerbialis species est figurata locutio, aliud sonãs & aliud sentiens, & de moribus tractans. Nam & prophetiæ (ut diximus) hanc sibi sæpe assumunt: sed tamen præcipuè morali doctrinæ ascribitur. Hæc in Prouerbijs Salomonis accipitur, in Canticis canticorũ, in Sapientia, in Ecclesiastico. Iob autem partim historicus, partim propheticus, partim uerò prouerbialis inuenitur. Ecclesiastes quoque prouerbialis in parte, sed in maiori sim plicem doctrinam prosequitur. Simplex doctrina est, quæ de fide ac moribus simpliciter docet. Hæc nec historiam texit, quia res gestas non ex ordine prosequitur, licet aliquid ex præteritorum memoria ad auditorem instruendum assumat: nec prophetiam, quia res futuras non sibi reuelatas, sed ab alijs auditas & creditas pronunciat: neque prouerbialiter loquitur, quia tantummodò simpliciter docet. In hac parte continentur beati Pauli Epistolæ, & cæterę septẽ Canonicæ. Hæc cum historia commune habet, quòd utraque superficie facilis uidetur, cum sint in spectione & intellectu plerunque difficiles. Prouerbialis uerò in hoc cum prophetia conuenit, quòd superficie difficiles uidentur, cum intellectu plerumque non sint. Sed sciendum, quòd historiales libri plerũque etiam prophetias interserunt. Nam Moyses cum res quas historialiter narrat, penè omnes propheticas habeat, nonnunquam etiam uoce manifestè prophetat, ut est illud: Prophetam uobis suscitabit Deus de fratribus uestris, tanquam me, ipsum audietis. Item & prouerbia in historijs reperiuntur: ut in Regum, Nathan propheta Dauid regis peccatum sub prouerbij uelamine arguit. Sic & simplex doctrina sæpe: ut est, Diliges Dominum Deum tuum. &: Non occides, Non furaberis. Item in Prophetis nonnullæ sunt historiæ: ut in Isaia de Iezechia rege, quæ tamen realiter prophetia est: quia quod historicè narrat, mysticè intellectum futura prænunciat. Et in Ieremia, cum dicitur: Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis? Prouerbiũ est. Sic & Micheas cum clamat: Indicabo tibi homo quid sit bonum, Facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo: simplex doctrina est. Possunt pari modo in Prouerbijs alicubi prophetiæ, sed & simplex doctrina sæpius aduerti: sicut & in Epistolis Apostolicis nonnulla prophetica inueniri. Vnde constat, cum libri historiales aut prophetici, seu etiam prouerbiales dicuntur, non quòd hoc uel illud solum sine quantulacunque alterius admixtione habeant: sed quòd hoc aut illud ex maxima parte cõtineant, sic uocari. libro decimoquarto, cap. 1. in Leitic.

De Mose, inquit Giselbertus: In quinque libris Mosi continetur principium mundi, medium, & consummatio. In Genesi, describitur creatio mundi. In Exodo, recreatio. In Leuitico, sacramentorum Ecclesiæ administratio. In libro Numerorum, Euangelica prędicatio. In Deuteronomio, ultima consummatio, unde & benedictionibus terminatur. Itaque in Genesi ordo creationis, in Exodo mysterium recreationis, in Leuitico sanctitas Ecclesiasticæ administrationis, in Numeris catalogus Euangelicæ prædicationis, in Deuteronomio consummatio æternæ benedictionis. Inter hos autem quinque libros in hoc excellit Exodus, quòd per omnia quæ filijs Israel in figura contingebant, planius & plenius mysteria continentur Christi & Ecclesiæ. hinc namque primum. In libro Altercationis capite 9.

Radulphus ait: In Moysi libris Leuiticus obscurior habetur, & legentibus fastidium potius quàm ædificationem solet afferre, quòd eorum à se acumen crassiore quadam umbra repellere uideatur. in Prę fatione.

De Salomone, inquit Giselbertus: Salomon tria composuit uolumina: Parabolas, siue Prouerbia: secundũ, Ecclesiasten: tertium, Cantica canticorum. In primo quasi ex paterno affectu alloquitur filium dilectum, ad capessandam sapientiam, & uitandam stulticiam exhortatur. In secundo, quasi iam maturæ ætatis uirum, transituris non inhærendum admonet. In tertio, iam calcato seculo consummatum, & in omnibus expeditum, sponsi iungit amplexibus. Sic etiam gentilium philosophi auditores suos primùm informare probantur per Ethicam, inde per Physicam, postremò ingerunt Philosophiam. In lib.

Altercat.capite decimosexto.

Radulphus ait: Hunc ordinem quem in holocaustis & simili oblatione ostēdimus, Salomon in libris suis expressit: cū primo loco Prouerbia, secūdo Ecclesiasten, tertio Cantica canticorū instituit. In primo quippe morum correptio: in secundo mentis ad alta uolatus, per quem omnium quę sub sole fiunt, uanitas deprehēditur: in tertio, per cœlestis illius sponsi desiderium, defecatæ mentis impinguatio declaratur. lib. 1. cap. 4. in Leuitic.

De libro Sapientiæ, inquit Giselbertus: Quidam librum sapientiæ Salomonis cuidam sapientissimo Iudæo Philoni intitulant: & quicquid ibi quasi de Salomone agitur, in Christi persona accipiendum est. Ipse enim rex uerus, ipse sapientia, fortitudo, iusticia, sanctitas & prudentia. In libro Altercat. cap. 16.

DE MATTHAEO.

Ansbertus: In Greca lingua, præter Euangelium Matthæi, & Epistolam Pauli ad Hebræos, nouum Testamentum initium dedisse, nulli dubium est. libro 6. in 13. caput Apocalyps.

DE IOHANNE.

Smaragdus inquit: Cæteros quippe Euāgelistas nouimus, plura de miraculis nostri Saluatoris, pauciora de diuinitate locutos: Iohannes autem perpauca de humanis scribens actibus, potius se exponendis diuinæ naturæ indidit arcanis: patenter insinuans, quanta de pectore IESV fluenta doctrinæ cœlestis, quæ nobis eructaret, hauserit. in Euangel. Iohannis, cap. ultimo.

DE EPISTOLA AD HEBRAEOS.

Theophylactus: Cū tot hæreses in exordio statim huius Epistolæ ad Hebræos sint euersæ, audent tamen nonnulli asseuerare, hanc epistolam ad Hebræos non esse Pauli: neque Paulum decere, sumpto argumento & signo ex Epistolæ huius charactere seu stylo, quia differat ab aliarum à Paulo conscriptarum literarum dictione. Verum enimuero precium certè fuerat operæ, simul eos uidere sententiarū pondus & amplitudinē, earumq; rōbur: quod nemo cassare, debilitare, aut infringere possit, non esse alterius quàm Pauli, Christū in sese loquentem habentis. Quòd si omnino huius Epistolæ dictione offendantur, nouerint Epistolam hanc ab apostolo Paulo Hebraica lingua concinnatam, ut qui Hebręis in hac ipsa loqueretur: in Græcam uerò linguam, ab (ut quibusdam placet) Luca translatam, uel (ut alij sentiunt) à Clemente, cuius & stylū potius retinet. Simile igitur quiddam delinquunt (ut ita dicam) qui hanc Epistolam Paulo auferunt, perinde, ac si Paulum à Christo diuellerent. in epistol. Pauli ad Hebræos, cap. 1.

DE APOCALYPSI.

De autore inquit Ansbertus: Absit ut separatim Pater, separatim Filius, separatim Spiritus sanctus Apocalypsin misisse credatur: sed simul Pater & Filius & Spiritus sanctus, unus & uerus Deus, Trinitas inseparabilis, quæ tota in angelo fuit, tota per angelum Iohannem docuit: quanquam idem angelus solius incarnati uerbi personam gesserit. Ansbertus in Præfat. in Apocalyp. Et: Hubera tua similia botris. Vnde & idem Iohannes, cuius hæc est Apocalypsis, super pectus Domini tanquam huberibus alendus, in cœna recubuisse describitur. Ansbertus libro primo, in caput primū Apocalyps. Item: Mirandum ualde est, cur apud Orientales (secundum quorundam sententiam) de hoc libro dubitetur, aeque quaquam plenæ authoritatis putetur: maxime cum & fidelis eiusdem historiæ scriptor Iohannes retineatur, & locus in quo uisa fuerit, à quo & per quem missa, à quo & per quē reuelata, cuiusq; testimonio firmata, apertissimè declaretur. Ne enim roborata, aperti quisquam de his quæ in ea narrantur, dubitaret: subiecit adhuc idem qui testimoniū perhibet eorum, ac citò se uenturum: & tēpus prædixit, solitæq; confirmationis, iuramentum, & ait: Amen, id est, uerè, siue fideliter. Ansbert. libro decimo, in 22. caput Apocalyp.

De dignitate eius libri, Ansbertus inquit: Inter reliquos igitur noui Testamenti libros, sola Apocalypsis prophetia uocatur, de qua per eius autorē dicitur: Beatus qui legit, & qui audiunt uerba prophetiæ libri huius, & seruant ea quæ in ea scripta sunt. Quia ergo noua prophetia est, sic excellit ueteres prophetias, sicut Euangelium obseruantias legis. In quo autem ueteres excellit prophetias, nisi in eo, quòd de Christo & Ecclesia adimpleta iam sacramenta denunciat, quæ illæ à longè prospicientes, uentura cernebant. Sic enim ista prophetia excellentior illis habetur: sicut Iohannes baptista, qui digito Dominum ostendit, maior prophetarum antiquorum, qui eum uenturum prædixerant, uocatur. Hinc est, quòd cum sit multarum figurārum densissimis umbris opacata, nouo nomine Apocalypsis (id est reuelatio) inscribitur: quia scilicet (ut dictum est) ea quæ de Christo & Ecclesia antiqua prophetia reuelanda prædixit, hæc reuelata ostendit. Ad cuius roborandam firmitatem, occurrit etiam authoritas mittentis, deferentis & accipientis, ac loci ipsius uisionis.

A quo

A quo enim missa fuisse cognoscitur, nisi à Patre & Filio & Spiritu sancto? Per quem missa, nisi per angelum? Nisi enim hanc per angelum Deus palàm faceret, nequaquam Iohanes diceret: Apocalypsis IESV CHRISTI, quam dedit Deus palàm facere seruis suis, quæ oportet fieri citò, & significauit mittens per angelum suum. Et nisi à Filio per eundem angelum mitteretur, nequaquam idem Vnigenitus Patris diceret: Ego IESVS misi angelum meum testificari uobis hæc in Ecclesijs. Nisi autem à Spiritu sancto per iam dictum angelum reuelanda dirigeretur, minimè in eadem reuelatione diceretur: Dominus Deus omnipotens, Spiritus prophetarum, misit angelum suum ostendere seruis suis, quæ oportet fieri citò. Idem enim est Spiritus sanctus, qui & spiritus prophetarũ, quiq; secundum Petri sententiam specialiter per prophetas locutus fuisse perhibetur. Ansbertus in Præfat. in Apocal.

De phrasibus Apocalypsis, inquit Ansbertus. Nunc à specie ad genus, nunc à genere ad speciẽ, nũc à specie ad speciẽ sermo recurrit: modò in specie genus inuenitur, modò genus generi iungitur. Species enim dicitur, qua non totũ generaliter, sed aliquid specialiter Scripturæ sacræ locutio determinat: genus uerò, quo cũcta genera liter comprehendit. in Præfatione in Apocalypsim.

## INCLINATIO DOCTRINAE, COMPLECTENS peculiares & incommodas opiniones, stipulas & errores doctorum.

### DE ANGELIS.

RAdulphus: Ante Christum passum adorabantur à patribus angeli, & tacebant: post passionis uerò eius completa mysteria, beatus Iohannes cùm angelo loquens, & ab eo secreta cœlestia audiens: Cecidi, inquit, ad pedes eius, ut adorarẽ eum. Et dixit mihi: Vide ne feceris. Cõseruus tuus sum, & fratrum tuorum, habentium testimonium IESV. lib. 2. capite 4. in Leuitic. Non distinguit autem Radulphus inter phrasin, quæ significat reuerentię externę significationẽ exhibere: & eam quæ significat inuocationẽ, soli Deo cõueniẽtẽ.

### DE PECCATO.

Giselbertus inquit: Post lauacrũ, nec originale nec actuale peccatũ in baptizatis remanet. In libro Altercationis Synagogæ & Ecclesiæ, capite octauo. Hæt absque declaratione accepta, praua gignerent dogmata.

### DE LIBERO ARBITRIO.

Nimium tribuit hominis uiribus Giselbertus, inquiẽs: Deus author est salutis, liberũ arbitriũ tantũ capax: uelle, posse, perficere, solius est adiutricis gratiæ, sine qua nec baptismus, nec fides, nec opus, quod uidetur, effectũ meriti habet. Sola igitur mater gratia, libero arbitrio succurrit, pro libertate ęterna cõsequenda. in li. Alterc. cap. 5.

Theophylactus ait: Quod Christus dicit, Si quis uult post me uenire, Matthæi decimosexto: uult ostendere, esse liberum arbitrium, & non coactam uirtutem. in Matthæum capite 15. Et: Pauci qui saluantur, & qui digni sunt ut eligantur à Deo: ita ut Dei quidẽ sit uocare, electi aũt uel fieri uel non fieri, nostrum est. in Matthæum capite uigesimo secundo. Et: Rationalis, ad quã subsequitur liberum arbitrium, substantia est hominis. Omne autem rationale est liberi arbitrij. Dat igitur nobis Dominus rationem, ut ea liberè utamur, tanquam nostra substãtia: dat autem omnibus ex ęquo. Omnes enim ex æquo rationales sunt, & æquè liberum habẽt arbitrium. idem in Lucã, cap. 15. Item: Ne existimẽt posteriores, quòd Apostoli à se nihil ad uirtutem cõtulerint, sed totum Dei fuerit: Non hoc erit (inquit) fic. neq; enim Apostolis meis utĩ uolo ut instrumentis inanimatis. Denique inuenies Apostolos, & maximè Paulum, multa & ex humanis industrijs rectè facere. Et lege Actã, quamuis & in his nõ abfuerit diuinum subsidiũ: interea autẽ & Apostolis accedit utilitas, ne fastu inflentur ex hoc. si enim ipsi nihil curassent, & à Deo omnia facta fuissent, inflati fuissent, quasi maius quiddã supra uires humanas sortiti. Et alio quin naturę ignauia & corruptione nihil à se excogitabãt, sed omnia expectabant à uerbo. idem in Luc. cap. uigesimo secundo. Et: Nullus potest uenire ad me, nisi pater traxerit eum. Hoc dicit Christus, non ut libertatem tollat arbitrij, absit: sed ut ostendat, quòd multa habeat opus cooperatione à Deo, is qui crediturus est. Et aliter: Illos trahit pater, qui habent uoluntatis aptitudinem: eos autem qui seipsos non faciunt idoneos, non trahit ad fidem. Nam sicut magnes non omnia, sed solum ferrum attrahit: ita & Deus ad omnes quidem appropriat, eos autem qui magis idonei & familiaritatem erga ipsum præ se ferunt, trahit. Igitur Pater quidem trahit, & adducit ad Filium: Filius autem resuscitat, & uiuificat, in bonis uitam & spirationem, hoc est Spiritũ sanctũ tribuens. Itaq; sancta Trinitas benefacitijs qui credũt, & nõ Pater solus, uel Filius solus: sed sicut una natura, ita una operatio beneficẽtię Patris adducentis,

centis, Filij uiuificantis, Spiritus sancti qui fit ijs qui uiuificantur, pro spiratione. Omnis enim qui uiuit, & spirationem habet. Idem in Iohannē capite sexto. Item: Vsus est Paulus hoc dicto (Non habet potestatem figulus, ex eadem massa facere aliud quidem uas in honorem, aliud ad ignominiam?) non ut è medio tolleret, adimeret ue nobis libertatis nostræ ius, liberumue arbitrium: neque ut nos corporis languidos, ac planè immobiles ostenderet: uerùm ut doceret, quomodo nos oporteat obedire Deo, utque intensum atque adeò ipsissimum silentium, neq; non summam obedientiam exhiberet. Perinde, inquit, ut figulus ex eadem massa lutoúe, quæ animus tulerit, fingit, neque ullum ei uas contradicit: sic cum hic ex eodem genere mortalium, alios quidem puniat, alios uerò honore dignetur, ne sis tu curiosus, sed adora tantummodo ipsum, lutum imitando: ac ut illud manum figuli sequitur, sic tu consilio & uoluntati omnia gubernantis cede. Idem in epistol. Pauli ad Romanos capite nono. Ex hisce testimonijs satis liquet, quòd hanc doctrinam non habuerit puram Theophylactus.

### DE IVSTIFICATIONE, SEV *remißione peccatorum.*

Giselbertus: Peccatorum uariæ remissiones in nouo Testamento. Prima remissio, baptismus: secunda, martyrium: tertia, eleemosyna: quarta, reatus alieni remissio: quinta, conuersio: sexta, charitas, quæ operit multitudinem peccatorum: septima fit per lachrymas, id est, lauatio strati nostri, & iugis confessio. Sic gratia diffusa per orbem dona sua partitur, ut populus Ecclesiæ semper uitæ cœlestis aditum inueniat, si cœperit odisse malum, quod amabat: & bonum amare, quod oderat. in lib. Altercat. capite undecimo. Item: Tribus modis homo saluatur: agnitione suæ iniquitatis, obedientia, & in doctrina Christi perseuerantia. in lib. Altercat. cap. 21.

Radulphus ita scribit: Res est manifesta, Ecclesiam ab immunditijs suis tum fidei uirtute, tum pœnitentiæ suæ satisfactione mundari. Aspergitur uerò sanguis septies, propter septiformem spiritum, per quem peccatorum remissio condonatur. Aspergitur digito pontificis: ut intelligas, Christi potestate ueniam peccatoribus tribui. Sunt tamen eiusdem & illi participes, quibus ipse ait: Quodcunque solueritis super terram. lib. duodecimo, cap. primo in Leuitic. Et: Postquam lex quid pro reatu humano Mediator noster obtulerit, fidemque nostram, quæ tantæ rei accommodanda est, insinuauit: iam unusquisq; quid pro se agere debeat, ut ueniam consequi mereatur, adiungit. Neq; enim aur sanguis Christi expiat omnes, aut fides sola sufficiet, ut inter eos quos expiat numeremur, nisi sanguinis Christi utilitatem, congruæ pœnitentiæ satisfactione mercemur. Vnde scriptum est in Exodo: Portabit Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerint & sanctificauerint filij Israel. Aaron quippe noster, eas tantum fidelium iniquitates portat, & passionis suæ supplicio expiat, quarum confessionem Deo obtulerint, & sanctificauerint eas: hoc est, digna emendatione correxerint. Idem lib. 3. cap. 1. in Leuitic.

Giselbertus inquit: Credendum est. nō nullos ipso iudicio diluuij purgatos, alios per hoc prædamnatos. in libro Altercat. capite sexto.

### DE BONIS OPERIBVS.

Radulphus: Sunt nonnulli qui omnibus quæ mundi sunt abrenunciant, omnia studia sua ad Deum conuertunt: quia tamen uiribus destituti, nō sufficiunt laborare, placant Deum sola innocentiæ sanctitate. Scriptū quippe est: Non priuabis bonis eos, qui ambulant in innocentia. libro 1. capite 2. in Leuitic.

Theophylactus ait: Bonorum operū perfectio, quam & fundamentum nominauit Paulus, uitam æternam præbere potest. in epistol. Pauli ad Timoth. cap. 6. Hæc pugnant cum hoc fundamento, Nō est in alio quoquam salus.

### DE ELEEMOSYNA.

Tantus est misericordiæ fructus, ut ab homine crimina tollat, in homine dona custodiat, & in terra uiuentium beatum illum efficiat. Radulph. libro 10. cap. 1. in Leuitic. Hæc meritum Christi & gratuitam Dei misericordiam obscurant.

### DE ORATIONE.

De mediatrice Maria malè inquit Giselbertus: Accedamus ad hunc thronum gratiæ cum fiducia. Ipsa enim est stella, cuius ducatu & interuentu ad patriam transferimur: ipsa Deum patrem orat & deprecatur pro seruis, filium pro filijs, sed naturalē pro adoptatis. in lib. Alterc. cap. 16. Paulus Christum demonstrat esse thronū gratiæ, non alium quenquam.

### DE INVOCATIONE *sanctorum.*

Radulphus: Notandū quòd similæ pars sola, thuris uerò non pars, sed ipsum thus totum Domino incendi præcipitur. Oratio nis enim sacrificium, non nisi Domino soli offerendum est. Nam etsi sancti roguntur à nobis, non tamen ut nos ipsi saluent, (Domini siquidem est salus) uerùm ut nobis salutem impetrent, postulantur. Alioquin maledictus,

maledictus, qui spem suã ponit in homine. Hæc est igitur latria, quę soli debetur Deo, adorandi & sacrificandi deuotio: nempe ab illo solo salus humana & petenda & speranda est. libro primo, capite quarto in Leuit. Et: Decet peccatorem hæc humilitas, ut sine mediatore aliquo iusto petere indulgentiam non præsumat. Sic namque amici Iob, per ipsum, in quem peccauerãt, reconciliati sunt. Cornelius quoque per Petrum, sed & Saulus per Ananiã. ad Christi gratiam accedere meruerunt. Radul. libro tertio, capite primo in Leuitic.

De inuocatione Sanctorum in Missa, loquitur idem: Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conpectu diuinæ maiestatis tuæ: ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus sanguinemq; sumpserimus, omni benedictione cœlesti & gratia repleamur. libro secundo, capite quarto in Leuitic. Christus docet patrem cœlestem inuocandum, ac repetit hoc dictum: Dominum Deum tuum adorabis. In suo quoque nomine, non in alterius, iubet inuocare patrem.

DE SANCTIS.

Giselbertus: Vellus Gedeonis, sacratissimæ Virginis corpus est, sine omni carnis macula. Cum enim uellus sit in corpore, corporis nescit passiones: sic rore Spiritus sancti uellus, id est corpus uirginale compluitum, nullum carnalis uitij sensit contagium. In lib. Altercat. cap. 4. Item: Autor facit Mariam deprecatricem pro nobis. in lib. Alterc. cap. 16. Et: Maria cõsolatio infirmorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, salus uniuersorum: de se sentit humilia, cuius honori famulantur omnia, terra, pontus, æther. In lib. Altercat. cap. 20. Item: Principale fundamentum totius humanæ salutis, matrem aduerte Saluatoris, quę lethalibus serpentis & Euę obuia uestigijs, partu suo mortis iter interclusit: & ostium uitæ (quod est Christus) intrare contendentibus aperuit, chirographum lethalis pacti deleuit, exheredatũ regni conforte noui testatoris sigillo summi regis fecit hæredẽ, filijq; sui cohæredẽ. Ibidẽ.

DE MARTYRIBVS.

Nimium tribuit martyrio Ansbertus: Est & alia uitę lauatio, in Christi confessione effusio sanguinis: quæ non solum maculas detergit peccatorum, uerumetiam dignitatem promeretur filiorum Dei. lib. 10. in 22. cap. Apocalyp.

DE POENITENTIA.

Giselbertus ait: Dignus fructus pœnitentiæ, est dolor mali præteriti, satisfactio delicti. Deniq; tria ista considera, pœnitentiam, fructum & dignum. Quæ sunt ista tria? Dolor pręteriti, custodia futuri, satisfactio delicti. Tanta est pœnitentia tua, quãta contritio tua, quanta deuotio tua: contritio, scilicet pro malo quod fecisti: deuotio, pro bono recuperãdo quod amisisti. Noli laborem pœnitentiæ uerbis exponere: quia tantum profecisti, quantũ laborasti. Opus sine contritione, flos est sine fructu: cõtritio sine opere, fructus est sine maturitate. uera ergo pœnitentia totũ aufert, quod minatur damnatio: totum confert, quod promittit salutatio: mala æterna aufert, bona æterna confert. Primus pœnitentiæ fructus, meritum: secundus, præmium. In libro Alterc. cap. 7.

Radulphus inquit: Docemur quippe per hanc sanguinis partitionem, luctu & afflictione nostra primùm doctoribus satisfaciendum: deinde per eorum absolutionem, nimirum quibus claues regni commissæ sunt, ad diuinam indulgentiam pertingendum. Doctoribus quippe dictum est: Quæcunque ligaueritis super terram, ligata erunt & in cœlo: & quęcunque solueritis super terram, soluta erunt & in cœlo. Sed & quicunque sunt electi, si sanctitatis gratia præditi sunt, Deo eos familiares esse non dubium est. Accedendum itaque ad illos, uulnera per confessionem pandenda: flendum coram eis, ut altaris cornua sanguine nostro tangantur, præpositi scilicet nostri, seu etiam quique religiosi, fletibus nostris ad compassionem flectantur: sicque commissa nostra & meritis leuent, & potestate relaxent. Decet enim peccatorem hæc humilitas, ut sine mediatore aliquo iusto petere indulgentiam non præsumat. libro tertio, capite primo in Leuitic. Et: Quisquis ueniam impetrare, quisquis orationem sacerdotis sibi prodesse desiderat, conuertatur ab iniquitate sua, & quiescens agere peruerse, innocentiam manuum suarum quasi primum agnum offerat: ut si in secundo adhuc inualidus est, & contrarijs affectionibus inquietatur: prima tamen oblatione, quod in secunda peccat, faciat ueniale. idem lib. decimo, capite secundo in Leuitic. Item: Per macerationem carnis culpa redimitur. Radulphus libro 20. capite 3. in Leuit.

De contritione loquitur idem: Manifestum est, mox ut homo ad Deum conuertitur, primo loco cor eius occupare timorem. Deinde consilium succedit, quo sibi ipse persuadet à uitijs declinandum, ne iudicium diuinum incurrat. Cui subsequenter fortitudo necessaria est, ut quod deliberauit, implere pręualeat. lib. 6. cap. 1. in Leuit. Audis in his sententijs, fidẽ nitẽtẽ misericordia

misericordia Dei, per Christum, non urgeri, non declarari.

De Baptismo Iohannis Theophylactus inquit: Tametsi baptizabantur, non tamen remissionem peccatorum habebat baptisma Iohannis: sed solam pœnitentiam prædicabat Iohannes, & ad remissionē peccatorum ferebat: hoc est, ad Christi baptisma ducebat, apud quem remissio peccatorum. Matth. cap. 3. Item: Baptizant discipuli Christi baptismo, quod nihil habebat amplius quàm baptismus Iohannis. ambo enim imperfecti, & nondum habentes spiritū: eademq; utriq; causa, ut adducantur ad Christum baptizandi. Theophylactus in Iohan. cap. 1. Sed alibi dicit idem contrà: Omnes qui ueniebant, & baptizabantur à Iohanne, soluebantur per pœnitentiā à uinculo peccatorum suorum, dum credebant in Christum. in Marc. cap. 1.

DE CONFESSIONE.

Radulphus: Dignum est ut qui peccatorum suorum confessionem facit, consummet eam, omnia quæ ad memoriam reuocare potest, Domino pandens: non alia prodens, alia abscondens. lib. 3. cap. 7. in Leuitic. Item: Homo sicuti confessionē huiusmodi, utrum uera an falsa sit, nequit examinare: sic nec iudicare de ea potest, nec certam ueniæ spē confitenti promittere. idem lib. 3. cap. 7. in Leuitic.

DE SATISFACTIONE.

Radulphus inquit: Venditores possessionis hæreditatis æternæ hi sunt, qui claues regni cœlorum à Domino susceperunt, quibus commissa est potestas ut ligent & excludant peccantes, soluant & introducant pœnitentes. Istis ergo (iuxta Domini præceptum) prouidendum est, ut in hoc mercimonio nō grauent ciues suos, maiorē satisfactionem exigentes ab eis quàm peccati qualitas requirit. Emptor quoq; caueat necesse est, ne Dei dispensatorem contristet, si tepida scilicet mente sui delicti ueniam petens, iustam satisfactionis mensuram non expleat. libro 18. capite 4. in Leuitic. Et: Munera de fermento offeruntur Domino, cum aliquis usuris, seu etiam rapinis & furtis assuetus, denuò compunctus misericorditer erogat, quod crudeliter aggregauit. Si enim conuersus egerit pœnitentiam, & reatus sui medicinam à te quæsierit: quid tandē dabis ei consilij, nisi ut amicos faciat sibi de Mammona iniquitatis? Etsi non inuenit quibus reddat quod rapuit, benè ipse distribuat quod malè usurpauit. Quæ tamen munera non eius sunt meriti, quomodo si de iustis laboribus daretur eleemosyna: sufficit eis, ut præteritæ rapacitatis dignam satisfactionem obtineat. Idē lib. 1. capite 8. in Leuitic. Item: Ipsa innocentia post peccati abrenunciationem, si non pro præsentibus, tamen pro præteritis luctū habere debet, & afflictionem, per quam Deus & ministri eius ad compassionem flectantur. Non enim sufficit peccatum deseruisse, nisi cōgrua satisfactione, quod iniquè perpetratum est, aboleatur. Licet ergo iam in bonis actibus constituti simus, adhuc quia mali, plangere debemus. Vnde monet Scriptura: De propitiato peccato noli esse sine metu. Radulphus lib. 3. cap. 3. in Leuitic. Item: Ab unoquoq; nostrum pœnitentiæ satisfactione commissa culpa detergitur. Idem lib. 12. cap. 1. in Leuit. Hæc imminuunt atq; obscurant satisfactionem Christi pro nobis præstitam.

DE COENA.

Giselbertus scribit: Christum in Sacramento tam esse integrum ac perfectū sub alterutra specie, quàm sub utraq;. Item: Transire substantiam panis, in substantiā corporis & sanguinis Christi. Deniq; sufficere, unam tantum speciem exhiberi multitudini. Et ne fortè periculum fiat calicis, solam panis speciem dari non esse incongruum, ita tamen ut nec contemptu religionis, nec lenitatis uitio fiat. Quę quidem omnia pugnāt cum ipsis uerbis Testamenti Dominici.

DE PRIMATV PETRI.

Smaragdus ait: Omnipotens Deus eum quem cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ uocem pertimescere, & seipsum negare permisit, super Marcum capite ultimo.

DE VIRGINITATE.

Theophylactus: Virgo, quæ Deo consecrata est, si nupserit, peccauit omnino, seu ea quæ mœchū superinduxerit sponso suo Christo: innupta autē puella si nupserit, nō peccauit. nec enim res impura est matrimoniū. in epist. Pauli ad Corinth. cap. 7. Paulus quidem inquit: Melius est nubere quàm uri. Item: Non peccat, si nupserit.

DE CONIVGIO.

Theophylactus: Quoniam seruandæ pudicitiæ gratia uel intolerantia quadam, uel alia quauis de causa fiūt diuortia: satius est ut nulla prorsus fiat seiunctio. Quia tamen si fieri contigerit, maneat mulier uirum habens, tametsi cum eo nihil commisceatur, nec alium superinducat, uel uiro concilietur. in epistolam Pauli ad Corinth. cap. 7.

DE INFERNO.

Opinionem de animabus habet Anselbertus: Si non mendaciter, sed uerissimè creditur, antiquos etiam sanctos, qui dispensationis Christi fidem non solum uerbis, uerumetiam sanctis prophetauerunt actionibus:

actionibus: etsi apud inferos, locis tamen à tormentis impiorum remotissimis fuisse, donec eos Christi sanguis, descẽsusq; eius ad eadẽ loca exinde eriperet: profectò deinceps boni Christiani, qui ea fide pollẽt, quę per dilectionem operatur, effuso illo precio iam redempti, prorsus inferos nesciunt, do nec etiam receptis corporibus bona reciplant duplicia, quæ merentur. lib. 9. in 20. cap. Apocalyp.

DE PVRGATORIO.

Giselbertus affirmat esse purgatorium, probans illud dicto 1. Corinth. 3. Ignis opus eius probabit. in libro Altercat. cap. quinto. Quidam hęretici non solum priscis, uerum etiam nostris modò temporibus asseuerãt, post diem iudicij posse ex æterno supplicio liberari eos qui per gratiam Christi fidem & baptisma sunt consecuti: illisque cruciatibus propter fidem, quam sine operibus tenuerunt, posse purgari. pro qua assertione, alijsq; inauditis blasphemijs, sanctorum Concilium, Origenem dudum, eiusque sequaces anathematis fulmine percussit. Ansbertus lib. 10. in uigesimũ primũ cap. Apocalyp.

DE PHILOSOPHIA.

Radulphus: Plumæ uerò quæ sunt, nisi peregrinorum studiorum leuitas: ut uerquæ omnia bonæ menti Dominum mesificandi peritia, Dialecticorum garrulitas: tuenti, & circa lamenta potius occupatæ, nihil remedij, nihil utilitatis poterunt conferre. Plumæ ergo & ipsæ proijciantur, ut à seruis Dei huiusmodi studia contemnantur. Non enim in leuibus & superfluis mens, quæ Deum quærit, occupanda est. lib. 1. cap. 3. in Leuitic.

# CAPVT V.

## DE HAERESIBVS.

NOn multæ hæreses, quæ quidem hoc seculo passim extiterunt, à scriptoribus Ecclesiasticis & Historicis annotatæ sunt: procul dubio tum negligentia quadam doctorum, tum quia fortis ille armatus domum suam summa cum tranquillitate hac ætate possidebat. Nam tyrannis Romanorum pontificum, universam Ecclesiam CHRISTI adeò oppressérat, ut magis incumberent Ecclesiæ, passim per orbem diffusæ, operosis & prolixis cæremonijs, quàm doctrinæ & institutioni in fidei articulis. Non enim absre dictum est à Platina, sanctimoniam & pietatem omnem, pontifices hoc tempore de seruisse, atque Imperatores inuasisse. Item omnes pontifices huius temporis, moribus & doctrina indignos fuisse Romana sede. Hæc Lector pius diligentissimè attendat. Vbi igitur Ecclesia mansit, istis basibus tam fœdis atq; putridis insistens?

Durarunt autem hac tempestate adhuc, antiquæ duæ hæreses, Anthropomorphitarum nempe, & Manichæorum: de quibus ea quæ annotata sunt, recensebimus.

DE ANTHROPOMORphitis.

IN Italia hoc tempore Anthropomorphitarum hæresis latè grassata est: qui tamen eius patroni fuerint, ac quibus coloribus stolidos homines fascinarint, nemo annotauit. Bergomensis narrat, in Citrapadana prouincia maximè eam pestem uiguisse.

Dogma erat, ipsum Deum habere membra corporea, perinde ut homo: utpote, caput, oculos, aures, nasum, os, brachia, manus, cor, pedes, & similia, ut Sigebertus annotat. Verosimile autem est, huius dogmatis professores, non tantum uetera illa argumenta repetiuisse, ut quòd homo esset ad imaginem Dei conditus, & quòd uerbum Dei clarissimis uerbis ipsi Deo membra, hominum membris similia tribuat: sed proculdubio nouos ac subtiliores fucos excogitarunt, quibus rudi plebeculæ imposuerunt. uerùm altum somnum dormitant Ecclesiarum doctores, magis in suos honores & dignitates intenti, quàm in doctrinam. Præterea licet aliqui eruditis scriptis ista dogmata refellerent: tamen non sunt ea diligenter adseruata, ac posteritati tradita.

Quod autem latè sit disseminatum hoc dogma, Bergomensis testatur: & in primis nominat Parassum, Lombardiæ ciuitatem nobilem & uetustam, quæ tota fuerit ea doctrina imbuta, adeò etiam, ut uicina oppida secum nõ sentientia, duriter afflixerit: si tamen ea uera sunt.

Sed quomodo occurrerunt Italiæ præsules isti dogmati? Audi. Vnicus Racherius, Veronensis episcopus, à Sigeberto & Bergomense nominatur, qui uerbis & scriptis eiusmodi errores refutauerit. Vtinam uerò eius uiri lucubrationes extarent, tum fundamenta rerum fortè perspiceremus. De reliquis uerò audi aliam uiam. Nam pontifex ille Romanus, & Mediolanensis præsul, spirituales scilicet patres, Petro illi præclaro CHRISTI sectatori persimiles (si dijs placet) non calamo, non atramento isti prauæ doctrinæ obuiam ruunt: sed lanceis, gladijs, tormentis,

tis, igne. Narrat enim Bergomensis, quomodo Mediolanensis archiepiscopus autoritate Romani pastoris, cum ciues Parassum inhabitantes, nollent monitis parêre (quomodo autem sint moniti, nusquam literis proditum est: fortè tantum anathemata in eos ebuccinarunt, non euictis atq; euersis ipsorum argumentis, solidis ac liquidis sacræ Scripturę fundamentis) uicinas urbes ad arma capiẽda aduersum Parassenses concitarit. Præiuit autem ipsemet proculdubio, non tanquam Petrus dormitans prope Dominum in Oliueto: sed quemadmodum ille alter, qui cinctus erat lanceis & gladijs. Vi capitur ciuitas, ac trucidatis promiscuè maribus, fœminis, puellis, infantibus plurimis (ut fieri in eiusmodi tumultibus solet) etiam tãto zelo res geritur, ut expoliatis omnibus, ignis sit immissus, quo conflagrarent residua omnia. O dulce Neronicum spectaculum. Tandem etiam muri non relinquuntur immunes, sed omnia solo adæquantur, ita ut uix esset reliquum urbis uestigium. Neq; permissum est, ut ijs qui aciem gladij & ignis ardorem effugerant, domunculas suas restaurarent, licet catholicam amplecterentur sententiam: uerùm ut ad omnem usq; æternitatem, tam zelosi facti tam zelosorum præsulum memoria extaret (nam hoc facinus nõ est editum à politicis magistratibus, quibus Deus concesit gladium) uoluerunt immanem uastitatem eius loci ad æternam rei gestæ memoriam extare. Reliqui igitur ex tanta strage, oppidum Cremam, haud procul inde extruxerunt. Hæc fuit fortis illa spiritualium patrum excommunicatio, in ouiculas suæ fidei commissas. Sed nondum omnia dicta sunt. Addit Bergomensis, agrũ istius diœceseos, archiepiscopum Mediolanensem, Placentinum & Cremonensem inter se partiuisse. Sic scilicet decet cõtradicẽtes ἐλέγχειν & ἐπιτιμίζειν, autoritate etiam Apostolica. Sigebertus in annum 939, Bergomẽsis uerò in 951 refert. Hoc igitur est unum illustre exemplum, quomodo in Occidente pugnatum sit contra hæreticos. Iam alterum audi in Oriente.

### DE MANICHÆIS.

IN Oriente Manichæorũ factio superstes fuit. Nam à Ioanne Zimisce, Theodorus monachus Antiochenæ ecclesiæ præfectus est, quia Imperium ipsi prædixerat: is uerò potitus hoc põtificatu, mox precibus ab Imperatore impetrauit, ut tota Oriente, ubi plurimum damni Ecclesijs darent (sine dubio circa Antiochiam potissimùm) Manichæos propulsaret. Philippolim igitur uniuersum genus Manichæorum transtulit. Sic scilicet uno loco expugnato, aliud istis spiritibus domicilium à politico gubernatore conceditur. Peccant autem isti in defectu, sicut Occidentales in excessu. Nam Occidentales patres ac doctores Ecclesiæ, arma corripientes, mactãt miseros homines, non paruulis, non adultis parcentes: in pueri gradu pertinaces & infirmos habentes, atq; sanguine horribiliter effuso, insuper igni cuncta tradentes. Isti uerò Orientales diuersimodè se gerunt. Præsul Antiochenus contentus est, ut è sua uicinia profligentur hæretici, ne suis ouiculis noceãt: ueruntamen politicus magistratus, cui quidem externa potestas erat commendata, tam pertinacibus hæreticis in alia ciuitate locum præbet, ubi impunè blasphement Dominũ, & ouiculas Christi corrumpant. Perinde igitur facit, ac si pediculos à capite tolleret, atq; in suas caligas collocaret, ut uulgò dicitur.

### DE SIMONIACA HÆRESI.

HEnricus Imperator prælium initurus cum Vngaris, uotum facit palàm coram uniuerso exercitu, si Dominus Deus uictoriam daret, se Simoniacam hæresin, ab apostolo Petro explosam atq; damnatam, quæ ab antecessoribus sit temerè hactenus permissa, è toto suo regno expulsurum esse. Intelligebat autem optimus Imperator, quàm fœdus ac pernicios us næuus in Ecclesia Christi existeret, quòd passim episcopatus, abbatiæ, aliæq; dignitates Ecclesiasticæ essent uenales. In promptu causa erat: quia regnum Christi spirituale, in regnum mundanum transformabatur, ita ut magnos census præsules Ecclesiæ acciperent, & planè more regum dominarentur. Hanc mercaturam Ecclesiasticorum, uidebat Henricus, indoctis & auaris hominibus esse aucupia pecuniarum: ipsis uerò ouiculis Christi, quæ doctrina atq; institutione destituerentur, exitiosissimam. Sæpe etiam expendebat, quàm hoc opus difficile futurum esset, si Ecclesiasticos ea in parte conaretur attingere, atq; istos cauponantes ueluti ex templo ad imitationem Christi expellere. Quid uerò postea Imperator præstiterit, non est annotatum. Luitprand. lib. 2. cap. 8.

## CAPVT VI.

### DE CEREMONIIS.

POtissima pars in Ecclesijs Romano quidem pontifici subiectis, erant ceremoniæ, quæ in dies magis magisque accumulabantur: doctrinę uerò longè posterior erat cura. Nam ceremoniæ non modò ad superstitiones plusquàm gentiles, sed etiam ad quęstum & honores erant

erant comparatæ atq; directæ. Probè norant istaucupia Romani aucupes seu piscatores. ideo huc omnes cogitationes, omnes artes, omnes uires conuertunt. Vides monasterijs, obseruationibus atq; statutis orbem compleri. Nos quidem ista, tanta cura & labore colligimus, ut pij Lectores, hác etiam Antichristi Romani notam, abundè & ad fastidium usq; cognoscant & abominentur. Plurimum enim differt uera eutaxia, decor & ædificatio Ecclesiæ Christi. Sed iam Lectores in ipsum chaos ceremoniarum deducimus.

## DE CONGRESSIBVS *publicis.*

TAm nocturnos quàm diurnos cōgressus, in usu fuisse in Ecclesia Dei, ex ijs quæ subij cientur patebit.

Noctu Berengarius, dum sacris interest, a Flamberto opprimitur: teste Luitprando lib.2.cap.20. Ottho natalē Domini Francofordiæ celebrans, tempore antelucano templum ingressus est: teste Reginonis cōtinuatore. Et nocturnis & matutinis laudibus in cœnobio Mimileue idem intererat. Ac peracto prandio uespertinas quoq; preces, eodem die negligere noluit. Vuitekindus lib.3. gestorum Saxoniæ. Et Mathildem, Otthonis Magni coniugem, de nocte ecclesiam ingressam esse, ac uigilijs & preculis recitandis se afflixisse, ibidem scribitur.

Ad eam uerò rē destinata erant templa, oratoria, basilicæ, ecclesiæ, capellę, (quo nomine sacella quędam, maioribus ecclesijs contigua, appellabantur) & similes ædes sacris rebus conuenientes, quarum infinitus penè est numerus: sed nos alijs omissis, tantum ea quæ hoc seculo, non quidem ex necessitate aliqua, sed potius mera superstitione cœperunt templa, breuiter perstringemus. Eaq; extructa sunt,

Aut in honorem Christi. Sic Ioannes Zimisces Imperator, Christi Seruatoris templum in Chalce magnificum extruxit. Zonaras tomo 3.

Aut Mariæ. Osuualdus archiepiscopus iuxta summam Vigorniæ ædem, aliam in B. Mariæ honorem extruxit. Ranulphus libro 6. cap.10. in Polychronico. Circa annū Domini 991, Augustæ in D. Virginis honorem templum extrui cœptum est: ut Bruschius annotat.

Aut Apostolorū. Gandaui in Blandini co monte, templum principis Apostolorū, olim extrui cœptū, Arnolphus comes perfecit, anno 975. Meyerus in Chronico Flandriæ. D. Paulo Reginoburgij templū, per Vuolfgangum episcopū cōsecratur. Auentinus 5. Annaliū. In Gradensi ciuitate Veneolus, Venetiarum dux, S. Marci templū, quod incendio corruerat, restituit. Bergomensis lib.12. Augustę, in honorem S. Ioannis, Vdalricus eius loci episcopus templum extruxit. Conradus Constantiensis episcopus, in honorem Iohannis, Pauli & Mauritij, templa cōdidit: ut Bruschius indicat, de Episcopatibus Germaniæ.

Aut Martyrum masculorum. Vuilbirga in arce Ebersperg, fanum D. Sebastiano sacrum constructit, Anno salutis 970. Auentinus 5. Annalium. Ioannes Zimisces in honorem S. Theodori circa Euchaneā magnificum parauit templum, teste Cuspiniano. In S. Laurentij honorem, Marsburgense tē plum extructum. Chronicon Marsburgense. Bauoni martyri templū extructum, dedicatumq; esse Ardenburgij, circa Domini annū 960, Iacobus Meyer indicat. Arnulphus, Flandriæ comes, Brugis nouum Donatiano sacrum erexit templū, anno 940. Ibidem. Chiliano magnificū templum intra suæ urbis mœnia, Bernhardus Herbipolis episcopus ædificauit: ut Bruschius indicat.

Aut fœminarum. Gandaui iuxta nouam arcem, templum D. Pharahildis extrui cœptum, Anno 912. Chron. Flandriæ.

Aut Episcoporum. Conradus imperator anno imperij sui quinto, Hartesburgi apud Saxones episcopatum fundauit, ibiq; templum in honorem Valeriani Treuerorum quondam præsulis, extrui fecit: ut in Saxoniæ Chronico annotatur.

Aliàs maiores, aliàs minores fuerunt ecclesiæ. Sacellū pro Epiphanij ossibus, iuxta summam ædem Othuuinus Hildesheimensis condidit episcopus, teste Bruschio.

Plurima in Vuagirorum terra, Eouuardi Aldenburgensis episcopi temporibus templa extructa esse, narrat Helmoldus in Slauorum Chronico.

Zurzachij primariam ędem Gebhardus Constantiensis episcopus condidit: ut Bruschius refert.

Thieto Vuirzburgensis episcopus, summam ædem, quæ suo tēpore incendio corruerat, restituit: ut idem annotat.

Fuerūt & ecclesiæ quasi munitiones quędam. Ludouicus enim Veronæ in ecclesia S. Petri, quæ in montis uertice sita erat, propter loci tum amœnitatem, tum munitionem, commorabatur. Luithprandus lib. 2. cap.11. Et in uilla Theodonis capellam, ne pro munimine haberetur, destructam esse, Reginonis cōtinuator ait. Prope Mediolanum, Burchardus Sueuorum dux ex templo munitionē extruere in animo habuit: unde se non modò Mediolanenses, uerùm etiam alios Italiæ primates, suo subdere iu-

go posse sperabat. Luithprandus lib. 3. cap. 4. Et ecclesiam S. Archangeli, quæ arx erat munitissima, adeò contra Otthonem. III. munijt Crescentius, ut deinceps nõ tã Archangeli, quàm Crescentij nomen gereret: teste Platina.

## RITVS CONSECRATIONIS & Dedicationis.

RECens extructa templa consecrari, & dedicari solebant: idque præsentibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus & Imperatorib. fiebat, in maximo hominũ cœtu. Villegisus Moguntinus rogante Vigero comite, ecclesiam in Turnilan consecrauit, teste Mariano Scoto. Et anno 945, ecclesia S. Maximini apud Treuirenses dedicata est: ut Schafnaburgẽsis indicat. Quedlinburgensis & Vualbicẽsis ecclesiæ, ab Arnulpho Halberstadensi cõsecrantur episcopo, magna tũ cleri tũ populi multitudine præsente: teste historia Quedlinburgẽsi. Helinuuardus Mindensis episcopus, ad suę ecclesiæ dedicationem, Padebornensem & Osnaburgensem uocat episcopos, qui ea in re ipsi gratificati leguntur apud Cranzium in Metropoli lib. 3. cap. 32. Annus Christi 952 ibidẽ annotatur. Solennis illa & celeberrima ecclesiæ Halberstadensis dedicatio, præsentibus duodecim, iuxta Apostolorum numerum, episcopis, abbatibus & abbatissis pluribus, Otthone tertio Imperatore, ipsius auia Adelheide & Mechtilde, duce Bernhardo, Ludolpho Capuano comite, alijsq; quàm plurimis principibus uiris, ac populi & cleri ingenti concursu, magno apparatu ac sumptibus peracta est Anno 992: ut in Quedlinburgensi scribitur historia. Albero Remorum episcopus Gandauense templum, in Bardinico monte, ritu solenni dedicasse anno 975, in Flandriæ Chronico scribitur.

Ante dedicationẽ uerò, ecclesijs de sumptibus satis esse prospectum necesse erat. Solebat enim prius queri ex fundatore alicuius ecclesiæ, num de sufficiente dote sit ei prospectum, ut uetus Agenda loquitur. Postea consecrationis opus peragebat episcopus. Sed haud stultè sapuêre boni illi uiri. Idem monet & Regino libro primo, capite uigesimotertio, de disciplina Ecclesiastica.

Res autem, ut uetus habet Agenda, hoc ordine peragebatur. Conuenerunt ad limina templi iam consecrandi, episcopus sacris indutus uestimentis, omnis clerus, cunctusq; populus: ibiq; duodecim positæ fuerunt candelæ ardentes. Ad templi fores occlusas recitabantur primùm ab episcopo aliquot preculæ. postea clero & populo tem plũ circumeuntibus, & cãtantibus respõsoriũ aliquod: episcopus parietes aqua benedicta, quæ sale mixta erat, aspergebat. Quibus ad templi ostium, unde modò digressi fuerãt, redeuntib. episcopus, repetitis prius aliquot precatiunculis, ad ostiũ accedens, baculo illud pulsabat: Tollite, inquiẽs, portas, principes, uestras, & eleuamini portę eternales, & introibit rex gloriæ. Cui diaconus in templo cõclusus respondebat: Quis est iste rex gloriæ? Episcopus uicissim: Dominus fortis & potens in prælio. His tertiũ uice peractis, ianuã reserari iubebat pontifex. qua aperta, ipse cum duobus, tribusue ministris, cũ mãsionario & acolytho tantũ ingrediebatur, ter hac iterata salutatione, Pax huic domui: moxq; ostiũ denuò clauebatur, & episcopus se ad altare prosternẽs, preces faciebat. At clerus foris letanias cantabat, quibus facerdotes humeris gestantes feretrũ, quo reliquiæ nouũ illustraturæ templũ continebantur, astabant ulq; dũ episcopus altare & omnia eius instrumenta sanctificasset. Ludebat autẽ interim quibusdã in templo ineptijs episcopus, appingẽdo literas parietibus, exorcizãdo sal, aquam, cinerem, uinũ: his q; simul commixtis intingebat pollicem, ac sæpius crucis signo altare notabat. deinde & parietes interiores tẽpli, totã q; areã perfundebat. Post hæc rediens ad altare, incensum offerebat. Tandẽ in omnes angulos pollice infinitam cruciũ pingebat multitudinẽ, hęc adijciens uerba: Sanctificetur hoc templũ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amen. His peractis, concionem habebat episcopus ad populũ, ante ostiũ templi, de honore Ecclesiastico, de decimis uel oblationibus Ecclesiarũ, ac de anniuersaria ipsius Ecclesiæ dedicatione, alijsq; de rebus magis uentrem quàm sacros spectãtibus cultus. Tandem simul omnibus ingressis, templum horrendo boatu replebatur.

Ijs aũt tũ nomina imponebãtur, uel Christi, uel angelorũ, uel martyrũ. Tuto Reginoburgẽsis episcopus, Pragense templũ D. Vito cõsecrat. Auentinus lib. 4. Annaliũ. Apud Aldenburgũ, Iohanni baptistę recens extructũ dedicatur templum. Helmoldus cap. 12. historiæ Slauorũ. Mindẽsis ecclesia in honorem sanctorum martyrum, Gorgonij, Laurentij & Alexandri consecratur: teste Cranzio in Metropoli lib. 3. cap. 32. Gandauense templum Iohanni baptistę dedicatur. Meyerus in Chronico Flandriæ.

Gratis dedicationẽ ab episcopo fieri debere, probat Regino lib. 1. de disciplina Ecclesiastica, cap. 23. ex Vuormacienſi synodo.

Altaria quoq; consecrari solebant. Theodoricus Metensis episcopus duas aras in

ecclesia S. Vincentij sibi contiguas, præsentibus Vuigfrido Viridunensi, & Gerhardo Tullensi pontificibus: unam in S. Luciæ Syracusanæ, alteram uerò in Prothi & Iacinthi martyrũ honorẽ cõsecrauit, ut in Theodorici uita, cap. 16. scribitur. Apud Corbeienses altare Stephano sacrum fuit, testẽ Vuitichindo. Et in summo templo Madeburgi, ad altare Philippo & Iacobo apostolis sacrum, Adelberti cadauer humatũ est: ut in Saxoniæ scriptum est Chronico.

Templa, altariaq; de quorum consecratione dubitatur, sacris initiari debere, Regi ex Meldensi Synodo probat.

Aspergebatur autem altare consecrandũ aqua benedicta, ac circũquaq; crucis signo notabatur, canente clero antiphonã, Asperges me Domine: & Psalmũ 51. His subijciebat episcopus preces, ut Deus hoc altare spiritualibus sacrificijs deputandum, præsenti benedictione sanctificare, & oblationibus à suis famulis, deuotionis studio impositis, benedicere, & spirituali hoc placatus incenso, semper promptè preces eorũ exaudire dignetur. Deniq; tabulam altaris oleo sanctoidem perfundebat, ac ut super illam corporis sui ministrãdam hostiam benedicat, & consecratam suscipiat Deus, precabatur: ut ex ueteri constat Agenda.

Et reliqua altaris ornamenta: ut patinæ, ad conficiendum in ijs corpus Christi.

Corporale, ad tegendum, inuoluẽdumque corpus & sanguinem Christi.

Calix, in usum diuini ministerij.

Linteamina, ut diuinis cultibus apta existant.

Stola, ut ministri altaris, qui ea induũtur, spiritus sancti gratia repleãtur.

Eucharistialis, seu uasculum quo Christi corpus includitur, ut uirtute Spiritus sancti nouum fiat Christi sepulchrum.

Crux, ut sit inimicis Christi obstaculum, & credentibus in ipsum perpetuum uictoriæ uexillum. Ea tum sancta aspergebatur aqua, addito simul incẽso, & precatiũcula: ut orantes, inclinantes ue ad eã, corporis & animæ sanitatem inueniant.

Thuribulum, ut quod offertur in eo, sit fuga dæmonum, phantasmatum repulsio, cogitationũ immundarũ excussio, sicq; nos efficiamur Christo boni odoris templum.

Thymiama, ut sit contra diaboli incursiones munimen firmum.

Capsę, in quibus sanctorum ossa reponebantur. Sed cum eiusmodi ineptijs neq; Christus neq; Apostoli quicquam habuerunt comercij.

*Quæ contenta in Templis.*

In loca autẽ illa sacris rebus deputata, reponebãtur imagines & statuę Christi, & aureæ cruces. Luithprãdus lib. 5. cap. 13. Aureas cruces & calices D. Petro sacros, suis scortis distribuit Romanus pontifex: ut idem lib. 6. cap. 6. testatur.

Vuilhelmus Moguntinus, Otthonis secundi frater, ex tributo, quod Longobardi quotannis pendebant Imperatori, crucem auream, Christi in ea dependentis imagine illustrẽ fecit: eaq; Padebornense donauit templũ, hoc uersu adscripto,

*Auri sexcentas hæc crux habet aurea libras.*

Chronicon Saxoniæ. Ottho III Spirensi ecclesię, auream Christi crucifixi donauit imaginem, in qua simul ipsius Imperatoris uiua expressa erat imago. Bruschius.

Sanctorum imagines Formosi corpus, cũ ex Tyberi extractũ, in templum, ut ibi sepeliretur, delatum esset, salutâsse scribuntur apud Ranulphum lib. 6. cap. 4.

Tum aliarum rerum. Sergius enim Romanorũ pontifex, Lateranensem ecclesiã à se reparatã, multis donis & ornamentis locupletauit: idq; ad parietes templi pingi curauit, ut Antoninus scribit. Himmo Sagallensis abbas, plurimũ in sua gubernatione tẽporis picturis, ingeniosisq; imaginibus, quibus templi parietes illustrabat, tribuit: ut Bruschius de eo scribit.

Anathemata, seu arma & insignia uirorũ præstantiũ. Gero Magdeburgensis burggrauius, mortuo, quem unicũ habebat, filio, sua insignia Romæ in altari D. Petri deposuit: ut in Saxoniæ Chronico annotatur.

Neq; tantum in templorum parietibus imagines conspiciebantur, sed & alijs in locis. Vintoniæ in quodam monachorum conclaui, imaginem Christi de cruce pendentis, in frequenti patrum consessu, pro clericis restituendis uocem edidisse, scribit Polydorus lib. 6. Anglicæ historiæ.

Codices sacri. Ioannes Casinensis abbas, codicem Missalem, ac Euangeliorum librum, cum argenteis tabulis auro obductis, fecit: multosque alios libros ad totius anni usum scribi curauit: teste Leone Hostiensi libro 1. capite 56. Vtho Argentinensis, hinc iude libros conquiri iussit, ut Bruschius testatur. Cum Padebornensi templo simul libri, literæ & priuilegia incendio conflagrarunt, circa annum Domini 999: ut Crantzius libro tertio, capite quarto, in Metropoli scribit.

Altaria. Hoc hodie seruatur in ecclesia, ut si altitudo altaris excesserit breuem staturam sacerdotis, aliquod suppedaneum tempore officiorum admoueatur, quod expleto officio possit remoueri. In libro de Altercatione Synagogæ, capite 9. Ad altare Aquisgrani Ottho imperator, ab Hildeberto Mogun-

to Moguntino diademate regio ornatur, teste Vuitichindo lib. 2. Iohannes Casinensis abbas altare quoddam, per gyrum argẽto ornauit: & magnũ illud altare, sub quo S. Benedictus latebat, marmoreis tabulis uestiuit. Leo Hostiensis lib. 1. cap. 56.

Eaque picturis ornata erant, aut uelaminibus. ut Hugonis auream fibulam, Otthonis Imperatoris dono, Corbeiensibus concessam, gemmarum uarietate mirabilem, uidemus in altari protomartyris Stephani rutilantem. Vuitichindus libro 2. Et indumentorum altaris meminit Leo Hostiensis libro primo, capite 56. de Casinensibus. Velaminum altaris uetus Agenda meminit. Mundissimis linteolis & pallijs altaria uestienda esse, Regino libro primo, de disciplina Ecclesiastica, capite sexagesimo, docet.

Ac erant istic reorum asyla. Tancmarus, qui fratri suo Otthoni rebellarat, ab Imperatoris satellite ad aram in Ecclesia S. Petri apud Heresburgenses, lancea per fenestram missa perfoditur. Vuitichindus lib. 2. Et seditionis Constantinopolitanæ conscij, compressis motibus ad Ecclesiam magnam confugiunt. Zonaras tom. 3.

Habebant & columnas, quarũ acta Metensium in uita Adelberonis meminêre, quòd ijs templum adornârit.

Et cancelli. Eorum fit mentio apud Zonaram tom. 3.

Et candelas, lucernas, candelabra ad imagines collocata, & suffimẽta. Duo argentea candelabra fabricari fecit Ioannes Casinensis abbas, teste Leone Hostiensi libro 1. cap. 56.

Tabulas, quas cõsecrari solitas, uetus indicat Agenda. Auream tabulam Hildesheimensi ecclesiæ in D. Virginis honorem Dethardus eius loci antistes donauit: ut Crantzius libro tertio, cap. undecimo Metropoleos refert.

Coronas. Coronæ argenteæ magnæ cũ argenteis catenis, quam Casinenses Vngaris pro redemptione captiuorum exposuerunt, meminit Hostiensis libro 1. capite quinquagesimo octauo.

Organa musica. Organa enim & cymbala sonuerunt in Colonienſi templo, cum Bruno ordinaretur episcopus. Rogerius in uita eius. Gilbertus Remẽsis præsul, organa, quæ calefactæ aquæ uiolentia modulatos emittebãt sonos, fabricauit: teste Heinrico de Ertfordia.

Suggestuum ambonis, Vincentius lib. 24. cap. 55, & uetus Agenda meminêre.

Horologium apud Remenses Gilbertus episcopus extruxit. Heinricus de Erphordia. Et Luithprandus lib. 3. cap. 8. ait, Sacrã ædem à Romano Constantinopoleos Imperatore extructam, ab alijs νέαν, hoc est nouam dici: ab alijs uerò ἐννέαν, quod nouenalem sonat, eo quòd ibidem horarum Ecclesiasticarum machina, nouem pulsatarũ bus seu uocibus audiatur.

Bibliothecas. Edelstanus Angliæ rex, nullum non monasterium libris donauit. Vincentius lib. 24. cap. 64.

Vestes sacerdotum. Presbyteros semper stola uel orario indutos esse debere, propter sacerdotalis dignitatis differentiam, Regino lib. 1. de disciplina Ecclesiastica, capite 330 & 331, ex Triburiensi & Moguntina synodo refert. Et laicorum uestitum latitatem utcunq; præ se ferentem, omnino clericis interdictum esse, ibidem ex diuersis Concilijs probatur.

Campanarum pulsus, quibus ad cõuentum uocabantur, in usu fuisse, Luitprandus libro secundo, capite uigesimo his uerbis indicat:

*Se primum quatiens strepit*
*Gallus, quum uigiles facit*
*Mortales, solito sonat*
*Et pulsata Deo canit*
*Iam tunc ænea machina,*
*Inuitatq; docens bene*
*Letheum graue sperneret*
*Laudes huic modo redderet,*
*Qui uitam tribuit, dedit*
*Et nobis superam bene*
*Sanctam quærere patriam.*
*Hic rex Ecclesiam petit,*
*Ac laudes Domino canit.*

## QVAE IN CONGRESSV facta sint.

Flebant autem in publicis cõgressibus cãtiones, precationes, lectiones sacræ, conciones, administratio cœnæ Dominicæ, gratiarum actiones, oblationes seu eleemosynarum collectiones.

De Cantionibus. Ottho Magnus in ecclesia Mimeleuensi peracto Euangelij cantu infirmari cœpit. Vuitichindus libro tertio gestorũ Saxonicorũ. Stephanus Leodicensis episcopus, cantus de Stephano, de crucis inuentione, de Lamberto, & officium Trinitatis in octaua Pentecostes cantari solitum, dulci exornauit melodia. Trithemius. Rathbodo quoq; Vltraiectẽsis episcopus, integrum de S. Martini translatione officium, ac uarios in honorem sanctorum cantus composuit, ut idem annotat. Notingerus episcopus plures hymnos, qui adhuc hodie in Cõstantiensi ecclesia in usu sunt, composuit. Bruschius.

Hoc seculo in Anglicanis ecclesijs Kyrieleison cantari cœptum est. Eiusque rei occasionem

occasionem, mendacio haud absimilẽ, Vincentius recitat: Dunstanum scilicet Missam celebraturũ, in altari obdormijsse, & in cœlum raptum ab angelis Trinitati sic canenti bus didicisse. lib. 24. cap. 85.

De precationibus. In templis orandum, in agris autem laborandum est. Radulphus libro 1. cap. 1 in Leuiticum. Berengarius, ut Domino laudes canat, templum petijt. Liuthprandus libro 2. cap. 20. Et in oratorijs nihil aliud agendum esse, quàm id ad quod destinata sunt, nimirum orandi & psallendi cultum, Regino docet libro 1. de disciplina Ecclesiastica, cap. 54. Episcoporum & presbyterorũ esse, ut post sermonem ad plebem habitum, diebus Dominicis uel festis moneant, ut preces faciant pro omnis generis necessitatibus, pro regibus, Ecclesiarum rectoribus, pro pace, peste, infirmis in illa parochia decumbentibus, pro defunctis. Regino libro 1. de disciplina Ecclesiastica, cap. 190.

De lectionibus. Apud Polonos sub Miecislao duce mos inoleuit, ut homines eque stris ordinis in templis, dũ sacerdos apud altare pronunciat, unde recitaturus sit Euangelium, medios stringant gladios, quasi Euangelij & religionis defensionem pro frentes: choro autem respondente, Gloria tibi Domine, recondant. Diuque hunc in Polonia mansisse morem, Cromerus libro tertio annotat.

De concionibus. Diebus cinerũ Elphegus Vintoniensis episcopus populũ pro cõcione hortatus est, ut ieiunio & castitati illis diebus uacẽt. Ranulph. lib. 6. cap. 6. In ora Missarum solennia concionem habendam ad plebem, monet Regino lib. 1. de disciplina Ecclesiastica, cap. 190. Presbyteros non noua aut inusitata, ex suo cerebro progenita, sed secundum Scripturas prædicare debere: idem cap. 201, ex capitularibus probat. Vdalricus Augustanus episcopus diligenter inquirebat, recte ne sui presbyteri docẽdi munere fungerentur: ut in uita eius scribitur.

Oblationum fidelium ad altare, Regino libro 1. de disciplina Ecclesiastica, capite 62 meminit. Easque pauperibus, hospitibus & peregrinis distribuendas esse, ex synodo Nannetensi, lib. 1. de disciplina Ecclesiastica, cap. 338 asserit.

Modestiam in publicis congressibus prę standam esse, idem docet, inquiens: Si domus Dei, domus orationis uocatur, hoc debet esse, quod dicitur, nec aliud quicquam agi: sed omnia sancta, omnia munda, & tam tummodo ad Ecclesiasticum ministerium pertinentia. libro primo de disciplina Ecclesiastica, cap. 59.

Loca sacris destinata reuerenter colenda, Radulphus docet: Si tabernaculo illi parcendum à sordibus fuit, in quo boum ouiumq; sanguis immolatis hostijs fundebatur: quanto magis loco illi deferendum est, in quo corpus & sanguis Christi quotidie consecratur, & mors unigeniti sub sacramento representatur? libro undecimo, capite tertio in Leuit. Item: Si sanctuario tanta exhibetur reuerentia, in quo uitulorum & hircorum sanguis offerebatur: quid illi honoris habendum est loco, in quo populus sacratum Christi corpus assumit, & beatum sanguinis ipsius haustum bibit, in quo sacrosancti latices ueternas diluunt culpas, chrismate uerò genus ut creetur Christicolarum? Idem lib. 14. cap. quarto in Leuitic.

In templis Synodi etiam celebrari solebant. In basilica enim Basoli confessoris, Synodus Remis, ubi Arnulphus deponitur, celebrata est: ut ex actis constat, cap. 1.

Et iuramenta & homagia præstari. Vincentius lib. 24. cap. 65.

In templo Colonien si B. Petro sacro, ad altare maius, testamentum Brunonis eiusdem sedis archiepiscopi relectum est, teste Rogerio in uita eius.

*Casus circa dedicationem.*

Moguntiæ templum primariũ, ipso quo consecrabatur die, mirando & iusto Dei, contra superstitiones illas Ethnicismum resipiẽtes, iudicio, incendio corruit: ut Schafnaburgensis scribit.

RITVS CIRCA BAPTISMVM.

BAptizandi munus episcopis & sacerdotibus cõmune erat, ut superiori seculo: teste ueteri Agẽda, & Reginone lib. 1. de disciplina Ecclesiastica, cap. 262 & 263. Marco Aldenburgẽsis episcopus, infinitam Slauorũ multitudinẽ baptizauit: teste Helmoldo cap. 12. Adelbertus monachus Ludouicũ, qui postea ad Imperij fastigium, post patris obitum conscendit, baptizauit: ut Bruschius autor est.

Tempus quodlibet commune & liberũ fuit. Statim enim post partum, Adelbertus Stephanũ Geysæ Vngarorum ducis filium baptizat, teste Bonfinio. In ueteri tamẽ Agenda, & apud Reginonẽ lib. 1. de disciplina Ecclesiastica, cap. 269, Paschatis & Pẽtecostes in primis fit mentio: ut in ijs, si non necessitatis casus prohibeat, baptismus administretur.

Tã infantes quàm adultos baptizabant. Helena Rugorum regina, Constantinopoli baptizata est. Continuator Reginonis. Zonaras tomo 3. uocat Elgam Rossorũ reginã.

Patrini adhibiti etiam sunt, quos in doctrina Christiana mediocriter instructos, &

à fide non alienos esse oportebat. Theodatus Apuliæ princeps, qui regno eiectus apud Geysam Vngariæ ducem latitabat, Stephanum filium eius è baptismo susceptit. Quem postea infans reuerentiæ causa semper uernacula Italorum lingua Tata, quod patrem significat, salutauit. Bonfinius libro primo, Decadis secundæ rerum Vngaricarum. Et paruulum Heroldi Daniæ regis filium, Ottho imperator de sacro fonte leuauit. Helmoldus capite nono, in Chronico Slauorum. Porrò nullum admittendũ, ut ex baptismo infantem suscipiat, nisi prius symbolum & orationem Dominicam coram presbytero recitarit: ipsos patrinos quoq; à baptizãte monẽdos, ut sui esse muneris sciant, hęc capita spiritualibus suis filijs, cum ad iustam ætatem peruenerint, discenda proponere, Regino libro 1. de disciplina Ecclesiastica, cap. 272, ex Remensi synodo annotat.

Renunciare diabolo & eius pompis solebant, ut ex ueteri patebit Agenda: cuius uerba infrà de Excommunicatione adscribemus.

Ac ijs nomina imponebãtur. Geisæ Vngarorum ducis filiolus, Stephani nomen in baptismo sortitus est, teste Bonfinio. Et Heroldi Daniæ regis filius, Sueniottho appellatus est post acceptum baptisma. Helmoldus capite 9. Olaus Sueciæ rex, Bernhardi pontificis industria conuersus, & sacro baptismate tinctus, Iacobi nomen accepit. Saxo Grammaticus lib. 10 Danicæ historiæ. Vlricus Augustanus filium Adelberonis comitis à Sent baptizauit, ipsique suum indidit nomen. Auentinus 5 annalium.

Vtebantur lingua Romana non solum apud Italos, sed etiam aliorum locorum sacerdotes, pontifici Romano subiecti: ut ex ueteri Agenda, ubi Latino sermone baptizandi forma præscripta est, liquet.

De more Romanorum, aqua baptismi consecrari solebat. Extende, inquit Dominus ad Moysen, manum super mare. In signum huius manus extentæ, & uenti flantis, adhuc in ecclesia in Sabbatho paschali, sacerdotes aquas baptismi consecrantes findunt aquas manu, & sufflant eas flatu, & apponunt cereum accensum in typo columnæ ignis, quæ præcedebat eos per noctem. Nocte enim ingressi sunt mare, & baptismi sacramentũ iuxta noctem celebrandum est. Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ ex cap. 9. Exodi.

Ter immergebantur aquæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: ut uetus Agenda habet: & Regino libro primo de disciplina Ecclesiastica, capite 263, idem seruandum ex Apostolorum canone probat.

Albis uestibus à baptismo induebantur. Sint parati, inquit uetus Agenda, patrini, cum linteaminibus, quibus baptizatum excipiant.

Gratis baptismum regenerandis conferendum esse, ex Gelasij epistola Regino libro 1. de disciplina Eccles. cap. 121 adstruit.

Nec silentio prætereundum hic censemus, nusquam in ueteri Agenda, salis in baptismo adhibendi mentionem fieri.

DE CONFIRMATIONE

*Chrismate.*

Episcopi de facultatibus ecclesiæ balsamum emebant, idq; consecrabant, & presbyteris dabant ad usum in Ecclesia. Bernhardus episcopus Halberstadensis, in carere pontificalia ornamenta, quasi chrisma consecraturus, induit. Cranzius lib. 3. cap. 10, in Metropoli.

Fiebat autem cõsecratio chrismatis die cœnæ Dominicæ, iuxta Cranzium: eo fine, ut qui eo ungendi sint, in numerum filiorum Dei per Spiritũ sanctum cooptentur. ut uetus Agenda loquitur.

Chrismate inungere penes solos episcopos erat, ut uetus habet Agenda: Solis decebetur, inquiens, episcopis, ut consignent chrismate, & Spiritum paracletum tradãt. Episcopo tamen absente, licebat quidem presbytero, in casu necessitatis, inungere chrismate, ab episcopo prius consecrato: sed uerticem tantum, non autem frontem, quod penes solum erat episcopum.

Inungebantur autem tum adulti, tum pueri, post baptismum. Infantes enim in brachijs dextris tenebantur: maiores uerò natu uno pede patrini sui insistebant pedi, sicq; fiebat unctio. Ibidem.

Ceremoniæ erant publicæ: fiebat impositio manuum, & consignatio frontis, per oleum chrismatis. adhibebantur etiã patrini, ut ad baptismum. ibidem.

*Casus circa Baptismum.*

I.

Ethelredus Odgari & Elfridæ filius, qui postea annis 26 apud Anglos regnauit, dum baptizatur, alui excrementis baptismum conspurcauit: unde Dunstanus, qui eum baptizabat, uaticinatus est, fore eum hominem ignauum, & Ecclesiæ turbatorẽ. Heinricus de Erphordia: Vuilhelmus Malmesburiensis libro 2. cap. 53. & Ranulphus libro 6. cap. 13.

II.

Iohannes Romanus pontifex, eius nominis XIIII, primus fuit qui baptizatis campanis nomina dedit. Ipse enim maiori Lateranensis ecclesiæ campanæ suum commu-

communicauit nomen. Balæus Centuria 2 Scriptorum Britanniæ. Qui mos mox in uniuersam irrepsit Ecclesiam, ut ex ueteri Agenda liquet: ac insignis accesit superstitio, quòd nimirum tincti æris sonitu fugetur diabolus, præueniantur fulmi num ictus, ac omnis generis calamitates, quæ uentorum turbine infligi possint, auertantur.

III.

Edgaro Anglorum regi septem annorum pœnitentia, ob uitiatam Deo sacratam uirginem, à Dunstano indicitur: quibus peractis absoluitur, & infans baptismi sacris initiatur, teste Vincentio libro uigesimoquarto.

## RITVS CIRCA CLAVES.

### DE CLAVE LIGANTE.

VTebantur claue ligante contra obstinatos, & notoriè impios, ut cõtra hæreticos & blasphemos. Ansbertus libro 5. capite 11 Apocalypsos: Ecclesia contraria Christo sentientes, atq; in malo perseuerantes, anathematum fulmine percutit. Et contra manifestè facinorosos, & contumaces. Herineus Remorum archiepiscopus, Vuinimarum Folconis interfectorem, perpetuo anathemate ferijt. Regino lib. 2. Et Bernhardus Halberstadensis, eo quòd de suo agro, nouo Magdeburgensi episcopo nihil concedere uellet, incarceratus, Orthonem Imperatorem excommunicat. Cranzius libro tertio, capite decimo, in Metropoli. Et Libentius Hamburgensis in Danos finitima uastantes loca, Ecclesiæ gladium distrinxit. Ibidem cap. 42. Et sacrilegi, urbisq; Remensis proditores, qui nec sponte, nec ui ad satisfactionem uenerant, iterato anathemate damnantur in concilio Remensi, cap. ultimo. Comitem quendam incæstuosum & impœnitentem, anathematis uinculo Dunstanum constrixisse, Vincentius libro uigesimoquarto, capite 49 narrat. Ioannem Zimiscen cædis Nicephori reum, templi aditu prohibet patriarcha: eumque, nisi prius acta pœnitentia, admittere noluit: teste Zonara tomo tertio. Methodius Morauorum archiepiscopus, suum regem excommunnicatione ferit: uniuersoque regno sacris interdicit, eo quòd in ipsum sacra peragentem, in templo, præter alia conuicia uenaticos immisisset canes: ut Æneas Syluius capite decimotertio historiæ Bohemicæ indicat. In Synodo Duisburgensi, Bennonis Meres anathemate feriuntur, teste Reginonis diomatricum episcopi excæcationis auto continuatore.

Ac tales arcebant ab Ecclesiæ consortio, licet solenni ritu Ecclesiæ nondum essent indicati: ut Regino libro secundo de disciplina Ecclesiastica, capite 60, ex concilio Nannetensi probat. Et Theophylactus inquit: Magna quondam pœna erat segregatio, atq; adeò excommunicatio: sed hodie minus habet ponderis, neque in usu est. Si enim ab simpliciter ocio torpente fugiendum est, operaque danda ut ab eo seiungamur: quanto magis ab alijs indigna facinora committentibus? In cap. 3. posterioris ad Thessalon.

Abusi tamen etiam interdum sunt ea potestate, uel in causis leuioribus, uel contra innocentes. Sic Iohannes Romanus pontifex profugus, ad episcopos Romæ congregatos scribit: Nos audiuimus dicere, quòd uos uultis alium papam facere; si hæc facitis, excommunico uos de Deo, ut non habeatis licentiam ullum ordinare, & Missam celebrare. Verùm hæ literæ papales à Synodo refutantur. Luitprandus libro sexto, capite decimo. Et Iohannes eius nominis XVII, omnibus episcopis qui in Remensi Synodo, inscio Romano pontifice, suo suffragio Arnulphum damnarant, sacris interdicit: teste Æmylio de gestis Francorum.

Præcedebant autem, præsertim si delicta non omnibus nota erant, ad monitiones de pœnitentia: quibus frustra factis, sequebatur excommunicatio. Comitem quendam incæstuosum Dũstanus, cum monitiones de pœnitentia audire nollet, excommunicat: ac eundem postea, cum minas spiraret atroces, iteraro excommunicationis fulmine ferijt. Vincentius libro uigesimoquarto, capite septuagesimonono. Et Iohannes XI, Angliæ regi negligenter res sacras in suo regno curanti, nisi emendetur, minatur excommunicationem. Polydorus libro sexto Anglicæ historiæ.

Delictorum autem rationem haberi, ac pro eorum diuersitate diuersas sententias ferri debere, ex concilio Moguntiaco, Regino libro primo de disciplina Ecclesiastica, cap. 292 monet. Idem capite 399, & sequentibus aliquot, ex diuersis Concilijs adstruit.

Solenni autem excommunicationis actui intererant episcopi, sacerdotes, clerici & tota Ecclesia. Herineus cum multis alijs episcopis, Vuinimarum perpetua excommunicatione damnat. Regino libro secundo.

Solebant etiam peccata commissa publicè recitari, reo præsente: ut ex formulis excommunicationis uidere est, quas subijciemus.

Cum excommunicatis familiariter conuersari non licebat, neque Aue dicere, neque cibum capere: multo minus in rebus sacris participari. Edgaro regi licet nondum excommunicato, Dunstanus ob uitium uirgini Deo dicatæ oblatum, manum porrigere detrectat, eumque grauiter obiurgat: Tu, inquiens, manum audes contingere meam, qui uirginem Deo sacratam non es ueritus rapere? nolo esse amicus, cui Christus fuerit inimicus. Vincentius libro 24. capite 87.

Impœnitentes die cinerum ab ecclesiæ liminibus prohibitos esse, Ranulphus libro sexto, capite sexto, in Polychronico testatur.

Extat apud Cranzium libro 3. capite 10. in Metropoli, breuis excommunicationis forma, qua Bernhardus Halberstadensis, contra Otthonem Imperatorem usus est, quam adscribere libet. Aderat sacra Iouis Dominicæ cœnæ, quasi chrisma consecraturus. iussit in carcerem dari pontificalia ornamenta, quibus indutus regem iubet acciri, credens iam emollitum, & malis perdomitum. Venit. ubi astitit, episcopus inchoat: In nomine, inquit, supremæ Trinitatis anathematizo te Rex, cum omnibus qui te non deserendum putat, quòd manum inieceris & detines Christum Domini. Rex cachinno excipiens digreditur: altius tamen deinde descendit in pectus eius, pontificalis imprecatio. Et intra se reuersus, misit qui episcopum laxarent impetrata uenia. Ita obtinuit episcopalis seueritas, ne se uiuo aliquid detraheretur.

Alia item in concilio Remensi, cap. duodecimo, his uerbis extat: Authoritate omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, interueniente & adiuuãte beata Maria semper uirgine: autoritate quoque ac potestate Apostolis tradita, nobisque relicta: excommunicamus, anathematizamus, maledicimus, damnamus, & à liminibus Sanctæ matris Ecclesiæ separamus, uos Remensium prædonum autores, factores, cooperatores, fautores, & à proprijs dominis rerum suarum sub nomine emptionis abalienatores. Obtenebrescant oculi uestri, qui concupiuerũt: arescant manus, quę rapuerunt: debilitentur omnia membra, quæ adiuuerunt. Semper laboretis, nec requiẽ inueniatis, fructuq; laboris uestri priuemini: formidetis & paueatis à facie persequentis & nõ persequẽtis hostis, ut tabescẽdo deficiatis. Sit portio uestra cũ Iuda tradi tore Domini in terra mortis & tenebrarũ, donec corda uestra ad plenam satisfactionem conuertantur. Hic autem sit modus plenæ satisfactionis, ut omnia iniustè ablata, præter cibum & potum, propijs dominis ex integro restituatis, coramque Remensi ecclesia pœnitendo humiliemini, qui sanctam Remensem ecclesiam reuerenti non estis: nec cessent à uobis hæ maledictiones, scelerum uestrorum persecutrices, quãdiu permanebitis in peccato peruasionis. Amen, fiat fiat.

Et in ueteri quadam Agenda, aliquot excommunicationis formulæ habentur, quas hic subijcere libet.

Nouerit charitas uestra, fratres mei, quòd quidam uir nomine N. diabolo suadente, postponens Christianam promissionem, quam in baptismo professus est, per apostasiam conuersus post Sathanam, cui abrenunciauit, & omnibus operibus eius: uineam Christi, id est Ecclesiam eius, deuastare & deprædari non pertimescit, pauperes Christi, quos precioso sanguine suo redemit, uiolenter opprimens & interficiens, & bona eorum diripiens. Vnde quia filius huius nostræ Ecclesiæ, cui Deo auctore præsidemus, debuerat esse, quia in ea per aquam & Spiritum sanctum natus est, & inter adoptiuos filios Dei annumeratus: quamuis modò filius diaboli sit, imitando diabolum: solliciti, ne per negligentiam pastoralem aliqua de ouibus nobis creditis deperiret, pro qua in tremendo iudicio ante principem pastorum, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, rationem reddere cõpelleremur (iuxta quod ipse terribiliter nobis comminatur dicens: Si non annunciaueris iniquo iniquitatem suam, sanguis eius de manu tua requiretur) Misimus ad eum presbyterum nostrũ, & literas commonitorias semel atque iterum, atque tertiò, inuitantes eum canonicè ad emendationem, & satisfactionem, & pœnitentiam, corripientes eum paterno affectu. Sed proh dolor ipse, diabolo corrosus indurante, monita salutaria spreuit, & in cœpta malicia perseuerans, Ecclesiæ Dei, quam læsit, superbiæ spiritu inflatus, satisfacere dedignatur. De talibus itaque transgressoribus, & sanctæ religionis, pacisque, quam Christus suis discipulis dedit atque reliquit, uiolatoribus, de præceptis Dominicis & Apostolicis habemus, quibus informamur, quid de huiuscemodi præuaricatoribus agere nos oporteat. Ait enim Dominus in Euangelio: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eũ. Fratres, in unoquoque nostrũm peccat, qui in sanctã Ecclesiã peccat. Si enim sancta Ecclesia unum corpus est, cuius corporis caput Christus est, singuli autem sumus alter alterius membra: & cum patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra nostra: iubente Domino,

go Dominus, ut frater, id est Christianus in nos peccans, primò secretè corripiatur, deinde cum testibus redarguatur, nouissimè in conuentu Ecclesiæ publicè conueniatur. Quòd si has tres admonitiones & pias correptiones contemnit, & satisfacere despicit: posthæc sit tibi, inquit, sicut Ethnicus, id est gentilis atque paganus: ut non iam pro Christiano, sed pro pagano habeatur. Et in alio loco: Membrũ quod à sua compage resoluitur, & à iunctura charitatis dissociatur, & omne corpus quod scandalizat, Dominus abscindi & proijci iubet dicens: Si oculus, manus, uel pes tuus scandalizet te, erue eum, & proijce abs te. Et Apostolus: Auferte, inquit, malum ex uobis. Et iterum: Infidelis si discedit, discedat. Et in alio loco, rapaces à regno Dei excludit dicens: Neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et alibi: Si quis frater nominatur, & est fornicator, aut adulter, aut homicida, aut rapax, cũ huiusmodi nec cibũ summere licet. Et Iohannes dilectus præ cæteris Christi discipulis, talem nefarium hominẽ salutare prohibebat dicẽs: Ne aue ei dixeris, neque eum in domum receperis. Qui enim ei Aue dicit, communicat operibus eius malignis. Dominica itaque atq; Apostolica præcepta adimplentes, membrum putridũ & insanabile, quod medicinam non recipit, ferro excommunicationis à corpore Ecclesiæ abscindamus, ne tam pestifero morbo reliqua membra corporis, ueluti ueneno interficiantur.

Igitur quia monita nostra, crebras exhortationes contemnit: quia legitimas relinquentes uxores, adulteris coniuncti: tertiò secundum Dominicum præceptum uocatus, ad emendationem & pœnitentiam uenire despexit: quia culpam suam nec dum cognouit, nec confessus est, nec missa nobis legatione (qui causam ipsius exequimur, quia noster parrochianus est) ueniam non postulauit: quia in cœpta malicia, diabolo cor eius indurante, perseuerat, & iuxta quod Apostolus dicit, Secundum duritiam suam & cor impœnitẽs thesaurizat irã in die iræ: idcirco nos eum cum uniuersis socijs, & sibi fauentibus complicibus, & communicatoribus, fautoribusque suis, iudicio Domini omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & beati Petri principis Apostolorum, & omnium Sanctorum, nec non & nostræ mediocritatis autoritate & potestate nobis diuinitùs collata ligandi atque soluendi in cœlo & in terra, à pretiosi corporis & sanguinis Domini perceptione, & à societate omnium Christianorum separamus, & à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ in cœlo & in terra excludimus, & excommunicatum & anathemizatum esse decernimus, & damnatum cum diabolo & angelis eius, & omnibus reprobis in igne æterno iudicamus: nisi fortè à diaboli laqueis resipiscat, & ad emendationem & pœnitentiam redeat, & Ecclesiæ Dei, quam læsit, satisfaciat. Et respondeant omnes tertiò, Amen: aut, Fiat fiat: aut, Anathema sit. Debent autem duodecim sacerdotes episcopum circumstare & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusione anathematis uel excommunicationis proijcere debent in terram, & pedibus conculcare. Posthæc episcopus plebi ipsam excommunicationem communibus uerbis debet explanare, ut omnes intelligant, quàm terribiliter damnatus sit: & ut nouerint, quòd ab illa hora in reliquum non pro Christiano, sed pro pagano habendus sit: & qui illi quasi Christiano communicauerit, aut biberit, aut eum osculatus fuerit, uel cum eo colloquium familiare habuerit: nisi fortè ad satisfactionem & pœnitentiam eum prouocare studuerit, aut in domo sua eum receperit, aut simul cum eo orauerit, procul dubiò similiter sit excommunicatus. Deinde, epistolæ presbyteris per parochias mittantur, continentes modum excommunicationis: in quibus iubeatur, ut Dominicis diebus, post lectionem Euangelij, plebibus sibi commissis publicè annuncient ipsam excommunicationem: ut ne quis per ignorantiam communicet cum excommunicato. Oportet etiam, ut alijs episcopis ipsa communicatio manifestetur. Præcipit enim Toletanum concilium, ut inuicem mox scripta percurrant, per omnes prouinciæ episcopos, quoscunque adire potuerit excommunicatus. Seniori etiam eius ipsa excommunicatio debet nota fieri.

*Alia Excommuncationis forma.*

Audistis dilectissimi, quanta & quàm horrenda opera prauitatis ac iniquitatis, N. à diabolo instigatus post auersionem, id est, abominationem, perpetrare non timuerit, & quomodo per apostasiam à totius Christianæ religionis cultu prophanæ mente recesserit. Audistis, quemadmodũ canonicè ad satisfaciendum euocatus sit, sed uenire distulerit: quomodo frequenter admonitus, ut resipisceret, diaboli laqueis quibus tenebatur adstrictus, saluberrimas admonitiones obturatis auribus cordis audire contẽpserit. Dominus dicit in Euangelio de tali contumaci fratre, qui Ecclesiæ renuit susscipere correptionem: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi, inquit, sicut Ethnicus & publicanus, id est, iam nõ

est cõputandus inter Christianos, sed inter paganos. Hinc Paulus Domini & magistri doctrinam sequens, Corinthios redarguit, quare cum criminosis ac sceleratis communionem haberent, dicens: Vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio uestrûm (id est, separetur à uestro consortio) qui tale scelus operatus est. Et adiungit: Ego quidem absens corpore, præsens autẽ spiritu, iam iudicaui, ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri IESV CHRISTI cõgregatis uobis, & in meo spiritu, cum uirtute Domini mei IESV, tradere huiusmodi Sathanæ, in interitũ carnis. Et post pauca: Scripsi uobis, ne cõmisceamini fornicarijs. Et statim infert: Si is qui frater appellatur, id est Christianus, fornicator est, aut rapax, cũ huiusmodi nec cibũ sumere. Et alibi: Auferte malũ ex uobis. Et: Infidelis si discedit, discedat. Vna enim ouis morbida omnẽ gregẽ contaminat, & modicum fermentum totam massam corrumpit: & plerunque unum membrum putridum, totum corpus inficit. & ideo tam pernicioſa pestis à corpore Ecclesiæ radicitùs euellatur.

Dominicis igitur atque Apostolicis informati præceptis, iudicio Patris, & Filij eius Domini nostri IESV CHRISTI, & Spiritus sancti, & autoritate & potestate Apostolis, apostolorumq; successoribus à Deo concessa, una uobiscum, prædictum pessimum uirum à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ excludimus, & ab omni societate & communione Christiana separamus, separatumque esse in æternum decernimus: id est, & in præsenti seculo, & in futuro. Nullus ei Christianus Aue dicat, aut eum osculari præsumat: nullus presbyter Missam celebrare cum eo audeat, aut sacrosanctum corpus & sanguinem Domini tradere: nemo ei iungatur in consortio, neque in aliquo negocio. Et si quis ei se sociauerit, & communicauerit eius operibus malignis, nouerit se simili percussum anathemate. His exceptis, qui ob hanc causam ei iunguntur, ut eum reuocent ab errore, & prouocent ad satisfactionem: nisi fortè resipuerit, & Dei gratia inspirante ad pœnitentię remedium conuersus fuerit, & digna emendatione Ecclesiæ Dei, quàm læsit, humiliter satisfecerit.

### *Alia Excommunicationis forma.*

Canonica instituta, & sanctorum patrũ exempla sequentes, Ecclesiarum Dei uiolatores, uidelicet raptores, deprædatores, & homicidas, N. in nomine Patris & Filij, & uirtute Spiritus sancti, nec non autoritate episcopis per Petrum principem Apostolorum diuinitùs collata, à sanctæ matris Ecclesiæ gremio segregamus, ac perpetuo maledictionis anathemate condẽnamus: sintque maledicti in ciuitate, maledicti in agro, maledictum horreum eorum, & maledicta requies illorum, maledictus fructus uentris eorum, & fructus terræ illorum: maledicti sunt ingredientes, & maledicti egredientes: sintque in domo maledicti, in agro profugi: ueniantque super eos omnes illæ maledictiones, quas Dominus per Moysen in populum diuinæ legis præuaricatorem se esse missurum intentauit: sintque anathema maranatha, id est, pereant in secundo aduentu Domini. Nullus eis Christianus Aue dicat, nullus presbyter missam celebrare præsumat, uel sanctam communionem dare. Sepultura asini sepeliantur, & in sterquilinium sint super faciem terræ. Et sicut hæ lucernæ de manibus nostris proiectæ hodie extinguuntur, sic eorum lucerna in æternum extinguatur: nisi fortè resipuerint, & Ecclesiæ Dei, quam læserunt, per emendationem & condignã pœnitentiam satisfecerint.

### *Alia.*

Canonica instituta, & sanctorum patrũ exempla sequentes, Ecclesiarum Dei uiolatores, N. autoritate Dei & iudicio Spiritus sancti, à gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & consortio totius Christianitatis eliminamus, quousque resipiscant, & Ecclesię, Deiquam læserunt, satisfaciant. Hæc uetus Agenda. Eadem de excõmunicatione habet & Regino, libro secundo de disciplina Ecclesiastica, cap. 410.

### DE CLAVE SOLVENTE.

Excommunicati, aut notoriè sceleratiꝑ pœnitentiam agebant, recipiebantur: ea tamen conditione, ut prius disciplinę Ecclesiasticæ satisfecissent: ut ex ueteri Agenda, cuius sæpius in hoc capite mentionem fecimus, patet, quæ sic habet: Cum aliquis excommunicatus uel anathematizatus, pœnitentia ductus, ueniam postulat, & emendationem promittit: episcopus, qui eum excommunicauit, ante ianuas Ecclesiæ uenire debet, & duodecim presbyteri cum eo, qui eum hincinde circumstare debent. Vbi etiam adesse debent illi, quibus iniuria uel damnũ illatum est, & ibi secundum diuinas & humanas leges oportet damnum commissum emendari: aut si iam emendatum est, eorum testimonio comprobari. Deinde episcopus interroget, si pœnitentiam iuxta quod canones præcipiunt, propterpetratis sceleribus suscipere uelit. Et si ille terræ prostratus ueniam postulat, culpam confitetur, pœnitentiam implorat, de futuris cautelam spondet: tunc

episcopus apprehensa manu eius dextra, eum in ecclesiam introducat, & ei communionem & societatem Christianã reddat. Post hæc secundum modum culpæ, pœnitentiam ei iniungat: & literas per parrochias dirigat, ut omnes nouerint, eum in societatem Christianam receptum. alijs etiã episcopis hoc notum faciat.

Comes quidã incœstuosus à Dunstano excommunicatus, pœnitentia ductus, dimissa sua uxore, quę ipsi sanguinis uinculo iuncta fuerat, nudis incedens pedibus, laneis q; indutus, ac uirgas in manu gerens, ad Dunstani pedes in concilio episcoporũ se prouoluit, sicq; absolutionem meretur. Vincentius lib. 24. cap. 79.

Recipiẽdi, sua peccata enumerare cogebantur sacerdoti: ut Regino lib. 1. de disciplina Ecclesiastica, cap. 288. asserit.

Solebant & accessuri ad cœnam sacram, prius confiteri. Nam ex confitentibus quadragesimali tempore, orationem Dominicam & Symbolum apostolicum exigendũ esse: nec quenquam ad communionẽ admittendum, nisi ea memoriter teneat: Regino lib. 1. de disciplina Ecclesiastica, capite 272. monet.

Confessis & pœnitentibus, sacerdotes pro suo arbitrio satisfactiones imponebãt. Vualramo Colonienſi archiepiscopo, eo quòd suũ antecessorẽ ectasi correptum sepelijsset, satisfactionis loco à pontifice Romano imponitur, ut collapsum aliquod reparet monasteriũ. Crantzius in Metropoli, li. 3. cap. 45. Et Dunstanus Edgaro regi, cũ iam multis lachrymis suũ ob cõmissum facinus, dolorẽ testatus esset, septennẽ pœnitentiam indixit, ut in toto hoc spacio coronam regni nõ gestaret, ieiunium in hebdomada biduale transigeret, pauperibus thesauros largè distribueret. Præterea sacrandis Deo uirginibus monasterium Suessionæ fundaret: ut qui unam per peccatum Deo abstulisset, plures ei per sectã aggregaret. Aliaq; plura ei iniũgit: nihilq; fuit quod minus uel segnius rex impleret, quàm à reatore uitæ suæ præceptum fuisset. Septimo autem anno, cum pœnitentiæ tempus exactum fuisset, sacer præsul accitis omnibus regni Anglorum principibus, episcopis, abbatibus, coram populi multitudine regi coronam imposuit, cunctis lętantibus. Vincentius lib. 24. cap. 78.

Alfreda ob cõmissam cædem (priuignũ enim Edouardum Anglorũ regem interfici curarat) pœnitens, ieiunio & uerberib. corpus suũ afflixit: omne patrimoniũ aut egenis distribuit, aut ad sacrarũ ædium extructionẽ contulit. Ac duo condidisse monasterium fertur cœnobia, in quorum altero Vintoniensis diœcesis ipsa uitã deinceps egit. Polydorus Vergil. lib. 6. Anglicæ historiæ. ubi eam solo stratam sine ceruicali cubasse, scribit Vuilhelmus Malmesburiensis lib. 2. cap. 51. Et Ioannes Zimisces, qui cædis Nicephori reus uulgò credebatur, cũ ipse ad sui defensionem id causæ prætendisset, se proprijs quidem manibus cædem nõ perpetrasse: à patriarcha Polyeucto iubetur Theophanonem imperatricem regia pellere, percussores Nicephori exilio mulctare: ac librũ, quo Nicephorus sanxerat, ne quis pontifex se insscio designaretur, lacerare: & quas priuatus tenuisset opes, pauperib. elargiri. His factis, iterum in Ecclesiam admittitur, teste Zonara tom. 3.

De publica pœnitẽtia, inquit Radulphus: Qui uoluntatis nutum ad peccati consensum inclinauit, citò tamen antequam illud opere perpetraret, à peccandi uoluntate resilijt, non est ei necessaria illa afflictionis austeritas, & publica pœnitentia, quæ criminalium operum reis imponitur. Quicunq; in lacum illiciti operis descenderunt, quos iam praua premit consuetudo, quorũ mors iam publicata est: quoniam quibuslibet uidentibus aut scientibus peccare non erubescunt, maiore opera resuscitandi sunt, multæ sunt eis lachrymæ necessariæ, multi gemitus: publica quoq; illis pœnitentia iniungenda est, ut omnibus quos illorũ peruersitas scandalizauerat, nunc cõuersione satisfaciat. lib. 4. cap. 5. in Leuitic.

Abusi interdum sunt & claue soluente, cum impœnitentes absoluerũt, aut ad communionem admiserunt. Sic Romanus pontifex multis muneribus corruptus, pro suo imperio mandat Dunstano, ut comitem, quem ob incœstum, piorum cœtu eiecerat, absoluat: sed Dunstanus Pontifici parêre detrectat. Vincent. lib. 24. cap. 79.

## RITVS RECEPTIONIS *& Absolutionis.*

NEmini de pœnitentibus iudiciũ usurpare licuisse, præter episcopos & presbyteros, quibus claues regni cœlestis traditæ sint: attamen extrema urgẽte necessitate, illis uidelicet absentibus, diacono, ut pœnitentem ad cõmunionem suscipiat, concessum fuisse, ex pœnitẽtiali Romano, lib. 1. de disciplina Ecclesiastica, cap. 295. Regino indicat.

Ritus autẽ recipiendi pœnitentes hoc seculo, in Romana præsertim ecclesia, talis in usu fuit, ut ex ueteri patet Agẽda: Pœnitentes in atrio templi collecti, ad pedes Pontificis procumbunt, usque dum eos surgere iubeat. Interim plures psalmi & antiphonę canuntur. Postea archidiaconus quidã, omnium pœnitentium nomine sic alloquitur

episcopum: Adest ô uenerabilis pontifex tempus acceptum, dies propitiationis diuinæ, & salutis humanæ, qua mors interitum, & uita accepit æterna principium, quando in uinea Domini Sebaoth sic nouorum plantatio facienda est, ut purgetur execratio uetustatis. Quamuis enim à diuitijs bonitatis & pietatis Domini nihil tẽporis uacet, nunc tamen & largior est per indulgentiam remissio peccatorum, & copiosior per gratiam assumptio renascentiũ. Augemur regenerandis, crescimus reuersis: lauant aquæ, lauant lachrymæ: inde gaudium uocatorum, hinc lætitia de absolutione pœnitentium. inde est quòd supplices tui, posteaquam in uarias formas criminũ, neglectu mandatorum cœlestium, & morum probabilium transgressione ceciderunt, humiliati atque prostrati, prophetica ad Dominum uoce clamãt, dicentes: Peccauimus, iniquè egimus, iniquitatem fecimus, miserere nostri Domine. Euangelicã uocem non frustratoria aure capientes: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Manducauerunt, sicut scriptum est, panem doloris, lachrymis stratũ rigauerunt: cor suum luctu, corpus suum afflixerunt ieiunijs, ut animarum reciperent, quam perdiderant, sanitatem. Vnicum itaque est pœnitenti suffragium, & quod singulis prodest, & omnibus in cõmune succurrit. Post hæc denuò iubentur pœnitentes, se ad Episcopi proijcere pedes: canũtur itidem aliquot Psalmi & antiphonæ. His finitis surgere iubentur prostrati, & diaconus quidã denuò episcopum sic alloquitur: Redintegra in eis Apostolice pontifex, quicquid diabolo scindente corruptum est: & oratio num tuarum patrocinantibus meritis, perdiuinæ reconciliationis gratiam fac homines proximos Deo: ut qui antea in suis peruersitatibus displicebant, nũc iam placere se Domino, in regione uiuorum, deuicto mortis suæ autore gratulentur. Episcopus uerò eos monet, ut in posterum peccata, de quibus iam pœniteant, cauere summo studio conentur. Repetuntur postea iterũ Psalmi & antiphonæ. tandem ipse pontifex cum pœnitentium multitudine, in oratorio se posternit, ac clerus letaniam cantat: qua expleta, dimittuntur recepti in Ecclesiæ gremium.

CASVS CIRCA CLAVES.

I.

Heinricus Auceps oblato sibi Imperio, iuramento, nunquam suo capiti regium diadema imponẽdũ, confirmauit. uocatus ea de causa ad Romanã curiã, per tres annos excommunicationis pœnã sustinere coactus fuit. Quib. tãdẽ trãsactis, põtifex, quò iuramento satisfieret, statuit, coronam in baculo Imperatori præferri debere: ut Hermannus Gigas narrat.

II.

Odonem Cluniacensem, abbatiam suscipere detrectantem, episcopi sub excommunicationis pœna ad obsequiũ suum cogũt. Vincent. lib. 24. cap. 59.

RITVS CIRCA COENAM.

COenę sacrę administratio, penes episcopos, presbyteros, sacerdotes ista, ut ex Agenda ueteri cõstat. In die cœnæ Domini, Vlricus Augustanus episcopus in altari panem, ad communionem accẽtibus distribuit: ut in uita eius scribitur. In templis, super altaribus aut mensis adeam rem adornatis. Altarium enim passim fit mentio apud Reginonẽ, lib. 1. de disciplina Ecclesiastica.

In uasis metallicis & cõsecratis. Regino libro 1. de disciplina Eccles. capite 67. Et uasa altari seruientia singulari ritu dedicata esse, suprà diximus.

Vel singulis diebus Dominicis. Fideles, qui diebus Dominicis post lectum Euangelium discedunt, & communionem percipere negligunt, communione priuandos censet Regino, libro primo de disciplina Ecclesiastica, cap. 193.

Vel in festis solennibus. Si non frequentius, saltem ter intra unius anni spacium laici communicare debent: in Paschate, Natalibus Domini, & Pentecoste. Idem lib. 1. de disciplina Ecclesiastica, cap. 95.

Vtebantur autem pane azymo, & uino aqua misto: ut Idem lib. 1. de disciplina Ecclesiastica, cap. 67 indicat.

Administratores erant induti uestibus ad eum usum ordinatis. Casulæ meminit Vincẽtius lib. 24. cap. 79. Et nulli presbyterorum absq; sacerdotali amictu, alba, stola, casula, Missam celebrare licitum esse, ex Remensi concilio Regino lib. 1. de disciplina Ecclesiastica, cap. 80. indicat.

Neq; mutilam, sed integram Cœnam, tã laicis quàm clericis distribuebant. Otho Imperator lecto decumbens, Sacramentũ corporis & sanguinis Dominici experiuit, & percepit. Vuitichindus li. 3. Et Elgifa se mina moritura, corpus & sanguinem Christi accepit. Vincẽtius lib. 24. cap. 75. Corpore & sanguine Domini infirmorũ animas recreandas, docet Regino lib. 1. de disciplina Ecclesiastica, cap. 119. Populus sacratã Christi corpus assumit, bibit & beatum sanguinis ipsius haustum: Radulphus lib. 14. cap. 4. in Leuit.

Nondum baptizati, uel etiam adhuc excommunicati; uel manifestè flagitiosi, uel nondum plenè instituti de capitibus doctri-

næ cæ-

næ cœlestis, uel qui nondum satisfecerant disciplinæ Ecclesiasticæ, arcebantur à communione. Orationem Dominicam & Symbolum recitare nescientes, à sacra Cœna suspensos, ex Reginonis libro 1. de disciplina Ecclesiastica constat.

DE MISSA.

Cœnam Domini in theatricũ spectaculum, & sacrificiũ pro uiuis & mortuis, à superiorum temporum pontificibus transformatam, iam quoq; retinuerunt, & subinde nouos ritus affinxerunt. Mathildis de nocte templum ingressa, Missarum solennibus semper intererat. Vuichindus libro 3. gestorum Saxonicorum. In forma ordinationis presbyterorum, quæ in ueteri extat Agenda, dicitur: Accipe potestatem Missam celebrandi, & sacrificium offerendi pro uiuis & mortuis. Et Dunstanus die Pentecostes, lota facie conscendens ad altare, ait: Nunc cõfido, quòd sacrificium de manu mea suscipiet omnipotens. Et in eadem Missa, cum diceret, Ecclesiam tuam Domine pacificare, custodire, adiuuare & regere digneris: niuea in capite eius resedit columba, quæ peractis tandem sacris auolauit: ut Vincentius lib. 24. cap. 79 nugatur.

Officium de S. Trinitate in octaua Pentecostes sub Missarum sacris cantandum, ex Alcuini libro dulci melodia Stephanus Leodiensis episcopus exornauit: ut Trithemius in Hirsaugiensi Chronico narrat.

Ad Missarum solennia, pallia, aliaque ornamenta miserunt suis mancipijs Romani, beneficio Agapeti. Halberstadensis episcopus logio, hoc est rationali, in Missarum celebratione diebus solennibus, solitus utebatur: ut habent Acta Metensium in Theodorici uita, capite nono. Et Leo in Epistola ad Gerhardum, Laureacẽsis ecclesiæ archiepiscopum, ait: Pallium fraternitati tuæ ad Missarum solennia celebranda concedimus: quod tibi non aliter, Ecclesiæ tuæ priuilegijs in suo statu manentibus, uti largimur, nisi solum in die consecrationis chrismatis, ac sanctæ & uenerandæ resurrectionis Domini nostri IESV CHRISTI, seu in natalitijs sanctorum Apostolorum, atq; B. Iohannis baptistæ: nec non in festiuitatibus sanctæ Dei genitricis Mariæ, simulque in Dominico Domini nostri natiuitatis die, pariterque in solennitatis Ecclesiæ tuæ die, & natalitio tuo die: uerumetiam in consecratione episcoporum & presbyterorum, & quando à te Synodus celebratur, si forte illic conuenticulum fuerit neophytorum, qui ad fidem Christi tua adhortatione sunt perducendi: nec non in festiuitate S. Stephani protomartyris Christi, sanctique Laurentij, & illorum sanctorum tuorum qui corporaliter in tua requiescunt parochia, uti concedimus die, sicuti à prædecessore nostro D. Gregorio huius almæ sedis præsule sancitum est. In sacrario uerò tua fraternitas pallium induere debet, & ita ad Missarum solennia proficisci: & nihil tibi ausu temerariæ præsumptionis arrogare: ne dum in exteriori habitu inordinatè aliquid arripitur, inordinatè etiam quæ licere poterant amittantur.

Et nullibi quàm in loco sacro Missas celebrare licebat: ut Regino libro primo de disciplina Ecclesiastica, capite 131. ex Laudicensi concilio: & capite 336, ex Anacleti epistola probat.

Multis autem præsentibus Missas esse celebrandas, idem libro 1. de disciplina Ecclesiastica, capite 191. ex Nannetensi concilio adstruit. Cui enim dicet, Dominus uobiscum, aut Sursum corda, oremus, &c. cum nemo adsit qui respondeat?

In patena conficiebatur corpus Christi, ut uetus Agenda loquitur: ac mos fuit Romanæ ecclesiæ, ut in confectione corporis & sanguinis Domini adsint presbyteri, & simul cum pontifice uerbis & manibus conficiant.

Ac oportebat presbyteros Missas celebrantes, simul communicare. In synodo Romana Iohanni criminis loco obijcitur, quòd Missam celebrans non communicarit. apud Luithprandum lib. 6. cap. 7.

In Missa autem, quæ die cœnæ Dominicæ peragebatur, solus communicabat Pontifex: cui calicem offerebat diaconus, ac unicum tantum frangebat panem, qui soli episcopo porrigendus erat, ut in ueteri Agenda annotatur.

Qua in administratione sacrorum usi sint lingua, non satis constat. Æneas Syluius in Bohemica scribit historia, Cyrillum Romano pontifici supplicasse, ut sibi Slauonicæ linguæ usus, apud gentem illam, quam baptizasset, dum sacra perageret, concederetur. De qua re cum in sacro discepraretur senatu, essentq; ibi non pauci qui contradicerent, auditam uocem tanquam de cœlo in hæc uerba missam: Omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei. Indeque Cyrillus sui uoti compos factus est. capite decimotertio Bohemicæ historiæ.

Non ubique eadem missificandi fuit ratio. Bruno enim Colonienſis archipræsul, in tota sua prouincia diuersam sacra administrandi rationem correxit, ac ut idẽ mos apud omnes seruaretur constituit: ut Rogerius in uita eius scribit.

*Casus circa cœnam.*

I.

Manſit hoc ſeculo pontificium inuentũ, cœnæ Dominicæ uſu de crimine aliquo ſe purgandi. Fridericus enim archiepiſcopus Moguntinus, uulgi ſuſpicione, qua conſpirationis in Imperatorem reus agebatur, corporis & ſanguinis Domini perceptione in Eccleſia ſe liberat. Reginonis continuator.

II.

Dunſtanus, Cantuarienſis archiepiſcopus, cum propter Pentecoſtes ſolennitatem, pœnam trium uirorum (qui monetæ corruptores fuerant) dilatam audiret in alterum uſque diem: ad altare, Miſſarum ſolennia peragendi gratia, prius accedere noluit, quàm hi ſcelerati debitam ſuſtinuiſſent pœnam. Quibus punitis, Dunſtanus lota facie (exemplo forſan Pilati) ad altare conſcendit, dicens: Nunc confido quòd ſacrificium de manu mea ſuſcipiet Omnipotens. ac dum Miſſam celebrat, columba in caput eius reſedit: ſi Vincentij nugæ, quæ libro 24. capite 79. extant, fidem apud pios merentur.

III.

Conradus Cõſtantienſis epiſcopus, aranеam, quæ inter miſsificandum in calicem fuerat delapſa, cum uino ſine ualetudinis offendiculo ebibit: ut Nauclerus & Schedelius teſtantur.

IIII.

Edgarus Anglię rex uenatũ abiens, Dunſtanum archiepiſcopum rogat, ut Miſſam ad ſuum uſq; differat reditum. Epiſcopus inſtante Miſſæ hora accedit ad altare, ac ſacras induit ueſtes: ſed dum regem ibidẽ expectat, fortè inter preces ſomno correptus obdormijt: inq; cœlũm raptus, angelos audiuit canẽtes, kyrieeleiſon, Chriſte eleiſon, kyrieeleiſon. Somno excuſſo, cum regẽ nõdum redijſſe ex aſtantibus cognoſceret, iterum altari innixus, ſomno ſe dedit. Denuò in cœlum raptus, angelos conclamantes audiuit, Ite miſſa eſt. Quibus cum reſponderetur, Deo gratias, rex cum ſatellitibus præſtò fuit. Sed Dunſtanus Miſſam iterare noluit: ficq; rex diſceſsit. Vincentius lib. 24. cap. 85.

RITVS CIRCA
*Orationes.*

CErtas horas, quibus & publicæ & priuatæ fierent preces, obſeruarunt. Otho enim primus pro more, ſummo ſemper mane, orationis cauſa templum petijt. Luitprandus libro quarto, capite decimoſeptimo. Et in ſynodo Romana Iohanni pontifici Romano datur uitio, quòd matutinas & canonicas horas neglexerit, & ſe crucis ſigno non munierit. Idem libro 6. capite 7.

Ac loca ei rei deſtinata. Burchardus Sueuorum dux, antequam Mediolanum urbem ingreditur, ad uicinum quoddã templum S. Laurentij orationis gratia diuertit. Luitprandus libro 3. cap. 4. Et mulieres Romanæ Apoſtolorum limina inuiſere uerentur, propter Pontificis libidines, ne fortè etiam in templo uitium ipſis offeretur: ut idem libro 6. cap. 6 indicat. Et Richardus Normanniæ dux, in qualibet ecclesia, ubi ipſi tranſeundum erat, aut ſi aditus ei non patebat, ad templi muros orare conſueuit.

Interdum ad ſtatuas & ſepulchra oraſſe leguntur. Lotharius Mediolani ante crucem ſe proſternit. Luitprandus libro 5. capite 13. Otho imperator cùm ſuis copijs contra Heinricum pugnantibus trans Rhenum, (ipſe enim cis flumen caſtra poſuerat) auxilio uenire non poſſet, cum omni populo lachrymas fundens, ante uictoriferos clauos manibus Domini noſtri IESV CHRISTI affixos, ſuæ iam lanceæ impoſitos, oratione pugnauit. Luitprandus lib. 4. cap. 11.

Ex ſuperſtitione ad loca etiam remotiora profecti ſunt precatum. Otho II poſt acceptum Romæ diadema regium, archangeli Michaelis ædem in Gargano monte, uotis ſe exoluturus, orationis gratia adijt. Blondus libro ſecundo, Decadis 3. Et retius Otho poſt coronationem, in Apuliam ad Sanctum Angelum oratum abijt. Heinricus de Erphordia, & Martinus in Chronico. Idem & Guiſonem, urbem Poloniæ primariam, ſupplicandi gratia, ad Adelberti tumulum proficiſcitur: teſte Auentino libro quinto Annalium. Romualdus, Bonifacius, alijq; plures Germani ex Otthonis III exercitu, ad Capuanum monaſterium faciendarum precum cauſa uenêre. Leo Hoſtienſis libro ſecundo, cap. de cimooctauo. Gerhardus Hildesheimenſis epiſcopus, Romæ Apoſtolorum limina adijt, & ſuos ſubditorumq; exceſſus largis profuſis lachrymis deplorat. Acta Metenſium. Et Conſtantinus Imperator Conſtantinopolitanus in Olympi montem egreſſus eſt, monachorum ibidem habitantium precibus cõtra Agarenos ſe muniendi gratia. Zonaras tom. 3.

Fit & geſtuum ac geniculationis mentio. Expanſis manibus Romanus Cõſtantinopoleos Imperator, ante crepidinem ſtatus, cum lachrymis Deo preces effudit. Luitprandus libro quinto, capite undecimo.

Otho

Ottho nunciato sibi Eberhardi & Giselberti interitu, statim de equo descendit: ac cum lachrymis Deo gratias agens, orauit. idem libro 4. cap. 17. Cuno dux & miles, in Otthonis exercitu, cilicio corpus domans, gemitibus Deum exorabat. Rogerius in uita Brunonis.

Orationis formulæ suprà Capite quarto adscriptæ sunt.

Letaniarum, Regino lib. 1 de disciplina Ecclesiastica, capite 276. & uetus Agenda meminerunt.

## RITVS CIRCA VOCATIONEM & ordinationem ministrorum Ecclesiæ.

IVs eligendi & uocandi episcopos, sacerdotes & alios ministros, erat penes totam Ecclesiam, quæ clericis & laicis constat. Radulphus: Notãdum, quòd Moses pontificem filiosque eius consecraturus, turbam congregati: Iam hinc nostrorũ pontificum electioni & consecrationi formam præbens, ut scilicet quicunque eligũtur, cum assensu fidelis populi constituantur, lib. 6. cap. 1. in Leuiticum. Sergius ab utriusque ordinis hominibus, ut sedem Romanam inuadat, ab exilio reuocatur, ut Luithprandus indicat. Et Ioannes XIII, qui sede Romana per seditionem potitus fuerat à clero & populo, qui in eius electionem non consenserãt, ejicitur. Luithprandus libro 3. capite 12. Et Albericus Romanorum princeps, muneribus apud proceres, & minis apud clerum & populum, filium suũ Octauianum pontificem fieri obtinuit, teste Platina. Et Imperator Otthomagnus, Iohanne nulla non turpitudine in signi remoto, liberam clero & populo Romano, pontificem tanta sede dignum eligendi dat potestatẽ. Qui mox paribus suffragijs Leonem expetunt & impetrant teste Luitprando. Deo, cleri populiq; uotis annuente, Adelbero Mediomatricum constituitur episcopus: ut Sigebertus anno tat. Vuilhelmus Mogũtinus, cleri & popu li consensu se archiepiscopali sede potitum, literis quibusdam testatur, quæ apud Marianum Scotum & Trithemium extãt. Et Theodoricus, unanimi cleri populiq; que suffragio, læto omnium concentu, cunctoque Palatinorum senatu, Metensi sede potitur. Acta Metensiũ. Fridericus Heroldo, populi & cleri paribus suffragijs, in Iuuauienſi sede surrogatur, teste Auentino. Poppo Herbipolensis episcopus id priuilegij à magno Otthone suæ ecclesiæ impetrauit, ut defuncto episcopo, clerus ex suo cœtu successorem eligat. Bruschius.

In Episcoporum tamen metropolitano rum & archiepiscoporum electione & uocatione, uicinorum episcoporum & magistratus requirebatur consensus. Ecclesia Colonienſi episcopo destituta, quatuor ex sacro senatu, totidemq; laici probatæ fidei uiri, ad Otthonem, petitum sibi Brunonem episcopum dari, proficiscuntur. Quẽ etiam, Imperatore eorum annuente precibus, facilè impetrant. Rogerius in uita eius. Dãnato in Romana synodo sceleſtissimo pontifice Ioanne, cęteri præsules ibidem congregati, clerus & cunctus populus Imperatorem appellant, alium loco eius petentes constitui: Qui nobis, inquiunt, exemplo bonæ conuersationis præesse ualeat, & prodesse sibi: rectè uiuat, ac bene uiuendi nobis exemplum præbeat. Tunc Imperator: Placet, inquit, quod dicitis, nihilq; uc gratius nobis, quàm ut talis, qui huic sanctæ & uniuersali sedi præponatur, inueniri possit. His dictis, omnes una uoce dixerunt: Leonem uenerabilem sanctæ Romanæ ecclesiæ protoscriniarium, uĩ rum approbatum, ad summum sacerdotij gradũ nobis in pastorẽ eligimus, ut sit summus & uniuersalis papa Romanæ ecclesię: reprobato ob impios mores Iohanne apostata. Cum hoc omnes tertiò dixissent, annuente Imperatore, nominatum Leonem ad Lateranense palatium secundum consuetudinem cum laudibus ducunt: & certo tempore in ecclesia S. Petri ad summum sacerdotium sancta consecratione attollunt, & fideles se ei affuturos iureiurando promittunt. Luiprandus libro 6. capite 10 & 11. Romani quoque fidem dederant imperatori Otthoni magno, nũquam se præter ipsius aut filij consensum, pontificẽ deinceps electuros. Verùm Impetatore apud Camerinos agente, ipsi iuramento postposito, Iohanni, quem eiecto Leone recepe-rant, è rebus humanis exempto, Benedictũ quendam substituunt. Postea ad Imperatorem suos mittunt legatos, consensum eius requisitum. Verùm Imperator suam in electione autoritatem neglectam ęgrè ferens, legatos in suum conspectum admittere noluit: admotoque ad urbis mœnia exercitu, ferro & comeatus inopia in suum obsequium eos coegit: ac Leonem, cuius paulò antè electionẽ ipse ratam habuerat, restituit: ut Antoninus & Cranzius testantur. Qui postea & clerum, & populum Romanum, omni pontificem eligendi iure, in synodo quadam (ut suo loco dicemus) priuauit, soliq; que Imperatori tradidit: ut ex Martino Cusensi Blondus libro tertio, Decad. 2 annotat. At Leone mortuo, Romani Azonem scrinij magistrum, & Marinum Sutrij episcopum, ad Imperatorem ablegant, rogatum, sibi dari quem ipse uellet (ut Reginonis continuator habet) pontificem. His Im-

perator mox Odogarium Spirensem, ac Zizonem Cremonensem adiungit episcopos. Qui simul euntes Romam, communi plebis consensu Iohannem Narniensem episcopum substituunt, ut Auentinus quarto Annalium indicat. Gilbertus quoque autoritate Lotharij Francorum regis Remensi, ac postea per Otthonem III Rauennatensi, & denique Romana potitur sede: ut Vincentius & Antoninus referunt. Et Hildeuuardus ab Hermanno duce, cui Ottho magnus in Italiam contendens, Saxoniæ administrationem demandarat, Halberstadensem episcopatum suscipere iubetur. Quam successionem Ottho domum reuersus & probauit, & confirmauit. Chronicon Saxoniæ. Vdalricus Augustanus episcopus, plebis & cleri suffragia Heinrico imperatore comprobante, Augustanus consecratur episcopus: ut in uita eius anno tatur. Aleuicus Augiensis abbas, Otthonis tertij autoritate, Argentinensi potitur sede: ut Bruschius indicat. Rupertus à clero Spirensi, Otthone per literas id uel petente uel iubēte, eligitur episcopus. Et per Otthonem Anno Nemetum, ut Bruschius testatur: & Heinricus Augustana, post Vlricum, potiuntur sede: ut Hermānus Contractus & Schafnabergensis narrāt. Erpo Verdensem sedem Otthonis III autoritate conscendit, ut Cranzius testatur.

Apud Constantinopolitanos, patriarcha & primarijs sacerdotibus de suffragijs iusta ratione conferendis concertantibus, Nicephorus imperator sibi soli ius pro suo arbitrio episcopos designandi rapuit: ac omnes pōtifices huic decreto subscribere detrectantes, exilio mulctauit. Verùm hæc lex à Iohanne Zimisce, successore Nicephori, abrogata est: teste Zonara tomo 3.

Heinricus Imperator primus Arnoldo Boiorum duci plenariā, mortuo aliquo suę ditionis episcopo, alium substituendi dat potestatem. Luithprandus lib. 2. cap. 7.

Et Berengarius in Italia pro suo arbitrio dominās, electo ex Brixiana sede Iosepho, Antonium quendam, præter episcoporum consilium, propria autoritate substituit episcopum. Luithprandus lib. 5. cap. 13.

At Romani pontifices, supremam potestatem in electione & ordinatione confirmanda sibi uindicarunt. Romanus enim pontifex Iohannem Rauennatensibus ordinauit episcopum, ut Balæus annotat: uerùm eundem postea, ut inuasorem Ecclesię, à populo urbe electum, scribunt Naucle rus & Stella. Et Dunstanus Cantuariensis à Romano pontifice confirmationem & pallium accepit, teste Balæo. Et Iohannes XIIII Polonis Ægidium Tusculanum cardinalem, religionis plantandę gratia dedicat Apostolum: ac ut ibi diœceses constituat, episcopos præficiat, & (quod primum erat) doceat, ut Romanum pontificem Ecclesiæ caput agnoscant, iniūgit. Poloniæ Chronicon. Adeldagus Hamburgēsis pastorale baculum ab Otthone, palliū à Leone VIII (qui eum potestate in omnē Septentrionalem plagam constituendi episcopos, simul donauit) manus uerò impositionem à Mogūtino archipræsule accepit. Crāzius lib. 3. cap. 16 & 17. in Metropoli. Et Othricus Sacundus Magdeburgensium episcopus, dū confirmationis gratia Romam iret, in itinere perijt. Saxoniæ Chronicon. Iohannes Romanus pontifex, Arnulphi Remorum archiepiscopi depositione, & Gilberti successione, quæ sine ipsius facta erat consensu, cognita, statim Leonem quendam abbatem ad Remensem urbem ablegat: qui collecta Synodo autoritate pontificia, Gilbertum sua dignitate exuat, Arnulphumq; restituat: ut Æmylius & Annonius testantur. Et Bruno Colonienſis episcopus, Synodicam epistolam, per Hadamarum Fuldensem abbatem, ad Agapetum Romanum misit, ubi & fidei & electionis suæ rationem reddidit: qui eum pallio remunerauit, teste Rogerio, in uita Brunonis. Et Aleuicum Argentinensem Gregorius quintus consecrauit episcopū, ut Hermānus Contractus habet. Et clero Vuormaciēsi in electione noui episcopi dissentiente, Romani pontificis & Conradi Imperatoris autoritate, illa pars quæ Richouum petebat, superior fuit: ut Bruschius annotat. Mortuo Romę Francone, Spirensi episcopo, in gratiam Romani pontificis Erphonem surrogauit Imperator: licet stipulata manu Franconi promisisset, Burchardum fratrem germanū ipsius fore successorem. Idem.

Fiebat aūt per graduum ordinem promotio. Gifelerus ex diacono fit Mersburgēsis episcopus, pòst archiepiscopus Magdeburgensibus cōsecratur: ut habet Chron. Mersburg. Theodoricus ex diacono, Treueren sis eccleſiæ fit episcopus. Trithemius in Chron. Hirsaug.

De doctrina electi primùm examinabatur, ut ex Agenda ueteri constat. Antiquæ sanctorum patrum institutio docet, & præcipit, ut is qui ad ordinem episcopatus eligitur, maximè ut legimus in canone Carthaginensi, antea diligentissimè examinetur cum omni charitate, de fide sanctæ Trinitatis: & interrogetur de diuersis causis uel moribus, quę huic regimini congruunt, & necessaria sunt retinere, secundum Apostoli dictum: Manus nemini citò impoſue-

ris. & ut etiam is qui est ordinandus, an-

tea

tea eruditatur, qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat conuersari in Ecclesia Dei: & ut inexcusabiles sint, qui ei manus ordinationis imponunt. Extant ibidē & quæstiones ordinando episcopo proponerat, episcopus designabatur.

Examinati ordinabantur uel ab archiepiscopo aliquo. Adeldagus Hamburgensis Libutio cuidam S. Albani monacho, episcopi munus apud Rugos subeundum demandat Francofordiæ. Continuator Reginonis. Hogerus à Coloniēsi per cōtentionem, Adeldagus uerò à Moguntino ordinantur Hāburgenses episcopi: ut Cranzius lib. 2. cap. 24. & libro 3. cap. 16. in Metropoli annotat. Et Polyeuctus Constantinopolitanus, à Cæsarienſi episcopo ordinatur. Zonaras tom. 3. Giselerus Mersburgensis, & Hugo Cicensis ab Adelberto Magdeburgensi ordinātur episcopi. Chronicon Merspurgense. Heinricus Treuirorum episcopus, Theodoricum Metensem consecrauit episcopum. Acta Metensium. Euuardus ab Adeldago ordinatur episcopus Aldenburgensibus. Holsatiæ Chronicon.

Præsentibus etiam uicinorum locorum episcopis, pastorale munus per Ecberti Treuirorum episcopi manus accipit Adeldagi apud Hamburgenses successor, pastoralem ferulam ab Otthone III, pallium à Romano pontifice impetrauit. At ordinationem à suffraganeis suscepit episcopis. Cranzius libro tertio, cap. quadragesimo secundo in Metropoli.

Tempus. In synodo Romana accusatur Iohannes pontifex, quòd diaconum quendam nulla temporis habita ratione ordinarit in stabulo equorum: ut Luithprandus refert. Et ordinatio Adalberonis Mediomatricum episcopi, quæ ad natalem Domini ob motus bellicos dilata fuerat, die Innocentum peragitur, quia ad hoc Sacramentum peragendum dies Dominicus à patribus constitutus fuerat. Acta Metensium.

Locus. In Synodo Ingelheimensi Fridericus Viennensibus ordinatur episcopus, anno 958, præsentibus 16. episcopis, ac ipso Otthone imperatore: teste Continuatore Reginonis. Et Leo Romanus pontifex, certo tempore in ecclesia sancti Petri consecratur. Luithprandus libro sexto, capite undecimo.

Impositæ sunt eis manus, unctum caput, consecratæ manus, pollex chrismate tinctus, traditus baculus & annulus: ut uetus habet Agenda. Præterea peculiari uestitu induebantur, oleoque perfundebantur ordinandi. Nam Theodoricus pontificali petalo indutus, & benedictionis oleo perfusus, ab Heinrico Treuirensi; Mediomatricum ordinatur episcopus. Acta Metensium. Et Radulphus: Visibile unguentum inuisibilis unctionis Spiritus sancti sicut speciem, sic etiam operationem habet. per illam quippe, si idoneos se ei præbeāt, Spiritus sanctus hominibus datur. Sic de Dauid, postquam à Samuele unctus est, Scriptura testatur, Quia directus est Spiritus Domini à die illa, & in reliquum. Videant itaq; qui ad tantum officium eliguntur, qui in hoc consecrantur ut per eos alij sanctificentur, quales accedant. Scriptum est enim: Ab immundo quid mundabitur? Mūdos igitur eos esse oportet, qui alienæ mundationis curam susciptiunt. lib. 3. cap. 3. in Leuit. Item: Nunc pontificum & regū capita oleo sacro perfunduntur: qui autem minoris sunt ordinis sacerdotes, unctionē istam in manibus solis accipiunt. Idem lib. 6. cap. 2 in Leuit.

Ac de Brunone Colonienſi archiepiscopo Rogerius in uita eius in hunc modum scribit: Cum ad sedem sanctissimam uentum esset, factus est concursus ingens populi, infinita trepidatio uulgi: nouis gaudijs exultauit ciuitas, clerus ex monasterijs conuenit, sanctimonialium multitudo concurrit: conditio quælibet, & sexus uterque plus solito ad gaudia conuenerunt. Episcopi autem qui frequentes aderant, & huius sancti cleri senatus, acclamantibus cunctis in uoce exultationis & salutis, electum à Deo & hominibus uirum super cathedram pontificalem sedere fecerunt: & laudem Deo simul uniuersi clamore, quo quisque poterat, in organis nihilominus & cymbalis, & quocunq; signo lætitiæ personuerunt.

Pleriq; huius seculi Romanorum pontifices, uel armis uel largitionibus sede poti sunt, pauciſsimis in tanta copia (triginta enim ferè in hoc incidunt seculum) exceptis: ut in uitis eorum dicemus.

¶ RITVS ordinandi presbyteros, diaconos, subdiaconos, lectores, exorcistas, acoluthos, &c. talis in Romana ecclesia hoc seculo in usu fuit, ut in ueteri quadam Agenda describitur.

Mensis primi, quarti, septimi & decimi, sabbathorum die, in duodecim lectionibus ad S. Petrum, ubi Missæ celebrantur: postquam antiphonam ad introitum dixerint, data oratione ueniat archidiaconus, & offerat eos qui ordinandi sunt, pontifici, dicens: Postulat sancta mater Ecclesia catholica, ut hos præsentes uiros ad onus exorcistarum, hos præsentes exor-

ciſtas ad onus oſtiariorum, hos præſentes oſtiarios ad onus lectorũ, hos lectores ad onus acolythorũ, hos acoluthos ad onus ſubdiaconi, hos ſubdiaconos ad onus diaconi, hos diaconos ad onus presbyterij ordinetis. Tunc epiſcopus reſpondens dicat: Scis illos dignos eſſe? Reſpondeatur: Quantum humana noſtra fragilitas noſſe ſinit, & ſcio & teſtificor, ipſos dignos eſſe ad huius onus officij. Et tunc annunciet Pontifex populo, dicens: Auxiliante Domino Deo & ſaluatore noſtro IESV CHRISTO, auxiliante Domino noſtro IESV CHRISTO, eligimus hos uiros præſentes in Dei ſeruitio promouendos. Si quis autem habet aliquid contra hos uiros obijciendum, quo minus digni ſint promoueri, pro Deo & propter Deum cum fiducia procedat, & dicat: uerumtamen memor ſit communionis ac fragilitatis ſuæ. Adhæc unuſquiſque perpendere debet, quid diuina Scriptura iubeat, Gregorio teſtificante his uerbis: Sicut qui inuitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus remouendus: ſic qui ultrò ambit, uel importunus ſe ingerit, eſt proculdubio remouendus. Nam qui nititur ad altiora conſcendere, quid agit niſi ut creſcendo decreſcat? Cur non perpendit, quia benedictio illi in maledictum cõuertitur: quia ad hoc ut fiat hæreticus promouetur.

Pſalmiſta, id eſt cantor, poteſt abſque ſcientia epiſcopi, ſola iuſsione presbyteri, officium ſuſcipere cantandi, dicente presbytero: Vide ut quod ore cantas, corde credas: & quod corde credis, operibus probes.

Oſtiarijs, cum ordinantur, poſtquam ab archidiacono inſtructi fuerint, qualiter in domo Dei debeant conuerſari, ad ſuggeſtionem archidiaconi tradat epiſcopus claues Eccleſiæ de altari, dicens eis: Sic agite quaſi reddituri Deo rationem, pro his rebus quæ iſtis clauibus recluduntur. & tradat eis diaconus oſtium Eccleſiæ. Ac preces pro ijs fiunt, ut fideles reperiantur miniſtri.

Lectores cum ordinantur, faciat de illis uerbum epiſcopus ad plebem, indicans eorum fidem, uitam atque ingenium. Poſt hæc expectante plebe tradat eis codicem, de quo lecturi ſunt, dicens ad eos: Accipite & eſtote uerbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter & utiliter impleueritis officium ueſtrum, partem cum his qui uerbum Dei miniſtrauerunt ab initio. Eligunt uos fratres ueſtri, ut ſitis lectores in domo Dei ueſtri, & agnoſcatis officium ueſtrum, & impleatis illud. potens eſt enim Deus, ut augeat uobis gratiam perfectionis æternæ; quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu uiuit, &c. Deinde ſubijciuntur preces, ut Deus eos gubernet, ut diſtincte legenda in Eccleſia legant, & eadem operibus impleant.

Exorciſtæ cum ordinantur, accipiant de manu epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi, dicente ſibi epiſcopo: Accipite & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum, ſiue baptizatum, ſiue catechumenum. Dominũ patrem omnipotentem, fratres chariſsimi, ſupplices deprecamur, ut hos famulos ſuos benedicere dignetur in officiũ exorciſtarum, ut ſpirituales ſint imperatores ad abijciendos dæmones de corporibus obſeſsis, cum omni nequicia eorũ multiformi, adiuuante Domino noſtro IESV CHRISTO.

Acoluthi primùm ab epiſcopo doceantur, qualiter in officio ſuo agere debeant, ſed ab archidiacono accipiant cæroferariũ cum cæreo: ut ſciant, ſe ad accẽdenda lumenaria in Eccleſia Dei mancipari. Accipiant & urceolum uacuum, & dicat epiſcopus: Accipite urceolum ad ſuggerendum uinũ in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti, ad effundendum uinum in Euchariſtiam corporis Chriſti.

Subdiaconi cum ordinantur, quia manus impoſitionem non accipiunt, patinam de manu epiſcopi accipiant uacuam, ſimiliter & calicem uacuum. De manu uerò archidiaconi accipiant urceolum, cum aqua, manili, ac manutergio, & dicat epiſcopus: Videte cuius miniſterium uobis traditur: & ideo ſi uſque nunc fuiſtis tardi ad Eccleſiam, amodò debetis eſſe aſsidui: ſi uſque nunc ſomnolenti, amodò uigiles: ſi uſque nunc ebrioſi, amodò ſobrij: ſi uſque nunc inhoneſti, amodò caſti. Ideo uos admoneo, tales uos exhibete, ut Deo placere poſsitis.

Ordinationem uerò diaconorũ & presbyterorum præcedebat letania, poſtea ſolus epiſcopus ſuper caput diaconorum manus ponebat: quia non ad ſacerdotium, ſed ad miniſterium fiebat conſecratio, tradebatur ſingulis ſtola his uerbis: Accipe ſtolam tuam, imple miniſterium tuum, potens eſt enim Deus, ut augeat tibi gratiam. Poſt hęc ſubijciebat epiſcopus: In nomine ſanctæ Trinitatis, & unicæ diuinitatis acceptas ſtolas habete, quas uobis Dominus per humilitatis noſtræ famulatum, & per manus noſtras accipiendas præparauit, per quas ſciatis ſarcinam Domini Dei ueſtri, ceruicibus ueſtris impoſitam: & ad humilitatem, atque adminiſtrationem uos eſſe connexos, & per quas

quas uos cognoscant fratres uestri ministros Dei esse ordinatos: ut qui in diaconatus ministerio estis constituti, Leuiticæ benedictionis ordine claresc atis, & spirituali conuersatione præfulgentes, gratia sanctificationis eluceatis: sed & in CHRISTO IESV firmi & stabiles perseueretis, quatenus hoc quod per has stolas significatur, in die districti iudicij ante tribunal Domini, sine macula repræsentare ualeatis, ipso adiuuante. Et codex quatuor Euangeliorum, his uerbis: Accipite potestatem legendi euangelia in Ecclesia Dei. Deniq; preces pro eis hebant.

At presbytero ordinando tum episcopus, tũ reliqui astantes, prius ordinati presbyteri, manus simul imponebant. Post factas preces, episcopus ei porrigebat stolã: Accipe, inquiens, iugum Domini. iugum enim Domini suaue est, & onus eius leue: stola innocentiæ induat te Dominus. eiq; benedicebat his uerbis: Benedictio Dei Patris & Filij, & Spiritus sancti descendat super te, ut sis benedictus in ordine sacerdotali, ad offerendas placabiles hostias pro peccatis atq; offensionibus populi, omnipotenti Deo, cui est honor & gloria in secula seculorum. Post hæc imponebat ei casulam, dicens: Induat te Dominus uestimẽto salutis, & indumento iusticię circumdet te, ac utramq; ordinandi manum crucis signo notabat oleo sancto, hæc uerba adijciens: Cõsecrentur manus istæ, & sanctificentur per istam unctionem, & nostri officij benedictionem, ut quæcunque consecrauerint, benedicantur: & quæcunque benedixerint, sanctificentur in nomine Domini nostri IESV CHRISTI. Hoc facto patinam cum oblatis, & calicem cum uino ei porrigebat: Accipe, inquiens, potestatem Missam celebrandi & offerendi sanctificũ Deo, tam pro uiuis, quàm pro mortuis, in nomine Domini nostri IESV CHRISTI.

Tonderi solebant clericatu inaugurandi. Nam Romanus Lacapenus cum filium suum natu minimum Theophylactum, imperatoriæ urbis pontificatum ambire deprehenderet, detonsa coma clericum eum fecit, & à patriarcha Syngelum designatũ. Zonaras tom. 3.

## RITVS DEPOSITIONIS *episcoporum.*

DVas insignium personarum ab episcopali dignitate, depositiones hoc seculo ab autoribus annotatas reperimus, Benedicti inmirum Romani pontificis, & Arnulphi Remorum præsulis, De quibus infrà in capite de Synodis copiosior extat narratio.

## CASVS CIRCA ELECTIONEM *& ordinationem.*

I.

Sergius à Formoso ordinatos, suis dignitatibus exuit: & quos ex ijs ipse uolebat, denuò ordinauit, teste Luithprando libro 3, capite 12.

II.

Stratiquates Bolislai Bohemorum regis filius, olim clero adscriptus, cum ad episcopatum quendam uocaretur, eum locum tã quam suo genere indignum contempsit. At cum postea aliam quandam sedem splẽdidiorem ambiret, propter familiæ dignitatem repelli non potuit: sed malè admodum ipsi cessit. Dum enim à Moguntino consecratur episcopus, statim à diabolo arreptus, miserèq; tortus expirauit: teste Crãzio in Vuandalia, lib. 2. cap. 28.

## EXORCIZATIO.

Eo die quo Adelbertus Bohemorum designatus est episcopus, uir quidam à diaboli uinculis inter exorcizandum liberatur, spiritu immundo querula uociferante uoce, non se in hoc suo theatro deinceps residere posse, quia Adelberti aduentu omnes Bohemiæ regno excedere cogerentur diaboli. Bonfinius lib. 1. Decadis 1.

Fuit etiam hoc seculo in usu exorcismus salis: qui fiebat eo fine, ut esset omnibus sumentibus salus mentis & corporis: & quicquid ex eo tactum uel respersum fuisset, omni immundicia, omniq; impugnatione spiritualis nequitiæ careret, ut uetus Agenda loquitur.

Et aquæ, ad abigendos dæmones, morbos, ædium immundiciem, aeris corruptionem, & denique quicquid ædium incolis molestiam parere posset: ut uetus habet Agenda. Et Regino libro primo de disciplina Ecclesiastica, cap. 210. ideo benedici ait aquæ, ut ea aspersi sanctificentur. Ea quoque domos, agros, uineas, pecora, eorumque pabula, cibos quoque & potus, quibus homines uescuntur aspergenda esse: ex capite quinto Concilij Nannetensis ibidem probat.

Cinerum, ut quicunque eos super se asperserint, pro redemprione peccatorum corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant: ut ex ueteri constat Agenda.

Frondium oliuarum die Palmarum, eo fine, ut eas ferentes ab insidijs, & diaboli molestijs immunes essent, ibidem.

Olei, quo infirmi ungebantur,& cuius in chrismate conferendo usus erat,ut ex ueteri patet Agenda.

RITVS CIRCA IEIVNIA.

CErtis & statutis temporibus ieiunia obseruabant: ut in Quadragesima. Vuitichindus libro tertio gestorum Saxonicorum. Et septimo calendas Maij letaniam obseruandam cum ieiunio,Regino libro 1.de disciplina Ecclesiastica,capite 276,ex Moguntiaco probat concilio. Diebus quoque rogationum, ac in sanctorum uigilijs,& quatuor temporibus iuxta ueterum constitutionem, ieiunium celebrandum esse, ibidem monet.

Loco satisfactionis indicebantur. Dunstanus Edgaro Anglorum regi, inter alia satisfactionis opera,biduale ieiunium singulis hebdomadibus ad septimum usque annum indixit, teste Vincentio libro 24. cap.24. Alfreda Angliæ regina, commissę cædis pœnitens,ieiunio corpus suum affligebat. Polydorus lib.6 Anglicæ historiæ.

Et in publicis calamitatibus indicebantur,propter orationes.Ottho magnus cum Hungaris conflicturus, ieiunium in castris indixit,Deiąue auxilium implorauit. Rogerius in uita Brunonis, & Vuitichindus libro 3. Ecbertus Treuirorum episcopus ieiunium bannitum,tertia post Pascha hebdomade celebrandum, ob nimiam siccitatem primus instituit,Anno 983.teste Trithemio in Hirsaugiensi Chronico.

RITVS CIRCA CIBOS.

Bardas ab eo tempore, quo filius eius à patrueli Pleuse,nescimus quo casu,hasta interfectus fuerat,carnibus abstinuit:sed postea cum Cęsar de signaretur, ijs iterum uesci cœpit.Zonaras tomo 3.

Simeon Bulgarorum rex, à patriarcha submisso capite, fausta comprecatione accepta, cum Imperatore Constantino cibum cæpit.Zonaras tomo 3. Annalium.

DE FESTIS.

DIe Dominico feriabantur. Zonaras tomo 3. Nicephorum Phocam festo quodam Dominico in Peganum tẽplum supplicatum ingressum esse, scribit. Et dierum Dominicorum meminit Regino lib.1.de disciplina Ecclesiastica, cap.60.

Et diebus solennibus,ut sunt natalis Domini,Anno 942,Imperator natalem Domini Francofordiæ celebrat,ut Reginonis cõtinuator annotat. Anno 963,idem festum Papiæ peragit.Cõtractus. Ludolphus uerò filius Salfeldiæ,regio ambitu eundem diem festum agit. continuator Reginonis. Secũdus Ottho eandẽ festiuitatẽ anno 981 Romæ celebrat: teste Schafnaburgensi.

Conuiuia etiam instruebantur. Nam in ea quæ secundum carnẽ est Domini nostri IESV CHRISTI natiuitate, apud Constantinopolitanos nouendecim mensæ apponuntur:in quibus Imperator pariter & conuiuiæ non sedendo, sed recumbendo epulantur. Quibus in diebus non argenteis, sed tantum aureis uasis ministratur. Post cibum autem aureis uasis tribus sunt poma delata, quæ ob immensum pondus non hominum manibus,sed purpura tectis uehiculis sunt allata. Apponũtur autem duo, hoc modo:In mensa per foramina laqueatis tres sunt funes pellibus deauratis tecti, cum annulis aureis depositi:qui ansis quæ in scutulis prominent,positi,adiuuantibus inferius quatuor aut eo amplius hominibus,per uertibile, quod supra laqueatum est,ergalium in mensam subuehuntur, eodemque modo deponuntur. Ludos denique quos ibi perspexerim, quia nimis longum est scribere,prætermitto:unũ solum modo ob admirationem hic inserere non pigebit. Venit quidam uigintiquatuor & eo amplius pedum longitudinis lignum in manuum adminiculis in fronte gerens, quod cubitum à summitate inferius, bicubitum transuersum in fronte habuerat. Adducti sunt autem duo pueri nudi, sed campestrati, id est succinctoria habentes, qui per lignum ascendentes, ita seruauerãt immobile,ac si radicitùs terræ esset affixũ. Denique post unius descensum, alter qui remanserat,eodemque solus luserat,ampli ori me admiratione attonitum reddidit. Quoquo modo enim, quoadusque luserant,lignum per quod ascenderant gubernabãt.Vnus uerò qui in ligni summitate remãsit,quia ita se æqualiter põderauit,ut & luserit, ac sanus descẽderit: ita me stupidũ reddidit, ut ipsum etiã Imperatorẽ meã admiratio nõ latêret. Luitprãdus l. 6.c.3 & 4.

Die Innocentum, Adelbero Metensium. consecratur episcopus. Acta Metensium.

Epiphaniæ meminit Regino libro 1. de disciplina Ecclesiastica,cap. 372.

Purificationis Mariæ festum diem Francoforti agit Imperator,anno 950. Reginonis continuator. Et Sergius III candelas die purificationis ferendas sanxit. Balæus libro 4.de gestis Romanorum pontificum: quę ad fugandos diabolos prodesse credebantur,ut uetus habet Agenda.

Quadragesimæ, Reginonis continuator meminit.Feria quarta ante Quadragesimam,omnis mortalis peccati uulnere laborans,ad uiuificantem matrem Ecclesiam recurrat, ibiq; quod mali egit confiteatur:& confessus remedia suscipiat pœnitẽtiæ,secundum modum canonicis autoritatibus præscriptum. Regino libro 1. de disciplina

na Ecclesiastica, capite 288. In Quadragesima Romanus pontifex in ecclesia S. Crucis in Hierusalem, quo nomine quædam in urbe Romana appellabatur Ecclesia, tenebatur celebrare Missam.

Cinerum die Elphegus, Vintoniensis episcopus, suos auditores hortatur, ut illis die bus ieiunio & castitati uacent, uxorumque consuetudine abstineant.

Dici Annunciationis, seu Euangelismi, meminit Zonaras tomo 3 Annalium.

Palmarum. In ea quæ est ante βαϊοφόρον; quod nos palmarum ramos dicimus, hebdomade, tam in militibus, quàm in diuersis constitutis officijs, numismatum aureorum erogationẽ, prout cuiusque meretur officium, Imperator Constantinopolitanus facit. Fuit autem eiusmodi erogatio. Erat apposita decem cubitorum longitudinis, ac quatuor latitudinis mensa, quæ numismata loculis cõgregata, prout cuiq; dabatur, numeris extrinsecus in loculis scriptis retinebat. Ingrediebantur denique ad Imperatorem non confuse, sed ordinatim, secundum uocantis uocem, quæ scripta uirorum nomina secundum officij dignitatem recitabat. Quorum primus uocatus est rector domus, cui non in manibus, sed in humeris posita sunt numismata cum scaramangis quatuor. Post quem domestici-stos, Ascalonas, & de Lõgaristis ploas sunt uocati: quorum alter militibus, nauigantibus præerat alter. Hi itaque paris numeri, quia dignitas par erat, numismata & scaramanga suscipientes, præ multitudine non iam in humeris portauerunt, sed adiuuantibus alijs post se cum labore traxerunt. Post hos admissi sunt magistri numero 24. quibus erogatæ sunt numismatum aureorum libræ, unicuique secundum eundem numerũ uiginti quatuor, cum scaramangis duobus. Patriciorũ deinde ordo hos penè est secutus, & duodecim numismatũ libris cũ scaramanga una donatus. Qui sicut nec patriciorũ, ita nec librarum, nisi quod unicuiq; dabatur, numerũ nescio. Turba post hos immensa uocatur, protospatariorum, spatariorũ, cãdidatorũ, & id genus clientũ. Luithprandus lib. 6. cap. 5. Solebant autẽ ea solennitate oliuarum frondes consecrati, quo eis salutis uis accedere putabatur: ut uetus habet Agenda.

Diei Iouis, quæ Dominicæ cœnæ sacra est, meminit Cranzius in Metropoli lib. 3. cap. 10. Ea die oleum, quo infirmi ungendi, & chrisma conficiebantur ab episcopo, ut in ueteri quadam Agenda scribitur. Sub uespertinis eiusdem diei precibus, duo acolythi nigris induti casulis, omnia altaria suis spoliabant ornamentis, Sub cœna episcopus presbyteris & clero pedes lauat. Ibidẽ.

Et passionis Domini. Theophylactus Constantinopolitanus festum sanctæ passionis Seruatoris peragit. Zonaras tomo 3.

Diei parasceues talis fuit obseruatio: cõuenêre hora octaua omnes, tum Ecclesiastici, tum laici in templum, quadragesimalibus induti uestibus, ut Pontifici Missam celebranti ministrent. Lecta est tum historia passionis secundum Iohannem: cui cũ certæ preculæ fuissent subiectæ, tacitè omnes sua repetiêre tecta. Sub uesperã uerò crux cũctis deosculãda prębebatur ab episcopo. Ac solebant eodẽ die ignis & cerei conseerari: & pro cleri, ac uniuersi populi, pontificis Romani, Imperatoris, eiusque loci episcopi salute, preces fieri: ut ex ueteri constat Agenda.

Pascha. Ottho pascha in Ingelheim celebrat, anno 965. Reginonis cõtinuator. Idẽ cũ filio pascha Quedlinburgę celebrat, anno 973, decimo calendas Aprilis: ut Quedlinburgensis habet historia. Tertia paschatis feria, Constantinus imperator Constantinopoli nuptias celebrat. Zonaras tomo tertio.

In rogationibus, Otthonem Imperatorẽ Duisburgæ Lotharingorum & Francorum egisse conuentum, anno 944, Reginonis continuator indicat.

Ascensionẽ Domini, Mersburgi Ottho feriatur. Vuitichindus lib. 3.

Pentecostes idem meminit.

Trinitatis. Stephanus Leodicensis episcopus, officium de trinitate in octaua Pentecostes cantandũ composuit. Trithemius.

S. Michaelis festũ Ottho Imperator Augustæ celebrauit, anno 967. mense Septembri. Reginonis continuator.

Et Apostolorum. Leo papa in natalicijs B. Apostolorum, Laureacensi archiepiscopo usum pallij concedit: ut ex Epistola eius constat.

Iohannis. Diẽ natalem S. Iohannis Conradus rex in cœnobio Heroluesfeld festũ agit. Reginonis cõtinuator. Et Romę anno 964, Iohannis aliorũque Apostolorũ festiuitatẽ Ottho celebrat, ut idẽ annotat.

Et martyrum. ut Quintæ. Theophylacto enim dum die S. Quintę dicato sacris occupatur, equam, quæ maximè ipsi curæ erat, peperisse nunciatur. Zonaras tomo 3.

Dionysij memoriã Ottho dignè uenera-tus est. Vuitichindus libro tertio gestorum Saxonicorum.

Festiuitatis Laurentij martyris meminit Rogerius in uita Brunonis. Stephani & Laurentij festiuitatum meminit Leo in Epistola ad Laureacensem episcopum.

In S. Augustini Cantuariensis quondam

epiſcopi feſtiuitate, ſplendidè Angli conuiuari ſolebant. Vincentius libro uigeſimoquarto, cap. 69.

Aſſumptionis Mariæ feſtum Otthonem imperatorem Vuormaciæ celebraſſe, anno 966. Reginonis continuator indicat. Feſtiuitatum B. Mariæ meminit Leo in Epiſtola ad Gerhardum Laureacenſem archiepiſcopum.

Vt die anniuerſario dedicati ſui templi, pallio induatur Laureacenſis archiepiſcopus, Leo mandat in Epiſtola, quam ſuprà adſcripſimus.

## RITVS CIRCA NVPTIAS.

SPonſalia nuptias præcedebant. Zonaras tom. 3.

Noui coniuges in Eccleſia ſolenni ritu à ſacerdote coniungebantur. Helena Romani filia Conſtãtino deſponſa, nuptiæ tertia feria Paſchatis celebratæ ſunt, ſacras preces Nicolao patriarcha peragente. Zonaras tomo 3. Et Nicephorus Phocas cum Theophanone nuptias celebraturus, à patriarcha limine templi prohibetur. ibidem.

Moris erat apud Venetos, ut uirgines quæ nuper eſſent matrimonio locatæ, exquiſitiſsimo cultu, ornatuq; precioſiſsimo Apoſtoli ædem ſtato die inuiſerent, ut ſpectaculo eſſent uniuerſo ciuiũ cœtui. Sabellicus lib. 1. Enneadis 9.

### *Caſus circa nuptias.*

I.

HEinricus imperator Hatburgin coniugem ſuam, propter ſanguinis uinculum, & quia eam uirginem moniale duxerat, repudiat, Sigiſmundi Halberſtadenſis epiſcopi authoritate, coniugium hoc legibus contrarium eſſe prętendentis. Chronicon Mersburgenſe.

II.

Nicephorus Phocas nuptias celebraturus cum Theophanone Romani uidua, templi aditu prohibetur à patriarcha, uſq; dũ iuſtas repetiti matrimonij pœnas ſubiiſſet. Sed deinde rumore uulgato, eũ Theophanonis liberos è ſacro baptiſmate etiam ſuſcepiſſe, ab eodem, omni conſecrato ſolo eſt prohibitus, poſtulante, ut aut diuortiũ faceret, aut procul à ſacris faceſſeret. Verùm ille Theophanone non abſtinuit, flagrante adhuc amore. Tandem quæſtionẽ ad ſummos ſacerdotes, & Senatus principes retulit: qui reſponderunt, eum canonem, qui à Copronymo, homine impio, cõſtitutus eſſet, ualere non oportere: ſcriptoq; ratũ eius matrimonium habuerunt. Sed patriarcha ſuũ propoſitũ urgebat, donec Imperatoris pater Bardas Cæſar iureiurando negauit, Theophanonis liberos ab illo ex baptiſmate ſuſceptos eſſe; & regiæ protopapa Stylianus, qui eũ rumorem princeps uulgaſſe ferebatur, ſe ea de re neq; ſcire quicquã, nec dixiſſe ad quenquã, in concilio iurauit. His demum factis, patriarcha Nicephorum recepit. Zonaras tomo 3.

III.

Conſtantinus Imperator Romano filio ſuo puellam humilis, ac potius ſordidi generis (ex cauponibus enim nata putabatur) ſed forma præditam elegantiſsima, acturę miraculum quoddam, dat uxorẽ. Quę cum Anaſtaſia diceretur, id nomẽ in Theophanonem eſt mutatum. ibidem.

IIII.

Gręcis omnibus non uidetur idoneum, ut ſi pater matrem, cum ſint duo unum, uxorem accipiat, filius filiam non ſine reatu ualeat ſibi coniugio ſociare. Luithprandus libro 4. cap. 6.

V.

Edgarus Anglorum rex, Atheluoldum comitem, qui ipſi à ſecretis erat, ad Ordgarum Deuenenſium miſit ducem, filiam eius ſibi petitum uxorem. Legatus pulchritudine uirginis captus, ſibi eam uxorem ducit. Ranulphus lib. 6. cap. 11. & Vuilhelmus Malmesburienſis lib. 2. cap. 46.

VI.

Billugus Obotritorum regulus, impulſu filij ſui, odio nouercæ flagrantis, coniugem ſuam, ex qua Hodicã ſuſceperat filiam, unà cum religione Chriſtiana abijcit: ut Helmoldus cap. 14. indicat.

VII.

Petrus Candianus Venetorum dux, cum uxore per ętatẽ amplius párere non ualente, diuortium fecit: & filium quem ex ea ſuſceperat, religionis prętextu abdicat. Sabellicus lib. 2. Enneadis 9.

## RITVS VISITANDI *ægrotos.*

COmmune erat officiũ Epiſcopis, presbyteris & diaconis, ęgrotos inuiſere. ut in capite de Politia indicatur.

Imò etiam alijs Chriſtianis. Mathildis enim regina quoſuis infirmos inuiſere ſolebat. Vuitichindus lib. 3. geſtorũ Saxonicorũ.

Edebant ægroti ſuas confeſsiones, & communicabant. Bruno Colonienſis epiſcopus in urbe Compendio, ſibi mortis horam imminere perſentiſcens, epiſcopos, quos in ſuo habebat comitatu, conuocat, ac cum multo gemitu & lachrymis largis in hæc erupit uerba: Tria mihi uidentur genera eſſe confeſsionis, quibus ſe cor hominis Domino Deo ſuo, renum teſti & ſcrutatori cordium, patefacit: non ut ipſi, qui nihil non nouit, lucidius innoteſcat: ſed ut ille qui ſe parum nouit, ueracius ſemetipſum agnoſcat, & aut Dominum in benefactis

factis laudet, aut se in malefactis accuset. Hoc cum semper fieri debeat (sic enim uigilare præcipimur, ne fur ueniat, qui nobis incautis damnum illaturus irrepat) tum pulsante Domino domus per infirmitatis molestiam, necesse est ut mens se, quibus posit uiribus erigat, qua ualeat contentione iudici suo appropinquanti assurgat, sollicitis terrenis desiderijs, spe ad superna flagret bona perennia: & si non meruit, minime tamen desperet: sibi diffidat, in Domino confidat. Ecce fratres dilecti, sicut cerni tis, pulsatur ianua pectoris mei, uocor ad reddendam rationem operis mei: si quid potestis, rogo ferte præsidium, orationis uestræ porrigite manum, incertus intra spem metumque feror: ut in neutram partem pronior inflectar, id uerò enitendum est. Sed quales sunt uires meæ? misericordiæ remedium præstolor, in manu Creatoris mei sum: de me, quod ipsi placet ut fiat, expecto. Bonũ est confiteri Domino. Confessio & magnificentia opus eius. Non enim aliquid boni, nisi ipso operante, fieri potest. Est autem quædam confessio, non peccata deplorans, misericordiam tamen implorans. de qua per Psalmistam ex persona Domini dicitur: Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. Hoc salutare, id est DOMINVM IESVM ore confiteor, & corde credo, quòd Dominus illum suscitauit à mortuis. hic omnes thesauros scientiæ & sapientiæ absconditos agnosco: hunc DOMINVM IESVM nemo potest dicere, nisi in Spiritu sancto: ante illum est omne desiderium meũ, & gemitus meus ab eo non est absconditus. Dixi, confitebor aduersum me iniustitias meas Domino: quod est secundum genus confessionis, lamentabile in peccatis. Tertium, quod commendat beatus Iacobus apostolus, Confitemini, inquiens, alterutrum peccata uestra, & orate pro inuicẽ, ut saluemini: hoc uobiscum Domini & fratres mei agere uolo, hoc anxiè quæro. Spectatorem autem quòd aduocatum habemus apud patrem, IESVM CHRISTVM iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Demũ postquam his se coram Domino totum effudit, corporis & sanguinis Dominici sacramentum, uirtutis eiusdem sacramenti non inscius, expetiuit. & cum fuisset allatũ, uirille Domini quid animo senserit, toto corpore prostratus ostendit. Refectus autem hac uitali alimonia, spe ualidior, lectulo restitutus est. Tandem morbo ingrauescente Bruno, Domino Deo suo, sanctorũq; eius precibus se commendauit: ac cum astantibus benedixisset, expirauit. Rogerius in uita eius, ca. 6 & 7. Ottho Imperator mortẽ sibi uicinam animaduertens, sacramentum diuini corporis & sanguinis expetiuit, & accepit. Vuitichindus lib. 3. gestorum Saxonicorũ. Ottho II, mortis horam imminere sentiens, coram Romano pontifice, ita ut ab omnibus astantibus audiri posset, suam edidit confessionẽ: ut in Saxoniæ Chronico scribitur. Et Elgifa, fœmina sanctitatis opinione insignis, cum corpus & sanguinẽ Christi suscepisset, animam Christo tradidit. Vincentius lib. 24. cap. 74.

Tum adultis, tum paruulis ęgrotantibus Eucharistiam datam, probat Regino lib. 1. de disciplina Ecclesiastica, cap. 69.

Nulli deniq; fidelium in agone constituto, sacrã cõmunionem denegandã esse, Regino docet lib. 1. de disciplina Eccles. ca. 119.

Infirmi cogebãtur promittere, si fuissent sanitati restituti, dignã se pro peccatis commissis pœnitentiam acturos: ut patet ex Reginonis lib. 1. cap. 106.

De ægrotantium unctione per oleum à Pontifice consecratũ, sic in ueteri habetur Agenda: De oleo quo unguntur infirmi, auctoritatem habemus Apostolicam, dicente beato Iacobo apostolo: Infirmatur quis in uobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & si in peccatis sit, dimittentur ei. Vnde patet, ab ipsis Apostolis hunc morẽ sanctæ Ecclesiæ esse traditũ, ut energumeni, uel alij quilibet ægroti ungantur oleo, pontificali benedictione consecrato.

Vngebantur aũt infirmi, postquam ab onere peccatorũ per confessionem liberati essent, circa pectus & scapulas, teste Reginone lib. 1. de disciplina Ecclesiast. cap. 115.

## RITVS SEPVLTVRAE.

DEfunctos plangebãt. Maximo enim Imperatoris suorumq; plãctu Edgita imperatrix Magdeburgi terrę mãdatur: ut continuator Reginonis annotat. Cũ luctu ac plãctu multorũ populorũ. Ludolphus Imperatoris filius, Mogũtię sepelitur. Vuitichindus li. 3. gestorũ Saxonicorũ. Et Conradus dux, Otthonis magni gener, cũ fletu & plãctu omniũ Francorũ sepelitur Vuormaciæ. Ibidem.

Cadauera lauabãt, & aromatibus cõdiebãt. Otthonis III corpus aromatib. cõditũ, Romam in Germaniã tranlatũ est. Chronicõ Cassinẽse li. 2. ca. 24. Et Vdalrici Augustani episcopi cadauer lotum, suauissimi odoris fragrantiam emisit, ut in uita eius autor narrat. Milites Ludolphi in Italia defuncti corpus debito honore curãt, ac Moguntiã ut ibi sepeliatur transuehunt. Vuitichindus lib. 3. gestorũ Saxonicorũ. Feretris ad sepulchra ferebãt cadauera. Satellites Brunonis, corpus eius Cõpẽdio, ubi expirarat, feretro

feretro impositum, Coloniam referunt: ut in uita eius scribitur. Et feretri meminit Ranulphus lib. 6. cap. 7. in Polychronico.

Ac fiebant cantilenæ lugubres. Allato enim Coloniam Brunonis corpore, in paruo quodam templo, prope ciuitatis muros illud deponitur, ac sacerdotij uelatur insignibus, quò paucis nisi episcopis, & quibus dã secũdi ordinis sacerdotibus, patebat accessus. Inde mox denuò eleuatũ cadauer, clerus & populus cantum planctumq; permixtum ingeminantes, in Ecclesiam beatis. Petri principis Apostolorum, ubi sedes erat Episcopalis, detulerunt. Noctem autẽ illã celeberrimè in uigilijs & psalmodijs, uix ualetudinis suæ habita ratione, insomnem duxerunt. At die illucescente conuenit diuersa ciuitas, & eorum quoq; qui de diuersis prouincijs & regnis subita fama ex territi aduolarãt multitudo innumera. Adfuit Treuirensis archiepiscopus, & Leodicensis antistes. Processerunt in medium episcopi Theodoricus & Vuicfridus, testes ultimæ sanctionis eius & legationis. Lectũ est testamentum eius à presbytero uenerabili, ante altare sanctissimi Petri. Recitata sunt & alia, quæ pio & sollicito animo rogauerat, & fieri iusserat. Tandem corpus ad monasteriũ (id enim Bruno moriturus petierat) Pantaleoni, Cosmæ & Damiano sacrum, multis cum lachrymis comitantium funus defertur. Rogerius in uita eius.

Vigiliæ circa funera ea occasione institu ta hoc seculo legũtur. Ricardus nocte quadam orationis gratia solus in templum ingressus, reperit ibi feretrũ, in quo cadauer quoddam repositum erat. Dum autem oraret comes, subitò mortuus ille magno cum strepitu è feretro exilijt: ac extẽsis brachijs, quasi in amplexus eius ruiturus, ad comitem accessit. Quem cum comes, signũ crucis fronti suæ imprimens, frustra intensius ut recederet adiuraret, stricto gladio illum dissecuit: & exinde statuit, per totam terrã circa funera uigilias celebrari. Ranulphus lib. 6. cap. 7. in Polychronico.

Locus sepulturæ erant cœmiteria, quæ cantione septem Psalmorũ, & quatuor candelarum accensione, certisq; preculis consecrabantur: ut uetus habet Agenda.

Eaq; tum intra, tum extra urbes: ut patet ex Reginonis lib. 1. de disciplina Ecclesiastica, cap. 25. Conradus Cõstantiensis episcopus, sub dio iuxta Mauritij templum (ut petierat) sepelitur: teste Bruschio.

Aut templa. Pontificum Romanorũ corpora plerunq; in tẽplis sepulta scribũtur, ut suo loco dicemus. Ludolphus, Otthonis magni filius, in templo S. Albani apud Moguntinos sepelitur. Continuator Reginonis. Edgitta, Otthonis magni coniunx, in basilica noua Magdeburgi sepelitur. Vuitichindus lib. 2. gestorum Saxonicorũ. Caroli Francorum regis cadauer, Senonis in ecclesia Columbæ traditur sepulturæ. Vincẽtius lib. 24. cap. 69. Leopoldi Austriæ ducis sepulchrum, in Melico, in medio templi ante chorum eleuatum est, ut magis ipsum conspicuum intuentibus: Cuspiniano testante.

Aut monasteria. Conradus rex honorifice in Fuldensi cœnobio terræ mandãtum: Reginonis continuatore. Vuitichindus lib. 1, Quedlinburgæ eum sepultum scribit. Henrici imperatoris corpus, Quedlinburgæ in monialium cœnobio, intra ecclesiam humatum est. Luithprandus lib. 4. cap. 7. Euerhardum puerum decem annorum, ũmq; fratruelem, Theodoricus Metensis in monasterio S. Vincentij sepeliri fecit: ut ex uitis episcoporum Metensium constat.

Ad sepulchra lampades, lychni, aut alia κειμήλια adhibebãtur. Gisala regina Vngariæ, Heinrici secundi Boiorum ducis filia, ad sepulchrum matris suæ auream crucem dedicauit. Auentinus 5 Annalium.

Tumulis epitaphia inscripserunt. Metensium episcopus Theodoricus, Euerhardo fratrueli suo, qui anno ætatis decimo obijt, hoc epitaphium in silicem scribi fecit, ut habent acta Metensium:

*Non est damnosa mors iusti, sed preciosa,*
*Ante Dei faciem semper habendo diem.*
*Ipse dies plenus, lucentq; sole serenus.*
*Est sine nocte dies, & sine fine quies.*
*Hac requie lætus, luciq; leuamine fretus*
*Eurardus maneat, cernere quo ualeat*
*Regem regnantem, regnantum regna regentem,*
*Christum: quem coluit, uiuere dum potuit.*
*Is puer insignis, uiuentem flore decennis,*
*Ornans mundicia quæq; sui studia:*
*Transijt è mundo Septembris sole secundo:*
*Lector dic tandem, pace quiescat, Amen.*

Aliud eiusdem.

*Clauditur hac tumba pridem sine felle columba,*
*Infans Eurardus nobilis atq; pius.*
*Sanguine magnifici generosus Theodorici*
*Præsulis, ex cuius fratre fuit genitus.*
*Crastina Septembris, lux his fuit ultima membris,*
*Christe tuam requiem da sibi, teq; diem.*

Constantinus Imperator rhythmis, & omnis generis uersibus obitum coniugis suæ deplorauit. Zonaras tom. 3. Elstrudis tale apud Iacobũ Meyer in Flandriæ Chronico extat Epitaphium:

*Clara fui Elfredi generosi filia regis,*
*Elstrudis proprio nomine dicta meo.*
*Quæ dum præsentis uigui spiramine lucis,*
*Balduini Calui iuncta fui thalamo.*

Memorias mortuorũ, anniuersaria die cantionibus

cantionibus & orationibus repetebant. Mathildis enim Quedlinburgensis abbatissa, in ipso Augusti patris sui Otthonis 11. die anniuersario, Vualbicensem ecclesiam in maximo cleri ac populi tripudio dedicari fecit. Historia Quedlinburgensis.

Magni nominis uiri, de republica & ecclesia optimè meriti, diuorũ catalogo adscribebantur. Sic Vdalricus Augustanus episcopus per Iohannem Romanum pontificem, in diuorum consortio locum accepit, anno 993; ut in historia Bambergensi annotatur.

Offerri etiam aliquid solebat ab amicis & heredibus, ecclesijs, ubi sepulti erant sui mortui. Villa, in qua Eadmundus Angliæ rex occubuit, in inferias data est. Vincentius libro 24. cap. 69. Theodoricus episcopus Metensium, fratrueli suo Euerhardo mortuo luctus exequias, non tam funebres quàm celebres edidit, & corpus cum honore decenti ad monasterium S. Vincentij deferri fecit, & ante altare S. Luciæ tumulauit: ut quæ pro innocentis uitæ puritate perciperet aurea præmia perennitatis. Cõtulit eidem loco pro salute animę eius, calicem aureum maximi ponderis, & mirifici operis, suam ipsiusque memoriam in eodem opere his intexens literis: Theodoricus huius diuæ ædis constructor, ac curator Euerhardi, uita iuxtà chari, pro anima. Acta Metensium. Bruno Colonienſis archiepiscopus moriturus iussit, ut post suum obitum anno illo toto per singulos dies libra denariorum integra in pauperum usus erogetur. Rogerius in uita eius. Et Iohannes XV Romanorum pontifex legem cauit, ne quis episcoporum à populis, Casinensi cœnobio subiectis, oblationes pro defunctis exigat. Leo Host. libro 2. capite 1. Rosala Balduini Flandriæ comitis uxor, multa Blandinensi cœnobio adscripsit bona, pro salute animæ Metildis filiæ, anno 985. Iacobus Meyer in Chronico Flandriæ.

Pro mortuorum animabus preces fiebant. Mathildis Heinrici imperatoris coniunx, post obitum eius, pro delictorum expiatione celebre exequiarum officium, uiuamq; Deo hostiam offerre non desiuit. Luithprandus lib. 4. cap. 7. Etim pij regis Eduini anima, Dunstani precibus ab inferno liberata, in pœnitentium animarum sortem translata est: ut Ranulphus lib. 6. cap. 8. in Polychron. nugatur. Sacerdotum officium esse, pro concione plebem monere, ut preces pro defunctis faciant: Regino lib. 1. de disciplina Ecclesiastica, capite 190 docet. Adelberti comitis corpus in bello cæsi, Vdalricus episcopus Augustã deferens, in ecclesia B. Mariæ sepelijt: spiritum uerò per sacræ immolationis hostiam Domino commendauit, ut in uita eius scribitur.

Ac in memoriam eorum monasteria extruebantur. Sic Fridericus Moguntinus archiepiscopus, in memoriam Euerhardi fratris, in bello occisi, monasterium D. Petro sacrum condidit. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

*Casus circa defunctos.*

I.

Sergius papa Formosi corpus è terra erutum, in sellam pontificiam, induto ipsi ornatu sacerdotali, collocari, capite truncari, digitis mutilari, & tandem in Tyberim proijci iussit. Aliquanto pòst inuentum à piscatoribus corpus, in templum relatum est: quod imagines in aditu eius collocatę, adorasse feruntur, ut Platina indicat.

II.

Bonifacij VII corpus Romani, ut terræ mandaretur, passi non sunt: sed in Lateranensi platea proiectum, à quouis lanceis, nemine prohibente, confodiebatur: tandem clericorum beneficio, populari traditum scribitur sepulturæ. Antoninus.

III.

Nicephorus Phocas, Constantinopoleos imperator, decreto sanxerat, ut milites in bello occisi, pari cum martyribus honore colerentur. Verùm patriarcha, primarijsq; sacerdotibus, & senatus principibus acriter resistentibus, irritum fuit decretum. Zonaras tomo 3.

IIII.

Vualramus Colonienſis archiepiscopus, suum antecessorem ecstasi correptum, putans eum mortuum esse, sepelierat: re autem postea, nescio qua occasione, patefacta, cadauer eius in sepulchro, cum sanguinis stigmatibus, se uertisse repertum est. Cranzius in Metropoli lib. 3. cap. 45.

V.

Mortuo Byrcæ, quæ primaria Suetici regni urbs est, Vnnone Hamburgensi episcopo, corpus eius ibidem terrę mandatur: caput uerò discipuli Bremam, ubi episcopi sedes fuerat, retulerunt. Cranzius lib. 3. cap. 6. in Metropoli.

VI.

Fulcheri Noviomagensis episcopi cadauer, cum pediculis scaturire non cessaret, ceruino corio insuitur, sicq; terræ mandatur. Iacobus Meyer in Chronico Flandriæ.

## DE RELIQVIIS SANCTORUM, *earumq; translatione.*

ETHnica superstitio, sanctorum reliquias & ossa colligendi, effodiendi, transferendi, & religiosè colendi, Antichristi arte in Ecclesiam olim inuecta,

hoc etiã ſeculo in frequenti uſu fuit. Nam de eleuatione & collectione, teſtimonia plurima in hiſtorijs occurrunt. Theodoricus enim Metenſium epiſcopus, S. Georici Metenſium quondam epiſcopi corpus, de eccleſia S. Symphoriani leuauit, & ad nouum, in Caluomontenſi pago à ſe extructũ cœnobium, cum magno pſallentium, cleri populiq́ue tripudio repoſuit. Acta Metenſium. Circa Domini annum 954, apud Vimam, ad quartum à Taruanna lapidem, inuentum memorant corpus D. Maximi Regienſis epiſcopi, ac Taruannam à Vifrido epiſcopo translatum, conditumq́ue reuerenter in principe æde. Iacobus Meyer in Chronico Flandriæ. Apud Gandauenſes, Florberti primi eius loci antiſtitis oſſa, poſt annos circiter 330, quàm in uiuis eſſe deſierat, è terrę uiſceribus eruta ſunt, anno Chriſti 975. Idem.

Circa annum Domini 950, apud Anglos cœperũt mortuorum cadauera è terris eleuari, & certis ceremonijs ac religione quadam in capſas aureas poni. Porrò anno Domini 956, archiepiſcopus Cantuarienſis Odo, Vuilfridi & Andoeni monachorũ atque epiſcoporum corpora, Cantuariam transferri fecit. Balæus centuria 2 ſcriptorum Britanniæ, cap. 32.

Anno Domini 923, ſanguis Dominicus Augiam delatus eſt, teſte Sigeberto & Reginonis continuatore. Sub Romano Conſtantinopoleos Imperatore, Chriſti effigies nullis facta manibus, & diuinitùs linteo impreſſa, in Imperatoriam urbem trãslata eſt. Agareni enim ea pacem ſibi redemerũt. Zonar. tom. 3 Annalium. A' Traiectẽſibus clericis ob cõtinuas, quib. ab Immone comite petebantur, moleſtias, S. Seruatij corpus Duisburgum portatur: ut Reginonis habet cõtinuator. Anno 944 Ottho imperator, reliquias S. Vincentij martyris Magdeburgum aduexit, ut Sigebertus & Vuitichindus lib. 2 indicãt. Temporibus Polyeucti Conſtantinopolitani patriarchæ, ueneranda Præcurſoris manus, Antiochia Byzantium translata eſt. Zonaras 3. Annaliũ.

Et Nicephorus Phocas uictis manubiis Berrhœanis, partem quãdam ueſtis Baptiſtæ, & ab Antiochia partem capillorum eiuſdem ſanguine concretam Byzantium ſecum detulit. Ibidem. Et Adelberti tanto auri pondere, quantum cadaueri reſponderet, à Prutenis redimit Bolislaus Polonorũ dux: teſte Helmoldo in Chronico Slauorum, capite 9. & Cranzio libro 2, cap. 29 in Vandalia. Benedicti VII Romanorũ pontificis tempore, oſſa Bartholomæi apoſtoli Salernum perferuntur: ut Leo Hoſtienſis libro 2, cap. 4 narrat. Blondus uerò, Ottho Phryſingenſis, Platina, & reliquum hiſtoricorum uulgus annotant, (ut obiter hoc ſaltem Lectorem moneamus, quò nugæ magis pateant) Bartolomęi corpus, captum ab Otthone II Beneuẽto, inde Romam translatum eſſe. Matthæi quoq; euangeliſtæ corpus, ex Anglia Salernum translatum, Leo Hoſtienſis libro 2. capite 5 nugatur. Ac Leo quidã monachus, portiunculam crucis Dominicæ auro & gemmis preciоſis ornatam, quam Hieroſolymis ſecum apportauerat, Caſsinenſi donat cœnobio. Ibidem cap. 11. Studio & ſuperſtitione Brunonis archiepiſcopi, Roma ſanctorũ Eliſij, Patrocli, Priuati, Gregorij corpora cum baculo S. Petri, Coloniam trãslata ſunt, anno 953, iuxta Sigebertum. Patrocli uerò oſſibus Soſatum Angarorum oppidum idem donauit, ut Erphordienſis & Cranzius lib. 3. cap. 27 Metrop. indicãt. Et Theodoricus Metenſium epiſcopus, dum in Italica expeditione triennium ſub Otthone militaret, multa corpora & pignora ſanctorum, de diuerſis Italiæ locis, quocunque modo portuit, collegit. Primùm à Martha S. Elpidium confeſſorem, cuius ſocium Euticium epiſcopum ipſe Imperatoriam ſuſtulerat. Ab Amiternis, Euticeten martyrem, cum reliquijs Maronis & Victorini ſociorum eius: à Fulginis, Felicianum epiſcopum & martyrẽ: à Peruſio, Aſclepiotatum martyrem: à Spoleto, Serenam martyrem cum Gregorio Spolitano martyre: à Cordubo, pignora Vincentij martyris & leuitæ, ab Hiſpania olim à duobus monachis Capuam, à Capua uerò illuc deportata. A' Meuania, aliũ quendã Vincentiũ epiſcopũ & martyrẽ: à Vincentia, Leontiũ epiſcopũ & martyrem: à Florentia, Mineaten martyrem: ab urbe Tudertina, Fortunatum epiſcopum & confeſſorem: à Corſinio, Luciam Syracuſanam uirginem & martyrem, à Foroaldo duce Spolitanorum, olim à Syracuſis illuc translatam. A' Sabinis partes corporum Prothi & Iacynthi martyrum. Hæc omnia, inquit Sigebertus, cum parte cathenæ S. Petri apoſtoli, cum capillis eius dem, & ſanguine S. Stephani protomartyris, & parte craticulæ S. Laurentij martyris, à papa Iohanne ſibi donatis, alijsq; prę terea multis ſanctorum pignoribus, præſul Theodoricus in Galliam hoc anno 970 tranſtulit, & in eccleſia S. Vincentij martyris à ſe in inſula urbis cõſtructa locauit. Et Ottho III Beneuẽto Paulini epiſcopi corpus Romam tranſtulit: ut Erphordienſis & Martinus Polonus in Chronicis annotant. Vdalricus Auguſtanus epiſcopus, S. Hadrundi caput Roma Auguſtam aduexit, & ab Augaunenſibus non paucas Thebæorum

rum martyrum reliquias impetrauit, ut in uita eius indicatur. Adeldagus Hamburgensis sanctorum reliquias, quas à Romano pontifice emendicarat, magna cura per suas parochias distribuit: nimirum Quiriaci, Cæsarij, Coronæ, Felicis, Feliciani, Cosmę & Damiani. Crãzius in Metropoli lib. 3. cap. 23. D. Stephani quasdam reliquias ex Italia allatas, Ottho II Halberstadensi donauit ecclesiæ. Idem libro 4, capite 19. in Saxonia. Hildeuuardus Halberstadensis, per epistolam à Metensi præsule, sanguinis B. Stephani, & de Glodesindis ossibus protiunculam sibi communicari petit. Gero quidã Saxoniæ comes, à Romano pontifice brachium S. Cyriaci accepit, ut in Saxoniæ Chronico scribitur. Et Vrseolus Venetorum dux, Euangelistæ corpus ex incendio ereptum, nouo intulit conditorio. Sabellicus lib. 2, Enneadis 9. Et S. Albani, apud Anglos olim martyrio affecti ossa, Theophanes imperatrix Coloniam adduxit. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Ethelfleda Angliæ regina, S. Osuualdi ossa in Glocestrense transtulit cœnobium. Malmesburiensis lib. 2. cap. 18. Et Ethelstanus Anglorum rex, ab Otthone magno ensem Constantini magni, cuius in capulo clauus, quo Christus affixus credebatur, hæ rebat: ac lanceam, qua latus eius transfossum: uexillum Mauricij martyrijs: partem S. Crucis, ac spineę coronę impetrauit: quo rum partes aliquot idem rex Malmesburiensibus donauit. Ranulphus libro 6. capite 6. Et Odonem Cantuariensem, ex Northumbria S. Vuilfridi cineres Cantuariam aduexisse, idem testatur libro 6. capite 10. Balduinus Flandriæ comes, & Ainardus Nouiomagensis episcopus, D. Gerulphi corpus ex Merendra Tronchinium, in B. Mariæ templum transtulerunt: Gontero & Landberto sacerdotibus, se à Gerulpho per quietem ea de re monitos, sanctè affirmantibus. Iacobus Meyer in Chronico Flandriæ. Magnus comes Flandriæ, corpora Vuandregisili, Ansberti & Vulfranni, ex Bononia Gandauum transtulit, Anno 944. ut idem testatur. Hucbaldus Elnonensis monachus, Cyrici pueri & martyris corpus, à Niuernensi episcopo impetratum, in D. Armandi cœnobium: Arnulphus uerò & Gerhardus abbates, Bauonis & Pharahildis ossa Lauduno Gandauum deportarunt, anno 940. ut idem annotat. Arnulphus Flandriæ comes, & Vuicfridus Morinorum episcopus, corpora sanctorum Guduuali & Bertulphi à Bononia Herlebeccam, atque inde Gandauum uexere, anno 959. Ibidem, anno 980. Corpora sanctorum Landoaldi, Amantij, Adriani, Vincianæ, Landradæ & Adeltrudis, translata sunt ex Vuintershouo Hasbaniæ uiculo, ad Gandense cœnobium, ab Vuomaro abbate Gandensi, facientibus illi potestatem Iohanne Romano pontifice, Nodigero episcopo Leodiensi, atque Otthone Cæsare eius nominis secundo. Iacobus Meyer in Chronico Flandriæ. Et Richarij ac Vualarici ossa Hugo Capetes ex Flandria ad Gallos reportauit, anno 981. Erenboldes quoque Gandensis monachus, Roma Pancratij & Barbaræ reliquias, ad suum aduexit cœnobium, anno 985. Ibidem.

¶ De ueneratione & adoratione reliquiarunt hęc extant. Heinricus Imperator, oblata sibi à Caroli Francorum regis legato, S. Dionysij martyris manu, in terram prosternitur, eamque exosculatur, ueneratur, ac pro tanto munere Deo gratias agit. Vuitichindus libro 1. gestorum Saxonicorum.

Theodoricus Metenensium episcopus S. Georici corpus in Caluomontense cœnobium reposuit, ut aduenæ & indigenæ fidelem protectorem haberent, cuius intercessione uota precesq; suas auribus Omnipotentis insinuarent. Acta Metensiũ. S. Epiphanij ossibus Otthuuinus Hildesheimensis episcopus, iuxta summam ædem peculiare parauit sacellum: ut Bruschius scribit.

Reges post inita fœdera, sanctorum reliquijs se mutuò donabant, confirmandæ societatis & amicitiæ gratia. Sic enim Caroli Francorum regis legatus, Heinricum imperatorem salutat: Hoc tibi Carolus signum fidei & ueritatis transmisit: protulitque de sinu manum precioſi martyris Dionysij, auro, gemmisque inclusam: Hoc, inquit, habeto pignus fœderis perpetui, & amoris uicarij. Vuitichindus libro 1 gestorũ Saxonicorum: & Erphordiensis capite 79 ex Eghardo. Sigebertus annum habet 922. Bolislaus nouus Poloniæ rex, Otthoni imperatori, pro regia dignitate qua eum donarat, & in pignus alternæ amicitiæ & deuotionis, donauit brachium diui Adelberti martyris, teste Crantzio in Vandalia libro 2. capite 36. Quod Romæ ad S. Bartholomęi corpus Imperator deposuit. Martinus in Chronico.

Magno etiam precio emptæ leguntur hoc seculo reliquiæ. Henricus enim imperator lanceam Dominicam, cui claui crucifixi Christi artificiose affixi erant, à Rudolpho Burgundiorũ duce, cùm magnis præmijs, pollicitationibusque nihil proficeret, ui tandem extorsit, cum se regnum eius ferro & igni depopulaturum comminaretur. Quod tamen munus Imperator non tantum auro & argento copioso, sed & ma-

gna Sueuorum prouinciæ parte eidem duci compensauit, ut Luithprandus libro 4. cap.12: & Ottho Phrysingensis lib.9. cap.8. narrant.

Præferebantur exercitui reliquiæ, in terrorem hostium, teste Luithprando, qui præeunte hoc signo uictorifero (de lancea Dominica loquitur) semper hostes suos terruisse, ac in fugam conuertisse Heinricum imperatorem, scribit lib.4.cap.12. Et Carnotensis archiepiscopus interiori uirginis Mariæ tunica, quam Franci camisiam uocant, indutus, in Rollonem impetum fecit, in eiusque exercitu magnam edidit stragem: teste Roberto Gaguino libro 5. de gestis Francorum.

## DE PEREGRINATIONE *ad loca sancta.*

AMissa iusto Dei in homines superstitionum amantes iudicio, cœlesti Dei ueritate, diabolus efficaciter sua deliria hominum pectoribus instillauit. Ac non postremus sui regni stabiliendi is fuit nertuus, quòd hominibus persuasum fuit, aliũ locum ad faciendas preces accomodatiorem, & Dei, sanctorumque inuocandorum præsentia alio feliciorem. Hinc miseri homines, Pontificiorum somnijs fascinati, modò in hunc, modò in alium, preces faciẽdi gratia, magnis cum molestijs & sumptibus oberrarunt locum. Sic uterq; Ottho secundus & tertius, Roma, post acceptũ imperij diadema, ex superstitione in Apuliã ad Garganum montem, qui hodie S. Angeli dicitur, precum ibidem faciendarum gratia abierunt, ut suo loco dictum est. Et pauperum, orationis causa Romam tendentium, meminit Luithprandus libro 5. capite 8. Vdalricum causa precandi Romam, & aliquanto pòst Augaunensium monasterium, ubi S. Mauritius cum sacra legione quieuit, eiusdem rei gratia petijsse, in uita eius narratur. Conradus Cõstantiensis episcopus, ter sanctam inuisit terram: ut Schedelius indicat.

Mansit hoc quoq; tempore consuetudo, obsessos ad loca sacra & reliquias sanctorum ducendi, spe liberationis. Comes quidam Otthoni tertio familiaris, à diabolo obsessus, uirtute illius catenę qua D. Petrus in carcere ligatus ferebatur, liberatus scribitur à Sigeberto. Et obsessum quendam multo cum sanguine, ad Dunstani tumbam dæmonem euomuisse, Vincentius nugatur.

## DE MONACHATV, *eiusq; ritibus.*

FVit sanè diabolus in omnes occasiones, quæ ad suũ cultũ usui esse poterãt, maximè intentus. Monasteriorũ itaque, quæ omnium impietatum officinæ extiterunt, nõ tantum rationem habuit diligentissimè, eorumq; numerus ut augeretur laborauit (ut dicemus) sedulò: sed nouos insuper ex qualicunq; occasione inuenit ordines, prætextum quendam sanctitatis eximiæ & diuini cultus, per sua organa superstitionibus turgentia, hominibus offundendo.

### ORDO CLVNIACENSIS.

Berno Gigniacensis abbas morituris, cens à se extructo in Burgundia cœnobio, (quod tamen Martinus in Chronico Guilielmo Burgundiæ duci adscribit) apud Cluniacum, in Masticensi agro, Odonem præfecerat abbatem, uirum doctrina & sanctitate hypocritica insigné. Is S. Benedicti regulam inter suos monachos interisse uidens, non modò eam sua opera reparatam, sed & auctioré monachis, quibus præerat, obseruandam exhibuit. Cuius loci monachi (ut Ranulphus lib.6. cap.4 indicat) iuxta suis primordijs locupletes erant in seculo, & splendidę religionis in Deo. Ea igitur occasione, quòd cæteris monachis sanctitate præstare putabantur, nouæ sectæ nomen à loco inditum est, quæ postea longè lateq; ob rei nouitatem dispersa est. per Alfredam enim Angliæ reginam, in suum quoq; territorium hoc monstrosorum hominum uitæ genus sub initium statim propagatum est, iuxta Trithemium & Bergomensem, anno 912. ut Sigebertus & Vincentius indicant.

### CAMALDVLENSIS.

Orta est & alia hoc seculo secta, Camaldulensiũ nimirum, autore Romoaldo quodam patria Rauennate, Classensis cœnobij, quod haud procul à Rauennatensi aberat ciuitate, alumno: qui Otthonis secundi temporibus, aut certè non multo prius, posteriusúe in uiuis fuit. In eo autem cœnobio prima futuræ sanctitatis rudimenta & inuenit, & deposuit. Condidit præterea suæ professionis cœnobia in Hetruria, in Piceno, Flaminia, Venetia, Histria. Demum in cidit in Hetruria in Madulum Apenini colam, qui de religione (ut æquũ est credere) appellatus, testatus est habere se agellum in summo Apenino, ubi per quietem uisus esset sibi cernere scalas in cœlum surrectas, in quibus mortales candido amictu cœlum scanderent. Motus ea imagine, non minus quàm diuino oraculo quodam Romoaldus, locum ab hospite & perijt & impetrauit: oratorium condidit: candidam dat cucullam ijs ferendam, qui loco initiandi essent, in argumentum nocturnæ illius imaginis, cum antea monachi indiscreto amicirentur colore. Dedit & Camaldulensium nomẽ ferre, à Camaldulo campo, ubi nouæ

nouæ essent religionis iacta fundamenta. Sunt in eminentissimo iugo montis, uigin ti millia passuum ab Aretio, duodeuiginti oratoriæ cellæ in orbem dispositæ, quibus singulis impositus est irriguus hortus, fons, porticus, sacellum, uaporarium: non muro, non fossa locus circumseptus: perpetuum hic silentium, nisi cum ij qui hic sunt, sacris operantur. Sunt ex his quidam, qui ne sacrorum quidem hora cum aliis congrediantur: sed sibi agunt, quarta & sexta feria pane & aqua transiguntieiunia, nudis pedibus, humi accubantes, tertia & septima uinum fructusque adijciuntur. prima, secunda & quinta coctum pulmentum, per conualles huc & abrupta loca reptantur: procul inde ad quingentos passus occurrunt ligneæ cruces, quas transgredi mulieribus pontificio anathemate est interdictum. Est & uiris carnem ferentibus inde ad duo millia passuum, alter Camaldulensium locus, horum uita remissior, hinc oua montanis illis, & cætera edulia: ut ex commentarijs Bernhardini, Cadoli Camaldulēsis monachi Sabellicus lib. 2. Enneadis 9 refert.

Porrò hæc uirorum cœnobia extructa hoc seculo leguntur. Theodoricus Metensium episcopus duo cœnobia: alterum intra suæ urbis mœnia, pro felici gubernationis auspicio: aliud uerò in Caluomontensi pago extruxit. Acta Metensiū. Adeldagus Hamburgensis monasterium Deo seruientium uirorum in Frisia condidit. Cranzius lib. 3. cap. 23. in Metropoli. Milo Minden sis monachorū collegiū in Vuedegenborg fundauit. ibidem lib. 3. cap. 47. Heinricus Treuirensium episcopus, in honorem D. Petri monasterium iuxta summā ædem extruxit, ut Trithemius in Hirsaugiensi Chronico scribit. Insigne Pantaleonis contubernium apud Colonienses condidit Bruno, eius ecclesiæ archiepiscopus. Sigebertus. Gero Brunonis successor, duo cœnobia cū fratre fundauit: alterū in Gladbach, aliud uerò in Munchennuenburg, teste Trithemio in Hirsaugiensi Chronico. Rogerus Leodiensium episcopus, Baptistę consecrauit nouum monasterium. Sigebertus. Fridericus Moguntinus D. Petrum nouo ornauit apud Moguntinos cœnobio. Trithemius. Villegisus quoq; eiusdē sedis episcopus, duo monasteria, alterum D. Stephano, alterum D. Martino sacrum extruxit: ut Marianus Scotus scribit. Mechtildis Heinrici Aucupis coniunx, monasterium S. Eustachij apud Northusanos condidit: & translato Engrano ab Imperatore episcopatu, ipsa Regularium canonicorum cœtum eò collocauit: ut in Mersburgensi scribitur Chronico. Theodatus Apuliæ quondam dux, qui regno ejectus, aliquandiu apud Geysam Vngariæ regem delituit, non procul à Danubio, Taba cœnobium ædificauit. ut Bonfinius lib. 1. Decadis 2 scribit. Rainaldus Marsorū comes ecclesiam S. Mariæ in monasterium mutauit, quod à cellis iam nomen tenet. Leo Hostiensis lib. 2. cap. 23. Et S. Quintini ecclesia in insula super Somenē fluuiū sita, in uirorum cœnobium conuersa scribitur anno 964. Sigebertus.

Adelstanus rerum apud Anglos potitus, duo cœnobia ordinis D. Benedicti condidit: alterū apud Mehouiam Sarisberiensis diœceseos pagū, alterū ad Micelmenū uicū. Polydorus lib. 6. Angl. hist. Edgarus Anglorū rex, singulis annis quibus regnū administrauit, nouū monachis extruxit cœnobium. Balæus centuria secunda Scriptorū Britan. Quadraginta eū monasteria extruxisse, Ranulp. lib. 6. cap. 9 in Polychr. scribit.

Hermannus Saxoniæ ducum primus, cœnobium Luneburgense ædificauit in honorem S. Michaelis archangeli: teste Tritenhem. in Hirsaug. chronico, & Crantzio in Metropol. libro 3. capite 19. Tribunus Menius Venetiarum dux, de suis bonis in D. Georgij honorem monasterium cōstruxit. Bergomensis lib. 12. Thutaldus Camisij Regensis oppidi comes, celeberrimū in agro Mantuano in D. Benedicti honorem cœnobium condidit. Ibidem.

Vischbecēse cœnobiū tēporibus Lidarij Mindensis episcopi extructum, secundo anno quo perfectum fuerat opus, ab Vngaris penitùs subruitur: sed paulo post reparatum est, teste Cranzio lib. 3. cap. 24. in Metrop. Ethelredus Merciorū dux, cū coniuge Ethelfreda, ingēti cura Gloceſtrense D. Petro sacrum extruxit cœnobiū. Ranulph. lib. 6. cap. 4. Athelualdus Vintoniēsis episopus, Helienſe, Burbachense & Torinense ædificasse scribitur cœnobia, apud Malmesburiensem lib. 2. cap. 41. Osualdū uigornienſem episcopū Rameſiæ monasteriū in paluſtri loco cōdidisse, idē autor est.

Hatto quidā Saxoniæ comes, suā arcem (prole enim destituebatur) in monasteriū uirorū, quod Hedkelinge dicitur, mutauit. Saxonię Chronicō. Magni Otthonis secu lo Hildesleuianū in Saxonia cœnobiū initiū sumpsit. Ibid. Bernhardus Hildesemē sis episcopus, Michaeli ac nouē Angelorū choris sacrū cōdidit cœnobiū, quod Benedictinæ professionis repleuit monachis. Ibidē. Heinricus palatinus secundi Otthonis temporibus Lacense construxit cœnobiū in Treuerensi dioceſi. Et Sigifridus Palatinus ad lacū monasterium construxit,

teſte Frãciſco Irenico lib.3. exegeſeos, cap. 56. Ottenburẽ Sueuię cœnobiũ, ab Ottho ne Sueuiæ duce conſtructũ, idẽ teſtatur lib. 12. Anhuſianũ cœnobium in Marchionatu Brandenburgenſi Norico, circa Domini an num 958. cõſtrui cœptũ eſt ab Erneſto quo dam comite de alto Truhendingen, eiusq; ſororio Hartmanno barone de Lodẽburg, teſte Bruſchio. Petershuſianũ uerò eregio nè Conſtãtienſis urbis annò 980. à Gebhar do eiuſdem ſedis epiſcopo fundatũ eſt, ut idem teſtatur. Vlricus Auguſtanus S. Afræ templũ, intra Auguſtæ urbis mœnia conſtitutũ in monaſteriũ conuertit. Ibidẽ. Vuettenhuſianũ regulariũ S. Auguſtini Canonicorũ, in Sueuia cœnobium, à comitibus de Rockenſtein fundatũ eſt, anno 982. ibidẽ.

Ottho magnus Magdeburgi regalẽ abbatiã, profeſsionis Benedictinæ fundauit: ſed paulo pòſt eam in archiepiſcopatũ com mutauit, ac monachis extra urbis mœnia, in quodã colliculo (unde poſtea cœnobiũ nomen ſuũ accepit) locũ cõceſsit: teſte Heinrico de Erfordia. Idẽ Imperator ex S. Meginradi cella, in eremo quadã Tiguro uicina, magnificã fecit abbatiam Einſidleſem ſiue Heremitarũ, quã ampliſsimis prouẽtib. annus dotauit, ac pauperũ principũ, comitũ ac baronũ receptaculũ perpetuũ eſſe iuſsit, ut Bruſchius in Chronol. monaſt. indicat.

Burchardus Herbipolenſis epiſcopus, in honorẽ D. Andreæ Benedictinæ profeſsionis monachorũ cõdidit cœnobiũ: qđ paulo pòſt Hugo eiuſdẽ ſedis antiſtes ipſi Burchardo conſecrauit, ut idẽ teſtatur.

Broniũ Hannoniæ contuberniũ, Gerardus Gandenſis abbas ædificauit, ut ſcribit Iacobus Meier in Flãdriæ Chronico. Theodoricus comes Hollãdiæ, monaſteriũ Sanctimonialium Egmundæ, quæ ob Friſonũ feritatẽ ibi degere nõ poterãt, monachis inhabitandũ cõceſsit. Heinricus de Erfordia.

¶ Et Virginũ ſeu mulierũ monaſteria extructa ſunt. Mechelburgę cœnobiũ uirginũ extructũ eſt, teſte Helmoldo c. 12. à Billugo Obotritorũ principe: ut habet Holſ. Chron. Alfreda Angliæ regina, duo monialiũ ordinis Cluniacẽſis extruxit cœnobia: unũ Amiſberię, in pago Sarisberiẽſis diœceſis, alterũ ad Vuheruellũ uicũ Vintoniẽſis agri. Polyd. Verg. li. 6. Angl. hiſt. Edgarus Angliæ rex, Vuiltoniẽſi cœnobio ſua iberalitate extructo, Edithã filiã primã dedit abbatiſſam. ibi.

Bernhardus Halberſtadenſis epiſcopus, monaſteriũ in Hadmersheim extruxit: teſte Bruſchio de epiſcopatibus. Et Hildemardus Bernhardi ſucceſſor, monaſterium Stitterlinburgenſe cõdidit anno 995. Hiſt. Quedlinb. Virginũ monaſteriũ in Hesling, Adeldagus ædificari fecit, teſte Cranzio in Metrop. li. 3. cap. 23. Adelbero Metẽſis epiſcopus, intra urbis mœnia nouã monialiũ inſtituit congregationẽ: aliud uerò in Bliſia cẽſi pago, in honorẽ Trinitatis cõtuberniũ cõdidit. Inſuper xenodochiũ quoddã infra ſuã urbẽ, in uirginũ Deo ſeruientiũ mutauit collegiũ. Acta Metenſiũ. Iuditha Bertholdi cuiuſdã comitis cõiunx, Pergæ duobus quę diſtat Eichſtadio miliarib. magnificum extruxit cœnobiũ, teſte Bruſchio de epiſcopatibus Germaniæ. Heinricus imperator, puellarũ collegiũ in Delmborgẽſi inſtituit ciuitate, ut Crãzius lib. 2. cap. 27. in Vãdalis indicat. Idẽ Quedlinburgæ Dominarũ extrui fecit cœnobiũ. Crãzius in Saxonia li. 3. ca. 12. Eiusq; cõiunx Mechtildis Ringelheimẽſem arcẽ, quę fratre Vuitichindo, ultimo eius familię comite mortuo, iure hæreditatis ad ipſam deuoluebatur, in monialiũ cõuertit collegiũ, ut in Mersburgẽſi ſcribitur Chron. Et Mechtildis Otthonis magni filia, monaſteriũ B. Virginis Quedlinburgę in occidẽtali mõte ędificari fecit, anno 986. ut Quedlinb. habet hiſtoriola. Hoc etiã ſeculo, Vualbicenſe in Saxonia cœnobiũ, quod hodie Mansfeldenſib. comitib. ſubiectũ eſt, in honorẽ D. Andreæ extructũ ſcribitur in Saxonię Chron. Vuillitrudis Bartholdi ultimi Bauarorũ ducis cõiũx, Bergẽſe monialiũ cœnobiũ in Eiſterẽſi epiſcopatu fundauit, anno 976. Bruſchius in Chronologia monaſteriorũ Germanię. Et Hoholdus, Bruno, & Fridericus Anhaldini, fratres germani, in ſuo territorio, in honorẽ D. genitricis & Cyriaci martyris, monaſterium Geſeke condidẽre, cui ſororẽ ſuam Vuitburgam præfecerunt. Henricus de Erfordia.

Temporib. Otthonis primi, Vualfrodẽſe cœnobiũ à uirginib. inhabitandũ extrui cœpit. Cranzius lib. 3. cap. 33. in Metrop. Gero quidã comes, ijſdẽ ferè tẽporib. Alſtebiæ num p uirginibus in Baptiſtę honorẽ cõdidit cœnobiũ. Chronic. Saxonię. At Gero Magdeburgẽſis burggrauius, accepto à Roma Antichriſto S. Cyriaci brachio, Gerẽrodẽſe cœnobiũ ad radices Meliboci mõtis, uulgò am Hartz ædificauit, cui filij ſui uiduã Hedwigin, primam præfecit abbatiſſam. ibidẽ.

Vlricus Auguſtanus, canoniſſarum collegium D. Stephano ſacrũ Auguſtæ inſtituit, circiter annum 996. teſte Bruſchio.

Quędã etiã collapſa renouata ſunt. Vualramus Colonienſis archipræſul, D. Martini cœnobiũ uetuſtate collapſum reparauit, & Scotis perpetuò inhabitandũ cõceſsit. Crãzius lib. 3. ca. 45. in Metropoli. Benedictus papa S. Crucis monaſteriũ in Hieruſalẽ, Romæ reparauit, teſte Panuinio. Cœnobiũ S. Victoris, & aliud in S. Diſebodi mõte, uetuſtate & anteceſſorũ incuria collapſa, reparauit Villegiſus Mogũtinus archiepiſcopus, teſte Tritenh. & Mariano Scoto.

Et Leo apud Teanũ (ubi Caſsinenſiũ monachorũ ſedes fuit) abbas, cœnobium Caſsinum,

nũ, quod iã annis ferè uiginti & septẽ desolatũ fuerat, restituit: cuius successor Ioãnes, eò cũ monachis primùm cõmigrauit. Leo Hostiẽsis li.1.ca.54.&56. Eldredus Anglię rex, ab Ina rege olim conditũ Abindoniẽse cœnobiũ, quod iã uetustate ferè corruerat, Edginæ matris rogatu reparauit. Polyd.li. 6.Angl.hist. Adelbero Mediomatricũ episcopus, S. Symphoriani cœnobiũ restauratum, Benedictinis repleuit monachis. Acta Metensiũ. Magnus Flãdriæ comes, Gãdẽse cœnobiũ Normannorũ rabie euersum restituit: ut Iacobus Meyer annotat.

Erant etiã cœnobia seu collegia Canonicorũ, quos Regulares uocãt. Osuualdus Virgorniẽsis episcop. expulsis clericis, non uichis repleuit regularib. Malmesbur. li.2.ca. 41. D. Afræ templũ intra Augustę mœnia, Vlricus episcopus in monasterium uertit, idq; regularibus canonicis repleuit. Bruschius in Chronologia monasteriorũ Germaniæ. Eiusdẽ conditionis monasterium Vuettenhusum in Sueuia fuit, ut idem annotat.

Heinricus Treuirẽsis episcopus, iuxta summã ædẽ monasteriũ cõdidit, ac monachos strictè canonicorũ regulã obseruare præcepit. At illo è rebus humanis exẽpto, monachi excusso disciplinę rigore, magis seculi mores amplexi sunt. Horũ exemplũ prauũ, mox imitati sunt uicinarũ ciuitatum monachi, Cõfluentini, Mogũtini, Vuormaciẽses & Spirẽses, suaq; colla monastico iugo subtraxerunt: ut Trithem. in Hirsaug. annotat Chronico. Ottho magnus Epternacẽse monasteriũ, Sigfrido eius loci abbate suadẽte, solis monachis, canonicis inde expulsis inhabitandum concesserit, teste Bruschio.

Et canonissarũ monialiũ, quibus liberũ erat prodire in publicum, & nubere, superiorisq; monasterij Reginoburgi moniales, excusso pudicitiæ freno, populariter tũ uiuebãt, seq; nescio cuius chori dominas appellabãt. Verũ Heinricus II. Boiorũ dux, uicios os illarũ correxit mores, teste Auẽtino 5. Annaliũ. Vlricus Augustanus collegiũ canonissarũ, ab omni iugo & professione liberarum, D. Stephano sacrum in tra Augustanæ urbis mœnia instituit, teste Bruschio.

Monasteria recẽs extructa cõsecrari solebant. Ecclesia enim Quedlinburgẽsi, iussu Mathildis abbatissę, in frequẽti cleri & populi cœtu, ab Alnulpho Halberstadensi episcopo, anno 996. sexto Idus Martij, in D. Seruatij honorẽ consecratur. Et paulo pòst 9. Maij, Vualbicensis ecclesiæ dedicatio, abijsdẽ peragitur, ut in historia Quedlinburgẽsi scribitur. Mechelburgẽse cœnobiũ Vetalibus repletũ uirginibus, S. Petro dicatũ fuit. Helmoldus ca.2. Vualsrodẽse cœnobium sub Baptistæ patrocinio fuit, teste Cranzio li.3.ca.33. in Metropoli. Et autoritate pontificia cõfirmari solebãt. Theodericus Metensium episcopus, S. Vincẽtij cœnobio priuilegiũ, à Ioãne Romano põtifice impetrat: quod cũ plura ad monasticen spectãtia cõplectatur, huc adscribere libet. Ioãnes seruus seruorũ Dei, dilectissimo Theodorico filio nostro S. Metensis ecclesiæ præsuli: Cũ in exarãdis Dei laudibus, debita pastoralis cõpulit cura, quęq; ad stabilitatẽ piorũ dinoscũtur pertinere locorũ, ubertim promulgare, & Apostolicę institutionis in priuilegijs atq; decretis cẽsura cõfirmare: conuenit, nempe nos Apostolico moderamine sancta uenerabilia loca, quę dudũ fuerãt in ruinis, magnaq; inopia & paupertate degẽtia, opportunè ordinare, seu ad meliorem sine dubio statũ perducere, præsertim ubi illa petũtur, quæ nõ ad commodũ tẽporale, sed ad perpetuã prouidẽtiã pertinẽt domino seruientiũ animarũ scilicet: ut uenerabilis locus, qui à Theodorico dilectissimo filio nostro in uno conglobatus atq; annexus est, cum proprijs cõgregationibus, quę regulariter in psalmis, hymnis & orationibus, Deo saluatori nostro Iesu Christo, peruigiles excubias exhibẽt, ab insolẽtijs exteriorib. circũmunitę iugiter ualeãt pij famulatus officia in monasterio S. Vincẽtij exhibere: & quoniã cõstat, tuã religiositatẽ huius priuilegij Apostolicã confirmationẽ postulare à nobis, propter immutationes tẽporaliũ rerũ, uariosq; hominũ casus, munitionẽ S. Vincẽtij Christi martyris, cũ omnib. ad idẽ monasteriũ pertinẽtibus, atq; corroborationẽ tui tuæq; cõgregationis, & successorũ tuorũ, in perpetuũ fieri cẽsuimus, quatenus nũc (sicut à te disponũtur) ita in posterũ usq; in finẽ cõseruentur: & ut illa cõgregatio incõcussa in unũ perseuerãs, sedulas laudes Deo psoluere ualeat: & sicuti à Deo eorũ studia imbuta sunt, iugiter perseuerare liceat, atq; sub uno abbate iã prędictus locus cõstitutus in honore S. Vincẽtij, indiuisus sit, & indiuisa cõgregatio. Nec cuiquã licẽtia prębeatur, ut refugiẽs rigorẽ studioseę sibi regulę, huc illucq; uagetur, uel alijs reacõferre conetur monasterijs, quòd à nobis cõtra regulã, sub anathematis uinculo prohibetur. Quapropter statuẽtes & pmulgãtes corã Deo, & terribili eius futuro examine, p huius nostri priuilegij Apostolici atq; cõstituti paginã sancimus, & beati Petri Apostolorũ principis autoritate decernimus atq; obtestamur, tã Apostolicæ sedis futuros põtifices, quicũq; qui episcopalẽ administrauerit actionem, uel etiã magna parua que persona, aut quispiam cuiuscunq; sit dignitatis prædituspotestate, ea que à prædicto Theodorico dilecto filio nostro, piè uenerabili loco tradita atq; concessa fuerint quomodo à quoquam licentiam habeant,

sæpius nominatum locum sancti Vincentij, in unum adunatum, atq; spiritualiter Apostolicæ exarationis stilo coniuncta disiungere, uel aliquid exinde alienare: & illud monasterium sancti Vincentij, respiciens sit ad sedem episcopalẽ protomartyris Christi Stephani iubemus, atq; abbas in potestate episcopi ipsius loci eligendus sit. Si uerò episcopus defuerit, liceat abbati in festiuis diebus ad sedem episcopalem accedere, ibiq́ue cũ dalmatica & sandalijs, quæ illi mittimus, Missas celebrare. Si quis inter ea (quod non credimus) temerario ausu contra ea quæ ab hac nostra autoritate piè & firmiter per hoc nostrum priuilegium disposita sunt, contraire tentauerit, uel hæc quę à prædicto Theodorico dilecto nostro filio Metensium præsule, ad laudem Domini, pro stabilitate iam dicti monasterij, uidelicet sancti Vincentij statuta sunt, refragari, auferre & alienare præsumpserit: sciat se autoritate beati Petri apostolorum principis, anathematis uinculo innodatum: atque cum Iuda traditore Domini nostri IESV CHRISTI, æterni incendij supplicio cõcremandum, sit deputatus, nec unquam à præfati anathematis nexibus sit absolutus. At uerò qui pro intuitu obseruator in omnibus extiterit, gratiã benedictionis à misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, & uitæ æternæ particeps efficiatur, & hæc catena beati Petri aperiat ei ianuã paradisi. Si uerò aliquis episcopus inde aliquid minuere uoluerit, hæc (ut diximus) catena claudat ei polorum regna. Scriptum per manũ Stephani notarij, & regionarij sanctę Romanæ ecclesię, in mense septimo, indictione quarta decima. Bene ualete. Data tertio die Kal. Octobris, per manũ Vuidonis episcopi & bibliothecarij sanctæ sedis Apostolicæ, anno pontificatus Ioannis summi pontificis & uniuersalis tertij decimi, præsidẽtis in sacratissima sede beati Petri apost. Imperij domini Otthonis maioris nono, minoris uerò tertio, Anno deniq; ab incarnatione Domini nostri IESV CHRISTI 970.

Vel etiam Imperatorũ & Regũ autoritate confirmabantur. Ottho enim secundus, idẽ S. Vincentij cœnobium hoc priuilegio confirmauit: In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ottho diuina fauente clemẽtia Imperator Augustus. Omniũ fideliũ nostrorũ, præsentiũ scilicet atq; futurorũ pateat industrię, quomodo fidelis noster Theodoricus, Metensis ecclesiæ uenerabilis episcopus, à nostra celsitudine suppliciter petijt, ut monasterium S. Vincentij, foras muros ciuitatis suę Metis uocatę constructũ, quod ipse cũ licentia & consensu beatę memorię genitoris nostri, Ottonis uidelicet Augustissimi imperatoris primùm ædificare cœpit: & mercatũ, quẽ nostro licitu in loco qui Spinnal dicitur, primus eleuauit, Imperialẽ nostræ præceptionis donatione & potẽtia confirmaremus: & ut familijs ecclesiæ sancti Stephani protomartyris Christi, cui ipse præsidet, legẽ, & prędecessoribus nostris regibus scilicet & Imperatoribus concessam autoritate nostrę dominationis nouiter eis concederemus atq; confortaremus, cuius petitionem pro diuino amore benignè suscipientes, præfatum monasterium in honorem sancti Vincentij martyris consecratum, sub nostrę tuitionis immunitatem suscepimus: & omnia illuc ab eo, uel ab alijs tradita, & adhuc ab aliquibus tradenda, regia & imperiali munificentia ac magnificẽtia confirmanus: & mercatus in prędicto loco eleuatus, ut deinceps absq; hominiũ omniũ cõtrouersia firmiter stet & maneat, Imperiali potestate præcipimus: familiarũq; præfatæ ecclesiæ legem, quam præscriptus Theodoricus episcopus eis concedendã à nobis petiuit imperiali dono & munimine, illis dehinc tenendã cũcedimus atq; cõfortamus. Et ut hæc nostræ donationis cõcessio per futura temporũ curricula à cunctis fidelibus firmior habeatur, hoc nostræ celsitudinis præceptũ inde cõscriptũ sigilli nostri impressione signare iussimus, manuq; propria corroborauimus. Bergẽsemonialiũ contuberniũ Eichstetẽsis diœceseos, ab Otthone secundo & Iohanne XV, apud Bruschiũ confirmatũ legitur. Anhaldinorũ quoddam monasteriũ Geseke, tertius Ottho suis priuilegijs muniuit: ut scribit Heinricus de Erfordia.

Quædam cœnobia certos habebãt reditus, unde ocioſi illi fratres uictitabãt. Terracinenses enim ciues singulis annis sexies mille anguillas se Casinẽsib. soluturos sub anathematis pœna promiserunt. Leo Hostiensis li. 2. cap. 13. Adeldagus Hamburgẽsis duobus monasterijs à se extructis, non tantũ de necessaria, sed & superflua sustẽtatione prospexit. Crãtzius li. 3. cap. 23. in Metrop. In Dingelfingẽsi Synodo, monachis ab alienata bona restitui iubẽtur. Auẽtinus 4. Annaliũ. Theodoricus Metensiũ episcopus, duobus à se extructis cœnobijs abũdẽ de uictu prospexit. Decimas enim de ouibus, lino, lana, uino atq; annona, monachis dari præcepit. Idem beneficij, & successor eius Adelbero recẽs à se fundatis cœnobijs præstitit. Acta Metensium. Et Villegisus Moguntinus, cœnobijs ditandis maximè intẽtus fuisse, scribitur in chronic. Hirsaug. Trithemij. Heinricus Auceps Quedlinburgenſi monialiũ conuentui undecies mille iugera-

iugera (seu mansos, ut hæc loqui solet, ætas) attribuit. Heinricus de Erfordia.

Tribunus Mennius Venetiarum dux, S. Georgij à se extructo monasterio, prouentus ad monachorum sustentationem sufficientes donauit. Bergomensis libro 12.

Egdarus rex, amplissimis donis Angliæ cœnobia locupletauit. Polydorus lib. 6 Anglicæ historiæ. Ranulphus libro 6. cap. 9. in Polychronico. Ottho magnus Luneburgensi cœnobio Salinas donauit, ut in Saxoniæ chronico legitur. Multas deniq; arces, quibus reditus fuêre amplissimi, in monachorum collegia conuersas esse, pauló antè diximus.

Casinenses pro redemptione suorum captiuorum, Vngaris expendũt coronam argenteã cũ catenis argentis, pocula argentea quatuor, thuribulum argenteum auro ob ductum, cochlearia argentea tria, tareas uiginti, planetam diarodinam byzanteorum uiginti: planetam aliam byzanteorum sedecim, planetam aliam cum leonibus, urnas de pallio longitudine passuum quatuor, latitudine palmorum trium: pannum altaris diarodinum byzanteorum sedecim, tapetia optima sedecim: pannum ad masurum octo, hostiales tres. Astanenses duas, puluinaria serica tria. Leo Hostiensis lib. 1. cap. 58.

Erant autem monasteria quasi scholæ, in quibus artes dicendi & philosophia tradebatur. Ea de re insignis extat locus apud Trithemium, quem adscribimus: Magna multitudo monachorum sub Dithmari regimine in Hirsaugiẽsi cœnobio claruit, quo nonnulli sanctitate uitę admodũ fuerunt insignes: plures aũt propter scientiã & doctrinam Scripturarũ, celeberrimi nominis habiti sunt. De diuersis quoq; nostri ordinis per Germaniã monasterijs, monachi ad scientiã Scripturarũ hauriendã ad nos (de Hirsaugiensibus loquitur autor) mittebantur. Talis enim eo tẽpore consuetudo in ordine nostro seruabatur, ut monachi pro solidiori eruditione cõsequenda, si qui uiderẽ turi idonei, ad diuersa monasteria instruendi mitterentur. In omnibus enim nostri ordinis cœnobijs, in Germania & Gallia maximè, monachorum scholastici ex monachis habebantur, qui iuniores quosq; & ingenio præstantes, in primitiuis literarũ scientijs erudirent: & postea qui habiles inuenti fuissent, ad altiora transmitterent. In solis autem famosioribus cœnobijs, quibus & abundantia rerum temporalium erat copiosior, & monachorũ numerus maior, constituebantur ad officium docendi alios, monachi omnium doctissimi: & non solum in diuinis, sed etiam in secularibus literis eruditi, ad quos ex inferioris gradus cœnobijs mittebantur monachi altioribus disciplinis instituendi. Quicunq; uerò inter eos maioris eruditionis famam in ordine acquisierat, etiam plures ad se missos discipulos, ad erudiendum monachos habebat. Inter monasteria autẽ hunc morem studiorum habentia, hoc tempore præcipua fuerunt, monasteriũ Fuldense, S. Galli, Augiẽse, Hirsfeldense, Hirsaugiense, Prumiense, Mediolanense, S. Dionysij Parisiense, S. Maximini Treuerense, Remense, Altisiodorense, Turonense, Stabulense, & Vuissenburgense: in quibus omnibus erãt monachi & multi, & ualde studiosi, è quorum collegio in singulis cœnobijs unus cæteris in scientia Scripturarum excellentior scholasticus ponebatur. Abbates autem, qui monachos habere cupiebant in omni scientia eruditos, ad diuersa monasteria ex suis quosdam mittebant instituendos. Et scholæ Hirsaugiẽsi, in scholastico regimine præfuit Dithardus annis 22. Cui Meginradus, huic uerò Reinhardus succesit, ut in Hirsaugiensi Chronico Trithemius annotat. Et Odo, qui Cluniacensis sectę autor fuit, à Remigio Antisiodorensi monacho Dialecticam & Musicam, teste Schedelio, didicit, ac scholæ Gigniacensis cœnobij magister factus est. Vincentius libro 24. capite 55. Fridegodus Cantuariensis monachus, in fano Seruatoris post monastica sacra literas phaleratas, & musas canoras magna uoluptate colebat, ut Balæus indicat. Abbo Floriacensis monachus Ramesiæ, Eboraci, Buriæ, Cantuariæ, & alibi per multa Anglorum cœnobia scholas instituit. Idem centuria 13. scrip. Britan. cap. 11. Et in cœnobio S. Galli Huldrichus, qui postea Augustanus factus est episcopus, rudimẽta Græcę & Latinę linguę percepit, ut Bruschius annotat. Adelbertus Lobiensis cœnobij magister, sacris & prophanis suos discipulos imbuit literis: ut Trithem. indicat.

Et Theologia in monasterijs tradebatur & discebatur. Sic Hildebertus Moguntinus episcopus, inter alia studia & Sacras literas in Fuldensi cœnobio didicit. Trithemius in Hirsaug. Chronico. Adelbero monachus Hirsaug. in cœnobio S. Albani, Moguntiæ uicino, scholasticus factus anno 910, in omni scientia Scripturarum tam prophanarum quàm sacrarum monachos instruxit. Ibidem. In S. Galli cœnobio, sacra & philosophica studia floruisse, ex Schedelio & Bruschio constat.

Ex monachorum cœtu ad Ecclesiæ gubernationem quidam uocabantur. Nam Romani aliquot huius seculi pontifices fuêre monachi, ut in uitis eorum dicetur.

dicetur. Et Dunstanus ex Glasconiensi cœnobio ad episcopatum conscendit, teste Polydoro Vergilio. Sigismundus ex Hirsaugiensi cœnobio, ad Halberstadẽsem episcopatũ promouetur, ut in chronico Merseburgensi scribitur. Adelgarius Hamburgẽsium episcopus senio confectus, laborum socium Hogerum Corbeiensem monachum adsciscit: qui postea illo mortuo, episcopatu potitus est. Cranzius libro 2. cap. 24. Polyeuctus monachus spado, & Tryphon eiusdem professionis homo, fiunt patriarchæ Constantinopolitani. Zonaras tomo 3.

Adelbertus Magdeburgẽsis archiepiscopus, ex Treuerensi cœnobio uocatur: teste Trithemio in Hirsaugiẽsi Chronico. Ogo cum annis duodecim S. Maximini abbatię præfuisset, fit episcopus Leodiensis. Bruschius in Chronologia monast. Germanię.

Notingerus ex S. Galli cœnobio, Constãtiẽsis creatur episcopus, teste Bruschio. Aleuicus abbas Augiensis, episcopus fit Argentinensis. Reginobaldus & Gotfridus Spirensium præsules monachi fuêre: hic Vueissenburgi, ille uerò Hirsaugiæ: ut idẽ annotat. Odo Saresburiensis episcopus, ad Cantuariensem ecclesiam uocatus, noluit prius sedem illam conscendere, quàm monasticis initiatus esset sacris. Omnes enim suos antecessores, ex monasterijs ad eam dignitatem euectos audierat. Ranulphus lib. 6. cap. 10.

Aut ad gentes prædicationis gratia ablegabantur. Sic ex Corbeiensi potius cœtu, qui hoc seculo præ cæteris magna uirorũ canicie & pietatis zelo uenerandorum frequentia clarus erat, ad gentes plantandæ religionis gratia Apostoli, Antichristi scilicet, petebantur & ablegabantur. Cranzius in Metrop. lib. 3. cap. 1.

In monasterijs etiam presbyteri, diaconi, subdiaconi ordinabantur. Fridegodus diaconus monachus fuit, in S. Seruatoris fano apud Cantuarienses. Balæus Centuria 2. scriptorum Britanniæ. Et Elphegus Vintonienſis episcopus, tribus monachis, quos ordinat presbyteros, manus imponit. Ranulphus lib. 6. cap. 6. in Polychron.

Monasterijs præerant abbates, sub quibus erant præpositi, decani, presbyteri, diaconi & monachi. Ogo ex præposito S. Maximini fit eiusdem cœnobij abbas. Reginonis continuator. Et Garipertus, diuersarum per Marchiam cellarum à Ioanne Cassin. abbate ordinatur prępositus. Leo Host. lib. 1. cap. 59. Et Maielpotus ex præposito ibidẽ fit abbas, cap. 63. Mortuo Sangallensi abbate eiusdem cœnobij decano, rerum gubernatio, usq; dum nouus ab Imperatore substituatur abbas, committitur: teste Bruschio. In S. Galli cœnobio Dietmarus, anno ætatis suæ uigesimo octauo, sacerdotij ornatur gradu. ibidem.

Quidam etiam abbates non tantũ unius, sed plurium monasteriorũ erant inspectores. Balduinus Cassini abbas, per Martinum Romanum pontificem S. Pauli cœnobio, prope urbis Romanę mœnia simul præficitur. Leo Host. libro 1. cap. 6. Salomon, qui duodecim prælaturis, episcopatib, videlicet & abbatijs donatus est ab Arnulpho imperatore, episcopus tamen præcipuè Cõstantiensis fuit. Tandem & ipse monachus factus est, teste Bruschio in Chronologia monast. Germaniæ.

Abbates autem plerunq; ex suo cœtu eligebantur: attamen si idonea persona haberi non poterat, aliunde uel ex monasterio, uel ecclesia aliqua petere licebat. Sic Casinenses Ioannem Capuanæ ecclesiæ archidiaconum sibi præficiunt abbatem. Leo Host. lib. 1. cap. 56. Et Hirsaugienſibus monachis, in substituẽdo nouo abbate dissidentibus (seniores enim, quibus religio cordi erat, uirum pietatis & disciplinæ regularis studio feruentem expetebant. Contrà maior pars, quæ Rudolphi antecessoris exemplo remissior facta fuerat, suis moribus conuenientem eligendũ statuebant) Hildebertus Fuldensis suam interposuit autoritatem: ficq; unamini fratrum consensu, Dithmarus Sangallẽsis monachus substituitur. Trithemius in Chron. Hirsaug. Et Gebhardus ob singularem eruditionem ex Augustana ecclesia, ubi diaconum egerat, ad Elbangensis abbatiæ gubernationem auocatur. Idem.

Interdum episcopi quoq; abbatijs simul præerant: ut de Salomone Constantiensi iam diximus.

Politici quoque gubernatores auariciæ studio, abbatias simul regẽdas susceperunt. Sic Robertus princeps abbatem S. Germani, defuncto Ebolo, se uocari præcepit: ac decanos, qui suo loco monachis præessent constituit: ipse interim politicę gubernationi, ut antè, uacabat. Annonius libro 5. de gestis Francorum, cap. 41. Adolphus comes & abbas simul fuit alicubi in Flandria, teste Iacobo Meyero in Fland. Chron.

In alijs plures, in alijs pauciores degebant. Ioannes Casinensis abbas ultra quinquaginta monachos in suum cœnobium reparatũ collegit. Leo Hostiẽsis li. 1. cap. 56. Et S. Quintini ecclesia Somene fluuio cõtigua, paucorũ monachorũ domicilium facta est. Sigebertus. In S. Albani cœnobio Moguntino, magna multitudo monachorum habitauit. Trithemius in Hirsaug. Chron.

Salomon

Salomon octoginta monachorũ abbas fuit in S. Galli cœnobio, teste Bruschio.

Abbates autẽ à monachis deligebantur. Monachi enim in cœnobio S. Maximini ab Heinrico rege, electionis iure recepto, Ogoni præpositio abbatis partes demandant. Reginonis continuator. Ottho impetrator monachis S. Petri apud Herbipolẽses, electionis ius, quo prioribus seculis ab Imperatoribus priuati fuerant, restituit: ut idem annotat. Rudolphus monachus fratrum electione, in Hirsaugiensi abbatia surrogatur. Trithemius in Hirsaugiẽsi Chron.

Aut à pontificibus eligebantur. Sic Romanus pontifex in suo priuilegio, electionem abbatis S. Vincentij apud Metenses, soli episcopo tribuit. Acta Metensium. Gotherius ab Egberto Treuirorum episcopo, S. Matthiæ extra urbis mœnia cœnobio, ibidem præesse iubetur: teste Bruschio.

Aut à regibus & imperatoribus eligebãtur. Ottho Magnus Herbipoli S. Petri monachis Gelionem, & post hunc Adelbertũ, quondam Rugis ordinatũ episcopum, præficit abbates: ut Reginonis continuator indicat. Idem imperator Fabarienſibus Eremberchtum, & pòst Enzelinum dedit abbates. Ottho quoq; secundus, eidem cœtui Aleuicum quendã præesse iussit: ut ex Bruschio cõstat. Engelbertus Sangallensis ab bat ab Heinrico imperatore, nec multo pòst Cralo in eodem munere, à magno confirmatur Otthone. Craloni porrò, cum ob male administratam prouinciam accusatus, profugus esset factus, per Ludolphum Sueuorum ducem Anno substituitur. Quo etiam mortuo, Sangallenses ad Imperatoris usq; aduentum, abbatis electionem protraxerunt. Tandem succedit Burchardus, qui confirmationem per baculum & ferulam ab Otthone magno impetrauit. Idem Imperator propositis quibusdam Nodgero conditionibus, Burchardo eum succedere permittit. ibidem. Et Sigifridus Palatinus Gisilbertum cœnobio ad lacum, primũ præfecit abbatẽ. Irenicus lib. 3. cap. 56. Magnus Flandriæ comes, Gerardum Gandensium monachorum cœtui præesse iubet. Iacobus Meyer in Chronico Flandriæ. Burchardus Sangallensis abbas, per baculum & ferulam (ea enim tum ceremonia erat cõfirmationis abbatum) ab Otthone cõfirmatus est, teste Bruschio.

Vel ab omnibus simul eligebãtur & constituebantur. Post Maielpoti Casinẽsis abbatis obitum, conuenêre in capitulo monasterij Adelbertus Capuanæ ecclesiæ episcopus, & Ardericus episcopus, Leo S. Vincentij abbas, & nobilissimi ciuitatis iudices Arechis & Sadelfrid, ac ipse quoque princeps Capuanus Athenulphus: ibiq; à fratribus Aligernus præpositus expetitur abbas, quo & potiuntur. Leo Hostiensis libro 1. capite 63.

Ioannes Casinensis abbas, post electionem à Romano pontifice honorificè consecratur. Idem libro primo, cap. quinquagesimo sexto.

Abbatum munus erat, ea quæ contra regulam fiebant emendare. Odonem Cluniacensem abbatem, collapsam Benedicti regulam restituisse, suprà diximus. Sigerus Hirsaugiensis abbas, strenuum in suo cœtu, disciplinæ monasticæ egit patrocinium, ut Trithemius in Chronico scribit.

Delinquentes quoq; castigare solebant. Nam sub Ogone S. Maximini abbate, monachi officium suum non facientes, monasterio ejiciuntur. Anno 934. Reginonis continuator. Et Arnulphus Bertinici cœnobij abbas, monachos, quicũq; uiuendi normam negligerent, Flandria eiecit: ut Meyerus in suo chronico scribit. Cralo Sangallensis abbas, à suis monachis ob disciplinæ rigorem accusatur apud Ludolphum Sueuorum ducem: ut Bruschius indicat. Lupoldus Hirsaugiensis abbas in cohercendis fratrum delictis remissior, & ad ignoscendum facilior fuit: at successor eius Hartfridus, durior erga delinquentes extitit. Trithemius.

Librorũ curã gerere solebãt. Dithmarus Hirsaugiensis abbas, suum cœnobium librorum copia illustrauit, teste Trithemio in Chronico. Engelbertus sui cœnobij bibliothecam, cõtra Vngarorum sæuitiam, in Helueriæ montibus tutatus est, ut Bruschius indicat.

Fungebantur etiam interdum legationibus tum abbates, tum monachi. Per Hademarum Fuldensem abbatem, synodicam suam epistolam ad Romanum pontificẽ perferri curat Bruno Colonienſis, qui ei pallium reportat. Rogerius in uita eius, per eundem abbatem Gerardus Bathauensis episcopus, à pontifice Romano Boiorum primarium se designari petit præsulem: ut Auentinus narrat.

Vuitegouo Augiẽsis abbas, apud Otthonem tertium in aula, posthabitis sui cœnobij negotijs, sæpius uersabatur: ut Bruschius annotat.

Qui semel monastico manum admouerat aratro, eam inde retrahere non licebat. Radulphus: Neque fas est, ut qui terrenis possessionibus renunciauit, diuitias repetat, & primam sponsionem aliqua facultatum suarum erogatione se compensaturum confidat. libro uigesimo, capite sexto in Leuitic.

Commune

Commune hoc quoq; ſeculo omnibus abbatibus & monachis fuit, pecuniarũ aucupijs inhiare, quibus opulentiores ſuis bonis emũgebant. Leo Caſsinenſis abbas, ab Athenulpho Capuanorum principe emendicauit montem S. Eleutherij, monaſteriũ S. Marię de Cingla, pro animalium ſuorum paſcuis, & pro cædendis lignis: & fluuium Ete ab ortu eius, & Vulturnum, uſq; ad radices montis Eleutherij, in ſui monaſterij uſum. Et à Gaimario Salernitano principe amplum quoddam prædiũ cum domibus, ſyluis, arboribus, uineis, ſeruis & ancillis omnibus impetrauit. Leo Hoſtienſis lib. 1. cap. 54. Reinerus Epternacẽſis abbas, ſuũ monaſterium multis oppidis & pagis auctius reddidit, ut Bruſchius annotat. Et in primis de monachorũ & ſacerdotũ præpoſtero immodicas conquirendi opes ſtudio, queritur Polydorus Vergilius lib. 6. Angl. Hiſtoriæ.

Serlo quidam monachus in S. Auguſtini cœnobio apud Cantuarienſes, contra S. Saluatoris monachorũ auariciam, luxuriam, & incredibilem ambitionem, aculeatum edidit carmen: ut ex Lelando Balæus annotat.

Bellis & conflictibus etiã intererãt. Fuldenſis abbas, Otthonis contra Hugonẽ ſecutus eſt caſtra. Crantz. in Saxon. lib. 3. cap. 23. Et Vuernerus eiuſdem collegij abbas, in prelio cecidit, cum Saracenis in Calabria cõmiſſo: ut Schafnaburgẽſis indicat. Gerrichus Herbipolenſis abbas, Otthonis magni interfuit comitatui, contra Berengariũ armato milite in Italiam contendenti: ut ex Reginonis conſtat continuatore.

Aut uirginum cœtibus abbatiſſæ præerãt. Heinricus enim Imperator, ueſtalibus Quedlinburgæ uirginibus Mathildim filiã ſuam præfecit abbatiſſam (teſte Crantzio lib. 3. cap. 12 Saxonicæ) quam multorũ ſimul principum dominã fuiſſe, Erfordienſis ſcribit. Et Hodica, immaturæ adhuc ætatis uirgunc ula, ab auunculo ſuo Aldenburgenſi epiſcopo Vuagone, Mechelburgæ uirginum collegio præeſſe iubetur. Helmoldus cap. 12. Edgarus rex Vuiltonienſi cœnobio Editham filiam primam præfecit rectricem. Polydorus Vergilius lib. 6. Angl. hiſt.

Adelheidis præſente fratre ſuo germano Otthone tertio, corã toto ſenatu ac plebe, multisq; epiſcopis, ſacri uelaminis arrhabone redimita eſt ab Hildiuuardo Halberſtadenſi epiſcopo: ac ut cœtui Quedlinburgẽſi preſit, ſimul inaugurata: ut in hiſtoria Quedlinburgenſi ſcribitur.

Erant pleraq; monaſteria epiſcopis ſubiecta, à quibus etiam uiſitari & corrigi ſolebant, ſi quid minus rectè & piè ageretur. Ioannes Romanus pontifex, S. Vincentij cœnobiũ Metenſi epiſcopo ſubijcit: ut ex priuilegio, quod ſuprà annotauimus, conſtat. Et Heinricus epiſcopus Treuerenſis, ſuę ut bis monachos ad arctiorem regulæ obſeruationem conſtrinxit: teſte Trithemio in Hirſaugienſi Chronico. Acris monaſticæ uitæ cenſor, Brunõ Colonienſis archiepiſcopus fuit, ignauosq; fratres è monaſterio exturbauit. Rogerius in uita eius. Et Agapetus Romanus pontifex, anathematis fulmine monachos Capuę commorantes, qui principum culpa, cœnobij bona rapientium, ſeculi mores amplexi fuerant, ad Caſinenſe cœnobium redire, & ſtrictam regulæ diſciplinam ſub abbatis imperio obſeruare cogit. Leo Hoſtienſis lib. 1. cap. 62. Ottho tertius Lauresheimenſem abbatiã perpetuò Spirenſi ſubeſſe epiſcopo, decreto ſanxit, temporibus Franconis eius loci antiſtite: ut Bruſchius indicat.

Licebat tamen abbatibus, ab epiſcopo ad principem & cõcilium prouocare. Nã epiſcopis quibuſdam cœnobiorum refor-mationẽ molientibus, Hadamarus Fuldenſis abbas apud Imperatorem impetrat, ut labore cœpto deſiſtere cogerentur. Vuinchindus lib. 3. geſtorum Saxon.

Fuêre & gubernatores politici uitæ monaſticæ cenſores. Berengarius enim plurimos monachorũ, ſub pelle monaſtica otioſe uiuentes, & ſeculi tantum uoluptates ſectantes, ſuis clauſtris eiecille, ſcribitur à Bapo Centuria 2. ſcrip. Britan.

Monachorum opera ſæpe uſi ſunt epiſcopi. Theodoricus enim Metenſium epiſcopus, cum Imperatorem Romam euntem ſequi cogeretur, Odelberto Gorzienſi abbati, cœnobij S. Vincentij ędificationem commendat. Acta Metenſium.

Nec licebat abbatibus pro ſuo libitu, de bonis ſui cœnobij perdere. Gerardus abbas temerè Sangallenſis cœnobij bona profundens, grauiter coram Otthone tertio, à ſuis monachis accuſatur: ut Bruſchius indicat.

Erant etiã monaſteria quaſi carceres, & exiliorũ loca, in quę facinoroſi & ſeditioſi, aut à magiſtratu deiecti, uel ſua dignitate exuti, abdi ſolebãt. Ruthardus Argentinẽſis & Fridericus Moguntinus epiſcopi, Otthoni rebelles, in monaſteria, hi ad Fuldenſes, ille uerò Corbeiã apud Saxones, in exiliũ ire iubẽtur: teſte Reginonis cõtinuatore. Conſtãtinopolitanæ ſeditionis cõſcij, ex magna eccleſia arrepti & attonſi, in monaſterio Studij monachi eſſe iubentur. Zonaras tomo 3. Zoe imperatrix, quaſi patri Imperatoris inſidiaretur, tonſo capillo D. Euphemiæ monaſteriũ ingredi cogitur, ibidem,

Ibidem. Et Christophorus papa dignitate sua exutus, in monachum tondetur: teste Platina. Heinricus Boiorum dux, & Abraham Fruxinensis episcopus, Otthoni secundo rebelles exilio multantur: illo in Ingelheim, hoc uerò Corbeiam ablegato. Schafnaburgensis. Et Stephanus ac Constantinus fratres, Romanum imperatorem patrem suum regno exutum, in monasterium trudunt. Quos paulo post Constantinus Leonis filius, diuina iubente uindicta, eidem monasterio includit. Aduenientes pater hac oratione excipit: Festiuum tempus, quod humilitatem nostram Imperium uestrum uisitare coegit, charitas puto quæ me de palatio expulit, filiationem uestram non ibi diu permanere permisit. O factum bene, quod me pridem præmisistis: Confratres enim mei & cõmilitones mei, supernę tantum philosophiæ incumbẽtes, qualiter Imperatores susciperent ignorarent, si non me iamdudum Imperialibus institutis tirum haberent. Parata iam frigidior occidu is aqua decocta pruinis: Dulces adsunt farinæ deliciæ morbos, sed crebra potius ieiunia creant. Turbam uerò hanc tantam, tam sumptuosa modicitas nostra non recipit: uestrum solummodo imperium suscipit, quod ne paternâ deserat senectutẽ, aduenit. Luitprandus libro 5. capite 11.

Magnates quoque monasteria, præsertim monialium, principibus fœminis, uidu is, & senio confectis donarunt: aut ipsę sua spõte tranquillitatis & ocij gratia, in ea ingressæ leguntur. Ottho imperator abbatiam Merestein socrui suæ Bertæ concessit. Reginonis cõtinuator habet. Mechtildis regina, post obitum coniugis Heinrici imperatoris, in monasterio Quedlinburgensi degit, ubi tyrunculas canonicæ religioni rite deseruituras collegit, & eas usq; ad extrema uitę istius caducę materno more, spiritualiũ, nec nõ carnaliũ copijs cõmodorũ enutrire non destitit: ut Quedlinburgensis habet historia. Vuilla uxor Berengarij, qui Bambergæ exul mortuus fuerat, monasterium ingreditur. Trithemius in Hirsaugiensi chronico.

In monasteria etiam episcopi, suo officio sponte repudiato, uel electi suis sedibus, sese abdidere. Ratherius sede Leodicensi electus, à Lobiensibus monachis recipitur, apud quos & mortuus est. Heinricus de Erfordia.

Et politici gubernatores, regni molestia rum pertæsi, aut ex superstitione quadam monasteria ingressi sunt. Cõstãtinus enim Scotiæ rex, monachus factus est anno 932. Vuicbertus Lotharingiæ primarius quidã baro, potentia & diuitijs pollens, depositio mundanę militiæ cingulo, monasticum assumpsit habitum. Sigebertus. Vrsus Venetorum dux, mundanæ postposito uitæ splẽdore, monachum apud S. Felicem induit. Bergomensis lib. 11. Et Petrus Vrseolus eorundem dux, Camaldulensium monachorum professionem amplexus est. Cuius exemplo Ioannes Maurocenus dux, S. Georgij ingressus est cœnobium. Idem libro 12. Et Vitalis Candianus Venetiarũ dux, statim inito magistratu in morbum incidit: ex quo cum conualuisset, monasticen professus est. Et tribunus Mennius, ob populi in se concitatum tumultum, repudiata magistratus dignitate, monasterium subijt. ibidem.

Statuta multa & uaria fuerunt, quorum passim fit mentio. In Dingelfingensi synodo, ab Arnulpho Boiorũ duce indicta, monachi Boioarij, qui excusso suæ regulæ iugo populariter uiuere cœperant, arctiori constringuntur disciplinæ uinculo. Auentinus 4. Annalium.

Monachi Benedictinæ professionis, secunda & tertia feria Pentecostes, in Missa canunt hymnum à Ruperto Francorum rege compositũ: Veni sancte Spiritus, & emitte cœlitùs lucis tuæ radiũ, &c. Trithemius in Hirsaugiensi Chronico.

Monachi Magdeburgenses, die quo ex urbe in uicinũ collem, unde monasterio hodie nomen est, anniuersario, qui S. Laurentio sacer est, S. Mauritij templum nudis pedibus, laneisq; induti uestibus accedũt: ut in Saxoniæ Chronico scribitur.

Augustinianæ professionis fuêre monachi Vuettẽhusiani in Sueuia ad Camlachiũ amnem, teste Bruschio.

Monachos matutino, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, uesperæ, completorijq; tempore, suæ seruitutis officia iuxta Benedicti regulam persoluisse, patet ex Reginonis lib. 1. de disciplina Ecclesiast. cap. 185.

In sacris administrãdis, peculiaribus utebantur uestimentis. Ioannes Casinensis abbas, planetas, pluuialia, albas, dalmaticas, & omnia quæ ad diuinum cultum quo quo modo facere uidebantur, parauit. Leo Hostiensis lib. 1. cap. 56.

Sine abbatis uenia monachis cœnobio exire uetitũ erat. Adelstanus Anglorũ rex in palustri loco ad Micelneium uicum cœnobium condidit, ne monachi fortè uagarentur, cõtrà atq; lex ordinis iubet. Polydorus Vergilius lib. 6. Anglicæ historiæ.

Processiones monachi obseruarunt. Ioannes 23 Casinensium abbas, crucẽ multis ornatã gemmis parauit, cuius in processionibus usus esset. Leo Hostiẽsis lib. 1. cap. 56.

Quidam etiam nigromantiæ dediti fuerunt, ut Balæus testatur, præsertim de Floriacensibus: ex quorum cœtu Gilbertus, qui postea Romanam sedem occupauit, prodijt. Cent. 13. cap. 11.

Corruptissimum sanè huius seculi fuisse statum inter monachos, multa indicia habentur. plurimum enim tum episcopi, tũ etiam politici quidam gubernatores sudarunt in monachis, suum ut facerent officiũ, cohercendis & constringendis. Ac queritur de ipsorum petulantia Polydorus Vergilius, cum inquit: Monachi & sacerdotes hoc tempore, à maiorum uijs aberrantes ubique gentium, ueluti iure suo immodicas opes comparare, malis artibus honores ambire, & tyrannidem exercere cœperunt. lib. 6. Anglicæ historię. Et sub Rudolpho abbate Hirsaugiensi, cui pocula & conuiuia magis curæ erant, quàm religio, collapsam esse monasticam disciplinam, Trithemius in Chronico indicat. Ea fortè de causa adducti episcopi quidam, religionis & pietatis studio insignes, reformationem cœnobiorum (quam scriptores professioni monasticæ addicti grauem monachorum persecutionem non uerentur appellare, Christi autoritate, qui zizania ante messem euelli uetuerit, se munientes) instituunt: melius nimirum iudicantes, esse paucos probatæ eruditionis, pietatis & fidei uiros, quàm tot, tantaq; rudium & ociosorum hominũ agmina, inutilia terræ pondera, alere. Episcopi itaq; initium à minoribus conuentibus faciunt, sicq; ad maiores etiam aditum sibi futurum faciliorem existimantes. Sed infinita monachorum multitudo, suæ rudi tatis non ignara, deserta in qua stabat acie, aufugit, & populariter uiuere cœpit. At Hadamari Fuldensis abbatis tanta apud Imperatorem fuit autoritas, ut reformatores illi cœptis desistere cogerentur, Imperatore id iubente. Fuêre enim nonnulli, autore Friderico Moguntino, omnia hæc agi palàm profitentes, ut nimirum Hadamaro, qui olim ipsum apud Fuldenses, propter rebellionem contra Imperatorem, duriori carcere constrinxerit, ægre faceret, aut quantulamcunq; infamiæ notam ipsi inureret. Vuitichindus lib. 3. gestorum Saxonicorum. Addit Cranzius & aliam huius reformationis causam, quòd uidelicet episcopi ægrè tulerint, sæpius ab Imperatoribus sibi præferri abbates. lib. 3. cap. 22. Saxoniæ.

Leges & statuta moniales uaria habuerunt. Alfreda duo monialium cœnobia extruxit: quarum alter cœtus Cluniacensium, alter uerò Benedictinorum sectabatur uiuendi ratione. Polyd. lib. 6. Angl. hist.

Hac autem ratione fiebat Vestalium uirginum initiatio. primùm uestimenta, quibus deinceps noua Christi nupta ornanda erat, consecrabantur in altari ab episcopo: post ijs induebatur, solum uelum episcopus reseruabat. Ipsa uerò consecratis iam induta uestibus, duos utraque manu tenens cereos ardentes, ad altare accedebat, ibique sese prosternebat. Post lectum uerò Euangelium, episcopus ipsi hac orationis forma benedicebat: Deus plasmator corporum, afflator animarum, qui nullam spernis ætatem, non sexum repre bas, non ullam conditionem gratia tua dignatus es, tuæ protectionis scuto circumtege, & ad omne opus uirtutis & gloriæ, magis ornante sapientia præparato, ut cens carnis illecebras, & licita connubia recusans, insolubilem filij tui Domini nostri IESV CHRISTI copulam mereatur. Huic petimus Domine arma suggeras, non carnalia, sed Spiritus uirtute potentia tibuas, ut te muniente illius sensum & membra, in eius corpore non possit dominari peccatum: atque sub tua gratia uiuere cupiens, nihil sibi malorum defensor, & inimicus bonorum, de hoc uase iam tuo nomini consecrato, prævaleat uendicare. Omnem etiam genuinum calorem imbet gratiæ cœlestis extinguat. Lumen uerò perpetuæ castitatis accendat, facies scandalis pudica non pateat, nec incautis occasionem tribuat negligentia delinquendi. Sicq; in ea cauta uirginitas, & ornata pariter & armata fide integra, spe certa, charita te sincera, ut præparato animo ad continetiam uirtus tãta præstetur, quæ superet diabolica uniuersa figmenta: atq; cõtemnens præsentia, futura sectetur: ieiunia carnalib. epulis præferat, & lectiones sacras cõuiuijs & potationibus anteponat, ut orationibus pasta, & eruditionibus expiata, luminata uigilijs, opus gratiæ uirginalis exerceat. His uirtutum armis hanc tuam famulã interius exteriusq; communiens, præsta ei inoffensum cursum uirginitatis implere, per ipsum Dominũ nostrũ IESVM CHRISTVM, qui tecum & cum Spiritu sancto uiuit & regnat, in æterna secula seculorum. Etacepto uelo consecrato, uirginis capiti illud imponebat: Accipe, inquiens, uelũ puella, quod perferas sine macula ante tribunal Domini nostri IESV CHRISTI, ipso auxiliante, cui est honor & gloria in secula seculorũ. Eamq; his consecrabat uerbis: Domine Deus, qui

ui, qui humanam substantiam in primis ho-
minibus diabolica fraude innatam, ita uer
bo tuo, per quod omnia facta sunt, reparas,
ut eam non solum ad primæ originis inno
centiam reuoces, sed etiam ad experienti-
am quorundam bonorum, quæ in nouo se
culo sunt habenda perducas: & obstrictos
adhuc conditione mortalium, iam ad simi-
litudinem prouehas angelorum: respice
Domine super hanc famulam tuam, quæ
in manu tua continentiæ suæ propositum
collocans, tibi deuotionem suam offert, à
quo ipsa uota sumpsit. Quando enim ani-
mus mortali carne circumdatus, legem na-
turæ, libertatem licentiæ, uim consuetudi
nis, & stimulos ætatis euinceret, nisi tu per
liberum arbitrium hunc amorem uirgini-
tatis clementer accenderes, tu hanc cupidi
tatem in eius corde benignus aleres, tu for
titudinem ministrares? effusa namq; super
omnes gentes gratia tua, ex omni natione
quæ est sub cœlo, in stellarum innumerabi-
lem numerum noui Testamenti heredibus
adoptatis inter cæteras uirtutes, quas filijs
tuis non ex sanguinibus, neque ad uolun-
tate carnis, sed de tuo spiritu genitis indi-
disti, etiam hoc donum in quasdam men-
tes de largitatis tuæ fonte defluxit: ut cum
honorem nuptiarum nulla interdicta mi-
nuissent, ac si per sanctum coniugium initi-
alis benedictio permaneret, existerent ta-
men sublimiores animæ, quæ in uiri ac mu
lieris copula fastidirent connubium, con-
cupiscerent sacramentum: nec imitarentur
quod nuptijs agitur, sed diligerent quod
nuptijs prænotatur. Agnouit autorem su-
um beata uirginitas, & æmula integritatis
angelicæ, illius thalamo, illius cubiculo se
deuouit, qui sic perpetuæ uirginitatis est
sponsus, quemadmodum perpetuæ uirgi-
nis est filius. Implorantibus ergo auxilium
tuum Domine, & cõfirmari se benedictio-
nis tuæ cõsecratione cupientibus, da pro-
tectionis tuæ munimen & regimen, ne ho-
stis antiquus, qui excellentiora studia sub-
tilioribus infestat insidijs, ad obscurandã
perfectæ continentiæ palmam, per aliquã
mentis serpat incuriam: & rapiat de propo
sito uirginum, quod etiam moribus decet
in esse nuptarum. Sit in ea Domine per do-
num Spiritus tui prudens modestia, sapi-
ens benignitas, grauis lenitas, casta liber-
tas in charitate ferueat, & nihil extra te di-
ligat: laudabiliter uiuat, laudari non appe-
tat: te in sanctitate corporis, te in animæ
fuę puritate glorificet: amore te timeat, a-
more tibi seruiat: tu ei honor sis, tu gaudiũ,
tu uoluntas, tu in mœrore solatium, tu
in ambiguitate consilium, tu in iniuria de-
fensio, in tribulatione patientia, in pau-
pertate abundantia, in ieiunio cibus, in in-
firmitate medicina: in te habeat omnia,
quę diligere appetit super omnia, & quod
est professa custodiat, scrutatori pectorum
non corpore placitura, sed mente: transeat
in numerum sapientum puellarum, ut cœ-
lestem sponsum accensis lampadibus cum
oleo præparationis expectet, ne turbata im
prouiso regis aduentu, sed secura cum lu-
mine & præcedentium choro iocanter oc-
currat, ne excludatur cum stultis, regalem
ianuam cum sapientibus uirginibus licen-
ter introeat, & in agni tui perpetuo comi-
tatu probabilis mansura castitate permane
at. Cui deniq; consecrationi preces subij-
ciebantur ad Deum, pro perseuerantia, ut
uetus quædam habet Agenda.

Deo dicatorum nuptiæ detestabiles habi-
tę sunt. Neque fas est, inquit Radulphus,
ut qui Deo uouit continentiam, qui uirgi-
nitatem uouit, uotum suum reuocans, car-
nalem ineat copulam. libro 20. capite 6. in
Leuit. Attamẽ sub Hadamaro Fuldensiũ
abbate plerosque fratrum uxores duxisse,
Bruschius testatur: uerùm eius rei euentũ
nusquam reperiri.

Extant & libidinum monasticarum quę
dã exẽpla. Edgarus Angliæ rex, ex Vuile
freda Deo dicata uirgine, Editham susce-
pit filiam. Quamuis alij regiæ patrocinan-
tes famæ, eam nullis initiatam sacris inter
monachos in regis usum asseruatã tradant.
Polydorus lib. 6 Angl. hist. Monachus qui
dam S. Andonei Rothomagensis, nocte a-
micam inuisurus, de ponte in aquam ceci-
dit, atque submersus est. Dẽ anima uerò dæ
mones & angelus certant. Res communi
consensũ ad Ricardum Normaniæ ducẽ,
ut is litem dirimat, defertur. Is talem fert
sententiam, ut corpus in eundem pontẽre
stituta prius anima collocetur: ac si mona-
chus eam, quæ ad amasiam ducat, uiam fu
erit ingressus, diabolorum sit in potestate:
sin ad suam ecclesiam pedes retulerit, pe-
nes angelum sit anima. Quo facto, mona-
chus ad suũ monasterium regressus est, sicq;
anima ex dæmonum liberata creditur fau-
cibus. ô præstigias diaboli. Ranulphus
lib. 6. cap. 7. in Polychronico.

Vestitus eorum erant, cuculla seu cappa,
ut Ranulphus libro 6, capite decimoquin-
to, in Polychronico uocat.

Differentia uestitus monachorum erat.
Camaldulenses enim alba utebãtur ueste,
alij alia, ut suprà diximus.

Et monialiũ uestis peculiaris fuit. Vuil
la Berengarij Italorum quondam regis ui-
dua, uelum sancti moniale assumpsit: teste
Reginonis continuatore. Editha regio
Anglorum stemmate nata, cum splendidio

ribus inter moniales uteretur ueſtibus, quàm eius profeſsio ferret, ab Etheluoldo archiepiſcopo ob id reprehenditur. Cui illa reſpondit: Infallibile Dei iudicium ſola operitur conſcientia. puto itaq; ſanctam & incorruptam mentem, tam latêre poſſe ſub iſtis deauratis ueſtibus, atq; ſub tuis deſciſsis pellibus. Ranulphus libro 6. capite 9. in Polychronico.

Monaſticæ ſuperſtitiones multæ recenſentur, ut collectio reliquiarum, earumq́ue prædicatio & cultus. Iohannes Caſsinẽſis abbas, S. Benedicti tumulum marmoreis exornauit tabulis. Leo Hoſtienſis lib. 1. cap. 56. Dithmarus Hirſaugienſis abbas, ſuum cœnobium multis ſanctorum reliquijs illuſtrius reddidit. Trithemius in Chronico Hirſaug. Et translationes reliquiarum, per monachos ſæpius factas ſuprà diximus.

Miſsificatio. Monachi Benedictini in Miſſa, feria ſecunda & tertia Pentecoſtes, hymnũ canunt, Veni ſancte Spiritus. Trith. in Hirſaug. Chron.

Relatio ſuorum fautorum in deorum album uſitata fuit. Monachi Cantuarienſes Edgarum, Anglorum regem, qui ſingulis nouum condebat annis cœnobium, adulterum, homicidam, tyrannum & trium ſcortorum dominum, in deorum numerum cum ſcorto & filia retulêre. Balæus Centuria ſecunda ſcriptorum Britanniæ.

Peregrinatio ad loca ſancta uſitata erat. Nam Leo monachus portiunculam crucis Dominicæ Hieroſolymis, Caſsinum, detulit. Leo Hoſtienſis libro ſecundo, capite undecimo.

Orabant quoq; pro defunctorum animabus. Adalbero enim Mediomatricum epiſcopus, S. Symphoriani cœnobium monachis repleuit, qui pro ſua, anteceſſorumq́; ſuorum, tum pro totius orbis ſalute preces facerent. Acta Metenſium.

Certas hymnorum, cantionum & feſtorum formas obſeruabant. Nã codices multos eccleſiaſticos, ad totius anni uſum comparauit Iohannes Caſsinenſis abbas. Leo Hoſtienſis lib. 1. cap. 56.

CASVS CIRCA MONASTICEN.

I.

Simeon Bulgarorũ dux, cupiditate regni adductus, monaſticen deſeruit, & ad politicam gubernationem redijt. Luitprandus lib. 3. cap. 8.

II.

Miſilaus Obotritorum princeps, ſororem ſuam Hodicam, ex Mechelburgenſi cœnobio arreptam, cuidam Polonorum principi uiro deſponſauit: reliquas Deo dicatas uirgines, ſuis ſatellitibus matrimonio iunxit. Holſat. Chron.

III.

Otthonis ſecundi filiam Giutham, Vlricus Bohemiæ dux ui ex Ratiſponenſi rapit cœnobio, eamq́; ſibi matrimonio iungit. Saxoniæ Chronicon.

IIII.

Alphonſus Hiſpaniæ rex, Abdalę Saracenorum principi, Tyreſiam ſororem inuitam deſponderat: uerùm ipſo ante nuptias extincto, ſponſa monaſterium ingreſſa eſt. Phrygio.

V.

Hirſaugienſes monachi, cum de ſuo abbate ob diſſolutam, quam agebat uitam, deponendo conſultarent: ab amicis abbatis, quos muneribus & compotationibus ſibi conciliârat, cohibentur, quo minus id perficiant. Trithemius in Hirſaugienſi Chron.

DE EREMITIS.

SVatocopius Moraviæ rex, bello uictus ab Arnulpho imperatore, eremum petijt. Quumq́; ad montem uenisſet, cui Sambri nomen eſt, abiectis armis, equo dimiſſo (pugnæ enim fuga ſuæ ſaluti cõſuluerus, ſe ſubtraxerat) pedibus iter fecit: & tam quam uiator inops, uaſtiſsimam ingreſſus eremum, tamdiu pomis arborum atq; herbarum radicibus uitam ſuſtentauit, donec tres eremi cultores obuios habuit, quibus ſeſe adiungens, uſq; ad extremum uitę perſeuerauit incognitus, patienter ac ſedato animo incommoda quæq; ferens. Vbi uerò obitus affuit, accerſitis eremitis: Nondum, inquit, quis fuerim nouiſtis. Rex ego Morauorum, prędio uictus ad uos confugi, & regiam uitam & priuatam expertus mollitiarum præferenda. Hic ſecurus ſomnus, dulces herbarum radices atq; undas efficit. Ibi curæ atq; pericula, nullũ cibum, nullũ potũ non amarum reddunt. Quod uitæ mihi fata dederũt, apud uos fœlix peregi: in regno quicquid eius tranſactum eſt, mors uerius quàm uita fuit. Sepelite me hic, poſtquam anima corpus reliquerit. Morauiamq́; deinde petentes, filio meo, ſi adhuc uiuit, hæc nunciate. Atq; his dictis uita exceſsit. Æneas Syluius cap. 13. Bohemicæ hiſtoriæ.

Meginradi cellam, quam ipſe in eremo agri Tigurini extruxerat, ut in præcedenti diximus ſeculo, aliquanto pòſt Gregorius regio Anglorum ſtemmate natus occupauit, rebus omnibus quæ in hoc ſeculo ipſi maximo poterant eſſe ornamento, poſtpoſitis: ibiq́ue in uitæ ſanctitate omnibus incognitus degit. Cui ſe adiunxit Euerhardus Argentinenſis eccleſiæ decanus, diuina (ſi credere fas eſt) motus inſpiratione, ipſoq́; angelo locum monſtrante, teſte Trithemio in Hirſaugienſi Chronico. Sed ex eadem

eadem cella Ottho magnus, cum ex Italia ad Germanos pedem referret, magnificã, D. Benedicto sacram, abbatiam fecit, eiq; Gregorium præesse iussit: ut Bruschius in Chronologia monast. Germ. annotat.

MORES CHRISTIANORVM.

ET uirtutum & uitiorum exempla, apud autores in hoc quoque seculo obuia sunt plurima, quorum aliqua hic annotasse sufficiat.

EXEMPLA VIRTVTVM PRIMÆ Tabulæ.

Studium religionis magnum fuit. Nam cellula Mathildis (quæ secundi Otthonis mater fuit) omni nocte diuinorum carminum melodia replebatur. Erat enim templo contigua: de qua omnibus noctibus consurgens, intrabat ecclesiam: cantoribus & cantatricibus nihilominus intra cellulam, ac præ foribus, Deum laudantibus, constitutis. Ipsa uerò intra ecclesiam, uigilijs & orationibus dedita, Missarum expectabat solennia. Domesticos omnes famulos & ancillas, uarijs artibus, ac literis quoque instituit. Vuitichindus libro tertio gestorum Saxonicorum. Constantinus imperator religiosus erga Deum, & studijs literarum deditus fuit. Zonaras tom. tertio. Edgarus Angliæ rex, præcipuè pietatem coluit (nihil enim præ religione Christiana, magnopere agendum putabat) uirosque magnæ doctrinæ, sanctitatis, integritatis atque prudentiæ, in suum domesticum delegit consilium, illosque tantum populo Christiano præesse uoluit. Polyd. Verg. libro sexto Angl. historiæ.

Oratio & gratiarum actio. Christianis enim contra Vngaros pugnantibus, sæpius inter ipsos uox Κύριε resonat. Luitprandus libro secundo, capite nono. Et precibus Ottho imperator, contra hostes uictoriam obtinuit: teste Luitprando libro quarto, capite undecimo. Ijsque ad Lycum fluuium deuictis, per singulas ecclesias summæ diuinitati laudes dici præcepit Imperator. Vuitichindus libro tertio gestorum Saxonicorum. Moris erat Imperatori, summo mane templum petere, ibique orationibus cõtra aduersarios se munire. Luitprandus libro quarto, capite decimosexto. Et Ricardus Normãnię dux, ad omne templum, ubi ipsi transeundũ erat, orare consueuit. Ranulphus lib. 6. cap. 7.

Sãctificatio sabbati. Die Dominico seruilia opera non facienda esse, aut politicas causas tractandas, nec publicas nundinas concedendas: sed ut omnes diem Dominicum cum omni ueneratione obseruent, legibus cautum esse à Carolo: Regino libro primo, capite trecentesimosexagesimo octauo, & aliquot sequẽtibus adstruit.

Reuerentia erga ministros ecclesiæ. Romanus imperator cum in monasterio, quò à filijs regnandi cupiditate ardentibus detrusus erat, à monachis quòd domum uerreret redargueretur, respondisse fertur: Luculentius regnat, qui seruorum Dei humilitatibus deseruit, quàm qui potentibus mundi peccatoribus imperat. Luitprãdus libro 5. capite 11.

SECVNDAE TABVLAE.

φιλοστοργία, studium & cura parentũ. Lata de Zoe imperatrice, ut regia educeretur, sententia: statim ipsa ad filium Constantinũ accurrit, ac profusis lachrymis ad misericordiam eum flexit. Filius tamen omnem potestatem regiam à matre in se solum trãstulit. Zonaras tomo 3. Annalium.

Parentes in liberorum educatione soletes & diligentes erant. Geisa enim Vngariæ rex, ut filius Stephanus cum lacte præcepta sacræ legis imbiberet, & in timore Dei semper institueretur, operam dedit: nihilque à patre prætermissum, quod ad filij institutionem facere uidebatur. Bonfinius lib. 1. Decad. 2. rerum Vngar. Edouardus rex Anglorum, filias suas ita instituerat, ut literis omnes in infantia maximè uacarent: mox etiam colum & acũ exercere consuescerent, ut his artibus pudicè pubem uirginitatis transigerent. Filios ita, ut primùm eruditio plena literarum in eos confluereat, & deinde quasi philosophi ad gubernandam Rempublicam, non rudes procederent. Vuilhelmus Malmesburiẽsis libro secundo de gestis Anglorum: & Ranulphus lib. 6. cap. 4.

Gerebant & ipsi Christiani magistratum, & munera politica obibant. Huius enim seculi Imperatores omnes põtificiæ addicti fuêre religioni: eamque non tam conseruare, quàm ad alias gẽtes eius ignaras propagare, omnibus neruis contenderunt: ut sæpius nobis scribendum occurrit.

Diligentia magistratus in administratione reipublicæ magna fuit. Nam Heinricus rex initium regni sui, disciplina seruandæ pacis inchoauit, latrocinia cohercuit, & dissidentium principum animos conciliauit: teste Reginonis continuatore.

Magistratui subiecti erant Christiani, eumq; honorabant. Creuit enim per omnes Italiæ fines regis timor: neque hunc ut cæteros reges paruifaciebant, sed omni honorum genere prosequebantur. Luitprandus lib. tertio, cap. undecimo. Fortissimi duces Hermanus Sueuorum, eiusque frater Vdo, atque Conradus cognomento Sapiens, maluerunt iustè (si res ita

ferret) iusto cum rege Otthone occumbere, quàm cum consanguineo iniustè triumphare. Idem libro 4. capite 10.

Iusticia in puniendis sceleratis. Seuerè in seditiosos contra Constantinum imperatorem, animaduersum est. Tumultu enim compresso, Constantini seditiosi socer Gregoras & Leo Chæroſphactes, ex magna ecclesia extracti, in monachos tondentur: alij flagris cęsi, in triumpho circum ducũtur, nonnullis oculi effodiuntur: alij obtruncãtur, quidam trabibus affiguntur: teste Zonara tomo 3. Annalium. Ottho magnus ueterum more consulum, securim sibi præferri præcepit, qua nocentes percutiebat.

Seueritatem quoque illorum temporum, in puniendo adulterio, ex uno Otthonis primi facto æstimare licet. Cum enim rex expeditionem militarem crebrius duceret per Italiam, procidit ad pedes eius mulier, querens quòd per uim passa esset stuprum, ac rogans iustam legum uindictam. Imperator uerò ob festinationem, ad reditum suum reijciebat legis executionem. At mulier uicissim: Quis tum, inquit, tibi Rex hanc tam atrocem mihi illatam iniuriam in mentem reuocabit? Tũ ille suspiciẽs in proximam ecclesiam: Hęc, inquit, erit testis inter me & te, & in signũ iustæ ultionis. Sicque illam dimisit, ipse uerò cum suo comitatu progressus est. At cum pedem rebus in Italia pacatis referret, ac uideret ecclesiam, recordatur simul delatæ querimoniæ. Iussit itaque aduocari mulierem. Quę cum statim aduolasset ad regem, sic eum alloquitur: Serenissime rex, uir de quo sum olim questa, nunc meus est maritus: peperique ex eo, & iniuriam aboleui. Non sic, inquit rex, per Otthonis barbã sentiet dolabrum. Nam inter uos facta collusio, sacris legibus non imperat: iussitque uirum securi percuti. Cranzius lib. 3 Metrop. capite 12. Ottho tertius coniugem suam, cuius impulsu olim comitem quendam, qui eam de stupro sollicitasset, innocentem securi percusserat, igni tradere iussit: comitis uxore, uiri sui innocentiam gestatione ferri candentis probante. Idem in Saxon. libro quarto, capite uigesimo secundo. Adelbertus comes omnium decreto, iuxta ueterũ instituta regum, maiestatis reus iudicatus, capite truncatur. Luitprandus lib. secundo, capite tertio. Milo Flambertum, Berengarij interfectorem, omnesque eius cædis reos, ui captos, in crucem egit. Ibidẽ cap. 20. Gezo præpotens Papiensis ciuitatis iudex, Hugoni rebellis, à Samsone comite utroque lumine priuatur: & lingua, quæ in regem blasphema fuerat, ei excinditur. Luitprandus libro tertio, capite undecimo. Edgarus Angliæ rex, delictorum inquisitor & punitor fuit acerrimus: quæ tamen sine ira & sæuitia faciebat. quandoque enim ad crimina leuiora non grauatè conniuebat, ut salubrem magis quàm ambitiosum principem se præberet. Polydorus libro 6. Angl. hist.

Sese contra latrones, & Christianæ fidei hostes egregiè tutabantur. Pœnis extremis quæque reipublicæ Christianę minãtibus, Iohannes Romanus pontifex Landulphi Beneuentanorum principis consiliũ, quomodo hostibus occurrendum, expetit. Qui respondit: Res hæc, pater, palàm magnis est inuestiganda consilijs: mittito itaq; ad Græcorum Imperatorem, cuius & ipsi quę cis mare est terram, sicut & nostram depopulari non cessant. Camerinos etiam atq; Spoletinos, nostrum ad auxilium inuitato, ineamusq; protectore Deo cum his bellũ. Si uincimus, non multitudini, sed Deo imputetur uictoria. si uerò uicerint Pœni, peccatis nostris, & non inertiæ deputetur. Pontifex itaque mox Constantinopolitani imperatoris implorat auxilia: quibus impetratis, ipse & Landulphus suas coniungũt copias: ac Pœnos tantis uulneribus cõficiunt, ut nullus eorum aufugere potuerit. Luitprandus libro 2. cap. 14. Ericum comitem quendam, sæpius intestinis turbantem Saxones bellis, Ottho magnus securi percutit. Chronicon Saxoniæ.

Hermãnus, qui postea Otthonis magni beneficio totius Saxoniæ dux primus factus est, mediocri loco inter Saxones natus, septẽ tantummodo sub se colonos habuit: qui cũ apud ipsum deferrentur, quòd prædam in uicinos egissent, omnes in crucem acti sunt: ut in Holsatiensi Chronico scribitur.

Fortitudo in bello. Cunctis episcopis, autore Friderico Moguntino, Imperatorem ad Brisacum Alsatiæ oppidum deserentibus, milites qui remanserant, magis consultum sibi putant fore, in Saxoniam rebus infectis redire, quàm se trucidandos tantæ hostium multitudini exponi. Quibus Imperator animo forti respondet: Nolite, inquiens, nolite ita loqui. Et si appropinquauit tempus nostrum, moriamur omnes in uirtute, & non inferamus crimen gloriæ nostræ. Melius est enim pro uera iusticia mortem subire, quàm eam fugiendo turpiter uiuere. Denique si illos Dei ordinationi resistentes, auxilium à multitudine sola, & non à Deo sperantes, iniustè præliari, mori, & ad irremissibiles erebi pœnas descendere iuuat: nihilo minus nos, imò acrius pugnare delectat, qui & præliari pro iusticia

iustícia securi, & si sors carnis uniuersæ accíderit, securius possumus mori. Nam pro iustícia pugnatores ob copiarum paucitatem, ante pugnæ experimentum terga dare, Deo diffidere est. His dictis non solum eos à fugæ proposito reuocauit: uerumetiam ut uehementer pugnarent animauit. Luitprand. libro quarto, capite 14. Heinricus imperator ludos equestres quos Torneamenta uocamus, instituit, ac palæstram exerceri in suo regno præcepit, ut ea ratione generosa iuuentus ad bella præpararetur: ut in Saxoniæ habetur Chronico.

Mansuetudo & misericordia. Berengarius rex, ut erat pietatis amator, misericordia, quæ nulla rebelli debebatur, complexus Giselbertum, non ut populus optabat, malum pro malo reddidit: uerùm contum abire permisit. Cui & ait: Iusiurandum à te nullum exigo, fidei tuæ teipsum committo. Si malè contra me egeris, rationem te scias Deo redditurum. Luitprandus libro secundo, capite decimoseptimo.

Hugo rex, de Berengarij fuga certior factus, statim ad Otthonem suos mittit legatos, per quos magnum auri pondus regi offert, modò Berengarium non susciat. Quibus Imperator respondet: Berengarius nõ ob dominij uestri deiectionem, uerùm, si potis est, ob reconciliationem nostram adijt pietatem: si qua in re admini tulari illi penes dominium uestrum poteo, gazas mihi ab illo promissas non susciio, uerùm illi meas libentissimè tribuo. Berengario uerò seu cuilibet nostræ pietatis clementiam imploranti, subsidium non præbere, summæ dementiæ est. Luitprandus lib. 5. cap. 5.

Liberalitas in egenos & pauperes. Mathildis, Otthonis secundi mater, ubicunque in uicino infirmos decumbere audiuit, eos inuisit, & necessaria præbuit: pauperibus manũ præbuit, hospites benignè & largè suscepit, neminem sine blando afatu dimisit, nullum sine munusculis ferè, uel necessarijs adiumentis uacuum reliquit. Sæpe uiatoribus, quos longius de cella prospexit, necessaria transmisit. Talia operali licet ualde humiliter diebus ac nocti bus exerceret, tamen nihil de honore regio minuebat, & sicut scriptum est: Quamuis sederet tanquam regio circumstante populo semper & ubique, tamen erat mœrentium consolatrix. Vuitichindus libro tertio. Et pauperum in præsentia Hugonis Italiæ regis comedentium, sit mentio apud Luitprandum lib. 5. cap. 5.

Liberalitas in studiosos, & artiũ professores. Erat Hugo Dei cultor, & religioni addictorũ fautor eximius, in egenos liberalis, erga ecclesias sollicitus: religiosos, philosophosque uiros non solum amabat, sed singulari insuper honore prosequebatur. Luitprandus lib. 3. cap. 5.

Vsus bonorum. Ottho imperator deuictis Vngaris, prædam diuino cultui, & pauperum dedicauit usibus. Cranzius lib. tertio Metrop. capite octauo. Vrseolus Venetorum dux, sua bona in tres æquas diuisit partes: quarum primam filijs, alteram pauperibus, sacrisque ædibus distribuit. Reliqua parte suam, dum in uiuis fuit, curauit cuticulam. Sabell. libro secundo, Ennead. nonæ. Ottho secundus animam agens, in quatuor æquas partes regium diuisit thesaurum: quarum primam ecclesiarum, secundam pauperum, tertiam filiorum, quartam uerò ducum, qui relicta patria malorum participes fuerant, esse uoluit. Chron. Saxon.

## EXEMPLA VITIORVM CONTRA *primam Tabulam.*

Idololatria. Papiam urbem beati Syri ope, cuius exuuię ibi repositæ erãt, ne prorsus incendio uastaretur, seruatam esse, scribit Luitprandus libro 3. capite 2. Et Ottho, cum exercitus eius periclitaretur, in pugna contra Giselbertum & Euerhardũ, ante clauos quibus Christus cruci affixus credebatur, quos in bello secum in lancea circumferebat, procidit. Luitprandus lib. 4. capite 11. Idem contra Vngaros pugnaturus, ieiunium indicit in uigilia S. Laurentij: per cuius intercessionem Deum sibi, suoque populo poscit refugium. Acta Metensium.

Defectiones. Quidam Nicolaus publicanus, grandi ære alieno Constantinopolitanæ reipublicæ obstrictus, abiurata religione ad Ismaelitas defecit. Zonaras tomo 3. Gens Leuticiorum ad idololatriam redijt, anno 977. Sigebertus.

Fiducia auxilij sanctorum. Luitprandi Ticinensis leuitę pater, lãguore correptus, monasteriũ ingressus est: in quo post diem decimumquintum expirauit, iusto Dei in superstitiosum iudicio. Luitprandus libro tertio, capite 5.

Hypocrisis. Imperator Romanus cõsidérato, ut apparet, periurio suo (de quo paulo pòst dicemus) uiolataq; quam cum Constantino fecerat, pactione, beneficentia plácare Deum statuit. præter igitur alias distributiones, etiam os alienum pro debitoribus dissoluit, cuius summa ad nouendecim cẽtenarios excreuerat, tabulis in medio foro crematis. item precium pro ijs qui Constantinopoli in conducticijs domibus habitabant, numerauit. Ac debitorib. illa sanè

profuerunt: Romano autem parum opinor, ac nihil potius utilitatis attulerũt, cùm quod de alieno largiebatur, quippe ex publico: tum quòd imperio quod ex rapto tenebat, fruebatur: eoq; fraudato cuius erat, cum Imperatoria fœlicitate exasse potiretur, per exiguam beneficentiæ portionẽ tribuebat. quod perinde est, ac si quis uicini boue immolato, extremos pedes largiatur pauperibus, totũq; corpus ipse deuoret: aut spreto legitimo coniugio, in alienæ uxoris stupris uolutetur, deq; mariti illius pecunia pauperibus largiatur, ut sibi adulterij gratia fiat scilicet. Zonaras tomo 3.

Artes magicæ. Vuilla Berengarij coniũx, cum ob Dominici presbyteruli stuprũ infamis esset, cœpit aruspices maleficosq; inquirere, quò eorum carminibus iuuaretur. Vtrum autem horum carminibus, an sui mariti mollicie adiuta sit, ignoratur. ipsa enim magis deinceps à Berengario diligebatur. Luitprandus libro quinto, cap. 15.

Noruegiæ regi Olauo tanta sumendorũ auspiciorum, adnotandorumq; omnium cura acta est, ut etiam aquarum sacrarum liquore perfusus, cum partim religiosæ disciplinæ rudimenta sorpsisset, nullo tamen sanctitatis exemplo, nullius autoritate doctrinæ, quo minus augurium monitus consectaretur, futuraque per pullarios discere, uetari posset. Itaq; sanctitate uacuus, nec non inanem eius umbram complexus, susceptam religionis speciem fucosa superstitione damnabat. Saxo Grammaticus lib. 10. hist. Danicæ.

Arrogantia. Sed nobis solerter inquirendũ est, qui sint qui Domino ministrent. Neque enim omnes qui legunt, omnes qui prędicant, omnes qui propria tribuunt, omnes qui per carnis abstinentiam corpus castigant, omnes qui panẽ & uinum in commemoratione passionis Christi offerũt, omnes qui ea quæ mundi sunt derelinquunt, omnes qui assiduis uigilijs insistũt, omnes qui quotidianis lamẽtis afficiuntur, Domino ministrãt: sed qui in omni quod uiuũt, in omni quod agunt, non suam, sed Domini gloriam quærunt. Qui enim legendo atq; prædicando gloriam propriam quærunt, largiendo quæ habent, & corpus in abstinentia macerando, Missarum solennijs inhęrendo, bona mundi deserendo, assiduis uigilijs insistendo, quotidianis lamẽtis semetipsos afficiendo, laudes ab hominibus recipere appetunt, sibi, & nõ Deo ministrant. Ansbertus lib. 9. cap. 20.

Periuria. Romanus Lacapenus sancto iuramento, nunquam se Cõstantino imperatori uel insidias structurũ, aut regnũ affectaturũ, promiserat. Sed nõ multo pòst & se & coniugem suam, cum filio Christophoro, & nepote, regio diademate ornari fecit. Porrò Romanus Cõstantinũ infra se collocasse nõ contentus, occasionẽ quęritat enã Christophori illi præponẽdi. Itaq; instructa Bulgarorum turba, ut per seditionẽ postularet, ut Christophorus ante Constantinũ nominaretur: quasi propter motũ illũ, necessitati parendum esset scilicet, postulatis illorũ annuit. Deinde neq; Deũ ueritus, cuius numine inuocato pactiones firmârat: neq; subditorum pudore deterritus, etiam duos reliquos suos filios ante Constantinũ salutari iussit: & primus quintus est factus, etiminor etiam Romanus præpositus fuisset, nisi antè decessisset. Ita indigena Imperator, ad quem hæreditario iure imperium pertinebat, instar adscripticij fuit. Zonaras tomo tertio. Vdo comes, coniurationis Berẽgarianę contra Imperatorẽ particeps, regno exuitur, interposito iuramento, nunquã ulla se ratione id repetiturũ. Sed paulò pòst datæ fidei oblitus, ad pristinos honores aspirauit quidẽ: uerùm irriti eius fuere conatus, ut habet Reginonis continuator.

Ministrorum uerbi negligentia. Anbertus libro 5. capite 11. in Apocalyps. Dignum est ut is qui Ecclesiam exhortandam suscipit, excelsa uirtutum fastigia conscendat, quatenus inferior suis auditoribus non sit: quos ut alta uirtutũ appetant, admonere non desinit. Qui adhuc in uitijs ellse probatur, quomodo iudicare audeat de his quæ in excelsis aguntur? Sed quid nos miseri agimus, qui tantum alijs inferiores sumus meritis, quantum eloquentiores uerbis: qui alios exuscitantes, obdormiscimus: alijs lumen præbentes, obtenebrescimus: nisi fortè diuina misericordia uirtutes quas illi habent, nobis proueniant.

## CONTRA SECVNDAM *Tabulam.*

Magistratus negligentia in administranda iusticia. Autor libri Altercationis Synagogæ, cap. 16. Quis secularium uel spiritualium, dignitatis altiorẽ gradũ quęrit, tantũ ut prosit, magis quàm præsit? Et Constantinus imperator in regno administrando seniior fuit, iracundus & sæuus in delinquentes, in pœnis sumendis inexorabilis, uindex auidior. In cõferendis magistratibus, nõ dignos præturis, alijsq; muneribus præficiebat: sed minus bonos, ac potius impro-bos, & quos uel Imperatrix uel cubicularius Basilius commendabant, qui magistratus uænales habebant: ita fiebat, ut Imperium non in omnibus bene administraretur. Zonaras tomo tertio. Romanus puer Imperator, delicijs, uoluptatibusq;

ribusq; deditus, & luxu diffluens, cum hominibus corruptis & pestilentibus uitam agebat, rerum administratione præposito & cubiculario mandata. Zonaras tomo ter tio Annalium.

Contemptus magistratus. Quodam die festo, cum imperator Nicephorus Phocas ad ædem sacram progrederetur, inter Armenios & nauticos quædam concertatio est orta, in quam ciues intermixti magnam rem in forum panarium progressum, conciderè stragem: ipsum quoq; Imperatoris insectari, alij lapidibus eũ petere, aut pulueremin eum spargere non sunt ueriti: & nisi à quibusdam in regiam fuisset perductus, maiorem incidisset calamitatem. Zonaras 3. Heinrico imperatori rerum potito, omnes regni principes obsequentes fuêre, præter solum Arnoldum Bauarũ. Luitprandus lib. 2. cap. 7.

Seditiones. Imperij potestate post Alexandri obitum, ad Constantinum Leonis filium, qui septem erat annotum, deuoluta: Constantinus, Alexij ducis filius, noctu Bizantium armata manu ingreditur: & conciliatis sibi senatoribus quibusdam, magnaque plebis turba congregata, Imperator salutatur. Vnus autem tutorum Constantini, coacta ex classiarijs manu, ut tyranno resisterent, eos mittit: pugna commissa, multi utrinq; cæduntur: ac ipse Constantinus seditiosus, ex lapsu equi in terram prostratus, à quodam capite trũcatur. Zonaras tomo 3. Annalium. Otthoni magno Euerhardus, Giselbertus & Henricus, cupiditate regnandi adducti rebelles existunt: sed malum res sortita est euentum. Luitprandus lib. 4. capite 10.

Ἀτιμία. Romanus Cõstantinopoleos imperator instinctu coniugis, medicamento patri ebibendo uenenum admiscuit: sed eo, cum illi offerendam esset, maxima ex parte effuso, reliquo uerò à parte exhausto, ipse uitæ discrimen ægrè euasit. Zonaras tomo 3. Hugo Italiæ rex, consilio fratris Bosonis, Lamberto fratri oculos exculpi fecit. Luitprandus lib. 2. cap. 13.

Ingratitudo. Giselbertus à Berengario, cui rebellis fuerat, amicè dimissus contra populi uoluntatem, qui eum interfici uolebat, autor est Rudolpho, ut regnum contra Berengarium capessat. Luitprandus lib. 2. cap. 1. Berengarius à Flamberto, quem nullo non honoris gradu ornârat, clàm occiditur. ibidem capite 19 & 20.

Temeritas. Burchardus Sueuorum dux, cum iuxta muros Mediolanenses equitaret, his uerbis suas alloquitur copias: Si omnes Italos uno tantum uti calcari, ac strigosis non fecero equitare equabus, non sum Burchardus, fortitudinem siquidem muri huius, seu altitudinem, qua se muniri confidunt, nihili pendo: tactu quippe lanceæ meæ aduersarios de muro mortuos præcipitabo. Sed miser paulo pòst confossus est. Luitprandus libro 3. capite 4.

Cædes & parricidia. Theophanonis instinctu Imperatoris, coniunx noctu in somnis occiditur. Zonaras tomo 3. Elfrida Anglorum regina, priuignum suum è medio tolli curat, quo exse nato filio regnum cedat. Antoninus, Polydorus. Stephanus comes noctu latrinę insidens, ictu uenenatæ sagittæ per fenestram interimitur, anno 901 Regino libro 2.

Libidines. Theodora imprudens Romanæ urbis scortum, diras habuit natas Maroziam atque Theodoram, sibi non solum coæquales, sed etiam ueneris exercitio promptiores. Harum una Marozia, ex Sergio papa Ioannem Romanum postea pontificem: ex Alberto autem marchione, Albertum suscepit. Theodora uerò non solum allexit suos amatores, sed & secũ scortari compulit. Luitprandus libro secundo, capite decimotertio Ermegarda Adelberti, Eporegiæ ciuitatis, marchionis uidua, corpus suum non tantum principibus uiris, sed & ignobilioribus prostituebat. Idem libro 3. capite secundo. Edgarus Angliæ rex, cum Alphreda Etheluoldi cuiusdam coniuge, & Vuilfreda Deo dicata uirgine rem habuit. Polydorus.

Incæstus. Eduinus 27. Anglię rex, ipso quo rex primùm salutabatur die, consanguineâ suâ, comitis cuiusdã uxorẽ stuprauit: idq; ferè in aperto, pecorũ more fecit. Polydorus lib. 6. Angl. historiæ. Comes quidã sanguine sibi iunctã matrimonio tenens, à Dũstano excõminicatur. Vincentius lib. 24. cap. 2. Et in Maroziæ libidines & incæstum, acriter inuehitur Luitprandus lib. 3. capite 12. Et Vuilla, Berengarij uxor, Dominici presbyteruli deformis fœda consuetudine usa est. Idem lib. 5. cap. 15.

Polygamia. Hugo Italiæ rex, præter coniugem suam multas alebat concubinas: ex quibus tres in primis deperibat, quas dearum nominibus appellabat, Veneris, Iunonis & Semeles. Idem lib. 4. cap. 6.

Diuortiũ. Billug Obotritorũ regulus, cũ religione & coniugẽ, Vuagonis Aldẽburgẽsis episcopi sororem repudiat. Helmoldus in Chronico Sclauorum, cap. 13. Et Heinricus imperator iussu Bernhardi Halberstadensis episcopi, suam coniugem ex qua filiam suscepérat, repudiat, eo quòd monialẽ eam duxisset uxorẽ: ut Cranzius testatur.

Auariciæ & iniustæ exactiones. Nicephorus Phocas imperator bellorum prę-

textu, nouis tributis instituendis, & ueteribus augendis, omnis generis exactionibus subditos premebat. Ad hæc, ob frequentes expeditiones, pecuniæ inopiam causando Imperatorias largitiones senatui dari solitas, ex parte imminuebat: ac ne fundi ecclesiarum augerentur, decreto sanxit. Zonaras tomo 3. Ac auariciæ tam fuit in exhaustæ, ut numismata corrumperet, & pondus consuetum imminueret, adeò ut redditus ponderosiore numero, erogationes autem siue expensas leuiore faceret. Sic plerique in paupertatem redacti. Cuspinianus, in Nicephoro Phoca. Berengarius, homo fortis & auarus, omnem iusticiam pecunia uendebat. Vuitichind. lib. 3. gestorum Saxon.

Sacrilegia. Nicephorus Phocas sacris ædibus, & in locis Deo dicatis, annuos reditus imminuit: & nouo decreto, ne immobilibus bonis Ecclesiæ ampliarentur, cauit. Vnde antistites crebris suis prouentibus spoliati, rei diuinæ, sicut debebant, solitam operam non præstiterunt. Et eò tandem episcoporum facultatē transtulit, ut defuncto aliquo episcopo, in uidua tam Ecclesiā aliquem regium ministrū mitteret: cui necessarias tantum expensas admodum tenuiter erogauit, reliqua conuertens omnia in suum usum. Idem. Et Berengarius non sua, sed ecclesiarum & pauperum pecunia, duodecim nummorū modijs à Taxi Vngarorū rege pacem redemit. In ea uerò re non populi spectabat salutē, sed suæ tantum auariciæ, quo multa auri talenta sibi reponere posset. Omnes enim utriusq; sexus homines, ne lactentibus quidē exceptis, singuli nummū pendere cogebantur. Reliquam pecuniæ partem, quę supererat ex tributo, & quicquid ex ecclesijs abstulerat, sibi retinuit. Luitprand. lib. 5. cap. 15. Billug Obotritorū regulus, fraude Megapolensis ecclesiæ bona in suum uertit comodum: teste Helmoldo cap. 14. historiæ Slauorum.

Proditiones. Ciues Veronenses Berengarij partium, noctu portas aperientes, Ludouicū trucidandū Berengario exponunt. Ludouicus uerò ad templū cōfugit: nullusque eū præter unū Berengarij militē agnouit. Qui misericordia motus, noluit hunc prodere, sed celare. Timens uerò idem, ne ab alijs repertus proderetur, uitaq; mulctaretur, Berengariū adijt, eumq; ita cōuenit: Quandoquidē tanti Deus te habuit, ut tuū proprias in manus traderet hostē, debes & tu eius monita, imò præcepta magnificare: Ait enim: Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Intellexit itaque Berengarius, ut uir non incallidus, hinc quo ipse latēret, scire locum, eumq; hac sophistica responsione decepit: Putas ne me insulse, quem mihi Dominus tradidit homīnem, imò regem, uelle occidere? Nunquid & Dauid sanctus regem Saulem, a Deo sibi in manus traditum, seruauit, nec quòd occidere non potuit, sed quia noluit? His sermonibus miles inclinatus locum ostendit, in quem confugerat Ludouicus. Qui captus, & ante Berengarij præsentiam ductus, huiusmodi à Berengario sermonibus increpatur: Quousq; tandem abutēre Ludouice patiētia nostra? Num inficiari potes, te illo tempore meis præsidijs, mea diligentia circūclusum, commouere etiam cōtrà non potuisse: meq; misericordia inclinatū, quę tibi nulla debebatur, ad te dimisisse? Sensisti ne inquā, te periurū, in istis esse uinctum? confirmasti sanè mihi, teipsum nunquam Italiam ingressurum. Vitam tibi, sicut ei qui te mihi prodidit, promiseram, concedo: oculos uerò tibi auferri non solū iubeo, sed cōpello. His dictis Ludouicus lumine priuatur. Luitprandus lib. 2. cap. 11.

Simulationes. Nicephorus Phocas Brin gam, cui de Imperij cupiditate suspectus erat, sic elusit. Cum uno famulo uelperi ædes eius ingressus, eoque in secretum locum ducto, iureiurando & diris execrationibus confirmauit, solitariæ uitæ se longo iam tempore fuisse cupidissimum: eamq; iam pridem fuisse amplexurum, nisi Imperatorum se beneuolentia remotata esset. Non igitur frustra suspectū esse debere de regni cupiditate. Se enim iamiam rerum administratione cessurum. Ea uerba confirmabat, ostensa lacerna è pilis contexta, quā nudo corpore cæteris uestibus tectam gestabat. Ea oratione & lacerna effecit, ut cubicularius pedibus eius aduolutus, ueniā peteret. Zonaras tomo 3. Et Amedeus miles, nobilis & callidus Berengarij profugi comes, cum uideret Otthonē alijs negotijs obrutū, & Hugonis muneribus corruptum minus seriò Berengarij, contra Hugonem ipsius auxilium implorantis, negocium tractare, sic suum dominum Berengarium compellat: Non clam te est Domine, quòd inuisum se imperio duro rex Hugo cunctis Italicis effecerit, præsertim qui & concubinarum filijs, ac Burgundionibus dignitates sit largitus: nec ullus inueniatur Italicus, qui non aut expulsus, aut dignitatibus omnino sit priuatus. Et quod in rege non aliquid moliuntur, hæc causa est: quoniā quē sibi constituant principē, nō habēt. Si itaq; nostrūm aliquis mutato habitu, ne agnosceretur eò tenderet, eorumq; uoluntatem

tarem inquireret, consilium proculdubio nobis bonum exculperet. Cui Berengarius: Te, inquit, tum commodius, tum nemo potest facere melius. Igitur Amedeus mutato habitu, cum pauperibus, qui orationis gratia Romam tendunt, Romam quasi profecturus Italiam petijt: principes conuênit, & quid unusquisq; cordi haberet inquisiuit. neque enim eodem se omnibus habitu ostendebat: nunc niger alijs, subniueus alijs, maculosus alijs uidebatur. Verùm fama malum, quo non aliud uelocius ullum, Mobilitate uiget, eum in Italia esse auribus regis indicauit. Quem dum diligenter iubet inquiri, ipse prolixam & pulcherrimam barbam picè adeò defœdauit, capillos subaureos nigredine immutauit, faciem deturpauit, debilem finxit, adeò ut inter paupares, regis in præsentia comedentes, se regi nudum ostenderet, & uestem ab eo qua indueretur acciperet, & quicquid rex de Berengario & ipso loqueretur audiret. Hoc deniq; modo cunctis diligentissimè perscrutatis, non eodem modo quo uenerat, cum oratoribus est regressus. præceperat enim rex clausarum custodibus, ne quempiam transire permitterent, nisi prius quis esset diligenti inuestigatione inquirerent. Quod Amedeus audiens, per inuia quædã & aspera nulli custodita pertransijt, atq; ad Berengarium cum ea qua uoluit legatione peruenit. Luitprandus lib. 5. cap. 8.

Perfidia. Adelbertus Iporegiæ ciuitatis marchio, quod omnibus bonis cauendum est, nequaquam sui similis fuit: Nam dum feruente ætate iuuenilem duceret uitam, miræ humanitatis, miræq; sanctitatis fuit, adeò sanè ut si ei à uenatione redeunti pauper occurreret, aliudq; nõ esset quod illi præstare posset, cornu protinus quod collo eius fibulis aureis dependebat, sine dilationè concederet: rursumq; ab eodem quanti æstimabat, acquireret. Tam diræ autem postmodum factus est famæ, ut huiusmodi uera de eo, tam à maioribus quàm à pueris cantio diceretur. Et quia sonorius est, Græcè illud dicamus: Adelbertus comis curtis, μανς· αχθὺς μιηδὸπιστὸς. quo signatur & dicitur, longo eum uti ense, & minimâ fide. Luitprandus lib. 2. cap. 10. Tùne es, inquit Anscarius ad Hattonem quendã comitem, qui contempto crucis & sanctorum iuramento, periurus in nomine Dei tui, me tuum dominũ deseruisti, & ad ullum Sarlium transfuga ac desertor abijsti? Esse aliquos manes & subterranea regna, in quibus periuri puniantur, Cocytum & Stygio ranas in gurgite nigras, qui usq; modò somniasti, re ipsa experière. Hęc dicens, hastam, quam sine ferro gestabat, per os illius ualidè iaciens, sanguine cerebroq; respersam, per occipitium duxit. Luitprandus libro quinto, capite tertio. Gręcos perfidos esse, Vuitichindus lib. 3. testatur.

Fraudes. Capuani ciues pecunia corrupti, ab Alberico Marsorum episcopo, ut oculos Casinensi abbati eruant, fraude eum circumueniunt. Quidam enim ex eis abbatem, ut Capuam uenire, ibiq; lites minuere dignetur, orant: interposito etiam iuramento, saluum & incolumem ad D. Benedicti monasteriũ se eum reducturos. Credit abbas promissis, ac cum eis abit. Quem cum Capuam ad cœnobium D. Benedicti, (cui & Casinense & Capuanum sacrum erat) saluum perduxissent, suæ fidei satisfactum putabant Capuani: moxq; manibus ei iniectis, oculos exculpunt. Leo Hostiensis lib. 2. cap. 16. Et fraude Cæsarienses episcopi, Triphon suo pontificatu exuitur: apud Zonaram tom. 3. Fraude Hatto Moguntinus, Bambergensem circumuenit marchionem: ut in uita eius dicemus. Giselbertus & Euerhardus fraude suis contra Otthonem partibus adiungũt Heinricum imperatoris fratrem, quem in uinculis tenebat Euerhardus: Si cõsilijs nostris, inquiunt, te parêre nobis iuramento promiseris, non solum ex captiuitate liber eris: sed si res feliciter successerit, te regem & dominum nostrum, modò tu uolueris, constituemus. Sed fraudulentã hanc Euerhardi promissionem fuisse, inde colligi licet, quòd ad cõiugem, quam in sinu dum foueret, dixerat: Iocundare nunc in gremio comitis, breui lætatura in amplexibus regis. Luitprandus lib. 4. cap. 10.

Burgundiones garrulos esse, uoraces ac imbelles, nullus qui eos nouerit, ambigit. Luitprand. lib. 5. cap. 2.

## RITVS CIRCA IVSiurandum.

IVramenta ad sanctorum reliquias fieri solebant. Elfredus, qui conspirationis contra Elstanum Angliæ regem princeps habebatur, dum Romæ ad altare S. Petri, præsente Ioanne pontifice, sui purgandi gratia iurare cogitur, corruit, & post triduum mortuus est. Vincentius lib. 24. cap. 63. Et Romani supra corpus S. Petri, Imperatori iureiurando fidem promittunt: teste Reginonis continuatore.

Ottho Magnus Imperator, quãdo res tractabat serias, per barbam suam, quã admodum prolixam alebat, iurare consueuit: teste Cuspiniano in Otthone Magno.

Milites imperatori Heinrico fidem dantes, contra Vngaros fortiter se pugnaturos, dextris in cœlum eleuatis pactum firmarunt. Vuitichindus lib. 1. gest. Saxon.

RITVS DEMONSTRANDI *innocentiam, & dirimendi lites.*

INoleuit hoc seculo mos ille, innocentiam suam in causa dubia, uel monomachia tueri. Conradus enim, Eberhardi comitis filius, qui cum quadam regis nepte se concubuisse iactitabat, à Burchardo Saxone uictus monomachia, mentitus esse putabatur, Anno 950: ut Reginonis: cõtinuator indicat. Sic & Lambertus Thusciæ marchio, monomachia se, ex eadem cum Hugone matre natum esse, euincit. suppositicius enim Bertæ filius esse, à pluribus crẽdebatur. Luitprandus lib. 3. cap. 13.

Orta quoq; dissensione inter principes de uarietate legis, utrũ deberent auis superstitibus filij filiorum post patres defunctos hæreditare, an exhæredatis fratruelibus deberet hæreditas ad patruos redire: ex regis Otthonis, omniumq; principum sententia, cognitio ueritatis commissa est gladiatorio iudicio, cessitq; uictoria his qui dicebant fratrum filios debere cum patribus hæreditare. Spec. Vincentij lib. 24. capite 70.

Vel igniti ferri gestatione. Popponem fidei suæ ueritatem, Danis gestatione candentis ferri comprobasse, testantur Vuitichindus & Crãtzius. Quo euenit, ut Dani abrogata duellorum consuetudine, pleraq; causarum iudicia eo experimenti genere constatura decernerent: controuersiarum examen rectius ad arbitrium diuinũ, quàm ad humanam rixam, relegandum putantes. Saxo Grammaticus lib. 10. historiæ Danicæ. Ottho tertius suam coniugem, ob iniquam comitis cuiusdam delationem, quem sẽ de stupro sollicitasse olim conquesta fuerat, eumque Imperator ob id capitis damnarat, igni iubet tradere: comitis uxore, candentis ferri gestatione sui mariti innocentiam cunctis detegente. Crantz. lib. 4. cap. 26. in Saxonia.

Perceptione corporis & sanguinis Domini, suam innocentiam Fridericum Moguntinum coram ecclesia comprobasse, suprà diximus.

RITVS ELIGENDI, INAVgurandiq; *Imperatores.*

DEfuncto Heinrico imperatore, omnis Francorum, Saxonumq; populus, Otthonem eligit successorem: ac statim uno omnium ore, Aquisgrani ut conuentus fieret, statuitur. Quumq; illò uentum esset, duces ac præfectorum principes, cum cæterâ principum militum manu congregati, in sistorio basilicæ magni Caroli cohærenti collocarunt nouum ducem, in solio ibidem constructo, manus ei dantes, ac fidem pollicentes, operamq; suam contra omnes inimicos spondentes, more suo fecerunt eum regem. Dum ea geruntur à ducibus, ac cętero magistratu, Pontifex maximus cum uniuerso sacerdotali ordine, ac omni plebe infra in basilica præstolabatur processionem noui regis. Quo procedẽte, Moguntinus archiepiscopus Hildebertus obuius læua sua dexterã tangit regis: suaq; dextera lituum gestãs, linea indutus stolã, plantaq; infulatus, progressusq; in medium usq; phani subsistit: & reuersus ad populũ, qui circumstabat (nam erant deambulatoria infra supraq; in illa basilica in rotũdum facta, quo ab omni populo cerni posset) En, inquit, adduco uobis à Deo electum, & à Domino rerum Henrico olim designatũ, nunc uerò à cunctis principibus regem factum Otthonem: si uobis ista electio placeat, dextris in cœlum leuatis significate. Ad hæc omnis populus dextras in excelsum leuans, cum clamore ualido imprecati sunt prospera nouo duci. Proinde procedit pontifex cum rege tunica stricta, more Francorũ induta, pone altare, super quod insignia regalia posita erant, gladius cum baltheo, chlamys cum armillis, baculus cum sceptro ac diademate: & accedens ad altare pontifex, & sumpto inde gladio conuersus ad regem ait: Accipe hunc gladiũ, quo eijcias omnes Christi aduersarios, barbaros & malos Christianos, autoritate diuina tibi tradita, omni potestate totius Imperij Francorum, ad firmissimam pacem omniũ Christianorum. Deinde sumptis armillis ac chlamyde, induit eum. His cornibus hucmetenus demissis, inquit: Monearis quò zelo fidei ferueas, & in pace tuenda perducere usq; in finem debere. Exinde sumpto sceptro, baculoq;: His signis, inquit, monitus, paterna castigatione subiectos corripias: primumq; Dei ministris, uiduis ac pupillis manum misericordiæ porrigas: nunquamq; de capite tuo oleum misericordiæ deficiat, ut in præsenti & in futuro, sempiterno præmio coroneris. Perfusus itaque oleo sancto, & coronatus diademate aureo, ab ipsis pontificibus Hildeberto & Vuichffido, ac omni legitima consecratione completa, ab eisdem pontificibus ducitur ad solium, ad quod per cochleas ascendebatur: & erat inter duas marmoreas miræ pulchritudinis columnas constructum, unde ipse omnes uidere, & ab omnibus ipse uideri posset. Diuina deinde laude dicta, sacrificioq; solenniter celebrato, descendebat rex ad palatium: & accedens ad mensam marmoream, regio apparatu ornatam, resedit cum pontificibus & omni populo, duces uerò ministrabant. Vuitichindus lib. 2. gestorum Saxonicorum. Et Trithemius, oleum

oleum & coronam interpretatur, cum ait: Post hæc fuso super caput eius oleo consecrationis ait: Vnxit te Dominus in regem super populum suum, ut nunquam de capitetuo oleum misericordiæ deficiat, quo hic & in futuro misericordiam ab ipso creatore tuo consequaris, Amen. Postremò impositis capiti eius regalem coronam, dicens: Coronauit te corona iustitiæ, qua moneatis te ministrare iustitiã debere subditis, quatenus hoc ornamento regali præmunitus, & tuis reuerendus, & inimicis terribilis appareas, & post huius uitæ terminum sempiterno cum angelis præmio coroneris, Agemq; in solium regale cum omni lętitia posuerunt. In Chronico Hirsaugiensi. A Romano autem pontifice Ioanne, publico & solenni ritu in D. Petri basilica ante altare Imperij diademate ornatur, accepto simul Germaniæ Pannoniæque titulo. At iunior Otthо, uix septem annorum puer, rexibidem salutatur. Antoninus. Idem postea à Ioanne decimoquarto, cum noua nupta Theophania in Lateranesi patriarchio, die Christo natali, patre præsente, Imperij diademate insignitus, Augustus appellatur: ut Blondus scribit.

Otthonem tertium, Ioannes Rauennas ad Aquas Graneas regio insigniuit diademate. Schafnaburgensis.

Ioannes Zimisces peracta à patriarcha sibi imposita pœnitentiã, die Christo seruatori natali in magnam ecclesiam progressus, regio diademate ornatur, & Imperatoris nomine salutatur. Cuspinianus in Ioanne Zimisce.

Romanus Lacapenus, cum prius sanctissimo iureiurando adactus promisisset, se nunquam Imperatori insidiaturum, neque regnum affectaturum: in regiam ascendit, & cum Constantino Phari ædem ingressus, fide data acceptaq;, magnus hetæriarcha, hoc est summus amicus designatur. Vigesima uerò quarta die Septembris, ad Cæsaris dignitatem euectus, & in Decembri imperij diademate est ornatus à patriarcha. Paulo post uxorem quoq; suam, & filium Christophorum diademate insigniuit. Zonaras tom. 3.

Nicephorus Phocas ex Hebdomo, uerso populo prosequente, in magnam ecclesiam perducitur: ubi à patriarcha corona tus est. Zonaras ibid.

Vestitus Imperatorum Orientis memi nit Luitprandus lib. 3. cap. 9. ubi ait, moris fuisse ut Imperator rubricatarum pellium caligis uteretur.

Etreges. Otthо III. Bolislaum Polonię ducem, regem, socium & amicum Romani appellat Imperij: eumq; ab omni tributo & iurisdictione Imperatorum liberum pronunciat: ac diadema, Gaudentio episcopo solennes peragente ceremonias, ei imponit. Cromerus lib. 3.

ET IMPERATRICES.

Theophania in Lateranensi patriarchio, à Romano pontifice imperij diademate, unà cum coniuge ornatur, ut paulo antè diximus.

Romanus Lacapenus coniugem suã diademate ornat. Zonaras.

RITVS ADORANDI ANtichristum Romanum.

CResc entius Romanus, Otthonis seueritatem formidans, Ioannem pontificem eius nominis XVII, à se profligatum, ex Hetruria reuocat: eiq; cum cæteris senatorij ordinis uiris, ac plebis ingenti multitudine obuiam procedit: & ad pedes eius prouolutus Crescentius, eos osculatus est: sicq; supplex ueniam impetrauit, ac magna omnes simul reuerentia ipsum exceptum, in sua residere iubent cathedra: ut Platina refert.

SVPPLICANDI RITVS.

Heinricus dux, multis se muniens episcopis, Otthoni magno, fratri ad templum tendẽti, nudis obuiam processit pedibus: eiusq; ad pedes abiectus, ueniam petijt, teste Reginonis continuatore.

TRIVMPHANDI RITVS.

Ioannes Zimisces, bello Rossico feliciter confecto, Byzantium reuersus, ab omnibus ordinibus splẽdidè excipitur. Nam & patriarcha cum omnibus sacerdotibus ei obuiam est progressus, & Senatus & populus coronas offerentes, & currum cum quatuor albis equis: rogaruntq; ut eo cõscenso triumpharet. At ille coronas accepit, & equo singulari candido triumphauit: & uestibus Bulgaricorum regum currui impositis, supraq; eas imagine Deiparæ collocata, currum antecessit. Zonaras tom. 3.

# CAPVT VII.

## DE POLITIA ET GVBERnatione Ecclesiæ.

ECclesiæ in hoc Seculo passim dominationi seu tyrannidi Romani præsulis subiectę erant: & ad arbitrium istius, ueluti ad regis Ecclesiastici imperium, cuncta fiebant. Præterea omnibus reliquis episcopis & gubernatoribus, ritus atq; opera Romanorũ sacerdotum plus iusto arridebant: eaq; omnia summo studio æmulari conabantur.

Hinc est quòd pauca de regimine, de doctrina, de cõfessione & pietate aliarum Ecclesiarum, in hac ætate sit à scriptoribus annotatum: nullo q; unquam tempore uideatur atrior & dẽsior nox Ecclesiã Christi oppressisse, quàm hoc præsenti. Quæ uerò apud autores sparsim reperire est, ea qua decet fide commemorabimus.

## DE PERSONIS.

IVs uocandi ministros Ecclesiæ, fuit penes Ecclesiam. Nam à populo & clero facta esse legitimam electionem pontificum, testatur synodus Romana. Et Blõdus ait, Leonem octauum à clero & populo electum: Otto autẽ imperator eum confirmauit. Item Ioannẽ 13. à clero populoq; Romano electum esse, Auentinus lib. 5. & Antoninus testantur. Et Platina inquit: Imperatorem, Romanis petentibus ab eo pontificem, respondisse: electionem Pontificis ad populũ & clerum pertinere. Mortuo Vuicfrido Colonien si archiepiscopo, plebs in ipsa confusione nil anceps, nil uarium molita, unicum unicè optatũ, in domino Brunone, magnifico uiro & probatissimo, sibi delegit solatium, secuta magnatum & totius cleri consilium. Electi sunt igitur à senatu quatuor summi uiri, & eodem numero laici, omnes apprimè eruditi, qui hæc omnia ad palatium perferrent, & Brunonem flagitarẽt. In uita Brunonis. Leo octauus, conferens Ottoni potestatẽ eligendi pontificem, ait in sua Epistola, se id fecisse cõsentiente clero & uniuerso populo.

Penes Imperatorem quoq; erat ea potestas, ut infrà dicemus: qui tum Romanos, tum alios Ecclesiæ præsules delegerunt & comprobarunt.

Penes principes etiam erat. Nam Henricus imperator Arnoldo Bauariæ duci concessit potestatem, in sua regione pontifices in locum defunctorum constituendi. Luitprandus lib. 2. cap. 7.

Penes synodum. Sic in Synodo Remensi episcopus Gerbertus deligitur, ut uidere est infrà dẽ Synodis.

Sacerdotibus & pastoribus omnem potestatem uocandi & constituendi episcopos, eripit Nicephorus Phocas: idq; propterea, quia nonnihil de electione dissentiebant. Imperator igitur Orientalis pro animi sententia, quos aula uult & approbat, mittit. Vixq; demensum exiguũ seruis Dei concedit, reliquum uerò uorat abyssus aulæ. Zonaras tom. 3.

Dederũt & Pontifices ecclesijs extra Italiam sitis, pro sua uolũtate: id quod postea annotabimus.

Abusi tamen sunt Ecclesiastici præsules sua potestate. nam pro pecunia gradus Ecclesiasticos uendiderũt. Inde est quòd Henricus imperator cõgressurus cum Vngaris, uotum facit, sese hæresin Simoniacam è regno suo extirpaturum, tam diu ab antecessoribus suis toleratam. Luitprandus lib. 1. cap. 8. Sic Manassen stringit, quòd Veronensem episcopatum uendiderit, lib. 4. cap. 3.

Hilduinus pecunia data Giselberto, petebat sibi dari episcopatum Leodicensem. Sigebertus.

Scorta quoq; ipsa, euexerunt ipsos pontifices Romanos. Nã Theodora impudens scortum effecit, ut Ioannes Rauennatis episcopus, Romanus pontifex designaretur. Luitprandus. Marozia scortum nobile Iohannẽ, quem ex Sergio papa meretrix ipsa genuerat, papam constituit. Luitprandus lib. 3. cap. 12. Profectò dignissimæ sunt illæ creaturæ talibus matribus seu procreatrici bus, iuxta illud: Mali corui malum ouum.

Porrò personas Ecclesiasticas delegerũt & constituerunt:

Ex nobilibus. Nã Vdo, comitis Vdonis filius, fit episcopus Strasburgensis. Cõtinuat. Reginonis. Hugonis nepos, per uim in Remensem ecclesiam collocatur. Vuitichindus lib. 3. Albertus archiepiscopus Magdeburgensis, ex monasterio Treuirensi, ad S. Maximianum uocatus est. Chronicon Saxoniæ.

Ex militibus. Odo enim archiepiscopus Cantuarien sis, primùm sub Edouardo rege Anglorum seniore militauit: nec multo pòst clericaliter attonsus, Vuintoniẽsis præsul effectus est. Ranulphus lib. 6. cap. 10.

Ex consanguineis. Otto enim Gregorij sibi ex Saxonum genere consanguineum, iubet in pontificem recipi. Blondus lib. 3. Decadis 2.

Ex monachis. Sic Vuitgero defuncto, Bẽno qui in Alpibus diu heremiticã egerat uitam, & unus de ordinarijs Strasburgẽsibus factus erat, in episcopum substituitur. Continuator Reginonis. Libutius monachus S. Albani, & Albertus cœnobita S. Maximini, doctores & episcopi Rugorum designãtur. Idem. Hildebertus, ut eum Vuitichindus nominat, ex monacho Fuldensi factus est archiepiscopus Moguntinensis. Vuimo monachus Corbeiensis, uir doctus & sanctus, in episcopatũ Bremensem electus est, iuxta Trithemium in Hirsaug. Chronic.

Odo primùm fuit abbas monasterij Gluniacensis, deinde factus est episcopus Vuiconiemensis, postea archiepiscopus Dorobernensis. Ranulphus libro 6. capite 6. in Polychron.

Ex diaconis. Otto enim primus, Eppone ad episcopatum Verdensem euexit. Metrop. Crantzij.

Ex

Ex Iuristis. Nã Blegabridus Languaridus Britãnus, utriusq; iuris magister ac doctor effectus est, & mox Landauensis ecclesiæ archidiaconus. Balęus Centutia 2 scriptorum Britanniæ.

Vi quadã Ecclesię functiones propter quę ſtũ & dignitatẽ rapuerunt. Sic Hugo Artoldũ Remensiũ archiepiscopũ ui pellens, ipse occupat sedem. Contin. Reginonis. Albericus Romanus ciuis, potentia & factione suorũ confisus, Octauianũ filiũ sceleribus infamem & perditum, oppresso clero & populo, in pontificiam sellam collocauit: qui pro suo genio uixit, dum uixit. Blondus.

Ineptos non rarò delegerunt. ut Zachęũ uirũ reprobatũ (ut loquitur Luitprandus) diuinarũ atq; humanarũ literarũ insciũ, episcopũ consecrat Iohan. 12. cuius opera in cõcitandis Vngaris usus est. Luitpr. li. 6. ca. 6.

Ex cardinalibus papas elegerunt. Defuncto enim Iohanne duodecimo, Benedictũ quintum cardinalẽ in papam cõsecrarunt. Antoninus lib. 16. cap. 1.

Esti aũt interdictũ pontificiũ, de castitate immũda ecclesiasticorũ, pleraq; loca corruperat tamẽ in Anglia, in Gallijs, Italia & Germania, hac ætate superfuerũt sacerdotes coniugati, circa annũ Domini 950. uerũm papa & monachi eos horribiliter persecuti sunt, ut infrà de Synodis exponitur.

Sacerdos quidã, Elingensis ecclesię præpositus, inuitis papa, rege, episcopis ac monachis omnib. collegiũ sibi atq; suis sacerdotibus cõiugatis seruauit. illos propterea fingunt cum suis uxoribus ac liberis, in anguillas tandem uerti, & anguillas sub aquis huc usq; generare: ob idq; diœcesim illam Eligensem seu Anguillariesem dici somniant. Historiã hanc (si tamen digna est ita uocari) Guilhelmus Malmesburius, & Iohannes Capgrauus habent. Balęus Centuria secunda scriptorum Britanniæ.

DE GRADIBVS PERSONARVM.

Archiepiscoporũ & episcoporũ passim fit mẽtio in historia istius Seculi, ut non sit necesse exẽpla adscribere. Videntur aũt sine discrimine eos appellasse Præsules. Sic Regino lib. 2. inquit: Strasburgensis ecclesiæ & Tullensis præsules, successerunt in pontificali cathedra.

Item pontifices promiscuè, tã Romanus quàm alij nominati sunt. Luitprãdus enim ait, Arnoldũ Bauarię ducẽ, licentiã creandi põtifices habuisse in sua regione. lib. 2. cap. 7. Vuitikind. lib. 1. Moguntinensem appellat summũ pontificem. Fuerunt etiam

Patriarchę. Angelfredus enim Aquileiẽsis patriarcha, Synodo Romanæ contra Iohannẽ papã interest. Contin. Regin. Eiusdẽ ecclesię patriarcha Gregorius, bellũ contra Saracenos gerit. Bonfinius lib. 10. Decad. 1. Constantinopolitani patriarchæ Zonaras meminit tomo 3. Item, uocat eum pastorem, in historia de Nicephoro Phoca.

Cardinales. Nam ex Synodo Romana contra Iohannem papam, mittuntur Adrianus cardinalis presbyter, & Benedictus cardinalis diaconus.

Archipræsulatus. Luitprãdus archiepiscopatum nominat.

Presbyteri. Dominicus presbyter cum uxore Berengarij consuetudinem habuit. Luitprandus lib. 5. cap. 15.

Sacerdotes. nã Vdoni & Cunrado fit obuiam sacerdos. Luitprandus lib. 5. cap. 16. Imò Remẽsis archiepiscopus etiã uocatur sacerdos, à Vuitichindo. Primariorũ sacerdotum facit mentionem Zonaras tomo 3. sub Nicephoro Phoca.

Domestici sacerdotes. Otto 3. domesticũ habuit sacerdotẽ. Auentinus lib. 5. Vocantur & Confessores. Cum rex Anglorum Edredus grauiter ægrotaret, Dunstanũ cõfessorẽ suũ accersiuit: cui festinanter accedẽti, uox obiter clarè insonuit: Modò rex Edredus quiescit in pace. ad quam uocem ęquus, cui Dũstanus insedit, absq; sessoris læsione in terrã corruẽs expirauit. Malmesb.

Archidiaconi. Theobaldus enim Medio lanensis archidiaconus fuit. Luitprand. lib. 4. cap. 6. Iohannes abbas 23. in monasterio Teano archidiaconi officio functus est, in ecclesia Capuana. Chron. Cass. li. 1. ca. 56.

Diaconi. Nã reliquitur diaconatus Benedicto, qui propter inuasionem sedis Romanæ degradabatur in Synodo. Continuator Regin. Theophylactus ait: Diaconi purgant per instructionẽ & doctrinã, presbyteri illuminant per baptismum, episcopi & sacerdotes ordines constituunt & perficiunt. In 19. caput Lucę. Itẽ: Cuius hodiè symbolum est diaconus stans, & eximo pectore preces pro populo effundens. In 8. cap. ad Rom.

Capellanus palatij. Dudo palatij capellanus. Continuator Reginonis.

Archicantores. Odo Cluniacẽsis Turoni archicantor fuit. Sigebertus.

Chorepiscopi. Sacrificuli, quos chorepiscopos uocant. Auentinus lib. 4.

Canonici. In magna ecclesia Treuirẽsi hoc tempore (sub Hattone archiepiscopo Moguntino, nõ proditore illo) sicut & in cęteris antiquis ecclesijs canonici, secundũ regulã eis præscriptã in cõmuni uiuebãt, unã habẽtes mensam, unã bursam, unũq; cõmune dormitoriũ. Chron. Hirsaug. Trithemij.

Canonici seculares. Anno 988, Leopoldus primus Austrię marchio, diẽ suũ clausit extremum: cum prius duodecim canonicos se-

cos seculares, cum necessaria prouisione in tẽplo arcis suæ instituisset, qui Deo laudes psallerent. Austria Cuspiniani.

Eremitę. Fridericus enim metu perculsus, aliquádiu cùm Eremitis uitã agit. Vuitichindus libro tertio.

De reliquis ordinibus, in Agendis uetustis dicitur: ut de subdiaconis, lectoribus, exorcistis, acoluthis. de quibus in capite de Ceremonijs differimus.

## DISTINCTIO COETVS ECclesiastici.

DIstinguebatur cœtus Ecclesiasticus, primùm in clerum, quo nomine omnes Ecclesiasticis ministerijs destinati reputãtur. Cleri Traiactensis fit mẽtio in Continuatore Reginonis, quod corpus S. Seruatij asportarit. Cleri Romani, in Synodo contra Iohannem papam. Luitpr.

Deinde in populũ. Nam ut suprà attigimus, penes clerũ & populum erat potestas deligendi episcopos.

Catechumenorũ. nam Luitprandus eorum meminit. Sancta, inquit, coaceruatim moritur catechumena plebs. lib. 3. cap. 1.

## DE RATIONE GVBERNATIONIS.

SIngulis ecclesijs singulus tantũ præfuit episcopus, nisi quòd interdũ duo de sede disceptarunt: alteroq; expulso, alter sublimitatẽ loci rapuit. id qđ in Romana & Remensi ecclesia hoc seculo accidit. Archiepiscopi, presbyteri, diaconi, & cęteri collegæ fuerũt cõiũcti, suasq; opas fecerũt.

De capitib. doctrinę sacrę Ecclesiã erudierũt. Sic missi à Bremẽsi archiepiscopo doctores in Gothiã & Sueciã, ibi prædicabãt Christi Euangeliũ cõstanter & diligẽter: & crescebat quotidie cũ magno fructu diuini uerbi plãtatio, baptizabatur magna populi multitudo: tãtusq; omniũ ardor ad baptismũ erat, ut exactis paucis diebus, nulli aut pauciss imi incolæ, in uniuersa ciuitate Bircẽsi (quæ tũc frequẽtissima erat) inueniren tur, qui Christianæ militię adscripti nõ essent. lib. 17. Gothorũ Sueonũq; hist. ca. 15.

In uernaculã linguã Sacras literas trãsderũt. Ethelstanus enim rex Angliæ, per peritos doctores curauit Sacras scripturas in Anglosaxonũ idioma, ex purissimis Hebrę orũ fõtibus trãsfundi, teste Malmesburiẽsi.

Falsa dogmata, & eorũ assertores impugnabãt. Ratherius enim Veronẽsis episcopus, Anthropomorphitis reclamabat. Sigebertus. Fuit tamẽ hoc tẽpore ista pars ministerij Ecclesiastici plurimùm neglecta, quia tenebræ à Romanis profectę pontificibus cuncta opplebant & obcæcabant.

Habuerunt episcopi & suos discipulos, quibus pietatẽ & artes tradebant. Nã Odo Cluniacensis abbas, Remigij Antisiodoren sis auditor, ab eo Dialecticam & Musicam didicit: teste Schedelio.

Ad alias quoq; gentes doctrinã Euãgelij pertulerũt. Nã Bruno Colonięnsis, Danis & Dithmariẽsibus cõcionatus est. Chron. Mersb. Ex monasterio Corbeiẽsi multi in exteras nationes propagandi Euangelij gratia profecti sunt. Metrop. Crãzij l. 3. ca. 1.

Alijs populis miserũt idoneos uiros, qui doctrinam cœlestem traderent. Sic Adeldagus Rugis Libutium doctorẽm mittit. Continuator Reginonis.

Propagatores doctrinę inter alias gẽtes honestè habuerũt, quãdo sua legatione absoluta reuersi sunt. Albertus enim à Rugis reuersus, ab Imperatore & Vuilhelmo archiepiscopo amãter susc ipitur, muneribus afficitur, & sustentatur. Continuator Reginonis.

Visitarũt. Sic Vuago Aldẽburgẽsis episcopus ciuitatẽ Obotritorũ Mikilnburg, ut loquitur Helmoldus (id est Meckelburgũ, cuius etiamnum rudera prope Vuismaria uisuntur) uisitat, ibiq; necessaria constituit.

De causis matrimonialibus tractabant. Sic Polieuctus arcet Nicephorũ Phocam à sacris, & postea causa à cœtu sacerdotum & senatorum uentilatur & dirimitur.

Hæreticos præfractos, & manifestè facinorosos, censura Ecclesiastica cohercere & excõmunicare debebãt: sed tales in hoc seculo sunt mores Ecclesiæ, ut episcopi plurimi magis ad arma & ad fundẽdũ sanguinẽ essent propensi, quàm ad corrigẽdos errãtes per uerbũ Dei, aut legitimè excõmunicãdos pertinaces. id quod manifestè probãt excidium Parasi, ubi Anthropomorphitę habitarunt. qua de re suo loco.

Sacramenta administrarunt: ut in capite de Ceremonijs indicatur.

Libros composuerunt. Rutgerus enim Treuirẽsis ecclesiæ episcopus, inter cætera ingenij sui moniméta, librũ Decretorũ cõposuit: quẽ in Synodo corã suffraganeis suis, apud Treuerim producẽs in publicum, omnes approbãt. Trithemius in Chronico Hirsaug. Et Gilberti, Ansberti, Rudolphi, Theophylacti, & aliorum nonnullorũ monumenta ad posteritatem sunt conseruata.

Ad bonos mores hortati sunt. Radulfus: Abluamus sordes operis, abluamus & mẽtis uestes cũ corpore, ut qui de uẽtura malorũ dãnatione præstruimur, cũ dies illa uenerit, inter dãnandos nõ annumeremur. Etenamq; qui mundus inuentus fuerit, castrorum cœlestium sine dubio aditus patebit. lib. 12. cap. 1. in Leuit.

Vitia & peccata grauiter & liberè arguere, & singulos ad pœnitentiã uocare debebãt: uerùm ipsimet peccatis enormib. suas functiones

functiones deformabant, ut ipsi imperatores & reges necesse haberet (id quod supra modum dictu turpe est) episcopos subinde retrahere in uiã. atq; etiã immedicabilia uitia gubernatorũ Ecclesiasticorũ ense circũcidere, ne pars sincera traheretur, & depraueretur. quæ quidẽ suo loco recitantur. Rathērius tamẽ Veronensiũ episcopus, uir doctissimus, ab Hugone imperatore apud Papiã urbẽ exilio damnatus fuerat, eo quòd nimium aperteq; in eius mores detestabiles inueheretur. Bergomensis lib. 11.

Coniuges initiarũt sacra benedictione. Sigefridum Parmensis ecclesiæ uenerabilẽ episcopum, Hugo Italiæ rex, cũ Bertha ex concubina filia, Romano paruulo Constantini Porphyrogeniti filio, copulandã coniugio direxit. Luitprandus lib. 5. cap. 9.

Temporũ rationẽ, festorũ, ieiuniorũ, rudi populo indicarunt. Anno 983, Egbertus archiepiscopus Treuirensis instituit ieiuniũ bannitũ tertia hebdomade post festum Paschatis celebrandũ, propter siccitatẽ nimiã, quę omnẽ regionẽ uehemẽter afflixit. Chron. Hirsaug. Trith.

Paupetum curã habebãt. Sic Libentius archiepiscopus Hamburgensis factus, curã egit hospitalis, fratribus & infirmis quotidiano ministrabat obsequio. Ipse quoq; uices suas xenodochiũ nepoti suo cõmendauit Libentio, dum adhuc pax esset in Vãdalia. Metrop. Cranzij lib. 3. cap. 42.

Seditiones cõpescuerunt. Sic anno 916, Nonis octobris, Conradus imperator Regi noburgij) conciliũ procerum & episcoporũ cogit. Ibi Arnulphus proscribitur, eidem sacerdotes malè precantur; huiuscemodi demq; precibus Thyestęis ipsi sactificijs interdictũ est: Quoniã Arnulphus & socij eius (inquiũt) regi & principi suo parêre detrectãt, inferis perpetuò deuoti sunto, nec ullo unquã piaculo resoluuntor: cũ Iuda proditore, cũ malis genijs, ignis æterni carnificina excruciantor. Auentinus lib. 4 Annalium Boiorum.

Bono exẽplo aliqui præierunt. Sic in Synodo Romana, petit clerus & populus talẽ, qui exẽplo bonę cõuersationis præesse ualeat, & prodesse sibi: rectè uiuat, & bene uiuendi exemplum alijs præbeat. Luitprandus lib. 6. cap. 10.

Restiterunt iniquis & impijs postulatis, uel edictis regũ & Imperatorũ. Sacerdotes enim Cõstantinopolitani Nicephoro Phocæ imperatori, & sententijs & suspensione à cœna sacra restiterunt, cũ peteret milites in ter martyres recipi & coli. Zonaras tomo 3. Episcopus Halberstatensis Ottoni restitit, qui portionẽ suæ iurisdictionis ei decerpere, atq; episcopatui Magdeburgensi recens extructo, cupiebat adijcere. quam quidẽ ob causam Imperator eum incarcerat: uerùm ipse episcopus in carcere regẽ excommunicat, postulatis sacris uestibus, & accito rege. Metropolis Cranzij lib. 3. cap. 10.

Pro uictorijs gratias egerunt. Nam uicto Cupa, ecclesiarũ ministri publicè Deo gratias agunt. Bonfinius lib. 1. Decad. 2.

Regibus & Imperatoribus adfuerũt. Vuitichindus ait: Non minima quoq; cæteris põtificibus cunctatio erat in Bauaria, dũ fauent partibus, nũc regi assistẽdo, nunc alias partes adiuuando: quia nec sine periculo alienabantur à rege, nec sine detrimento ei adhærebant. lib. 3.

Obuiam processerunt, & honorificè exceperunt Imperatores. Ottone enim ingrediente Italiam, comites & episcopus ei obuiam iuêre. Item Romę papa, clerus & populus excipiunt lætis acclamationibus Imperatorem. Continuator Reginonis.

Implorauerunt auxilia Imperatorũ, quã do regna & ciuitates à potẽtibus opprimebantur. Sic papa Iohannes, & alij episcopi Italiæ, Ottonem missis legatis excitant & orant, ut Italiæ per Berengarium oppressæ opem ferat. Continuator Reginonis.

Hostes placauerunt suis colloquijs. Carolo Simplice, Francorũ rege, rerũ potiẽte, Normanni, qui annos quadraginta multis locis Franciã incursauerãt, ampliore multitudine cõtracta, in Neustriã irrũpunt, & per Sequanã Rothomagũ usq; aduerso flumine deferuntur: quibus cũ Franco, Rothomagorũ antistes, ciuiũ & urbis salutẽ desperãs, colloquẽdi occasionẽ nactus, ita egit, ut neque incolis neq; ciuitati quicquã nocituri, urbẽ Normanni reciperent. Quid enim pro uidus pastor faceret, regis subsidio destitutus? Robertus Gaguinus de gestis Francorũ. Ex Arba & Coricta duo antistites ad Vrseolũ uenêre, publicè polliciti, se Venetorũ imperata facturos. adijciunt & illud, se quoties rem diuinã facerent, laudes Veneto duci suas cãtaturos esse. Sabel. li. 2. Ennead. 9.

Exorta fuerat inter regem Ethelredũ & episcopũ Rofensem simultas, incertũ qua de causa: idcirco contra ciuitatẽ exercitum duxit. Mandatũ autẽ ei à Dũstano archiepiscopo est, ut desisteret: nec S. Andreã, in cuius tutela episcopatus esset, irritaret, sicut ad indulgẽdũ facilẽ, ita ad ulciscẽdũ terribilẽ. Verborũ nuditate contẽpta, adornat prę ceptũ pecunia, & mittit centũ libras, ut obsidionem solueret, precioq; emptus abiret. Quo quidem ille accepto, receptui cecinit, militẽq; ab impetu cohercuit. Vuilhelmus Malmesburiẽsis lib. 2. ca. 54. de gestis Angl.

Reges coronabant. Gaudentius episcopus, primum Polonię regẽ inaugurat. Cro-

merus li.3. Edouardus ordine 23 Angliæ rex,ab Ethelredo Cantuarienſi archiepiſcopo,more maiorũ corona redimitus eſt, anno à natali Chriſti 901.Polydorus Virg. lib. 6. Angl. hiſt. Henricus Boiorũ regulus, Otthoni 2. Auguſto rebellat, ſeq; regẽ appellat: & ab Abrahamo epiſcopo Fruxinẽſi Reginoburgij in tẽplo B. Haimerani inungitur,nec quicquam D.Pilgrino Laureacẽſi archimyſta,Luitpoldo Auſtriaco & Vdalrico ab Ebersberg refragantibus. Tandem Henricus ad Ingelheim, Abrahamus Corbeiã relegatur.Auentinus lib.5.annaliũ Boiorũ. Herueus archiepiſcopus inungit Robertũ regẽ cõtra Carolũ Simplicem:ac fuit hoc miraculo mortalibus, quòd die tertio ab ea inũctione obijt archiepiſcopus. Paulus Aemylius lib.3. Villigiſus archiepiſcopus Mogũtinus, Otthonẽ III unxit in regẽ, & poſt trienniũ à Gregorio v.Romę in Imperatorẽ cõſecratus eſt.Chron.Hirſaug Trithemij. Ioãnes Zimiſces,dãnatos à Nicephoro Phoca exilio, reduxit: inter quos erant epiſcopi,qui edicto ſubſcribere noluerũt,in quo ſancitũ fuerat,ne quis ſine eo antiſtes cõſtitueretur. Cũ aũt magnã eccleſiã ingreſſurus, coronã peteret à Polyeucto patriarcha,prohibitus,tanquã cęde pollutus, placidè illud ferebat, faſſus autores cædis. Iuſſo itaq; percuſſores regia pellere,atq; exilio dãnare unà cũ regina, ac edictũ cõtra præſules reſcindere:pœnitentiã iniũxit, ut quas priuatas opes poſsideret,egenis diſpartiret. Quæ omnia ſeſe facturũ promiſit. Et omnibus ijs factis,natali Chriſti ſeruatoris noſtri feſto,in magnã eccleſiã ꝓgreſſus, diademate coronatur, & Imperator publicatur.Cuſpinianus in Ioan. Zimiſce. Edouardo rege Anglorũ per inſidias nouercæ interfecto,eiuſdẽ ſuffragio procerib.cõgregatis,dies dicta eſt,ut Dũſtanus Cãtuarienſis archiepiſcopus aduenirẽt,regẽ Aethelredũ,filiũ Alfredæ,archiepiſcopi iure coronaturus.Vuilhelmus Malmesburiẽſis li.2.cap. 53.de geſtis Anglorũ. Edredus,Edimũdi regis Anglię frater,poſt obitũ ipſius in regẽ cõſecratur ab Edone archiepiſcopo in uilla de Ringeshouia.Ranulph.li.6.ca.8.in Polychron. Eduinus à Dunſtano & Oſualdo præſulibus in regẽ cõſecratur.Idẽ li.6.ca.9.

PECCATA GVBERNATORVM *Eccleſiæ.*

Negligebãt officiũ docẽdi pleriq;. Tẽpore enim Edouardi Angliæ regis 23.Chriſtiana pietas multũ apud occidentales Anglos frigeſcebat: quare nullus in ea regione erat epiſcopus,qui populum doceret:eiusq; rei culpa in rege reſidebat,quòd per eũ qui magis bello quàm rei diuinæ inſeruiret, nõ licereꝛ ſacerdotibus ſuo officio fungi. Quare Ioannes x. pontifex Rom. ualde commotus,per literas Edouardũ uehemẽter caſtigauit, minatusq; eſt ſe illũ unà cũ populo religionis hoſtẽ denunciaturũ, niſi maturè accerſeret epiſcopos, qui priſtinã religionis diſciplinã ſeruandã curarẽt. Quod ubi rex intellexit, negligentiã reſarcire ſtudẽs, ita egit cũ Plemundo Cãtuarienſi archiepiſcopo,qui Athelredo ſucceſſerat,ut illepro tinus conuentũ fecerit: in quo plures epiſcopi creati ſunt,qui diœceſes regerẽt, poſtea Plemundus, uir doctrina & uitæ integritate clarus, ſui purgandi cauſa Romam profectus,pontificem placauit.Polyd.Vergil.lib.6.hiſt.Angl.

Eie cerũt ritè electos. Sic Ioãnis papę cõſanguinei,eijciũt Leonẽ electũ & conſtitutũ legitimè Romanũ epiſcopum.Blondus.

Ex una ſede in aliã cõmigrarunt.Sic Ioannes Rauẽna, Bononiã & Romã profectus, Theodora ſcorto eum impellẽte,atq; euehẽte ad pontificiũ culmẽ.Luitpr. Manaſſes Arelatẽſis epiſcopus, friuola ratione ad exemplũ Petri ſe epiſcopalem ſedẽ mutaſſe dicebat. Oſualdus Vingorniæ epiſcopus, pòſt Eboraci archiepiſcopus, Ramaſię monaſterium fundauit.Faſcic.temporum.

Alios expulerũt ui, ac ſe eò collocarunt. Hugo enim Artoldum archiepiſcopum Remorum expellens,ſeſe eò collocat. Continuator Reginonis.

Plus temporis tribuebant ceremonijs, quàm concionibus ſacris: id quod fuit hoc tempore uniuerſa pietas Eccleſiaſticorum, ut ex capite de Ceremonijs perſpicuũ eſt.

Moniales ordinarũt. Adelheid enim Otthonis III ſoror, ſacri uelaminis arrhabone,Chriſto ſpõſo cœleſti ab Hildeuardo,cęteris etiã archiepiſcopis coràm aſtantibus, cõſignata eſt.Hiſtoria Quedlinburgenſis.

Falſa miracula faciebant: quale fuit, quã do Dunſtanus in Anglia,per cacodæmonẽ fecit uocem in cõuentu,ubi cõtra ſacerdotum coniugia dimicabãt impuri monachi, ſonare,ſacerdotes malè ſentire.

Plus templorũ & monaſteriorũ ſtructuræ uacabant, quàm alijs magis neceſſarijs oſtẽdijs. Sic Theodoricus Metenſis epiſcopus, ex ædificatã ibidẽ à ſe eccleſiã, Eccleſiaſticis ornamẽtis honorauit: donarijs inſuper preciosis locupletauit,partim à ſe ipſo collatis, partim ſui amoris gratia ab optimatibus regni Eccleſiæ Dei oblatis;& præcipuè à munificẽtia glorioſi Cæſaris Otthonis,eiusq; coniugis Adelheidis, cuius uita nihil aliud fuit niſi exemplar pietatis & caſtitatis: ſed & gloria poſteritatis eorum Otthonis iunior, in hac largitate non fuit inferior. Geſta Metenſium.

Monaſteria ædificarũt.Bruno enim Colonienſis

lonienſis archiepiſcopus, Pantaleonis mo naſterium extruit. Chron. Mersburg.

Plura bona ad ſe traxerunt auaricia quadam. Rudbertus Treuerenſis multum laborauit in abbatia S. Maximini ſibi uendicanda: uerùm præda cui inhiabat, non eſt potitus. Continuator Reginonis.

Arcebant à coniugio, quorũ liberi è baptiſmo ſuſcepti ſunt. Patriarcha enim Constantinopolitani Imperatoris coniugiũ improbat cum ea, cuius liberos è baptiſmo ſuſceperat. Zonaras tomo 3.

Excommunicatione cõtra hoſtes pugnabant. Ioannes XII. bruto fulmine Otthonẽ, utpote ſuorum morũ acrem cenſorem & reformatorem feriebat: ſed reciditin autorẽ maledictio.

Super alios præſumpſerunt dominari. Lambertus Mediolanenſis archiepiſcopus Hugoni prouincialiũ comiti mãdat, ut regnũ Rudolpho auferat. Luitpran. lib. 3. ca. 3.

Negocijs ciuilibus ſe implicarunt. Sic Ludimarus Vercellenſis epiſcopus, diu fuerat à ſecretis Caroli imperatoris: in qua qui dem functione ingentẽ pecuniæ uim corraſerat: cuius poſtea, fugiens Vngaros, mammonamq; ſaluare cupiens, ſemel facit iactu ram, forte quia præda fuit, prædæ uiciſsim ea obnoxa fuit, ut Eſaias inquit: Væ qui prædaris, nã prędationẽ patieris. Regino lib. 2.

Otto præmittit Hattonem Fuldenſem abbatẽ, ad præparanda ſibi diuerſoria ſeu habitationes. Continuator Reginonis.

Adeldagus archiepiſcopus Hamburgenſis, Vnnoni ſucceſsit uolũtate regis Ottonis, cuius ſemper ad hęrebat conſilijs, eius intimus ac primus ſecretarius, quem ætas noſtra uocat cancellarium: quod miniſterium præſtabat ſumma fide tribus Otthonibus. Metrop. Crantzij lib. 3. cap. 16.

Ludouicus rex Germaniæ atq; Boiorũ, ex omni Boiaria peracto delectu Anaſsibur gum, nouam Boiorũ coloniam, ſe confert. Adſunt epiſcopi, monachorũ antiſtites, proceres Boiorum 15. Calend. Iulij, anno Chriſtianæ ſalutis 907. ibi decretum omnium ſententia eſt, Vngaros Boiariæ regno eliminandos eſſe. Vires igitur ex uniuerſis Boiariæ prouincijs, ex Nariſcis, Boethis, Camabis, Vindelicis, Noricis, Vennonibus, Atheſinis, Styrijs, Venedis, Charinis, Carnis, cõtrahuntur: bellum Vngaris indicitur intento infeſtoque exercitu, utraque Danubij ripa proceres Boiorum in hoſtes contendunt. Ludouicus cum Burchardo Bathauenſi epiſcopo, Arabone præfecto, Anaſiburgij ſubſtitit. Belli deinde periti omnes copias in tria agmina partiuntur. Luitpoldus Auſtriaci limitis dux, ripa Aquilonari, Meridionali uerò in parte Theodomarus archimyſta Iuuauenſis, Zacharias Cabonẽſis, Otto Fruxinenſis, cum monachorũ præſulibus Gũpoldo, Hartuico, Helnprechto, Vratislauiam uſq; procedũt, ibiq; caſtra locant. Auent. lib. 4. Annal. Boiorum.

Legationibus politicis perfuncti ſunt. Sic Fridericus Moguntinenſis miſſus eſt ab Imperatore ad hoſtes: uerùm malè legationẽ obiuit. Continuator Reginonis. Bernhardus Vuirtzburgenſis epiſcopus, imperatoria legatione Conſtantinopolim pro impetranda ſibi Græci imperatoris filia in matrimoniũ miſſus, in Achaia prouincia moritur. Hiſtoria Quedlinburgẽſis. Franco Rothomagẽſis antiſtes, à Carolo Simplice Frãcorũ rege ad Rolloné Normannorũ ducẽ mittitur, pro firmãdis inducijs, & bello cõponendo. Carnotenſis antiſtes indutus camiſia interiori B. uirginis Mariæ, magnã edit ſtragem in hoſtes Normannos. Robertus Gaguinus lib. 5. Raguſei legati ad Vrſeolũ Venetorũ ducẽ, ab expugnatione inſulę Phari digreſſum uenêre: eratq; legationis caput urbis antiſtes, per quẽ illi omnia diuina & humana Venetæ fidei tradiderũt. Sabellicus lib. 2. Ennead. 9.

Regna huius mũdi ſimul ſuſceperunt & adminiſtrarunt: ut Bruno archiepiſcopus Colonienſis unà cũ epiſcopatu Lotharienſem ducatum & regnũ ſuſcepit. Continuator Reginonis, Auentinus lib. 5.

More principũ cũ armis & equitatu proceſſerũt. Fridericus enim Moguntinenſis archiepiſcopus, & Rudhardus Strasburgẽſis, in caſtra Otthonis Cæſaris cũ apparatu bellico uenerũt: ſed facti fœdifragi, noctu ex caſtris clàm aufugiunt, ſeq; hoſtibus Cæſaris coniungunt.

Bella geſſerũt uel per ſe, uel cum alijs. In Lõgobardia multi epiſcopi interfecti ſunt, cũ ſeſe Vngaris in Italiã irruentibus, unà cũ politicis opponerẽt. Regino lib. 2. Henricus rex adiuncto ſibi Rutgero archiepiſcopo, Metenſem urbem obſedit. Cõtinuator Reginonis. Bruno archiepiſcopus Colonienſis, exercitũ Lotharienſiũ duxit cõtra Cunradum ducẽ. Continuator Reginonis. Eiuſdẽ factione Regnerus comes cõprehẽſus, ad Sclauos relegatur. Idẽ. Vualdo Cumanus epiſcopus, inſulam in Cumano lacu cępit, & munitiones in ea funditùs euertit. Cõtinuator Reginonis. Epiſcopi Treuirẽſis, Coloniẽſis & Lutticẽſis auxiliares miſerũt copias Hẽrico 1. cõtra Vngaros. Interſunt ei bello & Friſingenſis, Paſſauiẽſis, Tridẽtinus, & Ratisbonẽſis: item Moguntinẽſis, Hãburgenſis, Padebornẽſis, Oſnaburgẽſis, Mindenſis. Chronicon Mersburg.

Cum Græci Italiã uaſtarent, Iohãnes decimus exercitũ colligit, cui Albericum Hetruriæ

truriæ ducẽ, magistrũ equitũ præfecit: eaq; ratione hostẽ Latio expellit. Bonfinius lib. 10. Decad. 1. Aquileiensis patriarcha Gregorius, bellũ gerit contra Saracenos. ibid.

Cum Otto in Calabria aduersus Græcos pugnaret, Augustensis episcopus cũ multis alijs episcopis est interfectus. Item abbas Fuldensis. Schafnaburgensis.

Mediolanẽsis archiepiscopus, Paraſſum Lombardiæ ciuitatẽ, in qua erãt Anthropomorphitæ, armis delet. Berg. lib. 11.

Ipsos Imperatores cõuiuijs lautissimis exceperũt. Sic episcopi Franciæ, Henricũ regẽ in suis sedibus, regalibus planè cõuiuijs exceperunt. Continuator Reginonis.

Fidem Imperatoribus & regib. nõ seruarũt. Nã Guido Metensis episcopus simulãs fidelitatẽ, proditor deprehenditur, atq; in Sclauos exulatũ mittitur. cõtinuator Reginonis. Similiter Guido Mutinẽsis episcopus, abbatia Nonãtula animatus, ut inquit Luitprandus, Hugonẽ regẽ Italiæ deseruit, & multos ad defectionẽ mouit. li. 5. cap. 12.

Heinrico Bauariæ duce reluctãte Cęsari, Abrahã episcopus cũ reliquis cõtra Imperatorem cõspirauit. Schafnaburgẽsis. Adelbero Metensium episcopus, Otthoni resistit, nolens dedere ciuitatem. Sigebertus.

Sæpe etiã proditionũ ministros se præbuerũt. Hatto Mogũtinus archiepiscopus, uiolata religione iuramẽti, Albertũ comitẽ circũuenit, eũq; Ludouico adduxit: is eũ capitali affecit supplicio. Eadẽ fraude Henricum Saxonẽ uoluit prodere: uerũ detecta fraus est per aurifabrũ. Luitprandus, Vuitichindus. Lãbertus archiepiscopus Mediolanensis, Sueuorũ ducẽ Italis prodit ut occidatur. Luitpr. lib. 3. cap. 4. Ope atq; proditione Ansellini Laudunẽsis antistitis, Carolus regni gubernacula ex Lotharingia (cuius ducatũ gerebat) tanquam legitimus hęres recipere tentãs, ab Hugone qui Capetus appellatus est, capitur, atq; Aureliam in custodiam mittitur. Robertus Ganguinus lib. 5. de gestis Francorum.

Opposuerunt sese armis Imperatoribus. Metensis enim episcopus, Otthoni Cæsari aliquãdiu restitit, cum is suos hostes superasset. Continuator Reginonis.

Obsides etiã dati sunt episcopi. Frãci enim pro liberãdo suo captiuo rege Ludouico à Normannis, filium Lothariũ dederunt obsidem, cũ duobus episcopis, Hilderico Beluacensi, & Guidone Syluanectensi. Robertus Ganguinus lib. 5. de gestis Francorum.

## DE DONIS.

Dona miraculorum quidam habere credititi sunt, ut Dunstanus in Anglia: uerũ meræ fuerunt illusiones, & præstigiæ diabolicæ, contra institutionem Dei.

Futura prædixerunt nonnulli. Hildebertum enim Moguntinensem archiepiscopũ, prophetię spiritũ accepisse, Vuitichindus testatur lib. 2. Bristano Vuintoniẽsi episcopo succesit Elphlegus monachus, cognomẽto Caluus, uir propheticus: qui cũ aliquãdo ordinaret in presbyteros tres monachos, Dunstanũ, Etheluoldũ & Ethelstanũ, cõpletis solennibus ait ad illos: Hodie corã Deo tribus uiris manus imposui, quorũ duo pontificalem gratiã nanciscentur, tertius uerò miserabiliter peribit. Cui Ethelstanus tanquã cognatione familiarior ait: Num ego ero pontifex? Non erit (inquit) ibi pars in ordine illo, neq; diu geres uelle illã. Ranulph. lib. 6. cap. 6. in Polychronico.

## DE SYNODIS PRIVATIS

Necessitate exigente conuentus agebãt ac Synodis interfuerũt Imperatores, ut Otho: Luitprandus. episcopi, abbates, & populus, ut ex Synodo Remensi apparet.

Diaconi, ut in Synodo Romana sub Othone.

Clerus interfuit Synodo cõtra Ioã. papã.

Populus. In Synodo enim Romana, Romanus quoque populus est, & fert de Papa sententiã, præsente Imperatore. Luitpran.

Elegerunt aũt, uel deposuerunt etiã nõnullos in Synodis. Remis enim Synodus cõgregata, deponit Arnulphũ, ac substituitur Gerbertus: postea uerò in altera Synodo, ibidem Gerbertus rursum deijcitur gradu, & restituitur Arnulphus. Sigebert. Idẽ in Romana ecclesia, sub Otthonib. geritur.

Dogmata examinari solita sunt in Synodis. Verùm in hoc seculo dogmata sub scãnis (quod dicitur uulgò) delitescũt: & uigẽt rixæ atq; iurgia, de episcoparuũ dignitate, successione, facultatibus, alijsq; rebus non paucis futilibus.

## DE BONIS ECCLESIASTICIS.

PRincipes quædam cõtulêre. ut Otthonis pontifici redditurũ. Luitpr. li. 6. ca. 6. promisit, omnia bona S. Petri se Roma

Et facta est collatio ex liberalitate spontanea. Nam Othincarus ad sacerdotiũ euectus, amplissimũ patrimonium in templorum usus erogauit. Saxo Gram. lib. 10.

Ex iudicijs. Cuiusdam enim Scirensis comitis bona, eo quòd Bauariã Vngaris prodidisset, partim in fiscũ relata, partim inter ecclesias diuisa sunt. Ottho Phrysl. 6. ca. 2.

Ex legatis & testamentis. Ipse enim dux & archiepiscopus Remensis Bruno, quid quid in re mancipi haberet, per testamentũ Ecclesijs sanctorum delegauit. Sigebertus.

Edmundus rex Angliæ, Glasconiensem ecclesiam magnis prædijs & honoribus ditauit, & cõfirmauit donationem suam per priuilegium

priuilegium, aureis literis scriptum. Specu lij Vincentij li.24. cap.69. Otto secundus cõdito testamẽto, atq; pauperibus & eccle sijs thesauro distributo, cõcessit in fata. Me trop. Cranzij lib.3.cap.35. Et Bruno Verdẽ sis episcopus, hæreditatẽ quã à parentibus acceperat, Deo & Ecclesię cõsecrauit. In lo co Vlessem, nũc breuius Vlssen uocãt, mona sterĩũ diuæ Virgini ac Iohanni baptistæ ere xit, dicauit ac consecrauit: ueterẽ ciuitatẽ uocant hodie Monasteriũ. Allodiũ in Hid derdorp iste contulit ecclesiæ, sarcophagũ fecit excindi D. Mariano, plurima ecclesiæ ornamenta comparauit. dilexit enim deco rẽ domus Domini, & illi amplificando dili genter in diebus suis institit, ibidem lib.3. cap.36. Tẽpore Bernarij decimitertij ec clesię Verdẽsis episcopi, cœpit eius ecclesiæ status maiorẽ in modũ proficere, accedẽte illi patrimonio nobilis uiri Vuigberti, im mediati Bernari prædecessoris. Accessere largitiones Imperatoriæ, prouisiones põti ficales, & eleemosynę sanctorũ. Iã enim res omnes inclinauêre Germanis, qui in eccle sias erant propensiores quàm exteri reges. Idem lib.2.cap.30.

Exrapinis. Luchardus comes Quedlin burgensis, captus ab Otthone Cęsare, cogi tur pro liberatione dare ex pręda, monaste rio Vualpeck decimam partem bonorũ suo rum, anno 969. Chronicon Saxoniæ.

Varia autẽ ecclesijs sunt oblata & dona ta: ut illæ, prædia. Otto enim secũdus da to priuilegio, ecclesiã Osnaburgensem qui busdã factis donationib. amplificauit, idq; ob preces Theophaniæ cõthoralis suæ, & ob respectũ optimi põtificis Ludolphi. No mina prędiorum quæ elargitus est ecclesię Otho Imperator, hęc sunt: Apelderberch, Hesnoun, Linga, cũ curtib. & mãcipijs adia centibus: quæ adeò etiã memorato episco po dedit in proprietatẽ, ut si uideretur illi, pro suo arbitrio alienaret. Quę res indicat, magis tũ Imperatorẽ, cũ daret, respexisse in personã episcopi, quàm ecclesiã, alioquin arbitriũ nõ permisisset distrahendi. Datæ li teræ in Logbarden, siue illã Longobardiã significauerit, siue locũ aliũ. Annus autẽ huius donationis erat 975. anno Imperatoris il lius septimo. Metrop. Crantz. lib.3.cap.17. Reynerius dux Arduennæ & Vuestrasiæ, le gitur in annalibus Echternacensibus, cœno bio dono dedisse pagos Pergen, Rodenacũ & Tremeten, anno currente à nato Christo 915. cuius frater Richuuinus consecratur in præsulẽ Argẽtoratensem, anno 920. Lazius de Migrat. gentium, lib.3.

Decimę episcopis Polonicis cõstitutę, ut Cromerus lib.3. testatur.

Tũbura, uectigalia. Otto 1. uectigalia dat Osnaburgensi ecclesiæ. Metrop. Cranzij lib.3.cap.25.

Prætoria. Pontifices Bauarię, Iuuauẽsis, Bathauensis, Fruxinensis, Salonensis, Augustanus, Aichstetensis, & subsequẽti seculo, Bambergẽsis, ingẽtia cõdidêre: acceperéq; Reginoburgij circũ ædes reguli Boiorũ prętoria, quæ ad huc ibidẽ nostro æuo, & dux & hi episcopi possident. Fuit enim Regino burgũ sedes lõgo tẽpore regulorũ Boiarię. Sacerdotesq; superiores aulam principis Boiorum frequentes sectabantur: & statis diebus quotannis cõuentibus iuridicis, cæ terisq; Boiarię concilijs interesse solebant. Auentinus lib.4.

Vsus bonorũ fuit, quòd inde episcopi & ministri sustentationẽ necessariã, imò cum superstitio hoc seculo & degeneratio eccle siastici status in politicũ in immẽsum cresce ret, habuerunt superfluũ. Nã episcopi & bel la gerere, & sese armatos regibus, atq; adeò Imperatori Romanorũ opponere ausi sunt: ut singula suo loco narrantur.

Pauperibus multa hoc seculo fuisse di stributa, non est memoriæ proditũ. Nã epi scopi pleraq; bona ecclesiæ, in magnificen tiam suam, in bellicos apparatus, uel in nõ necessarias extructiones & ornatus tem plorum conferebant.

Captiuos interdũ redimebãt. Vngari e nim multos ex hominibus nostris (Capua nis scilicet) captiuos duxerunt, in quibus re dimendis ea expendimus, quæ infrà notã tur: coronã argenteam magnam cum cate nis argenteis, pocula argentea quatuor, thuribulum argenteum inauratũ, &c. Chro nic. Cassinens. lib.1.cap.58.

Pontifices Bauariæ sacras uestes, sericas, laneas, opes templorum, uasa ecclesiastica, signa diuorum aurea, argentea, sacraq;, ob tenuitatem ęrarij, egestatem populi, Vnga ris contribuere, ac pacem ab eis redimere coacti sunt. Auentinus libro 4. Annalium Boiorum.

Non licebat autem ad hæredes transfer re bona ecclesiastica: quę quidẽ regula im mota erat istius quidem status ecclesiastici, quo coniugium atq; œconomia omnis cõ iugum, ex ordine ecclesiastico explosa & damnata erant.

## DE BIBLIOTHECIS.

In monasterijs habuerunt bibliothecas, ut patet ex historia Odonis apud Vincen tium lib.24. cap.55. uerùm hoc seculo non tam libros quàm ceremonias operosas in templis atq; antris monachorũ, & Mauor tia arma tractauêre.

## DE SCHOLIS.

Byzantij schola philosophica uiguit. Nam Simeon Bulgarorum rex, ibi à puero usq;

usque, Demosthenis rhetoricã & Aristotelis syllogismos didicit. Luitprand.li.3.ca.8.

Constantinus Leonis filius, Imperator Constantinopolitanus, Philosophiæ rationem habuit, quæ penè in obliuionẽ uenerat. Ordinatis igitur doctoribus, disciplinas iterum excitauit. Zonar.tomo 3.

In monasterijs fuerunt scholæ. nã Adelbertus Lobiensis, Vuitichindus Corbeiensis scholæ rector est: teste Trithemio.

Anglorum scholæ, quæ Romæ fuit, meminit Vincentius libro 24.cap.65.

Louaniæ. Sub Heinrico imperatore, Louanienſe gymnasium in Brabantia fundatur. Leua ciuitas Brabantiæ est, ubi uniuersale studium incœpit anno Salutis 926. à Iohanne duce Brabantiæ. Ciuitas hæc satis ornata est, non longe à Bruxella & Antuerpio sita. Fr. Irenius li.12. De schola Aulica inquit Balæus: Cum felicissimus princeps Alfredus Academiam ad Isidis uadum instituisset, excellẽtis doctrinę uiros in suo palatio nutriebat, qui non modò literas illic profiterentur, uerùm etiam interpretationi Latinorum autorum sedulò incumberent. Inter hos in aulã uocatus Vuerfridus, tanquam antesignanus prænituit. Balęus 2. parte script. Britanię, cent.10.cap.29.

Prope ecclesias fuerũt scholæ. Othinca rum iunioré Bremæ traditum scholæ, archiepiscopus Adeldagus & suis manibus baptizauit, & suũ illi nomen, ut Adeldagus diceretur, indidit: quippe apud insignes ecclesias, ab antiquo docti uiri fouebãtur, qui publicas scholas sustinerẽt, priusquam publica literarum gymnasia, quæ nunc multa florent, per Christianismũ erigerentur. Sed ea tempestate, quam nũc explicamus, ualuit uetus Ecclesiarũ cõsuetudo, ab usq; Origene & Clemẽte & primis Ecclesiæ doctoribus traducta, quæ apud memorabiles ecclesias Antiochiæ & Alexandriæ suis tẽporibus docuerunt. Metropolis Cranzij libro tertio, capite 43.

## DE CONSOCIATIONE ECclesiarum in una aliqua prouincia.

IN prouincijs episcopi sibi mutuas operas præstabant, necessarijs officijs: maximè uerò ut suã dignitatẽ & opes cõseruarẽt.

In primis autem celebrabant synodos prouinciales, atque ipsis ab alijs indicatis synodis interfunt. Heinricus ad Dingelfing, oppidum inferioris Boiariæ, in ripa Isarę situm, concilium Boiorum conuocat. Interfuêre quinque Boiariæ primarij sacerdotes, Hildebertus archimysta Iuuauensis, Isengrinus episcopus Reginoburgẽsis, Gerardus Bathanensis, Vuolframus Fruxinensis, Nidhardus Sabonensis, & Sarcolochus & Godbertus sacrificuli, quos chorepiscopos uocant, nuncij Vdalfridi Aichstetensis tum ægroti. Hoc concilio Arnulphus prædiorum Ecclesiasticorum, quæ Vngari depopulati fuerant, ab alijsq; occupabantur, usus fructus sacerdotibus monachis restituit: templa, sacras ædes refici, instaurarijq; iussit. Maias & Caninas, item uicos, uineas, aliaq; prædia prope Tirolios in Vennonum Athesis que ualle, quæ adhucibi mystæ Fruxinenses possidẽt, Vuolframo reddidit. episcopos, monachos, sacerdotes, quorũ quidã excusso seuerioris religionis iugo, populariter uiuere cœperant, sub arctioris disciplinæ iugum misit. Auẽtinus lib.4. Annalium Boiorum.

Monasteria cõsecrabant. Sic episcopus Halberstadensis monasteriũ Vualbick prope Mansfeldium, & alia consecrabat.

Cauebant ne bona Ecclesiastica abalienarentur. Sic Folco recepit abbatiam S. Vedasti à Carolo rege, quam Balduinus comes inuaserat: licet ab ipso latrone hanc ipsam ob causam interficiatur. Regino li.2.

Episcopos, presbyteros & monachos in sua prouincia ordinabãt. Adeldagus Hamburgensis archiepiscopus, plures in Dania ordinauit episcopos, quorum nomina quidem reperimus: ad quas uerò sedes inthronisati sint, non legimus. Existimari autẽ potest, quòd pro rei nouitate nulli adhuc episcoporum certa fuerit sedes designata: uide plantandæ studio Christianitatis, quisque in ulteriora progressus, uerbum Dei tã suis quàm alienis prædicare certabant. Metrop. Cranzij lib.3.cap.38. Cunradus electus in abbatem Hirsaugiensis monasterij, munus confirmationis ab episcopo suscepit. Chron. Hirsaug.

## DE CONSOCIATIONE ECCLEsiarum in pluribus prouincijs.

In prouincijs uni alicui subesse solebãt, nempe archiepiscopo, ut moris erat: sedes uerò easdẽ retinuerunt archiepiscopi, quas superiori seculo habuerunt, nisi quòd nouis episcopatus subinde erecti atq; constituti sunt. Nos in præsentia tantum aliquot indicabimus. Fuerũt igitur archiepiscopatus

In Italia Rauennæ. Luitpran.

Mediolani. Landbertus Mediolanẽsis archiepiscopus à Luitprando nominatur, & alijs in locis.

In Gallijs: ut Remis, ubi Falco, Heriueus & alij archiepisc. fuerũt. Regino lib.2.

Treueris. ibi enim Metẽsis episc. deligitur, ut extat in uita Adalberonis manu scripta.

In Germania. Moguntiæ. nam Fridericus & alij ibi archiepiscopi extitêre.

Magdeburgi. nam Ottho ibi episcopatum erexit.

Ratisponæ. Auentinus.

Laurecã-

Laureati. Otto secundus capta ui urbe Bathauensi, ope D. Pilgrini Laureacensis archimystæ, sancit ut Pilgrinus, cæteriq; eiusdem archiepiscopi Bathauenses, perpetuò sint & nominentur archiepiscopi Laureacenses. Auentinus lib. 5. annalium Boiorum.

Coloniæ. Vuigfridi archiepiscopi Colonienſis fit mentio in Continuatore Reginonis.

Bremæ, ubi archiepiscopi uicina loca administrabant.

Tituli horum usitati, ut & priori seculo erat, archiepiscopi, pōtifices, archipręsules.

Porrò Rauennatis sedes, secundus post Romanum archiepiscopatum, archipræsulatus habebatur. Luitp. lib. 2. cap. 13.

Primas Alemaniæ ab Ottone cōstitutus archiepiscopus Magdeburgensis. Fast. temporum. Magdeburgensi archiepiscopatui subiecta est tota Vandalia, usq; ad Panim fluuium. Episcopatus suffraganei quinq;, quorum Marsburgum & Cicensis ad Salā conditæ urbes, Misna super Albim, Brandēburgum & Hauelbergum ad interiora recedunt. Sextus Vandaliæ episcopatus est Aldenburgū: hunc, sicut cæteros, Imperator Otto Magdeburgēsi primùm subijcere decreuerat, propter gentis cognationem: quē tamen Adeldagus Hamburgensis archipręsul, Imperialis cancellarius, pro suo defendit, eo quòd terminis suæ ecclesię antiquis priuilegijs Imperatorū esset cōprehensus. Est autē Aldenburgū, ea quæ Vandalica lingua Starigara, hoc est urbs antiqua dicitur. Helmoldus in Chron. Slauorum, cap. 11. & Vandalia Crāzij lib. 2. cap. 30. Et Irenicus lib. 3 Exegeseos, cap. 38 scribit, episcopatū Madeburgensem ad Vuestualenses translatum a Vuittikindo. Otto primus, atq; eius uxor Editta, iterū ad Magdeburgū eū reduxerūt: eiq; Otto sex episcopatus adiecit, uidelicet Mersburgensem, Misnensem, Cizēsem, Brandēburgensem, Hamburgensem, Poronēsem. Ægitha, seu Editta imperatrix illic monasteriū S. Mauricij constituxit.

De Ratisponēsi inquit Auentinus lib. 5. Quod hactenus Ratisponēsis episcopus cū rauerit Bohemos, nunc uerò proprium acceperunt episcopum.

Dania ab Otthone subiugata, & ad fidē conuersa, in tres episcopatus est diuisa, atq; Hāburgensi metropoli subiecta. Helmold.

Episcopi se inuicē erudierūt. S. Vdalricus, qui postea Augustēsis episcopus factus, Adelberano erudiēdus traditur à episcopo cōsanguineis. Hart. Schedel, 6. ætate mūdi.

Cōmendabāt quoq; ministros. Nā Ratbodus sanctæ Treuerēsis ecclesiæ ac plebis ipsius humilis famulus, presbyterum quendam suæ ecclesiæ, Rudberto reuerendo S. Metensis ecclesiæ antistiti commendat, ut ipsum in sinum sanctæ matris Ecclesiæ canonicè fouendū ac regendū suscipiat. Hāc epistolā Gręcis literis hinc inde munire decreuimus, & annulo Ecclesiæ nostræ bulla recensuimus. Data Treueris, Idibus Octobris, Anno Dominicæ incarnationis 906. Indict. 9. Habetur & alia quædam epistola commendaticia Dadonis episcopi Viridunensis, ad eundem S. Treuerensis ecclesiæ archiepiscopum: in qua scribit, statutū esse à sanctis patribus, neminem clericū alienum & ignotū recipi ab aliquo episcopo, & inthronizari in sua ecclesia debere, nisi habeat à proprio episcopo epistolā, quæ in Canonib. nominatur Formata. Ego in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. & in unitate S. Ecclesię, in qua Petro datū est ius ligandi atq; soluendi, absoluo Dado humilis episcopus, presbyterū ad ruinā de ciuitate Viridunēsi indict. 9. & licentiā do uobis N. uenerabilis archiepiscope, inthronizandi eū, in quacūq; ecclesia uultis uestræ parochiæ.

Ordinabant & regebant episcopos. Ad ordinationē enim Adalberonis Metensis episcopi, antistites uicinarū ciuitatum Treuerim, quæ est antiqua metropolis, confluunt, eūq; in sedē Metensis urbis præsulem cōsecrant atq; benedicunt. Acta Metensiū. Helimunardus Mindensis episcopus, cū de maioris Ecclesię suæ consecratione dubitaret, uicinatū ecclesiarū pontifices inuitasse fertur, Dudonē Padebornensem & Dragonem Osnaburgensem, quo solēnitate maioris res gereretur, qui & cōparuerūt. Metrop. Crātzij lib. 3. cap. 32. Adeldagus Hamburgēsis archiepiscopus, omniū primus in Daniā ordinauit episcopos: Heroldū, in Slesui cū: Liafdagū, in Ripā: Rembrādū, in Arusiā. Quibus etiā illas cōmēdauit ecclesias, quæ in insulis erectæ fuēre in Fionia & Seládia & Scania, atq; in Sueonia. ibid. cap. 17.

Proficiscebātur ad Synodos uniuersales, aut legatos eò mittere solebant. Sic ad Remense conciliū ij maximè cōueniūt, qui cō prouinciales erāt. Ex uicinis enim prouincijs, q fama & dignitate honestiores essent, mittebant legatos, ut in ea synodo legitur.

In Synodis œcumenicis unus aliquis, aut plures ex archiepiscopis solebāt præsidere. Ita in Remensi Synodo Siguinus principalem obtinet locum.

In quæstionibus difficilioribus solebāt abbates & monachos eruditos consulere: ut in Synodo Remensi uidere est, quæ postea subijcienda erit.

Excōmunicabāt eos qui antecessorib. in iuriā intulissent. Herineus Remorū archiepiscopus, unà cum alijs episcopis Vinemarum, interfectorē Folconis antecessoris sui,

perpetuo

perpetuo anathemate damnauit. Regino lib. 2. Episcopi Synodo congregata, Metenses excommunicarunt, qui Bennonem episcopũ excæcauerant, & substituũt Adalberonem nobilem pro eo. Continuator Reginonis. Hugo filius Heriberti, qui pulso Artaldo sedem archiepiscopatus Remensis occupauerat, in Synodo omnium episcoporum iudicio damnatur. continuator Reginonis. Leo octauus restitutus ab Imperatore Romæ in Synodo, Benedictum inuasorem sedis deponit, & exuit omnibus gradibus, solo diaconatu relicto, perpetuoque eum exilio destinat. Continuator Reginonis. Luitprandus.

Reliquias sanctorum curarunt, ac distribuerunt. Adeldagus enim uigilantissimus pontifex, reliquias sanctorum, quas ab urbe Roma deportauit, magna per parochias suas diligentia distribuit. Corporũ sanctorum Cyriaci & Cæsarij & Coronæ, Felicis & Feliciani, Cosmę & Damiani, paternamque sacrorum cœtuum curam egit: ut Cranzius in Metropoli lib. 3. cap. 23 indicat.

Fuerunt tutores. Ludouico enim Arnulphi filio, septimũ agenti annum, & iam in Imperatorem electo, Otto Saxoniæ regulus, & Hatto Moguntinus archiepiscopus, tutores à Germaniæ proceribus esse iubentur. Auentinus libro 4 Annalium Boiorum.

## DE CONSOCIATIONE, ET *mutuis officijs archiepiscoporum.*

Miserunt alijs doctores. Ericus enim rex Gothorum, à Bremensi metropolitano expetiuit doctores: is uerò misit ei duos præstantes uiros, qui doctrinam in istis Septentrionalibus regnis strenuè propagarũt. lib. 17 Gothicæ historiæ.

Archiepiscopi simul electionem, & designationem, seu coronationem Imperatoris adiuuant. Moguntinensis enim archiepiscopus, Henrico imperatori diadema offert, Vuitichindus li. 1. Ottone in Cæsarẽ designato, quæstio oriebatur inter Treuirensem & Colonien sem, utri cõueniret coronatio: ille antiquitatem suæ ecclesiæ ab Apostolis institutæ, hic diœcesin complecti locũ coronationi designatum obtendens, tandem ea prouincia in præsentia demandatur Hildeberto Moguntinensi archiepiscopo. lib. 3. ibidem. Otto tertius Aquisgrani, à Iohanne Rauennate episcopo est unctus in regem. Schafnaburgensis.

Principes & reges sui officij admonent. Vdalricus enim episcopus Ottonem imperatorem incitat, & orat ut bellum aduersus Vngaros suscipiat.

Coniungunt operas in auxilijs expeten dis. Nam Eualbertus archiepiscopus Mediolanensis, & Qualdo Cumanus episcopus, cum alijs Italiæ principibus, ad Ottonem mittuntur, ut Romanos Italosq; à Berengarij, Albertiq; filij eius tyrannide liberaret. Nauclerus uolum. secundo, Generatione 23.

Res etiam ineptas non rarò tractauerũt & sibi inuicem cõmunicarunt. Halberstadensis antistes in celebratione Missarum, solennibus diebus utebatur logio, id est rationali: quod est indicium doctrinæ & ueritatis. Prærogatum ecclesiæ suæ, ex decreto papæ Agapiti, suggessit per epistolam Adalberi Mettensis Hildeuuardo episcopo Halberstadensi: ut, quia erant in omnibus unum, communicaret etiam sibi illud unum, quod erat sibi solum. Cui ille respondit, unum in diuiduum esse: sed quia unitatis charitas nihil patiebatur negare, miserat simili, illud se ei communicare, ea proposita conditione, ut neutri liceret ulterius ista ulli ecclesiæ illud transfundere: sed hæ duæ solæ sorores, uno patre, una matre, una germanitate, uno gaudentes protectore, ocularis sponsi se aptarent pudicę & honorificentius tergeretur uel corrigeretur dextra. Ex & si qua alteri ineſſet macula, aut ruga, alte postulabat tamen pro hoc, uice laudandæ remunerationis, dari scilicet ecclesiæ suæ partem uel minimam sanguinis protomartyris: qui sanguis uera fide creditur pullulare in ecclesia urbis Metensis, & reliquias gloriosæ Christi uirginis Glodesindis, unde, sicut per Salomonem dicitur, Funiculus triplex difficile rumpitur: hæc ipsa fraternitatis unanimitas, usq; in præsens inconuulsa utrinq; firmissimè seruatur. Acta Metensium, in uita Theodorici cap. 9.

Abusi sunt suo regimine: ideo sæpe petierunt ouiculæ, se liberari à tyranno episcoporum. Sic mortuo imperatore Arnulpho, Moraui, qui Moemaro parebãt, Eilfinncho transfuga instigante, ad Iohannem pontificem Romanum, stupris & auaricia infamem, legatos mittunt, grauiter sacerdotum Boiorum mores accusant. Eos cum Vngaris, alienis à religione Christi, amicitiam fœdusq; iniisse: Vngaros ut Italiam inuadant, ab his concitari. Insuper illos per cælum lupum deierare, cum Sueuis & Francis dissidere, Sclauis inimicos esse intolerabiles criminantur. pecunia deniq; Moraui, se ab iugo episcoporum Boiariæ redimunt. Quippe Iohannes archiepiscopus, Benedictus & Daniel episcopi, oratores Romani pontificis, in Moraniam proficiscuntur, Moranos à legibus mystarum Boiariæ soluunt. Ipsis archimystam peculiarem designant: & ex una pontificiali prouincia quinq; cõficiunt,

ficiunt, reclamantibus Boiariæ sacerdotibus. Nam Moraui hinc ansa arrepta Ludouico rebellat, præfectis Boiorũ obtemperare recusant. Quamobrẽ Boij per Boiemiã, in commilitium secum Boiemis in Morauiam accitis, hostili animo transitum faciunt: unius mẽsis spacio ferè totam regionẽ ferro, flamma, cæde, incẽdijs, rapinis, fœdè deuastant: cum præda copiosa incolumes domum redeunt. Hatto archiflamen Moguntinus, quinq; Boiorũ pontifices, Ioanni urbis Romæ primario sacerdoti literis cõqueruntur, se falso & immeritissimò accusari à Sclauis: Ioannem facinus indignum, aduersum pietati Christianæ & maiorum decretis commisisse, liberè & apertè, multisque uerbis docent. Hortantur potissimos, cohrigat: nisi Boiorum præfectis & episcopis pareant, fulmine suo terreat. Oportere primarium sacerdotem plus tribuere Boijs, qui fem Romanam retinerint: quàm Morauis, qui Romanam maiestatem uastant, & manubrio (ex facto huiuscemodi legatorum) episcopi Romani occupato, à rege Ludouico deficere conentur. Boios tam sacratos quàm popularis, pietatis Christianæ officio nulli gentis secũdos esse: à quibus nolint uelint, Sclauis Moraui sub iugum mittentur. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

## DE ROMANI PONTIFICIS *principatu & tyrannide, seu de operibus Antichristi, in regimine Ecclesiastico.*

PRincipatum extulerunt pontifices Romani, uel in primis propter corpora Apostolorũ. nã Luitprãdus inquit: Ipsa insignis & toto orbe notissima Roma, Papia inferior esset, si preciosa beatissimorum Apostolorum corpora non haberet. lib. 3. cap. 2. Deinde & reliqua fundamenta sui primatus retinebant, quæ superioribus seculis facta fuerant.

### DOMINATIO SVPRA *alias ecclesias.*

In alijs regionibus episcopos constituũt. Ægidius enim cardinalis, episcopus Thusculanus, missus à Ioã. 13. archiepiscopos & episcopos in Polonia cõstituit. Chron. li. 3. Ad gentes nondum conuersas miserunt episcopos, ut eos pontificio characterẽ imbuerent. Sic Iohannes 14. Poloniæ regnũ ad Papismum inuitauit, Ægidium Thusculanum cardinalem illuc misit, ut populũ in ea fide confirmaret, diæreses per regiones distingueret, episcopos sua unctione cõsecraret, atq; ut ipsum pro ecclesiarũ omnium capite agnoscerent. Ab hoc tempore cœperunt campanis baptizatis peculiaria dari nomina. Quoniã ipse Laternensis ecclesię campanę maiori, post Otthonis coronationẽ, suum tribuit nomen. Balæus centuria secunda Scriptorum Britanniæ.

Ecclesias pro libitu tollunt ac deprimũt. Iohannes pontifex Capuanã ecclesiam, ob Pandulphi principis merita, metropolitanam constituit. Blondus, Nauclerus, Sabel.

Acta Synodorum quibus ipsi non interfuissent, damnabant. Sic Romanus pontifex indignissimè tulit, Arnulphum Remensem archiepiscopum, in Synodo absq; sua præsentia & suffragio depositũ fuisse: moxque stomachabundus eò ablegat Leonem, ut Synodo alia congregata, rursum Arnulphum in locũ collocet, recens electo repudiato. Ammonius lib. 5. cap. 46.

### FALSI CVLTVS.

Superstitiosos ritus confirmarunt. Nam Odilo abbas Cluniacẽsis, primùm inuenit festum omnium defunctorum, post festum omnium Sanctorũ: quod sanctum institutum ad omnes ecclesias, Iohannes decimus sextus pontifex approbauit, & obseruandum transmisit. Bergomensis libro duodecimo.

In ecclesiarum extructiones nimis magnos sumptus fecerunt. Sic ecclesiam primitùs totam, quam dictus Iohannes constructuerat, nouis trabibus cypressinisque contignans operuit tegulis: parietes uerò illius undique mirificè pinxit: pauimentum etiam ante altare beati Benedicti multimoda lapium uarietate constrauit: ipsum quoque altarium argenteis tabulis per gyrum decorauit. Anteriorem quoq; faciem altaris sancti Iohannis argenteam fecit: & crucem argenteam deauratam, haud exiguam, textumque Euangelij undique argento inaurato contextum, auroque & gemmis ornatum: coronas argenteas tres, calices quoque & thuribula, & uaria ornamenta Ecclesiastica, codicesque plurimos ac uarios. Chronic. Casinens. libro secundo, capite 3.

### REGNA HVIVS MVNDI, *& gloria eius.*

Ius creandi, inaugurandi, seu coronandi & deponendi reges, ad se traxerunt. Sic Iohannes 12. Ottonem, rebus feliciter contra Berengarium gestis, Augustum proclamat & ordinat. Mar. Scotus, Continuator Reginonis. Cunradum & Henricum Imperatores, non existimarunt inter Augustos connumerandos, quia benedictione Imperiali (ut loquuntur) caruerunt. Henr. Polonus. Henricus oblato sibi imperio iurauit, quòd corona Imperialis nunquam suo capiti imponeretur: unde principes ipsum ad curiam citantes, per tres annos sustinuit

stinuit excommunicationem. Tandem sub forma iuris absolutus, dum allegaret iuramentum quod fecerat: tulit Papa sententiam, qua susciperet imperium gubernandum: & quòd corona Imperialis capiti suo non imponeretur, sed in baculo ante eum portaretur. Hermánus Gigas. Leo octauus Otthonem primum Romæ coronauit. Bonfinius libro decimo, Decad. primæ. Gregorius v. Otthonem coronauit, & Augustum proclamauit. Bonfinius. Otthonem secundum coronat Iohannes pontifex. Blondus, Nauclerus. Iohannes duodecimus statuit, ut Imperator Augustus à papa Romano coronetur. Dolebant Romani, & uniuersi Italiæ populi, quod ad Germanos transferretur Imperium: propterea Romani pontifices Transalpinos Imperatores, à Ludouico tertio usq; ad Otthonem primum, deinceps Imperij corona insignire noluerunt. Fuerunt enim hęc tempora pontificum ambitione, & sæua (ut ita dicam) eorum tyrannide, infelicissima. Põtifices namq; postposito Dei timore atq; diuino cultu, inimicitias non minus, ac si essent tyranni crudeles, inter se exercebant. Imperatores uerò ignauiæ dediti, ab industria, & Imperatorij nominis dignitate defecerant. Bergomensis lib. 11. Iohannes 14 Otthonem 2 Romæ in Augustum coronauit. Balæus. Martinus Polonus ait, Benedictum septimum id fecisse.

Coronas miserunt regibus. Sic papa regi Vngarorum mittit coronam. Bonfinius lib. 1. Decad. 2.

Decreta politica sanciunt. Quale est, Quòd Gregorius quintus Germanis solis illam libertatem eligendi Imperatorẽ Romanum concesit & confirmauit. Bõfinius libro decimo, Decad. 1. Item: In primis ex constitutione Gregorij quinti ac Otthonis tertij, lege cautum est, ut is qui uirtute magis excelleret inter principes, Imperio potiretur, nec genere Imperialis apex propagaretur. Franciscus Iren. libro tertio Exeges. capite 33.

Bella gerebant. Iohannes Rauennas papa, Pœnos Italia expulit, cuiusdam iuuenis Pœni uafro consilio. Luitprandus lib. 2. capite 14.

PACTA NONSERVANTES, *seditiosi.*

Fœdifragi plerunque fuerunt: ut Iohannes duodecimus papa, iuramẽtum Otthoni præstitum, sine fronte, aut corde potius, uiolat. Luitprand.

Deficiebãt ab Imperatore. papa enim Iohannes 12. contra iuramentum ab Otthone deficit, & Alberto hosti se coniũgit, eumq; in ciuitatem recipit. Luitprand.

Imperatoribus & regibus se opponebãt, & leui occasione exilio excommunicabãt. Iohannes enim papa Imperatori Otthoni recalcitrat, & contra ipsum armatus procedit: licet postea fortitudine Cæsaris consipecta, fuga sibi consulat. Luitprandus. Idem Benedictus facit, à solis Romanis electus, qui Romanos incitat, ne Imperatorem in-tromittant: ipseq; Imperatorem & alios excommunicans, muros urbis ascendit, & eleuatiori se animo, quàm Apostolicũ decebat, ostendit. Continuator Reginonis.

Iurauerunt Imperatoribus. Nam periuria famosi pontifices Romani, cogebantur Imperatoribus fidem iuraméto facere. Sic Iohannes papa Otthoni iuramentum præstat supra corpus Petri, se nunquam Berengario, & Alberto eius filio, auxiliaturum. Luitpr. lib. 6. cap. 6.

FVRES.

Bona Ecclesiastica furati sunt. Nam Bonifacius 7. preciosissima quæque è basilica Petri suffuratur, ac Constantinopolim profugit. Vide quæso, quantum degenerauerint hi põtifices à maioribus suis, qui hanc rempublicam Christianam tam amplam, tamq; magnificam, suo sanguine consignatam nobis reliquêre. Pontifex Romanus, sacrorum pater & rex, sacra ipsa furto abstulit: & qui uindicare sacrilegia debuerat, tanti sacrilegij factus est autor. Hoc autem contingere in quauis republica cõsueuit, quando plus malorum hominum ambitio & auaricia ualet, quàm bonorum uirtus & grauitas. In clerũ igitur deligendi essent, quorum uita & doctrina probata sit: nõ autem hi, qui cum nihil uirtutis aut religionis habeant, ambitione & largitione sibi potentiam quærunt. Platina de Vitis pontificum. Idem habet Radulphus lib. 6. cap. 10. qui addit, Bonifacium reuersum Romam, oculos Iohannis cardinalis eruisse. Hęc scilicet omnia conueniunt Apostolico, Petrino, & columnæ ecclesiæ Romanæ.

MERETRIX BABYLONICA.

Fœdis libidinibus indulserunt. Sic Ioannes papa libidinibus diabolo & hominibus notissimus, tandem in adulterio occisus est. Luitprandus, Blondus.

Sacerdotum coniugia legitima distraxerunt. Nam Dunstano Anglo, papa eiusmodi crudeles literas tradit, ut coniuges sacerdotes expellat. Polyd. Verg. lib. 6.

Ecclesiæ bona scortis dedêre. Iohannes papa Raineræ scorto nobili aureas cruces & calices dedit. Luitprandus lib. 6. cap. 6. Conuenit enim, meretricis præmia meretricibus distribui.

CRVDELIS IN SE ET ALIOS.

Alius pontifex, alterius decreta & constitutiones

rutiones mutauit,id quod hoc seculo in pri mis accidit:ubi nõ tantum uiui uiuos pon tifices,sed etiam uiui mortuos atrocissimè sunt persecuti.

Sese inuicẽ deposuerũt,& execrati sunt: id quod schismata,& ipsorum uitæ testan tur.Theodorus enim papa, contra Stepha num papam sentiens,reconciliauit ordina tos à Formoso , quos Stephanus per uim intus Romę,& nõ foris exordinauerat:nec tamen præsumpserat eos iterũ consecrare.

His recociliatis,Theodorus papę libros abrenunciationis reddidit, & igni concre mari præcepit.Iohannes etiam Romanus papa,ad confirmãdam Formosi ordinatio nem , quam Stephanus deposuerat , Sy nodum 74 episcoporum , præsentibus Francorum archiepiscopis & rege, apud Rauennam congregat:& coram eis com busta est Synodus, quã Stephanus in dam nationem Formosi fecerat.Spec.Vincentij lib.24.cap.58.

¶ Confirmarunt porrò dominationem Romani pontifices, eis titulos nimis ma gnificos attribuentes.Sic Pontificem Luit prandus Romanum episcopum uocat sum mum pontificem , & uenerabilem papam: lib.6.cap.6.Cõtinuator Reginonis,Apostoli cum.Luitprandus,sedem Romanã nomi nat summã atq; uniuersalẽ præsulatus se de:li.3.ca.14.Item uocat pontificem Roma num:Bonfinius,eum uicarium Christi no minat,lib.1.Decad.2.

Nimium honoris pontifici Romano ex hibẽtes. Sic Stephanus Vngarorũ rex,rece ptis literis ac priuilegijs papæ, quoties mẽ tio Romani antistitis facta est, se inclina uit, & idem alios facere uoluit. Bonfinius lib.1.Decad.2.

Episcopatus ab ipsis petẽtes.Scribit enim Bonfinius,Geysam petiuisse à pontifice Ro mano,ut Strigonien sem ecclesiã metropo litanam esse iubeat,ac cæteros episcopatus in Vngaria erectos sua autoritate confir met.lib.1.Decad.2.

Archiepiscopatus à papa petẽtes.Sic Pil grinus à Benedicto sexto per duos sacerdo tes flagitat,ut se archiepiscopum Laureacẽ sem declaret. In eam aũt sententiam rescri bit: Dilectissimis in Christo filijs Ruper to Moguntino, Theodorico Treuerensi,Al berto Magdeburgẽsi patriarchę Germanię, Gerioni Agrippinensi , Friderico Iuuauẽsi, Adeldago Bremẽsi archiepiscopis, pariter domino Ottoni glorioissimo Imperatori Augusto,atq; nepoti suo prę cellentissimo, duci Boioariorũ,cęterisq; omnibus episco pis,abbatib.ducibus, comitib. Galliæ atq; Germanię, Benedictus diuina gratia Apo stolicę sedis põtifex , seruus autẽ seruorum Dei, in Domino salutẽ . Ob uetustatẽ Lau reacense templũ ab Iuuauensium iugo sol uit, præfertq; Salisburgio : illi dignitatem archimystæ restituit, quòd illic ab infantia religionis Christianæ diuina ædes dicata sit:ibiq; complures pro Christo mortem oppetierint : Pilgrinum,successorem eius: episcopos Bathauenses,archiepiscopos per petuò edicto designat : præstareq; decer nit Iuuauensibus archimystis ;illis Panno nias , Noricum Ripense , Morauos , Vnga ros , Auariam , Venedos addicit: his Nori cum mediterraneum & Vindeliciam attri buit.Auentinus lib . 5 Annalium Boiorum.

Pallium ementes . Nam Hagerus Ham burgensis pallium à Sergio papa accepit: ferulam uerò à Lodouico rege,filio Arnul phi.Metrop.Crantzij libro tertio , capite 1. Adeldagus pallium à Leone 7 accepit.Me trop.Crantzij lib.3. cap.16. Leo 7 , Salis burgensi detrahit Pallium,atq; id attribuit Bathauiensi.Auentinus lib.4.

Appellantes ad Romanum.Vt factum est in controuersia Iuuauiensis & Bathauien sis:de qua infrà de Schismatis . Auentinus lib.4.Idem fit in Synodo Remensi.

Priuilegia ab ipsis petentes:quę quidem dedêre liberaliter. Nobili enim principa lis ecclesiæ Padebornensis monasterio,unà cum libris priuilegijs plenarijs , alijsq; ecclesiæ ornamentis, concremato , Retha rius episcopus solennes misit nuncios Ro mam,tam summo pontifici,quàm Imperatori ibi tum agenti , detrimenta suæ eccle siæ denuncians : omniaq; priuilegia ec clesiæ suæ tam à Romanis pontificibus, quàm Imperatoribus concessa, postulauit innouari,quæ & innouata sunt ab utroque principe, Christianismi,Papa & Imperato re,Calend.Ianuarij,anno Domini 1000.põ tificatus Sylvestri , qui antè fuit dictus Gil bertus,anno secundo:Otthonis tertij, Im perij decimo octauo , qui fuit uitæ & regni nouissimus . Metrop.Crantzij libro tertio, capite quarto. Sergius papa , qui ferè per totidem annos septem , à Formoso cathe dram tenuit Apostolicam, calumnias Adal gari miseratus,priuilegia Hamburgẽsis ec clesiæ innouauit: & omnia quæ à Grego rio & Nicolao prædecessoribus suis, Ans gario & Remberto concessa sunt , robora uit.Adhæc,quia senectutis pondere grauatus , pastorale officium obire non poterat, circumeundo,prædicando, episcopos con secrando : dati sunt ei adiutores à Papa, ad tam grandem prouinciam Aquilonarium regionum obeundam,uicini quinque epi scopi , Emundus Halberstadensis (quem Euilpum diximus ) Vuigbertus Verdensis, Biso Badebornensis, Bernarij duo Minden

sis & Olnaburgensis, quorum ope senex fulciretur. Et quamuis Sergius priuilegia Hamburgensis ecclesiæ renouauerit, idemque tentauerit ante illum Stephanus papa, qui omnia Formosi acta rescindens, Hermãno Colonienſi & Adalgerio Hamburgensi archiepiscopis, Moguntiæ conuentum indixerit, & Fulconi Remensi archiepiscopo uices suas commiserit: quidquid tamen ibi decretum est, Hermannus facilè discussit: præsertim quòd ea tẽpestate summorum pontificum execrabilis contentio, autoritatem eius sedis faceret contemptiorem: in qua uir potens apud Imperatorem, & qui armis præualeret, facilè effecit quod uoluit. Ergo nec Sergij decreta ualuerunt, quo minus etiam postea Colonienses archiepiscopi, Bremensem quasi suffraganeum habuêre, donec plenè ea res eluciderat temporibus Alberti archiepiscopi. Crantz. lib. 2. Metrop. cap. 24. Quidã Metensium pontificum honorati, ultra priuatum præsulum modum, plerunq; à sede Apostolica tale consecuti sunt priuilegium, siue ob sanctitatis gratiam, siue ob nobilitatis gloriam, ut salua metropolitani subiectione, archiepiscopi fungerentur officio & honore. Valo etiam pallij usum meruit: sed omnes singulari suæ dignitati, non in commune matri suę Ecclesiæ consulentes, in diebus tantum uitæ suæ singuli hoc priuilegio potuerunt decorari. Theodoricus uerò & Adalbero, hãc honoris prærogatiuam thesaurizauerunt, non sibi duntaxat in præsentia, sed posteris & filijs matris suæ in perpetuum, fastuosæ eminentiæ illius ambitum accipientes. Gesta pontificum Metensiũ, in uita Theodorici, capite decimo. Veneti ad Otthonem 1 Imperatorem, & Leonem 8 pontificem misêre: estque ea legatione impetratum, ut Gradensis ecclesia Venetiæ & Istriæ princeps & mater esset. Sabellicus lib. 2. Ennead. 9.

Doctores ab ipsis petẽtes. Frotho enim Daniæ rex, petit ab Agapito Romano pontifice, sibi doctores mitti. Saxo Grammaticus libro 9.

De monachis Polydorus Vergilius ita scribit: Atque ita per idem tempus, monachi in alia alibi sacerdotum collegia uenerunt: ac deinde uelut iure suo, ubiq; gentium opes immodicas sibi comparare cœperunt: quod posteris damno fuit. Dũ enim monachi diuinis duntaxat rebus uacantes, hominum cœtum fugiebant, ac solitudines, unde sibi nomen uindicãt, quærebant: tum profectò monasticæ uitæ institutum ritè seruabant. Contrà, ubi omissa solitudine, celebritatem colere, ubi diuitias recipere libuit, incredbile dictu est, quantum à maioribus suis degenerauerint. lib. sexto Anglicæ historię.

Confirmationem monasteriorum à papa exegerũt. Anno 947, ab Agapeto, Quedlinburgense cœnobium est confirmatum. Chron. Quedlinburg. Leo 22 abbas Tranẽsis, à Sergio tertio priuilegium impetrat. Chron. Cass.

Coronationem à papis nimis supplicibus petebant. Anno 973, Miecislaus Poloniæ dux, Lampertum Cracouiensem archiepiscopum misit Romam, peritum coronã: uerùm Romanus præsul ei denegauit, forsitè quia ad culinam non satis attulêre. Balęus, Cromerus.

Iuramenta præstantes papæ: ut Otthoni. Iohanni 12 iurauit, sicut extat Distinctione 63. cap. tibi domino. Estque hoc exemplar: Tibi domino Iohanni papæ, ego rex Otthо promittere & iurare facio, per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per hoc lignum uiuificæ crucis, & per has reliquias sanctorum, quòd si permittente Domino Romam uenero, sanctam Romanã Ecclesiam & te rectorem eius exaltabo, secundum posse meum: & nunquam uitam, aut membra, aut ipsum honorẽ, quẽ habes, uoluntate mea, aut meo cõsensu, aut cõsilio meo, aut exhortatione perdes. Et in Roma nullum placitùm aut ordinationem faciam, de omnibus quæ ad te aut ad Romanos pertinent, sine tuo consilio. Et quicquid de terra sancti Petri ad nostram potestatem uenerit, tibi reddam. Et cuicunque regnum Italicum commisero, illum iurare faciam, ut adiutor tui sit, ad defendendam terram S. Petri, secundum suum posse.

## QVI SESE OPPOSVERVNT *dominatui & tyrannidi Romanorum pontificum, ac contra Antichristum clamarunt.*

FVerunt autem pauci qui hac tempestate contra hanc dominationem pugnarunt: nisi quòd interdum doctores nonnulli aliquantulum hiscere ausi sunt.

In concilio Remensi Arnulphus Aurelianensis acerrimè in primatum Pontificis inuehitur, cum accusarentur, quasi damnassent Arnulphum Remensem, non prius ad pontificem Romanum relata. capite 28. Quod quidem caput studiosus Lector expendet.

De Pontificum degeneratione, tantum Platinæ unũ atq; alterũ testimoniũ adscribemus. Idẽ etiã accidisse põtificali dignitati dicere possumus. Sanctitate enim & doctrina, quæ nõ nisi magnis laboribus, consummataq; uirtute cõparantur, pontificii decus sine ullis opibus primò quidẽ auctis est, inter tot hostes & obstinatos persecu-

tores Christiani nominis: mox uerò, ubi cũ ipsis opibus lasciuire cœpit Ecclesia Dei, uersis eius cultoribus à seueritate ad lasciuiam, peperit nobis tantam licentiam peccandi, nullo principe flagitia hominum tũcohercente hæc monstra, hæc portenta, à quibus ambitione & largitione sanctissima Petri sedes occupata est potius quàm possessa. Platina de Vitis pontificum.

Item Sergius 3. Formosi factionem persequebatur, quòd antea ei impedimento fuerat, quo minus pontificatum consequeretur. Vide quæso, quantũ isti degenerauerint à maioribus suis? Illi enim, utpote uiri sanctissimi, dignitatem ultrò oblatam contemnebant, orationi & doctrinæ Christianæ uacantes: hi uerò largitione & ambitione pontificatũ quærentes, & adepti, postquebatur, quòd antea ei impedimento fuerat, quo minus pontificatum consequerentur. Vide quæso, quantũ isti degenerauerint à maioribus suis? Illi enim, utpote uiri sanctissimi, dignitatem ultrò oblatam contemnebant, orationi & doctrinæ Christianæ uacantes: hi uerò largitione & ambitione pontificatũ quærentes, & adepti, postquam habito diuino cultu, inimicitias non secus ac sæuissimi quidam tyranni inter sese exercebant: suas uoluptates postea securius expleturi, cum nullibi extarent, qui eorũ uitia cohercerent. Platina de Vitis pontificũ.

Imperatores armis contra papas contumaces & periuros egerunt. Sic Ottho 1, Iohanne papa perfidè Romam tenente, & hostibus prodente, armis eum pepulit. Bonifinius ait: Vrbem Romam Ottho imperator sæpe reuisit, ut pontificum contumelias & uexationes quandoq; corriperet. lib. 10. Decad. 1.

Synodos cõtra papas celebrarunt, eosque deposuerunt. Ottho enim imperator, Iohanne papa tyrannide & Sodomiticis sceleribus Romanam sedem commaculante, Synodum in urbe coegit, contra papam pronunciauit, eumq; tanquam indignum isto loco deposuit, alio subrogato. Luitprandus.

Puniuerunt Imperatores papas. Ita Benedictum illegitimè delectum in papam, non modò deponit Imperator & Synodus: uerùm etiã in exiliũ ut deportaretur Hamburgum, mandat. Blondus.

Romani Ioannẽ Narniẽsem, electũ in põtificẽ, cũ multa tyrãnicè aduersum Romanos moueret, mox in principio est ab urbis præfecto, & quodam Rotfredo comprehẽsus, atq; urbe exactus, & in Cãpania custodiæ mancipatus.

Adaldagus Libutium monachum S. Albani, Rugorum episcopum ordinat Franco fordiæ. Continuator Reginonis. Non igitur tantum solis Romanis pontificibus id licitum fuit.

## DE OFFICIIS POLITICI MAGISTRATUS, *in iuuanda gubernatione & conseruanda disciplina Ecclesiastica.*

Imperatores, episcopi, & plebs Romana, simul elegerunt atq; constituerunt pontificẽ Romanũ. nã Cõtinuator Reginonis scribit, Iohannẽ Narniẽsem à plebe Romana electum.

In primis uerò Imperatores, ius & potestatem creandi Romanum pontificem habuêre. Ius autem eligendi pontificem Romanum ideo Leonem Ottoni concessisse, ait Martinus Polonus: quia Romani subinde suos intrudebant. Romani igitur proceres iurant, se nunquam ordinaturos Papã sine consensu atq; electione Imperatoris. Luitprandus libro 6. cap. 6. Leone papa mortuo, Marinus Sutrienſis episcopus mittitur ad Imperatorem in Saxoniam, ut quẽ uellet successorem designaret: qui mittit episcopos, ut suo nomine Romæ deligant. Cont. Reg. Ottho 3. Brunonem, nepotem Cunradi, pontificem designat. Auent. lib. 5.

Romani proceres, Iohanne libidinum monstro interfecto, Benedictum creant põtificem, non consulto Imperatore: uerùm eius temeritatis postea graues pœnas dãt. Luitprandus. Bonifacium septimum, patre Ferrutio, ciuem Romanum, siue iure siue iniuria tãquam minus canonicè electũ, Romani, 14 pontificatus mense, Constantinopolim relegarunt: creatusq; est Benedictus septimus. Blondus lib. 3. Decad. 2.

Imperatores ipsi episcopos dederunt & confirmarunt. Nam Landouardus Mindensis episcopus, primus inter omnes antecessores suos, regalia suscepit de manu Imperatoris Otthonis primi, anno 961. apud Forchem, 7 Idus Iunij. Cœpit tum ea res apud Imperatores, ut darent inuestituram episcopis, & regalia, postquam Leo octauus omne patrimonium Imperij per Italiam restituit Imperio, in persona dicti Otthonis primi. Ea tum uolentibus & cupientibus summis pontificibus, per Imperatores gerebantur. Et paulo pòst hunc episcopum Imperator honorare uolens, baculum ei pastoralem preciosum de lignis hebeni, beato Petro & ecclesiæ Mindensi obtulit. Metropolis Crantzij lib. tertio, capite 33. Huic urbi (Aldenburgo) tum clarissimæ, gloriosus Imperator Ottho pontificem primum dedit, uenerabilem uirũ Marionem, iubdens ei omnem Obotritorum prouinciam, usq; ad Panim fluuium, & urbem Demyn: prætera ciuitatem Slesuig, quæ alio nomine Heidebu dicitur, eiusdẽ curæ commendauit. Ibidem cap. 31. Imperator (uel Ludouicus, uel Cunradus) Vuilhelmum in ecclesiam Monasterienſem introduxit. Nec mireris, ab Imperatore cõstitutum episcopum. Ferebant hoc illa tempora, quando etiam summorum pontificum constituendorum deijciendorumque habebant arbitrium. Non enim erat capitu-

lis (ut nunc) electio libera: non erat confirmatio Apostolica tunc necessaria. quē enim princeps delegerat, is erat pontifex consecrandus à uicinis episcopis. Erit longa de hoc iure concertatio inter sacerdotium & regnum. Hoc duo Henrici, pater & filius: hoc idem duo Frederici, auus & nepos, diu defendere ac tueri quęrebant. Sed uicit gladius Ecclesiæ, peruicitq;, ut ius suum Ecclesijs relinquerent Imperatores. Metropol. Crantz. lib. 2. cap. 29. Conradus, ob electionem cleri & populi, sine suo nutu factā, repudiat Lediadum, eiusq; loco Vnni regalia iura archiepiscopi Hamburgensis tradit. Metrop. Crantz. lib. 3. cap. 5. Sic Imperator Ottho 3, in Germaniam reuersus, Guison urbem primariam Polonorum, ad sepulchrū D. Alberti (qui apud Borussos pro Christo mortem oppetierat) uotis susceptis supplicādi gratia proficiscitur, septem prouincias pontificales facit. Gaudentium fratrem D. Alberti Boiemis archimystā designat. Auent. l. 5. Annal. Boiorū. Miecislaus basilicas nouē diuersis locis ædificat, easq; supellectili omnis generis preciosa ornat, censibus & possessionibus locupletat: & in diœceses distributas, duas quidem ex his archiepiscopis, nēpe Gnesnensem & Cracouiensem: reliquas uerò, hoc est, Posnaniensem, Smogorouiensem (quæ postea Bicinensis, ac demū Vratislauiensis dicta est) Crusuicinensem, quæ Vuladislauiam successu temporis translata est, Plocensem, Culmensem, Lubussensem & Camenensem, singulis episcopis attribuit: ijsq; decimas omnis generis frugū, de suis iuxtà ac nobilitatis plebisq; agris, edicto perpetuò adscribit, ita quidem, ut eæ decimæ post mensem ab eis qui dant, ad constitutum locum comportentur. Crom. lib. 3. Otto III, paternæ auitæq; uirtutis æmulus, Christiana pietate rempublicam iuuit & auxit: uiros eruditos & amauit plurimùm, & excoluit, ingenuis disciplinis condigna solaria largitus. Nec minus religioni intentus, antiqua templa diruta reformauit. Monasterium illud Bauariæ, Altaha nomine, sub Arnulpho desolatum, reconcinnauit. Pragensibus per legatum rogantibus, Theodagum sacerdotem, uirum dignum, & ab archiepiscopo Moguntino consecratum, antistitem dedit. Cuspinianus in Otthone III. Seruantur in ecclesia Bremensi literæ regiæ, quæ signant testanturq;, regem Ottonem in sua ditione regnum tenuisse Danicum, adeò ut etiam illi episcopos pro arbitrio donauerit, quod illa ætas regibus permisit. Metropolis Crantzij lib. 3. cap. 17.

Episcopos ablegarunt ad propagandam doctrinam cœlestem, Olaus enim rex Gothorum, à Mildredo Anglorum petit doctores, qui ipsi misit Sigfridum archiepiscopū Eboracensem. lib. 17. Hist. Gotth.

Doctores defendebant, & alebant. Hugo, Laudunensi episcopo exuli, Veronensem episcopatum stipendij loco concessit. Luitprandus lib. 3. cap. 11. Otto Imperator Leonensem legitimè creatum pontificem armis defendit, atq; restituit in sedē. Blondus. Idem Ottho Ioannem 13 restituit, & in autores seditionis grauem pœnā statuit. Idem.

Episcopos & presbyteros sui officij commonefaciebant. Rutbertus archiepiscopus Treuirensis, & Richardus Tungrensis episcopus, coram rege infidelitatis arguuntur uerùm liberantur crimine. Continuator Reginonis.

Minus idoneos ab officio remouerunt. Sic Otto imperator, Romę in synodo Ioannem papam, seu potius Leonem nempe, num deponit: atq; alium, Leonem nempe, substituit: item Benedictum, à Romanis electum. Luitpr. Cont. Reginonis.

Scelera & peccata episcoporum, & aliorum Ecclesiasticorū prohibebant & puniebāt. Sic Ottho imperator periuros, Friderícum Mogūtinensem archiepiscopū Hamburgum relegauit, ut habet Vuitichindus: uel Fuldam, ut scribit Continuator Reginonis: Rudherdum uerò Strasburgensem, Corbeium misit. uerùm eos postea in gratiam recepit. Vuitichindus lib. 2.

Ab episcopis seu gubernatoribus ecclesiæ, malè sentientibus, ad Synodū prouocabāt. Nicephorus à Polyeucto, patriarcha Constātinopolitano, sibi prohibente cōiugiū, ad sacerdotes & Senatū prouocat, qui pro Imperatore pronūciant. Zonar. tom. 3. Restituerūt iniustè expulsos. Ottho enim Leonem octauum à Romanis profligatū, restituit in suum locū armata ui. Continuator Reginonis. Bergomensis. Item Ottho armis pellit Hugonis nepotem ex urbe Romensi, per uim intrusum, & legitimum restituit. Vuitich. lib. 3.

Imperatores puniērunt malè electos. Sic Ottho imperator secundò Romam petit, Crescentium obsidet: capit eundem cum duodecim urbis senatoribus cōscijs, & ante urbis mœnia in crucē agit. Ioannē Placentium naribus amputatis, oculis exceptis, de Capitolio præcipitari iubet: Gregorium Ecclesiæ restituit: senatores plerosq;, qui cum Crescentio conspirarāt, in Saxoniam secum in exilium deportat. Auentinus libro 5.

Hortati sunt politici ad receptionem doctrinæ, & suos & alios. Geysa enim Vngarorum rex, miro ardore recepit & propagauit

pagauit apud suos Christianam religionē. Bonfinius lib. 10, Decadis 1.

Synodos coegerunt, & eis interfuerunt. Ottho enim Imperator Romæ congregat Synodum contra Iohannem papam: & hortatur patres, ut sinant unumquenque suam causam liberè dicere. Luitprandus.

Episcopatus instituerunt. nam Geysa episcopatum Strigonienſem instituit. Bonfinius libro 1, Decadis 2.

Ottho Magnus episcopatum Magdeburgensem erexit. Martinus Polonus. Adscribemus autem locum ex Heinrico de Erphordia: Anno trigesimo Otthonis, regalis abbatia in Magdeborch mutata est in archiepiscopatū per Otthonem imperatorem. Quod intelligo, quantum ad locū. Imperator enim monachos transposuit ad locū, ubi nūc sunt ad S. Iohannē, & episcopatū de Vrose ad locū eorū, & in alodiū suū ibi primum. Ex quodam priuilegio Magdeburgēsi. Ottho primus ciuitatē Magdeborch in parochia Halberstatēsi à fundamēto cōstruxit, sanctū Adelbertum ibi primum archiepiscopum posuit. In Citzi, Misni, Merseburch, Brādeborch, Hauelberch, Poznā episcopia fundauit in terris Sclauorum, quos ad fidem conuerterat, & gladio subegerat. Fecit autem hoc consensu Iohannis papæ in Synodo Rauennæ. posuit igitur primum archiepiscopū Magdeburgensem Adelbertū: & episcopos sub eo, Iordanē, primū episcopū Pozanensem, Hugonem Cizensem, Borchardū Misnensem, Bosonē Mersburgēsem, Dodilonē Brādeburgensem, Cudonē Hauelbergensem, consecrauit: anno Domi nicæ incarnationis nongentesimo sexagesimo octauo. Henricus de Erphordia. Verūm Misnensem episcopatum ab Henrico Otthonis patre fundatum, ait Cranzius in sua Metrop. lib. 3. cap. 11. Idem asseuerat Chronicon Hirsaugiense.

Templorū, monasteriorum & xenodochiorum ædificationē, renouationē & conseruationē iuuabant. Nā Henricus primus ecclesiā cathedralē in Engern in Vuestphalia, transtulit in Vuallersleue. Chron. Mersburg. Mechtildis Quedlinburgēse cœnobium, & S. Eustachij Northusæ, & in Pollebe in comitatu Mansfeldensi ædificauit: in super arcem Ringelheim in monasterium conuertit. Chron. Mersb.

Bona sua ecclesiæ dabant. Vigerus comes, ecclesiam in Turnilan, cum omnibus quæ in eadem marchia habuit, post obitū suum S. Martino, & episcopo Moguntinen si contradidit. Marianus Scotus.

Bonis ecclesiasticis conseruandis studebant. Sic Carolus rex abbatiā Vedasti abreptam à Balduimo, Folconi Remorum archiepiscopo restituebat. Regino lib. 2. Cūradus comes filium Cunradum cum exercitu misit, ut Gerhardum & Matfridum, qui possessionem S. Maximini & S. Mariæ ad Horrea uiolenter inuadebant, populsaret: id quod fecit. Ibidem. Otto imperator ad comitem, abbatiam Lauresheim petentem, dixit: Scriptum est, Nolite sanctum dare canibus. Quod, quamuis à doctoribus spiritualiter intelligendum esse prædicetur, ego tamen satis me dare canibus sanctum censeo, si monasteriorum prædia, quæ à religiosis uiris Deo sunt militantibus tradita, tulero, & seculo militantibus dedero. Luitprandus libro 4. cap. 15. Rodolphus rex ualdè seuerus extitit in coherendis prædonibus Ecclesiæ Dei. Annonius lib. 5. cap. 42.

Restituebant ablata. Sic duo Otthones Boiorum duces, Tigurinam ædem à duobus fratribus illūstribus Boiarię comitibus (ita enim in diplomate appellantur) constructam, ab Vngaris combustam, quā proceres cū uxoribus, canibus & equis, aliquot annos incoluerant, monachis cum prædijs reddunt: Hartuicum prę ficiunt, prophanos migrare iubent, anno nostræ Salutis 979. Auent. lib. 5. annal. Boiorum.

Pauperes uisitabāt. Petrus Vrseolus dux Venetorum, sæpe clanculum ægrotos uisitabat, ipsorūq; inopiam uerbis & eleemosynis subleuabat. Bergomensis lib. 11.

Priuilegia dederunt. Otto primus renouauit, & literis inseruit donationes ecclesię Osnaburgensi factas, per fundatorem magnum Carolum. Adiecit priuilegio mercatum publicum, in loco Vuiddenbrugge: uectigalia inibi colligēda donat ecclesiæ Osnaburgensi, ob merita Drogonis, qui tū illi præfuit ecclesię. Metrop. Crantzij lib. 3. cap. 25. Otto secundus imperator confirmat priuilegium monasterij S. Vincentij, extra muros urbis Metensis. Gesta pontificum Metensium in uita Theodorici.

## QVAE A' POLITICIS VIRIS, *contra suum officium & Ecclesiæ utilitatem gesta sunt.*

IDololatricos cultus postularūt, aut cōfirmarūt. Sic Nicephorus Phocas semel posito in Ecclesiam pede, subindè plura audet: postulat ut milites (erat enim militarī ingenio præditus) in bello cadentes, in numerum martyrum referantur, & hymnis publicè colantur: uerūm ministri Ecclesiæ resistunt, addita etiam suspensione eius à sacra cœna ad triennium. Zonaras tomo tertio.

Baalismum instituerunt, uel obseruarūt ipsi quoq; nimis superstitiose. Robertus enim Occidētalium Francorū rex, filius Hugonis

gonis Capetis,in magnis ſanctorũ feſtiuitabus,in aliquo regni ſui monaſterio,cũ monachis aut cantauit, aut cappam portando chorum rexit. Hic autem fecit illam ſequẽtiam de S. ſpiritu, S. Spiritus adſit nobis gratia.& illud reſponſorium de uigilia natalis Domini, O Iuda & Hieruſalẽ, nolite. Ranulphus libro ſexto, capite 15. in Polychronico.

Impias conſuetudines tolerarunt. Sic Henricus ante pugnam cum Vngaris,queritur,ſuos anteceſſores in toto regno Simoniacam hæreſin toleraſſe.

Bona eccleſiæ inuaſerunt,& ſuo fiſco addixerunt. Sic Balduinus comes, Atrebatis caſtrum,hoc eſt abbatiam S.Vedaſti,ſibi rapit & uẽdicat.Regino li.uigeſimoſecũdo. Romani metuentes imperatoris Otthonis aduentum,theſaurum Petri rapiunt, atque inde ſibi munitionem conducto milite comparant.Contin.Regin. Arnoldus Bauariæ dux, accepta poteſtate ab Henrico imperatore conſtituendi epiſcopos, in ſua regione, bona eccleſiaſtica hac occaſione ad ſe tranſtulit, ac militibus diſtribuit. Cuſpianus. Nicephorus Phocas, dona olim eccleſijs donata eripit, cauſans inopiam pecuniæ. Idem decreto ſancit, ne fundi eccleſiarum augerentur: cauſam prætendit, quia non conferrentur in eccleſiæ utilitatem à ſacerdotibus.Zonaras tomo 3.

Carolus Simplex, rex Francorum, edidit illud memorabile,ac religione plenum. Summi proceres prophani, locupletiſſimorum cœnobiorum opes, beneficio Regum acceperant, ac monachis tantum in ſumptum ſuppeditabant,quantum neceſſarius uſus poſtulabat: ex eisque ipſi deligebant, qui non Abba (nam id ſibi nomen uelut ampliſsimum arrogabant) ſed Decurio uocitaretur. permultas ætates is mos tenuerat.Iam epiſcoporum iura inuadebant. Simplex coacto concilio diuitias pontificum ſanctas eſſe conſtituit. Cœnobiorum libertas ſanciri nondum poterat, quòd eorum facultatibus Robertus magiſter equitum, ac Hugo,fratres,militem alebant,ac iam cum factionis ſuæ hominibus occupare regni ius contendebant. Paulus Æmylius libro tertio, de geſtis Francorum.

Anno 956, Arnulphus comes Flandriæ, (ſi quid credimus monaſteriorum Chronicis) multa cœnobijs detraxit, quæ ſuæ diuiſit nobilitati: ut cœnobio Gandenſi in pago Curtracenſi, Eliſachiam, Aldenghem & Holthem: in pago Methelentiſi, Skelmas cum molis duabus: in pago Tornacenſi, Coloniam & Nielam: in pago Brachbantenſi, Meren, Craynham, Bellanicum, Bruggecinam, Milimam, Merlken, Aingham, Badingham, Morteſelam & Maſminam:in pago Flandrenſi, Bettinghem, Holtanam, Oſtold, Adinghem, Rodenborch, Baltreshandam, Lapſcuram, Velthem: in pago Menipiſco, Gontrengen, Gameghem: in pago Gandenſi, Haſenthorp, Huſdine, Berghine, Vuaſinonaſterium, Merendram. Referunt & Marſianenſes, ablatas ſibi apud Bainas ab Arnulpho poſſeſsiones ſuas: quas eo defuncto, mox interceſsione Emmiæ reginæ, ab Lothario rege receperunt.Eandem ferè Bertiniani canunt cantilenam, quanquam illis penè omnia ante obitum reſtituerit. Iacobus Meyer in Chron.Flandriæ.

Eccleſiaſticis uiris iniuriam & damnum inferebant.Adelbertus Pabẽbergenſis Rudolphum epiſcopum Vuirtzburgenſem ab Eccleſia profligat, & poſſeſsiones Eccleſiæ diripit. Gerebat enim bellum contra Eberhardum ducem.Regino lib.2.

Pulſis uel ſacerdotibus, uel canonicis, monachos ſubſtituerunt. Sigfridus enim dux Lotharingiæ (qui ducatum adminiſtrauit circa annum 980.) expulſis canonicis ex cœnobio Echternacenſi, monachos ſubſtituerat. Lazius de Migratione gentium lib.3.

Erga epiſcopos & monachos nimis largi fuerunt.Aldẽburgenſem epiſcopatũ Otto nimium locupletat,ita ut iſti epiſcopi ex iſtis bonis erga reges ac principes eſſent liberales.Dabatur,inquit Helmoldus, ponti fici annuum de omni Vuagirorũ ſiue Obotritorũ terra tributũ,quod ſcilicet pro decima imputabatur, de quolibet aratro mẽſũra grani,& quadraginta reſticuli lini,& duodecim nummi puri argẽti. Ad hoc unus nũmus,precium colligentis:Slauicum uerò aratrum par boum, aut unus conficit equus. De urbibus uerò aut prædijs, aut curtiũ numero,quę ad poſſeſsionem pontificis pertinebant,non eſt huius operis explanare, eo quòd uetera in obliuionem uenerint,& ecce noua ſunt omnia.Helmoldus in Chron. Slauorum,cap.12.

Politica epiſcopis tribuerũt. Otto tertius Erponi Verdenſi epiſcopo permiſit, ut monetam ſuo nomine cuderet,mercatũ in loco eccleſię ſuę ſolennẽ haberet. Idẽ Imperator cõtulit eidẽ epiſcopo & ſucceſſoribus, uenationẽ ceruorum & ceruarũ, ſublimiſ ferarũ:qui fuit ab olim ſeruatus honor ſum mis principibus. Extãt deſuper literę datæ anno 985.Pagum autẽ uenationis, Sturmi uocant.Metrop.Crantzij lib.3. cap.36. Sic Henricus Bauarorum dux, monachis uenationes indulſit.Abent.lib.5.

Nimis multa tẽpla & monaſteria extru-

xerunt;

xerunt. Nam Cunradus rex ecclesiam cathedralem in Hartesborg instituit. Chron. Saxoniæ. A' Richardo Francorum duce, Fiscanij cœnobium diuinæ Trinitati dicatum est. Itemque in suburbano Rothomagi Audœni templum, & in monte Tumba S. Michaelis monasterium, multis cœnobitis cumulatum. Mortuus est Richardus anno 996. Robertus Gaguinus de gestis Francorum lib. 5. Hermānus dux in monte Luneburg, monasteriū diuo iussit consecrari Michaeli: quod monasteriū inde in oppidum est translatum, ad eiusdem montis pedem. Metropol. Cranzij libro tertio, capite 19. Gūtherus apud Turogos nobilissima familia procreatus, in Boiaria Aquilonari, qua Boionicæ continuatur, in Noreta sylua, particula Hercyniæ, Rinichnatichio inferiori addixit. Aribe quoque dynasta Boiorum, in Boiaria, quæ est in Norico, Burgilum castellum suum in templum uertit, diuo Lāberto dedicat, traditq; symmistis D. Benedicti. accolæ à lacubus qui ibi frequentes sunt, Soeum uocant. Henricus Boiorum dux, uniuersa huiusmodi templa largiter collocupletat. Auentinus lib. 5. Annalium Boiorum. Etheluoldus Vintonienſis episcopus duo egregia cœnobia extruxit: alterum Vintoniæ monachorum, alterum monachorum ordinis D. Benedicti, quod Burgum Petri nominat, quia D. Petro dedicatum: est ad orientem solem locus in Northantonensi comitatu, Lincolniensis diœceseos. Osualdus uerò Eboracensis episcopus cœnobium ordinis Benedicti extruxit in pago eiusdem diœceseos, quæ Ramisia dicitur, quæ ad Elym insulam proxima est. Polyd. Vergil. lib. 7. historiæ Anglicæ. Vrseolus Venetorū dux primùm omnium pium & populare opus aggressus, ducariā domum cum templo restituit priuato sumptu: ac maiore quàm antea apparatu, Euangelistę corpus incendio seruatum, nouo cōditorio intulit. Auream tabulam Græcanici operis ad aram maximam dedicauit. Sabellicus libro 2. Enneadis 9. Edgarus rex Anglorum plus quàm quadraginta monasteria constructit: inter quæ Glasconiense, Abyndonense, Burgum, Torneyl, Ramegaye, Vuiltoniense locupletauit. Sed apud Vuintoniam in nouo monasterio, monachos loco clericorum primus instituit. Nā clerici laborē clerici fugientes, & bona Ecclesiæ pro libitu alibi cōsumentes, uicarios parum ad uictum habentes, locis suis constituerant: at cum ipsi monitis regis Edgari, episcopi Etheloldi, ac archipræsulis Dunstani minimè corrigerentur, Rex ipse præbendas clericorum prædictorum, præfatis uicarijs contulit. Sed & illi in personatum promoti uicarios sibi facientes, facti sunt peiores prioribus, unde Rex turbatus, annuente papa Iohanne 13, expulsis clericis, monachos ibidē introduxit. Ranulphus lib. 6. cap. 9. in Polychronico. Chronicon Saxoniæ testatur, Otthonē Imperatorē sustuliſſe idolū Rethre ex urbe Megapoli, atq; ecclesiam cathedralem eò extruxisse. Henricus Palatinus tē pore Otthonis 2 monasteriū Lacense Treuerensis diœcesis erexit. Secundus inde palatinus Sigifridus, monasterium ad lacum condidit, & primum abbatem Giselbertū cōstituit. Nuēburg Palatini comites Rheni erexerunt, ut Alexander ait. Franciscus Irenicus lib. 3. Exeg. cap. 56. anno 940. Arnulphus Flandriæ comes, cum Gerhardo Cellensi, & abbate Gandēsi, corpora diuorum Bauonis & Pharahildis, Lauduno Gandauū retulit. Iacobus Meyer in Chronico Flandriæ.

Monasteria & ecclesias nimium ditarūt. Ita de Arnulpho, & monasterio Teanensi scribitur. Huius (Leonis abbatis) interuentu, concessus est ab eodē principe mons S. Eleutherij, monasterium S. Mariæ de Cingla, pro pascuis animaliū ipsius loci, & procędendis lignis in usus uarios: fluuius etiā qui Ete dicitur, ab ipso ortu suo usq; ad Vulturnum flumē, ac deinceps Vulturnus ipse usq; ad pedes dicti montis S. Eleutherij, sicut ad ius palatij sui pertinebat, ut essent ipsę aquę in usus monasterij. Guaimarius Salernitanus princeps, per præceptū dedit curtem unam magnam, in loco qui dicitur Rota, cū domibus, syluis, arboribus, uineis, seruis & ancillis omnibus ad eandē curtē pertinētibus. Concessit item hic ipse Guaimarius huic monasterio mediam curtē in finibus Sarni, loco qui Lenciaria dicitur: cuius aliam medietatem Agenardus iam obtulerat beato Benedicto, cum omnibus ad eandem curtem pertinentibus. Hic fecit libellū Adelario Romano ciui de ecclesia S. Benedicti, ut quoties abbas uel monachi monasterij Teani, pergerēt alicuius necessitatis gratia, Romā, eos in eadē ecclesia cum honore susciperet, atq; retineret, quādiu necessariò ibi remorari oporteret, & annis singulis cēsus nomine denarios 60 monasterio mitteret. Chron. Casinēs. lib. 1. cap. 54. Itē à principib. Lādulpho & Atenulfo præceptū confirmationis accepit Iohannes abbas Teani. Aliud itē de curte petræ mellariæ, cū omnibus omnino pertinentijs suis: ipsam uerò curtē iam dicti principes, commutationis uice dederunt. Namq; curtē de Pantano prope Beneuentum à nobis acceptam, obtulerant in sancta Sophia, quę scili

cet huic monasterio subiecta erat. Hic fecit libellũ Adelberto de Castello, Raineri filio, de curtib. quibusdã huius monasterij in comitatu Mutinensi, qui Perficeta dicitur, ad octingẽta iugera, reddentibus annis singulis censum 7 solidorũ. Alium etiam libellum fecit eidem Adelberto, de quibusdam huius loci possessionibus, in fundo Adili. Idẽ uerò Adelbertus obtulit postea per scriptum huic monasterio quasdam alias curtes suas, quas in eodem fundo habebat. Chron. Cass. lib. 1. cap. 57. Adelberto abbati Iohannes Neapoleos consul & dux, præcepto suo confirmauit ecclesiã S. Cæciliæ intra Neapolim sitam, in platea quæ dicitur Palmarum, olim ad monasterium nostrum pertinentem, cum omnibus omnino iuribus eius: cellam quoq; S. Seueri in Surrento, cum omni pariter substantia & pertinentia ipsius: cellam insuper nostram de Gentiana cum Gualdo, terris, syluis, & omnibus omnino in ipso territorio ad nos pertinentibus: & ut in tota ciuitate Neapoli nullũ omnino uectigal monachi aliquando persoluerẽt, iussit. Eodem tempore Agelmũdus quidã nobilis de Vicalbo, obtulit huic monasterio curtẽ suã, quæ dicitur de Pranduli, cum omnibus pertinentijs eius. Aliam item curtẽ in Patenara, cum uineis & pratis, & omnibus pertinẽtijs suis. Omnia item quæ sibi iure hęreditario competebant, in ciuitate Sorana, & in castro quod dicitur Sclaui. Chronicon Cass. lib. 1. cap. 59. 60. & 63. Fuit etiam hac tempestate comes quidã nomine Elbertus. is omnia sua Deo dedit: & in honore Mariæ, monasteriũ cõstruxit in uilla Vualciodoro, quam Mosa alluit in diœcesi Leodicensi: idemq; monasterium Metensi ecclesiæ testamẽto delegauit, & Imperiali decreto in perpetuũ confirmauit. Villam etiam suæ ditionis eidem contiguam loco, Hastoriã uocabulo, cum appendicijs suis, eidem coniunxit cœnobio. Gesta Metensiũ, in uita Theodorici.

Adelstanus ordine 24 Angliæ rex, Vulstanum archiepiscopũ Eboracensem, ob singularem eius animi uirtutẽ, uitæq; splendorẽ, unicè amauit, eiusq; causa Eboracẽsem episcopatum plurimũ locupletauit: postremò magno imperio potitus, omne studiũ ad religionẽ colendam ac pacem fouendã, suorumq; cõmodum augendũ contulit. quippe duo ædificauit cœnobia monachorũ ordinis D. Benedicti: alterum apud Meltoniã pagum Sarisberiensis diœceseos, alterũ ad Micelneũ uicum Somersetensis comitatus, possessionibusq; utrũq; locupletauit. Polyd. Virgil. lib. 6. Item Heinricus Boiorũ dux (postea Imperator eius nominis secundus) sacerdotes & monachos ditauit: ipsis uenationem quoq; indulsit. Contubernia ab Vngaris uastata erãt. Monachi arrepta occasione ex paupertate, seuerioris religionis iugo excusso, licentius uiuere cœperãt: mystæ & Augustiniani ex atris albi, ex laneis lini facti erant. Henricus cõsilio D. Gothardi, in Boiaria apud Altaichũ inferius nati, uiri perquàm eruditi atq; boni, templa uirginorum & sacratarum fœminarũ, qui labente disciplina, difficile religionis obsequium interpretando detrectabant, reficit: hos ad castimoniarũ abstinentiã arduam redigit. Mansee Noricorum ædem ab episcopis Reginoburgensibus in paupertatem redactã, sacris D. Benedicti, impositò magistro reddit. Idem Henricus Chiemensibus uirginibus Gerpirgam sororem, Bathauensibus Helicam amitam præficit. Altaichium inferius, abdicatis popularibus mystis, in ordinem D. Benedicti redigit: Polling reficit. Tigurinis D. Gothardum dat magistrum inuitis monachis, id contra instituta esse uociferantibus: Gotscalco quoque episcopo Fruxinensi, Gothardum, quòd alienæ incubaret prouinciæ, carpente. Quamobrem Gothardus ad Henricum redit, peruacciam monachorum incusat. Henricus Turgurinos petit, Eberhardum uel ingratis imponit. Deinde de integro Boiaria extruxit à fundamento Neoburgij, supra Angilostadium templum: alterum Reginoburgij, quod plumbo texit, & uetererem ædiculam nominamus. Tertiũ Mosburgij: illud sanctis uirginibus, alia flaminibus popularibus dicauit. Cæteri Boiorum proceres uiri, fœminę, episcopiq;, secuti principem suum, pleraq; constituxêre phana, annitente & opitulante pientissimo regulo. Angelbertus Fruxinensium pontifex, extra mœnia urbis D. Stephani ædẽ symmistis Benedictinis ampliauit & tradidit. Sacerdotes inde ad ędem D. Viti, ad radicem eius montis migrare iussit, ubi adhuc sunt. Gebhardus primus pontifex Reginoburgensis, cum fratre Rapotone, Damasia, & ab Henuuart oriundus, successor D. Vuolfgangi, Prulam in agro Reginoburgẽsi, & Thierhaupten apud Licatios D. Benedicto, eiusque consecraneis dedicat. Adalbero & Vdalscalcus fratres primorũ clarissimi, Kuepachium non procul à Barro amne. Irmindruda soror D. Kunegundæ Augustæ, Vuelphonis secundi satrapis, Ambronum in Vindelicia & Boiaria & Altorf atque Ratuensburgij in Rhetia siue Sueuia, uxor, sacratas fœminas ex Altorf Sueuorum in Boiariam, ad Altonis monasterium, & hinc monachos illuc transtulit. Garlitam uirginum maximam cæpit. Sub idem tempus Chunegunda, neptis Otthonis magni, ex filia

filia Richlyta, coniunx Friderici in Dieſſen & Andechs tetrarchę, D. Stephano & Aure lianis flaminibus collegium inſtituit. In e ius ſepulchro nuper inuętus laterculus co ętilis eſt, cui hoc epigrāma impreſſum eſt: Chunigunt peccatrix, huius loci domina trix, iſtam conſtruens aulam, 2 Nonis Mar tij, obijt anno 1020. Auentinus lib. 5. Annal. Boiorum. Teſtatur & Saxoniæ Chroni con, Otthonem Cæſarem, Miſnenſem epi ſcopatum fundaſſe, eiq; regionem propri am attribuiſſe. Richardus Normāniæ dux, geſtarum rerum gloria paritèr ac uirtutis fa ma præclarus, de religione Chriſtiana iti dem bene mereri ſtuduit: quippe qui non nulla condidit templa opere egregio, mul tiaq; donarijs ea exornauit. Polydorus Ver gilius lib. 6. hiſtoriæ Anglicæ. Pœnituit Alfredam cōmiſſæ cædis, priuigni Angliæ regis: quæ & ieiunio & uerberibus corpus ſuum afficiens, omne patrimonium, aut in digentibus hominibus partiendo, aut ſa cras ædes ædificando, ſarciendoúe effudit quam ferunt duo condidiſſe monachorum cœnobia: unum Amisberiæ in pago Saris beriensis diœceſeos, ordinis Cluniacenſis: & alterum ordinis diui Benedicti ad Vuher uuellum uicum, Vintonienſis diœceſis, & in hoc illam uitam egiſſe. Polydorus Ver gilius libro 6 Anglicæ hiſtoriæ. Ottho Cæſar Magdeburgenſi monaſterio ſuum concedebat locum & bona, & inſuper li bertatem: tantùm ut quotannis ſibi equum & puerum tributi loco penderent. Chro nic. Saxon.

Confirmarunt monaſteria. Atenul phus princeps, confirmat poſſeſſiones monaſterij Teanenſis. Continuator Regi nonis.

Priuilegia dederunt epiſcopis. Extat pri uilegium eccleſiæ Osnaburgenſis inſigne, quod Dodo fertur impetraſſe ab Otthone primo, iam tunc rege Romano, anno 938. Eximit hoc priuilegium eccleſiam ab om ni onere, quod à præfectis aut dominicis nuncijs poſſet imponi. Daturque in ſpecie nunc huic eccleſiæ, quod longo antè tem pore ſuperiores Imperatores dabant Ec cleſiæ uniuerſali. Firmauit hoc priuilegi um rex manu, impreſſo etiam annulo, per inſtantiam Dodonis Oſnaburgenſis eccle ſiæ pontificis. Metropol. Crantzij libro 3. capite 14.

Eccleſiaſticis uiris in negocijs politicis nimium poteſtatis attribuerunt. Nam in terfuiſſe ipſos negocijs & conuentibus po liticis, ſuprà eſt annotatum.

Gubernatores ex ſuperſtitione fiunt mo nachi. Anno 15, Otthonis tertij, Anfridus claruit. hic cum fuiſſet comes Bracuſpan tium, non minus iuſticia quàm potentia ſeculari famoſus, depoſito militiæ cingu lo, tonſus in clericum, eò prouectus eſt, ut ordinaretur epiſcopus Vltraiectenſis. Hein ricus de Erfordia. Petrus Vrſeolus, dux Venetiarum, officio ſuo renuncians, in diui Michaelis de Muriano, ordinis Camal dulenſium intrauit, ac religionis ipſius ha bitum ſuſcepit. Cuius exemplo Iohannes Maurocenus, & ipſe dux, permotus, mona ſterium ſancti Georgij intrauit, idq; maxi mis impenſis ædificauit. Bergomenſis lib. duodecimo.

Sacerdotum collegia inſtituerunt. Anno 925, Burienſe ſacerdotum collegium fundabatur per Ethelſtanum Anglorum re gem. Balæus 2 parte Scriptorum Britāniæ, Cent. 10. cap. 34.

# CAPVT VIII.

## DE SCHISMATIBVS *ſub Ludouico.*

### STRASBVRGENSIVM DISSIDIVM *cum ſuo epiſcopo.*

DIſsidium inter plebem Straſburgenſem, & epiſcopū eius loci Baltramium extitit, cum Ludouicus Imperij ſceptra teneret. Quæ uerò eius cauſa fuerit, non exprimunt hiſtorici. Id autem Ludouicus Imperator compoſuit, circa annum Domini 905.

### SVB LVDOVICO.

MOraui peculiarem epiſcopum cupientes, ad Romannm præſulem ſcribunt, quantis Bauarorum ſacerdotum rapinis uexentur. impetrant autem à Romano legatos, qui in Morauiam uenientes, pontificali audacia, ex una pontificali prouincia, quinque conſtituunt. Bauarici porrò præſules indignè ferentes, ſuæ dignitati & reditibus tantum decedere: inſtigant principes, ut armis nouum conſilium diſturbetur. Hi prædæ cupidi, integrum menſem Morauos depopulantur: atque ſpolijs onuſti domum redeunt, multis hominibus trucidatis. Deinde uicinos quoque archiepiſcopos extimulant, ut hæc nequaquam patiantur fieri, ſuæ ſimiliter dignitatis rationem habentes. Hatto igitur Moguntinus archiflamen (ut eum Auentinus nominat) acriter cum Romano præſule de hoc facinore expoſtulat, & claudit epiſtolam hiſce uerſibus:

Alme

*Alme pater mundi, dignus prænomine Petri,*
*Nomine quem sequeris, utinam uirtute sequaris:*
*Sisq; tuis ouibus protector uerus, & ipsas*
*Commendes Domino, cœlo qui præsidet alto.*

Cum autem Morauí suum conseruarent episcopatum, sancti patres Ecclesiæ, incitatis politicis cum Vngaris, fœdera pacis contrahunt, ea cõditione, ut hi Morauos bello domitos, sacerdotibus Bauaricis iterũ subijcerent. Sic scilicet potius sanguine Morauorũ sitiũt, eosq; hostibus mactandos offerũt, quàm ut suæ eminentiæ & redituũ aliquá iacturá fieri patiantur. Tandé igitur isti sacerdotes Bauarici ad eum modũ uoti compotes fiunt, ut Morauia per crudelissimos Vngaros penitus uastata, nullum pene doctorem pietatis, usq; ad Otthonem magnum (sicuti uerba Benedicti 7. sonant) habuerit. Simul autem uires Bauariæ tam fœdè attritæ sunt, dũ isti uicini traditi sunt crucifigendi, ut ipsi quoq; Bauari uix longo tẽpore respirare potuerint. Auen. lib. 4.

## SVB CVNRADO ET ALIIS

*Dissidium ac laniena mutua pontificum Romanorum, propter acta Formosi.*

IOhannes x. acta Formosi approbat, & confirmat: uerùm Sergius non longo interuallo sequens, repulsæ memoriam liuidissimo corde fouens, rursum cœlum terræ miscet: atq; ne non suo miti pectori, tanquam egregius Petri sectator, & basis ecclesiæ Romanę, satisfaceret, Formosi cadauer iubet terra erui, atque fœtida membra in iudicium sisti & condemnari: ac tandem aliquot digitis præcisis, & capite etiam amputato, truncum in Tyberim præcipitari, more planè non Apostolico, sed plusquam Neroniano. Sequentes rursum contra Sergium prò Formoso pronunciant. Hoc modo istæ petræ in sese inuicem collidũt, tum in uiuos, tum in mortuos pariter grassantes. Et quis inficias ire poterit, ecclesiam Romanam hisce temporibus super immotas petras constitisse? Hęc quia suis in locis prolixius enarrantur, hic paucis tantum stringimus.

## SVB HENRICO I.

NAta est inter Libentium Hamburgẽsem, & Bernarium Verdensem, disceptatio de Ramsola. Reiecta causa est ad Sergium pontificem per Oddones. is uerò definiuit, locum in archiepiscopatu Hamburgensi relinquẽdum, idque in memoriam Ansgarij: qui fugiens ex in cendio Hamburgensi, ibi oratoriũ cõstituerit, licet ille locus Verdensi esset propinquior.

## SVB OTTHONE I.

De schismate Romano inter Iohannem 12. & Leonem, atque Imperatorem Otthonem primũ, in capite de Cõcilijs agemus.

SCHISMA OB DIGNITATEM *pallij.*

Inter Gerhardum Laureacensis ecclesiæ episcopum, & Heroldum Salisburgensem archiepiscopum, mota est uehemens cõtentio propter pallij dignitatem. Nam archiepiscopus tanquam summo honore præcellens, eam dignitatem Gerhardo, utpote inferiori inuidebat. Contrà Gerhardus allegabat loci uetustatem & claritatem, in qua ageret episcopum: aiebat illi docuisse Apostolos, eorumq; legatos. Deinde, in hoc loco insignem martyrum multitudinem cubare. Tertiò, Batauensem ac Laureacensem pontificem, semper fuisse archiepiscopũ Bauarorum, uicinarumque regionũ, donec Carolus Magnus Hunnis deletis, Arnonem Iuuauiensem episcopum, in collegium archipræsulum Bauariæ cooptaret. Quartò, nitebatur sententia pontificum Romanorũ, quibus ita placuerat, ut Laureacensis ecclesia suam retineret authoritatem & dignitatem.

Hanc litem ad Agapitum secundum pręsulem Romanum Gerhardus, per Hadamarum quendam monachum perscribit: is uerò suam autoritatem in exteras ecclesias confirmaret, mox sententiam magno superciliò fert: Laureacensem designat archiepiscopum, ac dignitatem pallij attribuit, atq; limites Salisburgensi constituit. Tandem & horribili crepitu fulminis, anathema in inobedientes eboat. Otthoni insuper ac Heinrico Boiorum ducibus mãdat, ut Gerhardi defensionem suscipiant, si Heroldus acquiescere in suo decreto nollet. Extat adhuc Agapiti epistola, minas truculentas spirans.

Porrò nequaquam pacarunt fulmina palam mentem Heroldi. Mox enim, quod nullo iuris prætextu obtinere poterat, armis cõsequi statuit. Init fœdera cum Cunrado duce, ab Otthone proscripto: rempla in subsidium belli expoliat: & cum suis uiribus potiri uotis suis non liceret, ad Vngaros se recipit, cum socio sibi adiuncto. Hi Bauaros genti immanissimę produnt, atq; pollicentur sese futuros duces in uniuersa Bauaria excindenda. Vngari prædæ opimæ inhiantes, innumerabili penè hominũ multitudine in Bauariam sese effundunt, præeunte Iuda Heroldo, sanctissimo & benignissimo (si dijs placet) archiepiscopo. Sed Heinricus Boiorum dux Heroldum capit, atq; oculis priuat. Cunradus quoque Otthoni sese dedit. Deniq; Vngari quoque sternuntur: id quod suo loco exponitur. Hoc modo diremptum est Ecclesiasticum prælium, cruenta nimirũ cæde Vngarorũ, & interitu Heroldi. Auentinus lib. 5. Annalii.

## IN ANGLIA.

### SCHISMA DE PANE *Eucharistico.*

Circa annum Domini 950, exorta est in clero Cantuariensi, acris contentio de pane Eucharistico. Alij enim asseuerabant, priorem panis substantiam remanere: & nihilominus simul ibi, iuxta uerba ipsius Christi, uerum Christi corpus porrigi & accipi. alij uerò pugnabant, recitatis uerbis Domini, priorem substantiam elementorum prorsus euanescere, atque transire in corpus Domini, reliquam tamen manere figuram panis. Hanc posteriorem sententiam Odo Cantuariensis archipræsul, falsis miraculis, seu præstigijs potius, conabatur obtinere, quàm solidis Scripturæ sanctæ fundamentis.

### ALIVD. *De coniugio sacerdotum.*

Postea, circa annum 975, mota est ibidem, Dunstano archipræsule, disputatio de coniugio sacerdotum, quæ finita est tali modo: ut autoritate pontificis Romani, ac præstigijs diabolicis, pronunciatum & actum sit cõtra manifestum Dei uerbum, ut infrà de Synodis dicendum erit. Ranulph. Vincent. Antoninus.

### ALIVD.

In monasterijs, quasi in proprijs arcibus suis, semper habitauit Eris: id quod perpetua historia Ecclesiæ Christi testatur. Hac tempestate Cantuariæ lis erat Serloni monacho Benedictino, cum auaris monachis alterius monasterij in eadem ciuitate. Quę uerò materia eius rixæ fuerit, non indicatur. Ait autem Lelandus, istum Serlonem tam uehementem & acrem Satyram seu in uectiuam, carmine contra alteros rasos fratres scripsisse, ut stigmata uulnerum maiora nulla, uel serpentes ipsi quantumuis sibi arguta fuisse, quæ scripsit, Camarinam imlantes reliquissent. Tam enim ingeniosè proborum moues, ut uel fastidioso cuiuis, uel nauseanti, aures iuxtà ac oculos faciè excitent. Vsus autem erat (ut ipse fatetur) patrono ac defensore Odone Cantuariorum archiepiscopo. Balæus 2 Centuria Script. Britanniæ.

## IN GRAECIA.

### *De iure electionis.*

Sub Nicephoro Phoca, inter pastorẽ summum ac primarios sacerdotes contentio incidit, de iure eligendi episcopos. hi enim si bi potestatẽ eligendi ac approbandi episcopos adscribebant: ille uerò electiones istas, absq; iudicio, & nõ sine affectib. fieri causabatur. Ac uideturnõ tãtũ hoc egisse, ut ipse quoq; in consilium adhiberetur: uerùm insuper, ut summa potestas decernendi penes sese consisteret. Eam uerò tyrannidem cum abhorrerent ac detrectarent reliqui sacerdotes, res in aulã delata est, non sine proditione summi pastoris: qui fortè sperauit, sese regio sceptro munitum, cæteris iugum suum impositurum esse. Verùm harpyię aulicæ sua commoda captant. Nicephorus enim Phocas eo pacto certamen tollit, ut utrisq; libertatẽ eligendi episcopos, in uni uersum eripiat, suęq; cancellarię uendicet: prodit è cancellaria edictum, regia autoritate munitum, ne quisquam suo iniussu, in ullam ecclesiam mittatur. Defuncto igitur aliquo episcopo, ipse, seu cancellarij ipsius, qui plerunq; rerum potiuntur, aliquos in uacantia loca substituebant, aulico nimirum iudicio idoneos. Istis ministris demensum tribuit Nicephorus, magna sapientia aulica scilicet, ut uix cutem suam (quod uulgò dicitur) sustentare possent: residuum uerò ipse sibi uendicat & deuorat. Episcopos & ministros uerbi, isti decreto reluctantes, amouet: ut nimirũ paci & tranquillitati Ecclesiæ consulat. Nam aula iudicat eos seditiosos, qui suis cupiditatibus ex uerbo Dei obsistunt: pacificos uerò appellat, qui ad uẽti flatũ (quod dicitur) palliũ uertere, aulico rũq; molitiones pulchrè excusare norunt. Hęc est illa aulica ecclesiarũ reformatio, uisitatio & cura: nẽpe eius uastatio, & expoliatio. Zonaras in uita Nicephori & Zemiscæ.

### ALIVD. DE NOVIS SANCTIS *certamen.*

Quàm sint aulæ religiosæ, uel ex hac historia æstimare licet. Imperator enim Nicephorus, arrepta licentia mittendi atq; inthronisandi episcopos pro suo arbitrio, mox quoq; cum suis scribis ac politicis uiris, ipsam religionis formam præscribere conatur. Cum enim existimaret, robur Imperij, & pacem publicam conseruari à uiris fortibus, qui arma gererent, neque dubitarent uitam ipsam pro communi salute profundere: decretum sancit, atque Ecclesiæ ministris autoritate regia obtrudit, ut milites qui in bellis fortia facta edidissent, inter martyres publicè referrentur, atque inter alios martyres hymnis alijsque debitis honoribus colerentur. Nec dubium est, extitisse quosdam palpones, qui tumido ore gloriati sint, tum in hac, tum in præcedenti controuersia, ipsos magistratus esse custodes utriusque Tabulæ, & eiusmodi cœpta omnia ex singulari fauore erga religionem proficisci. Verùm patriarcha & nonnulli primarij sacerdotes, imò & politici quidam Deum timen-

tes, isti impio Imperatoris edicto sese opponunt, atq; triennio ab usu sacrę Cœnę remouent. Hac constantia & grauitate, præpostera sanctitas aulæ, & religionis deformatio retunditur. Zonaras in Nicephoro.

### HIRSAVGIENSE SCHISMA *de electione abbatum.*

Graue disidium in monasterio Hirsaugiensi excitatum est, propter electionem abbatis cuiusdam. Hardfrido enim extincto, fratrum uoluntates in diuersas partes sunt distractæ. Alij enim Cunradum, alij uerò Euerhardum delegerunt abbatem. Cunradus autem tanquam à pluribus, & quidē canonicè uocatus, ad episcopū proficiscitur, confirmationem suæ uocationis impetraturus. Interea Euerhardus clenodia cœnobij, calices, cruces & ornamenta præcipua aripiens, ad uicinum comitem, iampridē bonis eius monasterij inhiantem, perfert, atq; rogat ut suæ dignitatis habeat rationem. Comes lætatur sibi occasionem præberi, qua cum aliqua specie posset bona collegij inuadere: ac titulo iustæ defensionis Euerhardi munitus, suis centauris rapit, sibiq; uendicat proxima & commodissima quæq; eius cœnobij bona. Insuper prætendit, se iam bona à suis maioribus, à sua domo abalienata, & fraudibus monachorum abstracta, iure optimo repetere. Monachi passim episcoporum auxilia implorant: uerùm nihil consequuntur. nam comitis potentiam pleriq; metuebant. Tandem Euerhardus, cum iam oppugnationem monasterij, & uiolentam occupationem meditaretur, uita fungitur. Dehinc fratres in cœnobio trāquilliorem statum nanciscuntur: sed bonis per uim ereptis, carere coguntur. Hæc facta sunt anno 989, & aliquot sequentibus. Tritenhem. in Chronico Hirsaugiensi.

# CAPVT IX.

## DE SYNODIS.

## SVB LVDOVICO.

### RAVENNATENSIS SYNODVS.

ANno Domini 903, ut Sigebertus & Vincentius tradūt, sub Iohanne decimo (Martinus Polonus & alij nonnulli Nonum uocant) Rauennę Synodus instituitur. Conuenerunt episcopi septuaginta quatuor. Interest & Francorum rex unà cum archiepiscopis Galliæ, ut Sigebertus scribit.

Materia quæ uentilatur in hoc conuentu, sunt acta Formosi pontificis. Decretum uerò est eiusmodi: Perperàm à Stephano sactum esse, qui censuit, eos qui à Formoso ad sacros ordines cooptati essent, denuò ordinandos esse. In huius rei confirmationem, acta Stephani publicè omnibus spectantibus cōcremata sunt. Platina adiūgit, hoc quidem tum accidisse, quia pontifices à Petri uestigijs discesserint (ô petras Ecclesiæ, & ô miseras ecclesias Christi talibus petris affixas) & quia principes fuerint ignaui, neq; petulantes istorū pastorū mores sua autoritate & gladio correxerint: adminatur ipsis ultionem diuinam.

### GALLICANAE SYNODI *duæ, de bonis Ecclesiasticis, & de Fulcone occiso.*

CArolus Simplex concilium patrum iubet conuenire, fortè in urbe Remensi: uerùm loci non fit mentio. Causa erat, quia profani proceres Ecclesiastica bona occupârant beneficio regum, qui de alieno plus æquo sunt liberales. Ac nominatim Æmylius commemorat, eos cœnobiorum bona tenuisse: deinde tantum monachis præbuisse demensum quoddam, reliquos reditus sibi reseruasse: tertiò, nomen abbatum tanquā singularem dignitatem, monachis in uniuersum abstulisse, sibique adscripsisse: tantum uerò superiores monachos appellasse Decuriones. Quartò, iniuriura episcoporum inuasisse. Hæc cum alia ratione non posset Carolus, ob nimiā potentiam suorum satellitum, saltem Concilij autoritate sperabat sese in pristinū statum reuocaturum & redacturum esse.

Statutū autem est in hac Synodo, bona episcoporum sancta esse oportere, quæ nefas sit politicis dominis abalienare, atq; in prophanum usum conuertere.

Cæterùm monachorum bona hoc quidem tempore ad libertatem pristinam retrahi non potuêre. Ratio fuit: quia clauam è manu Herculis extorquere perdifficile est. Nam Robertus magister equitum, & Hugo fratres, militem ex istis reditibus alebant: ac licet hisce armis clàm regnum Franciæ sperarent sese adepturos esse, tamen aulica calliditate & superbia præ se ferebāt, istos reditus in præsentia seruire paci regni Francici: ideo restitui nondum posse, tractandaq; ista esse alio magis conueniente tempore. Et habebant Hugo reliquiq; potentes, inter ipsos episcopos, quos grauia & beneficijs in suam pelliciebant partem, politica q; consilia in speciem plausibilia suggerebant, quibus definitionem de restituendis ecclesiasticis bonis impedirent.

Dum igitur cum hisce falsis fratribus, & politicorū cupiditati seruientibus (ut semper

per reperire est non paucos eiusmodi uentriloquos) rectè sentientes grauibus adductis rationibus acriter dimicant: à quodam Vinemaro, qui non pauca rapuerat ecclesiastica bona, Fulco archiepiscopus Remorum, in ipsa Synodo interimitur. Additur & altera propior ratio: quia Fulco Vedasti cœnobium, quod Vinemarus tenuerat, & dulces reditus more aulico ecclesiâ adiûxerat. Hoc fuit illud facinus, quod aulicus prædo sanguine ultus est.

Hoc modo patres turbati, è Synodo diffugiunt, uerentes ne & ipsi ab istis harpyis seu uulturibus, ueluti pauidæ columbæ, simul omnes interficiantur.

In parricidam autem tum quidem nihil suscipitur à rege: quia factio istorum latronum, tenentium sacra bona, nimis erat ualida.

Paulo pòst iterum patres conuenêre. Audici interea accusationem contra Fulconem erant commenti, Fulconem nimirum crimen læsæ maiestatis commisisse: quia Vidonem in Franciam euocasset, ac promisisset se eum in regem unctum esse.

Territatur etiam congregatio patrum, quòd Vinemarus à Roberto iussus, Fulconem percusserit: propter istas igitur crimiationes & tonitrua aulicorum, Vinimaro tantum aqua & igni interdicitur. Paulus Æmylius in uita Caroli Simplicis. Hęc accidêre circa annum Domini 905.

SVB CVNRADO.

IN ALTHAIM SYNODVS.

ANno Domini 916, duodecimo calendas Octobris, regni Conradi quinto, Synodus est celebrata in Althaim, pago Rhetiæ. præsto autem fuit Ortonensis episcopus, legatus Iohannis 10. pontificis Romani. Decreta hæc annotantur:

Quisquis regi fidem non seruarit, aut eidem rebellare conatus fuerit, diris deuotus esto.

Erchingerus, quandoquidem cum sociis, uitæ regis, domini sui, & Christi Dei insidiatus est, à classibus Reipublicæ, armorumque exors esto: in monasterio captus, perpetuò arctioris religionis disciplina sceleris expiato.

Richuinus Argętoratensis ædis occupator, Herigero Moguntino archimystæ satisfacito. Quod si contempserit, curia sacerdotum exautorantor.

Episcopi Saxonum, qui præstò esse recusarunt, sacrificijs abstinentor, donec Romam ad eluendum facinus perueniant.

Erchingerus, Berchtoldus, Burckhardus, Arnulphus, quòd nostro decreto non steterunt, nec dicto audientes fuerũt, in numero impiorum atque sceleratorum habẽtor: nemo non eorum aditum atque sermonem defugito, ne quid ex contagione incommodi accipiatur. Auẽtinus lib. 4 Annalium Boiorum.

SVB HENRICO I.

IN DINGELFING BAVARIAE *Synodus.*

ARnulphus Bauarię dux, transactis rebus cum Henrico imperatore, & accepta potestate Ecclesiasticarum rerum, mandat ut episcopi in sua ditione cõueniant in Dingelfing, quod est oppidum inferioris Bauariæ, in ripa Isaræ situm.

Episcopi autẽ Bauarici inter sunt quinque, & alij nonnulli sacerdotes. Hildebertus archimysta Iuuauensis, Isengrinus episcopus Reginoburgensis, Gerardus Bathauensis, Vuolframus Fruxinensis, Nitardus Sabonensis: & Sarcolochus & Godbertus sacrificuli, quos Chorepiscopos uocãt, nũcij Vdalfridi Aichstatensis tum ægroti. Auentinus libro 4 Annalium Boiorum.

Præest autem deliberationi ipse Arnulphus dux, & simul cum patribus decreta edit.

Prædia Ecclesiasticorum, quæ partim Vngari depopulati erant, partim alij occuparant, episcopis ac monachis restituit.

Templis & sacris ędibus reditus constituit, quibus reparari queant.

Fruxinensi bona, quæ abrepta fuerant, reddit.

Episcopos, monachos, sacerdotes rursum intra metas disciplinæ retrahit: quia nimis populariter in istis rerum omnium turbationib. uiuere didicerant. Auentinus libro 4 Annalium Boiorum.

DVISBVRGENENSIS *Synodus.*

METensęs excæcarant episcopum suum Bennonem, uulgò Benedictum nominatum: quæ uerò tanti facinoris causa fuerit, non annotatur. Duisburgi igitur Synodus congregatur, anno Domini 927. in qua autores cædis, anathematis fulmine feriuntur: & substituitur Adalberus episcopus, ut refert Reginonis Continuator.

ERFVRDENSIS SYNODVS.

MAgnam episcoporum & abbatum Synodũ, Erfurdiæ in Thuringia celebratã esse, Schafnaburgensis, Tritenhemius in Chronico Hirsaugiensi, Continuator Reginonis & alij scribunt: uerùm quæ causa, quæúe ibi decreta sint sancita, nemo refert. tanta fuit historicorum inertia & socordia. Annum autem signant noningentesimum trigesimum quintum.

## SVB OTTONE I.

### BONNENSIS SYNODVS.

CElebrem fuisse Synodum Bonnæ, in qua uigintiduo episcopi conuenerunt, circa annum Domini 943. Continuator Reginonis, & Schafnaburgẽsis referunt: sed neq; causam, neq; euentum eius indicant.

### INGELHEYMENSIS SYNODVS.

In Ingelheym Synodus à triginta quatuor episcopis habetur, anno Domini 948. Adsunt autem Ludouicus & Ottho reges: præsidet uerò, ut Continuator Reginonis notat, Martinus episcopi Romani legatus. Ottho Phrysing. eum Marinum nominat.

Primùm autem quædam ad utilitatem Ecclesiasticarũ rerum pertinentia, sunt statuta. Deinde, Hugonis filij Heriberti causa uẽtilatur. Nam is Artaldo archiepiscopo, è Remensi ecclesia expulso, sibi eam excellentiã arrogauerat: communi igitur Synodi iudicio, ob hoc facinus damnatur. Continuator Reginonis, Hermannus Contractus, Schafnaburgensis, Ottho Phrisingensis.

### AVGVSTANA SYNODVS.

Anno 951, Augustæ Synodus uiginti quinque episcoporum colligitur, iussu Otthonis: uerùm quæ nam fuerit causa, non recitatur. Hermannus Contractus.

### RAVENNATENSIS SYNODVS.

*De causa Heroldi*

Indignè ferebat Heroldus Salisburgensis episcopus, Gerhardũ Batauiensem pallij dignitate, à pontificibus Romanis ei cõcessa, uti: idcirco quod honestis rationibus non poterat consequi, fraude & ui conatur extorquere. Nam ut suprà dictum est de Schismatibus, Vngaros contra Bauaros excitat, atque cruentam hominum lanienam efficit. propter hanc pertinaciam & perfidiam, Iohannes 12 pontifex Romanus, conuentum quinquagintaquinque patrum instituit, qui uno ore Heroldum, propter tam crudele facinus anathematizant, atque omnem ei archiepiscopi & sacerdotis dignitatem derogant. Auentinus libro quarto Annalium Boiorum.

### IN INGELHEYM ALIA *Synodus.*

Anno 958, in Ingelheym consensu Heroldi Synodus sedecim episcoporum habetur, præsente Imperatore: ibi Fridericus Viennensis archiepiscopus ordinatur. præterea nihil adscribitur à Continuatore Reginonis.

### ROMANA SYNODVS.

*De Iohanne duodecimo.*

Pacata Italia ab Otthone primo, quem Iohannes duodecimus inuitarat precibus, ut Berengarium & Albertum expelleret: priusquam domum reuertitur, iuramentum Ottho à pontifice accipit, quòd Berengarij & Alberti partes nunquam esset foturus. Sed Imperatore in Germaniam reuerso, ilico papa fidem iuramenti uiolans, Albertum in urbem recipit. Deinde neglecta prorsus cura pastorali, libidinibus fœdis, & omni scelerum genere, omnia polluit: adeò ut etiam Romani nonnulli Imperatorem hortarentur, ut reuersus, ruinæ totius Ecclesiæ & politiæ subueniret. Redit igitur ad urbem optimus Imperator, monet pontificem sui officij, dum adhuc est in itinere: uerùm lapidi uerba fiunt, quod dicitur. Cum autem uiderent scelerum socij, Imperatorem ingenti exercitu urbem cingere, malè conscij pa-
pa & Albertus, fuga sibi consulunt: atque ad Hernicos Iohannem aufugisse, & in Syluis more ferarum aliquandiu delituisse, Platina commemorat. Ciues, istis ducibus diſsipatis, Otthoni portas aperiunt.

Hisce igitur ad eum modum elapsis, Imperator nihil tyrannicè, nihil præcipitanter agendum ratus, consilium de Synodo celebranda inijt: in qua controuersia de Iohanne duodecimo, tam periuro tamque impuro pontifice, publica episcoporum deliberatione discuteretur. Huc accesserunt reliquorum Romanorum episcoporum, adeoq; totius populi preces. Fuerat enim insania pontificis, & libido in conspurcandis matronis & uirginibus, toti populo grauis.

Locus concilio designatur ecclesia sancti Petri Romę: & quanta poterat celeritate, ex uniuersa Italia, Francia, Saxonia, aliisq; locis episcopos & uiros eruditos euocat Imperator. idq; factum esse ait Sigebertus, anno Domini 963: Tritenhemius, 964. annotat. Strada nongentesimum sexagesimũ secundum.

Ipsi igitur concilio præsedit Imperator Ottho I. Adest etiam populus Romanus. Episcoporum autem catalogum recensent Luitprandus libro sexto, capite sexto. Ab Italia, pro Engelfrido Aquileiensi patriarcha, quem in eadem urbe languor repentè, ut fit, ortus arripuerat, Rudolphus diaconus: Vualbertus Mediolanensis, Petrus Rauennas. A' Saxonia, Adeldagus archiepiscopus, & Landohardus episcopus Numẽdensis (Tritenhemius habet Mindẽsis) A' Francia, Orgerius episcopus Spirẽsis, Bubtus Parmẽsis. Ab Italia, Luitprándus Cremonẽsis, Hermenaldus Regẽsis. A' Thuscia Cõradus Lucẽsis, Euerarius Ariciẽsis, Petrus Senẽsis, Florẽtius Pestruẽsis, Petrus Camerinensis,

neriēsis, Spoletinus Romanus, Gregor. Albanensis, Spoletinus, Sico Hostiensis, Benedictus Portuensis, Lucidus Canensis, Theophylactus Prænestinus, Vuido Syluę candidæ, Leo Velitrinensis, Sico Blebensis, Stephanus Serensis, Iohannes Nepesinus, Iohannes Tyburtinus, Iohannes Forocludensis, Romanus Ferentinensis, Iohannes Norbanensis, Iohannes Berulensis, Martinus Sutrinus, Iohannes Narniensis, Iohannes Sapinensis, Iohannes Gallacensis, Phalarensis, Alaterensis, Ortanus, Iohannes Anagnienſis, Trebensis, Salibatinus, Tarraconensis, Stephanus cardinalis archipresbyter titulo Balbinæ, Dominicus titulo Anastasiæ, Petrus titulo Damasi, Theophylactus titulo Chrysogoni, Iohannes titulo Equitij, Iohannes titulo Susannæ, Petrus titulo Pammachij, Adrianus titulo Calixti, Iohannes titulo Cæciliæ, Adrianus titulo Luciniæ, Benedictus titulo Sixti, titulo quatuor Coronatorum, Stephanus titulo Sabinæ, Benedictus cardinalis archidiaconus, Iohannes diaconus, Bonifilius diaconus, Cardinalis primicerius, Georgius secundicerius, Stephanus adminiculator, Andreas Arcarius, Sergius primicerius defensorum, Iohannes sacellarius, Stephanus, Theophylactus, Adrianus, Stephanus, Benedictus, Azo, Adrianus, Romanus, Leo, Benedictus. Item Leo, & Leo scriniarij, Leo primicerius scholæ cantorum, Benedictus subdiaconus & oblationarius, Azo, Benedictus, Demetrius, Iohannes, Amicus, Sergius, Benedictus, Vrso, Iohannes, Benedictus subdiaconus, subpulmentarius, & Stephanus archiacolytus, cum omnibus acolythis & regionarijs. Ex primatibus Romanæ ciuitatis, Stephanus filius Iohannis Superistæ, Demetrius Meliosi, Crescentius caballi marmorei, Iohannes cognomento Nuzina, Stephanus de Muza, Theodorus de Rusnia, Iohannes de primicerio, Leo de Camitzuli, Richardus, Petrus de Canaparia, Benedictus cum Bulgamino filio suo ex plebe: Petrus, qui & Imperiola est dictus, astitit cum omni Romanorum militia.

Quomodo uerò res ipsæ in hoc Concilio sint tractatæ, Luitprandus fide dignissimus testis, pulchrè exponit cap. 7. in eodē libro: quæ huc adscribimus.

His itaque residentibus, silentiumque summum tenentibus, ita sanctus est Imperator exorsus: Quoniam decorum esset tam claro sanctoque Dominum papam Iohannem interesse Concilio, quur tantum declinauerit cœtum, uos ô sancti patres consulimus: quibus communis labor ecclesiasticus, ac commune negocium existit? Tunc Romani pōtifices & cardinales, presbyteri ac diaconi, cum uniuersa plebe dixerunt: Miramur sanctissimam prudentiam uestram, nos hoc uelle percontari, quod nec Hibericos, nec Babylonicos, nec Indicos incolas latet. Nam hic iam de illis est, qui ueniunt in uestimentis bouium, intus autem sunt lupi rapaces: ita apertè sæuit, ita apertè diabolica pertractat negotia, ut nihil circuitionis utatur. Imperator respondit: Iustum nobis uidetur, ut accusationes nominatim exprimantur: deinde quod agendum est, communi consilio pertractetur.

Tunc consurgens Petrus cardinalis presbyter, se uidisse illum Missam celebrasse, & non communicasse, testatus est. Iohannes episcopus Narnienſis, & Iohannes cardinalis diaconus, se uidisse illum diaconum ordinasse in equorum stabulo, non certis temporibus, sunt professi. Benedictus cum cæteris condiaconis & presbyteris dixit, se scire, quòd ordinationes episcoporum precio faceret, & quòd annorum decem episcopum in Tudertina ciuitate ordinaret. De sacrilegio non esse necesse percontari, dixit: quia plus uidendo, quàm audiendo scire potuissemus. De adulterio dixerunt, quod oculis non uiderant, sed pro certo scirent, uiduam Rainerij, & Stephanam patris concubinam, & Annam uiduam cum nepte sua abusum esse, & sanctum palatium lupanar & prostibulum fecisse: uenationē dixerunt publicè exercuisse: Benedictum spiritualem patrem suum lumine priuasse, & mox mortuum esse. Iohannem cardinalem subdiaconum uirilibus amputatis occidisse, incendia fecisse: ense accinctum, galea & lorica indutū fuisse, testati sunt. Diaboli in amorē uinum bibisse, omnes tam clerici quàm laici acclamarunt. In ludo aleæ, Iouis, Veneris, cæterorumq; dæmonum auxilium poposcisse dixerunt. Matutinas & canonicas horas eum non celebrasse, nec signo crucis se muniuisse, professi sunt.

Hisce criminibus adijciantur & illa quæ Luitprandus præcedenti capite enumerat: quòd iuramentum Imperatori, supra ipsum corpus Petri præstitum, non seruarit: quòd aureas cruces & calices S. Petri, scortis distribuerit: quòd Zachæum, uirum reprobatum, diuinarum atque humanarum literarum insciū, consecrarit episcopum, & Vngaris destinarit, ut suis concionibus ipsos contra Imperatorem instigaret. Nunc porrò quæ Luitprandus narrat, audiamus.

His, inquit, auditis, Imperator quia Romani

mani eius loquelam propriam, id est Saxonicam intelligere nequibant, Luithbrando Cremonensi episcopo præcepit, ut Latino sermone hæc Romanis omnibus quæ sequuntur exprimeret. Surgens itaque sic cœpit:

Persæpe contigit, & nobis expertis credimus, ut in dignitatibus constituti, inuidorum infamia maculentur. Displicet bonus malis, quemadmodum & malus bonis. Atque hoc rei est, quòd hanc in papam accusationem, quam modò Benedictus cardinalis diaconus legit, & uobiscum fecit, amphibolam retinemus: incerti utrum è zelo iusticiæ, an impietatis liuore proruperit. Vnde, secundum dignitatis auctoritatem mihi indigno concesso, omnes obtestor per Deum (quem fallere, etsi uult, nemo potest) sanctamque eius genitricem, intemeratam uirginem Mariam, perq; preciosissimum Apostolorum principis corpus, in cuius hæc recitantur Ecclesia, ut nulla in dominum papam iaculentur conuicia, quæ non sint ab ipso patrata, atq; à uiris probatissimis uisa. Tunc episcopi, diaconi, clerus, & cunctus Romanorum populus quasi uir unus dixerunt: Si non, & quæ per Benedictum diaconum lecta sunt, hisque turpiora & ampliora Iohannes papa indigna commisit facinora, non nos à peccatorum uinculis absoluat Apostolorum princeps beatus Petrus, qui uerbo cœlum indignis claudit, iustis aperit. Simus anathematis uinculo innodati, atque in die nouissima, in sinistra parte positi, cum eis qui dixerunt Domino Deo, Recede à nobis, scientiam uiarum tuarum nolumus. Quod si fidem nobis non adhibetis, exercitui domini Imperatoris saltem debetis credere, cui ante quinque dies ense accinctus, clypeo, galea, lorica indutus occurrit: solus Tyberis qui interfluxit, ne sic ornatus ab exercitu raperetur, impediuit. Mox sanctus Imperator dixit: Tot sunt huius rei testes, quot sunt nostro in exercitu bellatores. Sancta Synodus dixit: Si placet sancto Imperatori, mittantur literæ domino papæ, ut adueniat, seque ex his omnibus purget. Tunc eidem sunt literæ tales destinatæ.

¶ Summo pontifici & uniuersali papæ, domino Iohanni, Ottho diuinæ respectu clementiæ Imperator Augustus: cum archiepiscopis Liguriæ, Thusciæ, Saxoniæ, Franciæ, in Domino S. Romam ob seruitium Dei uenientes, dum filios uestros Romanos, scilicet episcopos, cardinales, presbyteros, diaconos, & uniuersam plebem de uestra absentia percontaremur, & quid causæ esset quòd nos ecclesiæ uestræ, uestriq; defensores uidere noluissetis: talia de uobis ranquam obscœna protulerunt, ut si de histrionibus dicerentur, uobis uerecundiam ingereret. Quæ ne magnitudinem uestram omnia lateant, quædam uobis sub breuitate describimus. Nam si cuncta nominatim exprimere cuperemus, dies nobis non sufficeret unus. Nouerit itaque, non à paucis, sed ab omnibus, tam uestri quàm alterius ordinis, uos homicidij, periurij, sacrilegij, & ex propria cognatione, atque ex duabus sororibus incæsti esse accusatos. Dicunt & aliud auditu ipso horridum, diaboli uos in amorem, uinum bibisse: in ludo aleæ, Iouis, Veneris, cæterorumque dæmonum auxilium popposcisse. Oramus itaque paternitatem uestram obnixè, uenire, atque ex his omnibus uos purgare non dilisimuletis. Si fortè uim temeratiæ multitudinis formidatis, iuramento uobis affirmamus, nihil fieri præter sanctorum Canonum sanctionem. Data VIII Idus Nouembris.

Hanc epistolam quum legisset, huiusmodi apologeticũ scripsit: ¶ Ioannes episcopus, seruus seruorum Dei, omnibus episcopis: Nos audiuimus dicere, quòd uos uultis alium papam facere: si hoc facitis, excommunico uos de Deo omnipotenti, ut non habeatis licentiam ullum ordinare, & Missam celebrare.

Cum hæc epistola in sancta Synodo legeretur, aduenerunt qui prius defuerant religiosi: à Lotharingia, Henricus Treuerensis archiepiscopus: ab Aemilia & Liguria, Vuido Muziensis, Gezo Terronensis, Sigulfus Placentinus: quorum consilio domino papæ ita rescribunt:

Summo pontifici & uniuersali papæ domino Iohanni, Ottho diuinæ respectu clementiæ Imperator Augustus: sed & sancta Synodus Romæ ob seruitium Dei congregata in Domino, Salutem. Præterita synodo, quæ celebrata est VIII Idus Nouembris, literas uobis direximus, in quibus accusatorum uestrorum uerba, atque accusationis causæ continebantur. Rogauimus etiam eisdem literis magnitudinem uestram, quemadmodum iustum est, A uobis non quales temporis qualitas, sed inconsultorum uanitas exposcit hominum, literas accepimus. Non ueniẽdi ad Synodum rationabilis esse excusatio debuit. Sed & præsentes magnitudinis uestrę debuerunt nuncij interesse, qui aut ægritudinis, aut certè difficultatis causa satisfaceret, sancta uos synodũ declinasse. Est & aliud uestris in lucem

in literis ſcriptum, quòd non epiſcopum, ſed puerilem ineptiam ſcribere deceret. Excommunicaſtis enim omnes, ut non habeamus licentiam canendi Miſſas, ordinandi eccleſiaſticas diſpoſitiones, ſi alium Romanæ ſedi conſtitueremus epiſcopum. Ita enim ſcriptum erat: Non habeatis licentiam ullum ordinare. Nunc uſque putauimus, imò credimus, duo negatiua unum facere dedicatiuum: niſi ueſtra autoritas priſcorum ſententias infirmaret autorum. Nos uerò intentioni ueſtræ, non uerbis reſpondeamus. Si ad Synodum uenire, & obiecta purgare non differtis, autoritati ueſtræ proculdubio obediemus. Sed ſi, quod abſit, uenire, & obiecta uobis capitalia crimina purgare diſſimulatis, quum præſertim uos uenire nil impediat, non maris nauigatio, non corporis ægritudo, non itineris longitudo: tunc excommunicationem ueſtram paruipendemus: eam potius in uos retorquebimus, quoniamquidem iuſtè facere poſſumus. Iudas Domini noſtri IESV CHRISTI proditor, imò uenditor, cum cæteris prius ligandi atque ſoluendi potestatem à magiſtro in hæc uerba acceperat: Amen dico uobis, quæcunque ligaueritis ſuper terram, &c. Quamdiu enim bonus inter diſcipulos fuit, ligare atque ſoluere ualuit: poſtquam uerò cupiditatis uenemo homicida factus, uitam occidere uoluit: quem poſtea ligatum ſoluere, atque ſolutum ligare potuit, niſi ſe ipſum, quem infœliciſsimo laqueo ſtrangulauit? Da. 12 Calend. Decembris: & miſſa per Adrianum cardinalem presbyterum, & Benedictum cardinalem diaconum. Qui quum ad Tyberim peruenissent, eum non inuenerunt. pharetratus enim in campestria iam abierat. Necquiſquam erat qui his, ubi ipſe eſſet, indicare poſſet. Cumque eum inuenire non poſſent, cum eiſdem literis ad ſanctam Synodum, quæ tũc tertiò eſt habita, ſunt reuerſi.

Mox Imperator ait: Expectauimus aduentum eius, ut præſente eo, quod nobis egerit, quereremur: uerùm quoniam eum non affuturum certò ſcimus, quam perfidè nobiſcum egerit, ut diligenter agnoſcatis, etiam atque etiam flagitamus. Notum itaque uobis facimus archiepiſcopis, presbyteris, diaconis, reliquoque clero, nec non & comitibus, iudicibus, omnique plebi: quòd idem Iohannes papa oppreſſus à Berengario atque Adelberto rebellibus nostris, miſit nobis in Saxoniam nuncios, rogans ut pro amore Dei in Italiam uenire-mus, & eccleſiam ſancti Petri ac ſeipſum ex faucibus eorum liberaremus. Nos uerò adiuuante Deo, quantum fecerimus, non eſt neceſſe dicere, ut impræſentiarum uidetis. Ereptus uerò mea operâ ex eorum manibus, & honori debito reſtitutus, oblitus iuramenti & fidelitatis, quam mihi ſupra corpus ſancti Petri promiſit: eundem Adelbertum Romam uenire fecit, & contra me defendit, ſeditiones fecit: & uidentibus noſtris militibus, dux belli factus, lorica & galea eſt indutus. Quid ſuper hoc ſancta Synodus decernat, edicat.

Ad hæc Romani pontifices, reliquusq; clerus, & cunctus populus dixerunt: Inauditum uulnus inaudito eſt cauterio exurendum. Si corruptis moribus ſibi ſoli, & non cunctis obeſſet, quoquo modo tolerandus eſſet. Quot prius caſti, huius facti ſunt imitatione incæſti? Quot probi, huius exemplo conuerſationis ſunt reprobi? petimus itaque magnitudinem Imperij ueſtri, monſtrum illud nulla uirtute redemptum à uitijs, à ſancta eccleſia Romana pelli, aliũque loco eius conſtitui, qui nobis exemplo bonæ conuerſationis præeſſe ualeat, & prodeſſe ſibi: rectè uiuat, ac bene uiuendi nobis exemplum præbeat. Tunc Imperator: Placet, inquit, quod dicitis: nihilque gratius nobis, quàm ut talis, qui huic ſanctæ & uniuerſali ſedi præponatur, inueniri poſsit.

His dictis, omnes una uoce dixerunt: Leonem uenerabilem ſanctæ Romanæ eccleſiæ protoſcriniarium, uirum approbatum, ad ſummum ſacerdotij gradum nobis in paſtorem eligimus, ut ſit ſummus & uniuerſalis papa Romanæ eccleſiæ, reprobato ob improbos mores Iohanne apoſtata. Quum hoc omnes tertiò dixiſſent, annuente Imperatore, nominatum Leonem ad Lateranenſe palatium, ſecundum conſuetudinem, cum laudibus ducunt: & certo tempore in eccleſia S. Petri, ad ſummum ſacerdotium ſancta cõſecratione attollunt: & fideles ſe ei affuturos, iureiurando promittunt. Luitprandus, Sigebertus, Platina, Tritenthemius in Chronico Hirſaug. Crantzius, Strada, & alij. Pueriliter igitur Otto Phryſingenſis conatur iſti hiſtoriæ fidem derogare, quaſi Teutonici tantum de ſceleribus iſtius Iohannis ſcripſiſſent.

Iohannes duodecimus in Synodo obgrauiſsimas cauſas legitimè depoſitus, ſuffectoque in ipſius locum Leone octauo, uiro ſpectatæ fidei, minimè ſibi quieſcendum eſſe putabat. Sed ſimulac intelligebat per ſuos obſeruatores, Otthonem præſidium, quod penes ſe in urbe fuerat, dimiſiſſe, ne populum Romanum nimium grauaret: mox proceres Romanos,

quorum inconstantiam & auariciam probè sibi perspectam habebat, clandestinis literis sollicitat, ut Imperatorem, atq; ipsum quoque Leonem de medio tollant, ut iugum Cæsareum excuterent, ut qui parua hominum manu stipatus esset. deinde largissimè promittit, se ipsis omnes Ecclesiæ thesauros spontè traditurum & concessurum esse. Hac ampla spe inescati perfidi Romani, rem mota seditione quamprimùm aggrediuntur: uerùm Imperatorem potenti dextera sua Deus protegebat. Milites enim Imperatoris summa alacritate arma capiunt, atq; tantam stragem in seditiosorum cohorte edunt, ut ipse Imperator misericordia erga sceleratos affectus, receptui caneret, uindictamque militum coherceret. Eiusmodi igitur dissidium, & tam cruentam pugnam, iste præsul Romanus concitauit.

Non diu pòst, aliam uiam tentat hic filius diaboli: quia prior non exuoto successe rat. Habebat Romæ suas meretrices Iohannes complures, easq; genere non ignobiles: cum hisce per internuncios consulturat. Meretrices igitur Ioannis papæ, apud primates urbis hoc efficiunt, ut Leonem comprehensum de medio tollere: atque præclarum scilicet uirum Iohannem, in urbem atque solium pontificale reuocare, summis uiribus conentur. Leo Herodiadum istarum astutis consilijs comprehensus, mirabiliter tamen euasit carnificum manus, atque ad Imperatorem confugit. Iohannes sanctissimus scortorum leno, uotis potitus, publica solennitate caput Romanæ ecclesiæ constituitur. Sede occupata, cum Biblica doctrina nihil prorsus habet negocij: sed Iohanni diacono cardinali manum amputat: Azoni scriniario linguam præcidit, duos digitos amputat, & nares ei mutilat. ô Apostolici Apostolica prorsus facinora.

Imperator istis sceleribus modum constituturus, Romam iter suscipit: interea uerò Iohannes animam suam impuram exhalat, idq; tali ratione, ut Tritenhemius recenset: Dum se cum uiri cuiusdam uxore suauiter oblectat, diabolus (fortè is fuit maritus uxoris, deprehendens tunc sanctissimum Petri uicarium in ipso scelere, sicut Platina scribit apertè, eum confossum esse) tam grauem ictum ipsi in tempora impingit, ut octauo die pòst, absque uiatico corporis & sanguinis Domini (quia isti columnæ ecclesiæ Romanæ, iste cibus non conueniebat) mortuus sit, & collectus ad patres suos, ubi adulteri honoribus debitis afficiuntur.

## ALIA ROMANA SYNODVS

*Ioannis XII, contra Leonem octauum.*

Iohannes fraude & ui recuperato sno a- trio, angelicam faciem assumens, more sui spiritus, euestigiò concilium contra Leonem congregat, in quo meras audias condemnationes.

Visum autem est acta hic adijcere, sicut in ueteri libro descriptum reperimus.

### IN NOMINE SANCTÆ & individuæ Trinitatis.

¶ Anno Domini N. Domini Otthonis Imperatoris, ex quo Italiam repetit, tertio, habitum est Concilium in ecclesia beati Petri Apostolorum principis, v Calendas Martij, hoc est mense Februario, die uicesima sexta, in dictione septima, positis in medio sacrosanctis Christi quatuor Euangelijs: præsidente pijssimo & coangelico domino Iohanne, summo pontifice sanctæ Romanæ ecclesiæ, duodecimo papa, in uenerabili basilica eiusdem. Præsentibus etiam cum eo reuerendissimis episcopis, uidelicet Iohanne Gallisanæ, Iohanne Anagninæ, Iohanne Narniensis ecclesiæ episcopis, Iohanne Nornutanæ ecclesiæ episcopo: item Iohanne Berolensis ecclesiæ episcopo, Vuidone sanctæ Syluæ candidæ ecclesiæ episcopo, Gregorio sanctæ Albanensis ecclesiæ episcopo, Lunisso S. Lauicanensis ecclesiæ episcopo, Romano sanctæ Ferentinatis ecclesiæ episcopo, Sabbotino sanctæ Ferrariensis ecclesiæ episcopo, Zacheo gentium episcopo, Iohanne Mantuarensis ecclesiæ episcopo: item Iohanne sanctæ Sabinensis ecclesiæ episcopo, item Iohanne sanctæ Nepesinæ episcopo, Benedicto sanctæ Treuirensis ecclesiæ episcopo, Iohanne sanctæ Salernitanæ ecclesiæ episcopo.

Seu uenerabilibus presbyteris: Stephano archipresbytero tituli sanctorum Naroi & Achiloi, Leone presbytero tituli sanctæ Balbinæ, Domno presbytero tituli sanctæ Anastasiæ, Petro presbytero S. Marticti Laurentij, Adriano presbytero S. Chrysogoni, item Theophylacto presbytero tituli sanctorum quatuor coronatorum: Ioanne presbytero tituli sanctorum Syluestri & Martini, Stephano presbytero tituli sanctæ Salinæ, Benedicto presbytero tituli sanctæ Sixti, Iohanne presbytero tituli sanctæ Ceciliæ, Adriano presbytero tituli sancti Laurentij, astantibus diaconis, uidelicet Benedicto archidiacono, item Benedicto diacono, Bonofilio diacono, seu reliquis astantibus.

ACTIO

*Actio prima.*

Iohannes pijſsimus ac mitiſsimus ſanctæ Romanæ eccleſiæ papa dixit: Scitis dilectiſsimi fratres, me fuiſſe expulſum Imperiali ui à propria ſede, per duos menſes: quapropter uos plurimùm rogo, ſi dici reſt me abſente, in eccleſia mea, quarto uidelicet Decembris, ab Otthone Impegulariter poteſt Synodus, illa quæ habitaratore, ſuisque archiepiſcopis atque epiſcopis, an' non? Sanctum concilium reſpondit: Regulariter Synodus dici non poteſt, quia ſanctorum patrum decreta omnino prohibent. Pijſsimus ac mitiſsimus papa dixit: Quo nomine ritè uocari poteſt? Sanctum concilium reſpondit: Proſtibulum fauens adulteris. Pijſsimus ac miſsimus papa dixit: Ergo damnanda eſt à nobis? Sanctum concilium reſpondit: Autoritate ſanctorum patrum damnanda. Tunc pijſsimus ac mitiſsimus papa damnauit eam in perpetuum, cum eorum conſona reſponſione. Poſt hæc autem interrogauit idem papa ſanctum concilium, dicens: Dicite dilectiſsimi fratres, ſi epiſcopi à nobis ordinati, in noſtro patriarchio ordinationem facere potuerunt, an 'non? Sanctum concilium reſpondit, Minimè. Pijſsimus ac mitiſsimus papa dixit: Quid cenſetis de Sicone epiſcopo, à nobis dudum conſecrato, qui in noſtro patriarchio Leonem curialem, & Neophytum atque periurum noſtrum oſtiarium, lectorem, acoluthum, ſubdiaconum, diaconum, atque ſubitò presbyterum ordinauit: eumque ſine aliqua probatione contra cuncta ſanctorum patrum ſtatuta, in noſtra Apoſtolica ſede conſecrare non formidauit? Sanctum concilium reſpondit: Deponatur ipſe, & qui ab eo eſt ordinatus. Pijſsimus ac mitiſsimus papa dixit: Neſcitur ubi latet. Sanctum concilium reſpondit: Requiratur diligenter, ſi placet, uſque ad tertium conuentum. Quod ſi minimè repertus fuerit, canonica feriatur ſententia. Pijſsimus ac mitiſsimus papa dixit: Placet. Tunc conſuluit concilium dicēs: Quid igitur, reuerendiſsimi fratres, ſancitis de iſtis duobus epiſcopis à nobis ordinatis? Benedicto ſcilicet Portuenſi, & Gregorio Albanenſi, qui ſuper præfectum curialem, & Neophytum atq; periurum noſtrum orationes dederunt? Sanctum concilium reſpondit: Simili pœna multentur, ſed ueſtræ interim relinquantur poteſtati, uſq; ad tertium conuentum. Pijſsimus ac mitiſsimus papa dixit: Quid ergo de illo curiali & Neophyto, periuro atque inuaſore noſtræ ſedis cenſetis? Sanctum concilium reſponit: Omnino damnetur, ut nullus deinceps curialium, aut neophytorum, aut iudicum, aut pœnitentum, ad ſummum eccleſiæ gradum aſpirare præſumat. Tunc pijſsimus ac mitiſsimus papa dixit: Sit Leo curialis ac neophytus, ac periurus noſter, Domini omnipotentis & beatorum Apoſtolorum principum Petri ac Pauli, & omnium ſimul Sanctorum atque uenerandorum & uniuerſalium Conciliorum autoritate, nec non & Spiritus ſancti per nos iudicio, omni ſacerdotali honore & nomine alienus, & omni clericatus officio prorſus exutus: ita ut ſi poſt hanc conſtitutionem, diuina inſpiratione depromptam, & unanimitate atque concordia ſancti Concilij promulgatam, tentauerit in Apoſtolico throno reſidere: aut ſi ulterius auſus fuerit aliquid de ſacro miniſterio more ſacerdotis contingere, iuxta præcedentem conſuetudinem, nullo modo liceat ei communionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis: ſed anathematis uinculis innodatus maneat, unà cum ſocijs ſuis atque fautoribus perpetuo Dei per noſtram mediocritatem iudicio ac ſententia: & ſacrum corpus & ſanguinem Domini noſtri IESV CHRISTI, non niſi uicino mortis periculo omnino percipiat. Quicunque autem prædicto curiali & neophyto, atque inuaſori ſanctæ catholicæ & Apoſtolicæ eccleſiæ, conſilium aut adiutorium dederit, ad recipiendum Eccleſiaſticum honorem, quo regulariter expoliatus eſt, anathema ſit. Pijſsimus ac mitiſsimus papa dixit: Quid ſentitis de his qui ab eis ordinati ſunt? Sanctum concilium reſpondit: Priuentur honore, quem ab ipſo acceperunt. Tunc idem benigniſsimus papa præcepit, ingredi eos in Concilium ueſtimentis, planetis atque ſtolis, & ununquemque eorum in chartula ſcribere fecit huiuſmodi uerba: Pater meus ſibi nihil habuit, nihil mihi dedit. Et ſic eos priuauit honore, quem dederat eis ipſe inuaſor, & neophytus, atque curialis: & reuocauit illos in priſtinum gradum.

*Actio ſecunda.*

Iohannes pijſsimus ac benigniſsimus papa dixit: Recordari credimus ueſtram dilectionem, qualiter de Sicone refuga epiſcopo, heſterno die definitum eſt, in præſentia ueſtra, ut diligenter inquireretur. Sed plurimùm quæſitus, inueniri non potuit: nunc uerò decernite, quid agendum ſit de eo. Sanctum concilium reſpondit: Suſpendatur eius damnatio, ſi placet uobis, uſq; in tertiũ conciliũ. Pijſsimus ac mitiſsimus

mus papa dixit: Fiat secundum uestram sanctionem. Tunc conuocauit episcopos, Benedictum Portuensem, & Gregorium Albanensem, qui super ipsum neophytum orationes dederant: & fecit tenere eas chartulas in manibus, continentes hæc uerba: Ego Benedictus episcopus sanctæ Portuensis ecclesiæ, uiuente patre meo consecraui in loco eius Leonem curialem & Neophytum atque periurum illius, contra statuta sanctorum patrum. Ego Gregorius episcopus sanctæ Albanensis ecclesiæ, uiuente patre meo, consecraui in loco eius Leonem curialem & Neophytum atque periurum illius, contra statuta sanctorum patrum. Post hæc autem consuluit concilium dicens: Quid agendum sit de his? Sanctum concilium respondit: Suspendantur & isti, si placet uobis, usque in tertium Concilium. Pijssimus ac mitissimus papa dixit: Placet. Tunc consuluit iterum concilium, dicens: Quid censetis dilectissimi fratres, de his qui sæpe fato Neophyto precium accommodauerunt, ad tuendam gratiam Dei, quæ uendi non potest? Sanctum concilium respondit: Si episcopus fuit, aut presbyter, aut diaconus, proprij gradus periculo subiaceat: si uerò monachus, aut laicus, anathematizentur. Benignissimus ac mitissimus papa dixit: Rectè iudicastis: Dicite quæso, quid agendum sit de abbatibus nostris, qui supradictæ damnatæ Synodo interfuerunt? Sanctum concilium respondit: Hi autem uestro relinquantur iudicio, in cuius potestate consistunt. Pijssimus ac mitissimus papa dixit: Potest aliquis uendere suum Ecclesiasticum gradum cuiquam, an non? Sanctum concilium respondit: Minimè: quoniam neque uendi, neque emi ab aliquo potest. Benignissimus ac mitissimus papa dixit: Hoc etiam statuite, ut nunquam minor priori suo gradum tollere præsumat: si autem fecerit, communione priuetur usque ad emendationem. Simili modo statuite, ut monachi in locis quibus seculo renunciauerint, habitent. Sin aliàs fecerint, reuocentur ad loca, quæ dimiserint: aut communione priuentur, donec resipuerint. Sanctum concilium dixit: Statutum atque confirmatum hoc à nobis maneat.

*Actio tertia.*

Iohannes pijssimus ac mitissimus papa dixit: Reuerendissimi fratres, Domino protegente, iam ad tertium uenimus Concilium. Modò definite de Sicone episcopo, ordinatore ipsius Neophyti quid agendum sit? Nam à nostris diu quæsitus, sed minime inuentus est. Sanctum concilium respondit: Canonico mucrone feriatur. Tunc benignissimus ac pijssimus papa dixit: Siconem sanè, qui Ostiensi ecclesiæ irregulariter, atque Deo contempto præfuit, & Leonem curialem aclaicum, nec non & periurum nostrum, subi-cum, nec non & periurum nostrum, subitò consecrare in pontificali honore non formidauit: sancimus, & iuxta canonicum deliberationem Apostolica autoritate definimus atque statuimus, omni sacerdotali carere, atque priuatum fore ministerio, ita ut nullo modo liceat ei in qualibet Synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis. Quod si de reliqua præsumpserit, in sacro officio more sacerdotis, quouis tempore ministrare, anathema sit: & omnes communicantes ei, ab ecclesia abijciantur, sed & ipsi anathema sunto. Eos uerò quos ipse Leo Neophytus, & inuasor sanctæ Catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ, in quolibet ecclesiastico ordine prouexit, Apostolica atque Canonica autoritate, & Synodali decreto, in pristinum reuocamus gradum: quia ordinator eorum nihil sibi habuit, nihil illis dedit. Sicuti olim noster prædecessor piæ memoriæ, papa Stephanus sententiam tulit de his qui ordinati fuerant à Constantino quodam Neophyto, & inuasore sanctæ sedis Apostolicæ: & postmodum quosdam eorum sibi placabiles presbyteros aut diaconos consecrauit: statuens, ut hi qui ex eis consecrati erant, nequaquam ad superiorem honorem ascenderent, nec ad pontificatus culmen promouerentur, ne talis impiæ nouitatis error in Ecclesia pullularet. Pijssimus ac mitissimus papa dixit: Hoc nefarium est statuere, si placet uobis dilectissimi fratres ut in circuitu altaris, aut in presbyterio nullus laicorum stare præsumat, quoties Missarum solennia celebrantur. Quod si fecerit, cõmunione priuatus maneat usque ad emendationem. Sanctum concilium respondit: Hoc quoque omnibus placet. Iohannes sanctæ catholicæ & Apostolicæ Romanæ ecclesiæ, huic decreto à nobis, sicut suprà legitur, promulgato, subscripsi.

ALTERA ROMANA SYNODUS, *contra Iohannem duodecimum.*

Iohanne, scortorum patrono, è rebus humanis sublato, nihilominus Romani adhuc pristinam libertatem spirant: eumque iam Imperatorem armatum, & in ritatum, in conspectu haberent, attamen prodigioso penè furore Benedictum quendam

quendam propria autoritate in sublimatem summi sacerdotij euehunt, Leone, qui in exercitu Cęsaris erat, prorsus posthabito. Hac perfidia & cõtumelia grauiter offensus Imperator, primùm obsessam, & duriter pressam ciuitatem cogit facere deditionem, atque de periuris supplicium sumit: postea Synodum Romæ absq; mora cogit, multis episcopis, abbatibus, sacerdotibus, clericis, monachis, & præcipuis ex populo præsentibus. Facta hęc esse anno 963, Schafnaburgensis scribit. Huius autem Synodi summam itidem exponit Luitprandus lib. 6. cap. 11.

Residẽtibus, inquit, domino Leone, summo & uniuersali papa, in ecclesia Lateranensi, nec non & Imperatore sanctissimo Otthone, & episcopis Romanis, Italicis, à Lotharingia & Saxonia, archiepiscopis, presbyteris, diaconis, omniq; Romanorum plebe, quorum nomina superius ascribuntur: aduenit Benedictus Apostolicæ sedis inuasor, eorum qui se elegerant manibus adductus, pontificalibus uestibus indutus. Quem Benedictus cardinalis archidiaconus, tali est sermone aggressus: Qua tibi autoritate, quaue lege, ô inuasor, hæc pontificalia indumenta usurpasti? surrabili papa Leone, quem tu nobiscum, accusato & reprobato Iohanne, ad Apostoli catus culmen elegisti? num inficiari potes, præsenti domino Imperatori iuramento promisisse, unquam te cum cæteris Romanum papam electurum aut ordinaturum, absque illius, filij q; sui regis Otthonis consensu? Benedictus respondit: Si quid pecca ui, miseremini mei. Tunc Imperator effusis lachrimis, quàm misericors esset ostendẽs, rogauit Synodum, ne Benedicto præiudicium fieret. Si uellet & posset, ad interrogata responderet: quod si non posset, aut nollet, ac se culpabilem redderet, tamen pro timore Dei misericordiam aliquam inueniret. Quo audito, ad domini Leonis papę pedes, ipsius q; Imperatoris, idem Benedictus concite procidens, se peccasse, seq; sanctæ Romæ sedis inuasorem esse acclamauit. post hæc pallium sibi abstulit, quod simul cum pontificali ferula, quam manu gestabat, domino papæ Leoni reddidit. Quam ferulam idem papa fregit, & fractã populo ostendit. Deinde Benedictum in terra sedere præcepit. Cui casulam, quam Planetam uocant, cum stola pariter abstulit. post autem omnibus episcopis dixit: Benedictum sanctæ & apostolicæ sedis Romanæ inuasorem, omni pontificatus & presbyteratus honore priuamus: ob electionis, cuius sumus opera in sedem debitam restituti, diaconatus eum ordinem habere permittimus: & non iam Romæ, sed in exilium destinamus.

Fuit autem ablegatus Benedictus Hamburgum, ubi in exilio uitam finiuit: ut præclarè docet Crantzius in Metropoli.

Porrò in hoc concilio, & de iure eligendi pontificem, deque bonis Imperatoris in Italia, actum est. Pontifex enim non solum gratitudinis, sed etiam iusticiæ gratia restituit, aut potius confirmat, quæ ad Imperatorem pertinebant. qua de re Leonis diplomata ad posteritatem conseruata, subijciemus.

¶ Cõuenit (inquit Leo) Apostolico moderamine, pollentibus beneuola compassione succurrere, & poscentium animis alacri deuotione assensum prębere. Ex hoc enim lucri potissimũ præmiũ apud conditorem omnium reperitur. Deinde quoque & cunctum clerum, & omnem populum, asserimus esse concordem, & ad meliorem statum fore productum: atque ideo, quia iustè rationabiliter uestra humilitas nostro Apostolatui humiliter postulat, quatenus gratulanter peragrantes sanctam Synodum, uestro concilio congregatam patriarchio Lateranensi in ecclesia sancti Saluatoris constitutam, à pluribus uiris catholicis, episcopis & abbatibus, insuper iudicibus & legis doctoribus: promulgantes, qualiter quietè ac pacificè stare & uiuere ualeamus, pręsentibus omnibus, & singulis regionibus huius almæ urbis Romæ, & ex omnibus ordinibus cleri & pŏpuli, asserentibus & confirmantibus per omnia, ut hæresi & altercatione ac omni errore expulso: quoniam nimis his temporibus error ex hoc accrescere discernitur, tam de Romano imperio, quàm de Apostolica sede ac dignitate patriciatus, & de inuestituris episcopatuũ: id circo ad exemplum beati Adriani, sedis Apostolicæ huiusmodi episcopi, cuius uitam & actionem satis discretam audiuimus, & rationabilis admodum suis spiritualibus sanctionibus, regni Italiæ patriciatus dignitatem & ordinationem, sedi Apostolicæ cõcessit. Insuper & episcopatuum inuesturas, uelut ipsi cum discretione & reuerentia libitum fuerit, præter quos tam pontifici summæ sedis, quàm archiepiscopus ipsi Carolo reliquit. Igitur nos Leo seruus seruorum Dei, episcopus, ac idem exemplum beati Adiani, cum cuncto similiter clero & uniuerso populo Romano, omnibusq; ordinibus huius almæ urbis (sicut in suis scripturis apparet) constituimus, confirmamus, per manum Apostolicam,

cam, dignitatem concedimus atque largimur domino Otthoni primo, Teutonico, Regi doctiſsimo, ſpirituali in Chriſto filio noſtro, eiusq; ſucceſſoribus huius regni Italiæ in perpetuum, tam ſibi facultatem ſucceſſorem eligendi, quàm ſummę ſedis Apoſtolicæ pontificem ordinandi: & per hoc archiepiſcopos, ut ipſi tantum ab eo inueſtituram accipiant, & conſecrationem, ubicunq; pertinuerit, exceptis his quos Imperator pontifici & archipresbyteris conceſſit. Ita demum aſſerimus, quòd nemo deinceps, cuiuſcunque gradus uel conditionis, aut dignitatis ſeu religionis, eligendi regem, uel patricium, ſiue pontificem ſummæ ſedis Apoſtolicæ, aut quemcunq; epiſcopum uel ordinandi habeat facultatem: ſed ſoli regi Romani Imperij, hanc reuerendam tribui facultatem, quam abſque omni pecunia diſponat & eroget, utpote rex & patriciatus Romanus. Quod ſi à cuncto clero & uniuerſo populo quis eligatur epiſcopus, niſi à dicto rege laudetur & inueſtiatur, non conſecretur. Si quis contra hanc authoritatem Apoſtolicam & traditionem aliquid molitus, aut temerator in aliquo repertus fuerit, ſiue contra hoc noſtrum conſilium agens, ſciat ſe in iram S. Petri, principis & filij noſtri domini Otthonis, eiusque ſucceſſorum, & omnium prædeceſſorũ noſtrorum cenſuram, & ſub anathematis uinculo emerſurum: ac per hoc excommunicatione uniuerſalis Eccleſiæ, omnisq; populi Chriſtiani eũ ſubiacere decernimus. Inſuper, niſi à malo reſipuerit, irreuocabili exilio prematur, uel ultimis ſupplicijs feriatur. Qui uerò pro intuitu cuſtos & obſeruator extiterit, benedictionis gratiam uitamque æternam, cum omnibus ſanctis ſine fine mereatur habere in ſecula ſeculorum, Amẽ. In his actis interfuêre ſeniores, proconſules, exarchatus quidam tenentes, regionarij ſcholæ Græcorum, Arabum, Iudæorum & Paganorum, & de maioribus omnium plateárum. inſuper cardinales, archiepiſcopi, omnes presbyteri & epiſcopi, de finitimis ciuitatibus proceſſuarij, notarij, cancellarij, & ex omni plebe Romani Imperij.

Dignum lectione & memoria & alterum diploma eſt, quod eiuſmodi eſt:

¶ Ego Leo ſeruus ſeruorum Dei, epiſcopus, Otthoni ſpirituali filio noſtro in Chriſto, Imperatori Auguſto, & omnibus ſucceſſoribus ſuis, Imperatoribus & Regibus regni Italiæ: Quatenus dominus Carolus Rex Francorum & Longobardorum, & patricius Romanus, nec non Pipinus pater eius, de Regalibus regni Italiæ tribuerunt in ſancta Romana Eccleſia B. Petro apoſtolo, ſiue inſtrumenta ſcripta fuerunt, uel Etherium notarium ſuum, ſiue per ſacram, ſiue donationes, ſeu per alios modos ſibi obuenerunt donationes à Iuſtiniano rege, & à Ruperto rege: hæc omnia largimur & diffinimus uobis Otthoni Imperatori, & Alheidæ coniugi tuæ, regniq; conſorti, ueſtris q; ſucceſſoribus regni Italiæ in perpetuum, præſentibus ſacroſanctis Euangelijs, & patrocinijs plurimorum ſanctorum: uidelicet, De cruce Domini, & de caligis pedum ſuorum, & de ueſtimento inconſutili, & ſuper corpus beati Petri, cum terribilibus ſacramentis, à papa prædicto & ſuis cardinalibus, per conſenſum & autoritatem totius populi Romani, tam clericorũ quàm laicorum, de omnibus ordinibus Romanis, ex unaquaque regione præſentibus, laudantibus & confirmantibus pro omnibus, laudantibus & confirmantibus pro omnia perſecutione Paganorum: & Deus omnipotens tibi uictoriam tribuere dignetur, & expellere eos de prouincijs Romani Imperij. Prædictas autem donationes, quas ſpecialiter hic nominabimus, & perpetuum in regalibus rebus ſubiacere uolumus, per noſtram Apoſtolicam traditionem: Surrianum, Montembordon, & Lunæ inſulã, Corſicæ regnum, paruam Mantuam, Monteníelere, inſulam Venetiarum, ducatum Ferrariæ, Canellum, Caniodam, ducatum Hiſtriæ, Dalmatiam, exarchatum Rauennæ, Fauentiam, Ceſenam, caſtrum Tiberinatus, Roccam Mediolanum, Roccam Comiza Term. terimium, caſtrum Ceperianum, terram Cornulariam, Roccam Fauillam, Pitram de Appla, ſeu caſtrum Cuſianum, Petram Mauri Cernutullam, ducatum Arimini, Contam, Montem ferretum, Montem Capiniam ſeu Olympicum, caſtrum Exforij, Robin, Eugabin, Vrbin, Forum Sempronij, Galli & Sonogalli, Anconam, Auximani, Goſam, ducatum Peruſij, Vrbenetam & Tudertum, Amelia ortu Mõtiſci capti cum oppidis ſuis, caſtrum Cimianum, caſtrum Gallera, caſtrum Suranum, Caſtellanum, Tiburtinum, ducatum Spoletanum, Martam & Anchar, Theanum, Locumbareni, & Capitenatam Apuliam, Calabriã, Bar Theatrum, ducatum Neapolim, ducatum Beneuenti, Capuam, Salernum, Sorrenti inſulam, Cardiniam inſulam, Meſen, Anciæ inſulam ſeu Montislutrem, Montis argetarij, territorium Cuſitan, territorium Prænestinum, & Cornetum prope mare cum multis caſtris: terram Silandis, terram Cluſium, terram Fundam, terram Caſipate, terram Vegetan, terram Claudianam, terram Camiſinam, terram Fabinen, terram Sirã, terram Goranij, terram Portuenſem cum inſula Archis, terram Oſtienſem cum maritimis:

timis: castrum Lucolis,& Montisbobium, cũ tota Campania: ciuitatem Fundis,ciuitatem Aquinensis,Feretium & Terracium, ciuitatem Lamentum & Sufforariam, Sinuairas, Septym, Tranueicies: ciuitatem Nephisij, ciuitatem Falisenam,Fidenam: uillam magnam,Feretrum,Clyternam,Vigalli,Roccam,Fanan,Roccam Palioli:Gastrum ruptum,Alborum,Castrum rubeum, Neapolim, Galiopolim, Catronum, Regium Almæ ciuitatis maritaniæ. Territan, ta regno Trinacriæ Paternensen, Mercenensen,Cataniensen, Athenarium, monasterium sancti Benedicti, in monte Casino bellim, monasterium sancti Archangeli Bononiensis,monast.Aula regia, monasterium Nouancule, monasterium Martyrum constitutum in Tuscia. & hæc omnia habeatis, teneatis,& possideatis in perpetuum,ad usus curiæ & militiarum uestrarum,ad bellandum & expugnandum contra prædictos paganos, & contra rebelles Romani Imperij. Ideoque per huius nostri autoritatem iustam confirmamus, corroboramus,in omnibus progeniebus uestris, de generatione in generationem in perpetuum. Nam si quisquam hanc autoritatem nostram destruxerit, & huius uiolator esse repertus fuerit, siue contra hocagens, sciat se in iram beati Petri, principis Apostolorum, & nostram nostrorumque prædecessorum casurum: insuper nisi à malo resipuerit, subiacebit legi Iuliæ, & eius regiæ potestati & reipublicæ, ut ij contra rempublicam, contra Imperatoris maiestatem aliquid moliti fuerint, tunc amissionem sustineant, & bona eorum publicentur: Fiat, fiat. In actis hisce interfuêre archiepiscopi, episcopi, & alij de uicinis comitatibus: archiepiscopus Calaritanus,Ciconatus episcopus, Eustasius Albanensis episcopus, Gratiosus Prenestinus episcopus, Martinus Narniensis episcopus, Benedictus Tudertinus episcopus, Boardus Casirensis episcopus,Iohannes Perusienſis episcopus, Georgius Ortensis episcopus, Andreas Mamertanus episcopus, Anselmus Melitensis episcopus, Theodosius episcopus,Albertus Lucerinen. episcopus,Damianus Alanas.Hi omnes archiepiscopi & episcopi in his actis interfuêre.Cardinales presbyteri: Georgius cardinalis ad uincula, Benedictus cardinalis de præsepe S. Mariæ, cardinalis presbyter sanctæ Hierusalem, cardinalis presbyter Ianuarius sanctæ Ceciliæ,Andreas patriarchatus Lateranensis, cardinalis presbyter Faustinus S. Petri. Marcus presbyter cardinalis S. Petri apostoli. Hi omnes cardinales his actis interfuêre, omnes Scholæ Romanæ: deinde proscrinarij,sacellarij ex omni ordine Romano, atque minoris populi Romani: item Faustinus, caput senatus,exconsul: Probonus exconsul, Pala. Lucianus Romanus de Forma Troiana, Paulus de templo Palatani, Iohannes de uia Claudiana, Leo de uia Salaria, Remigius de uia Amelia, Scaniphus de uia Mamertina, Romulus de uia Ardeatium,Gardus de uia Flaminea, Marcus de uia Portuensi, Gorbus de uia Latina, Sauinus de uia Apia, Marianus de uia Tiburtin.Gardus de Macello Lidiæ. In his actis interfuêre de omnibus istis regionibus: regio uico Princij, regio Violeta, regio Caputtauri, regio Celimonte, regio riui Argentarij, regio prima Auentini, regio ad duos montes, regio urbis Rauennæ, regio octaua sub Capitolio, regio ad Gallinas albas, regio Lobantica, regio Herea, regio Fectim, regio secunda Mamertini, regio secus Pormetronij: Ianuarius ex nota Græcorum,Troianus de Montemolbio.Iohannes consul de Palio, Soforitansis Amacius consul de palio Vatican. Iohannes de monte aureo, Petrocius de Cuto,Gregorius de Cellanoua. Scripta per manum Gregorij archinotarij nostri. Datum in patriarchio Lateranensi, tertio Calend. Maij. Indict. v i. Anno eius secundo, & dicti domini Otthonis secundo fœliciter. Ista scripta in Bibliothecis antiquissimis reposita inueniuntur.

De hisce rebus etiam ea quæ Henricus Token collegit, inserenda testimonij gratia nobis uisa sunt.

Theodoricus Niem,tempore Iohannis uigesimo tertij, Florentiæ inuenit in quodam antiquissimo libro, de inuestitura Episcopatuum.Dicit enim, secundum quod habetur 63 distinctione in Synodo: Quòd successoribus Otthonis regibus Italiæ in perpetuum concessit potestatem eligendi summum pontificem:& dicit,Solum regi Romani Imperij tribuimus hanc facultatem. Quòd si à cuncto clero & uniuerso populo quis eligatur episcopus, nec à dicto rege laudetur & inuestiatur, non consecretur.Et ponit, quòd hoc concilium sub pœna excommunicationis uniuersalis Ecclesiæ latæ sententiæ seruari debeat. Hoc priuilegium seruatur Florentiæ, pro Imperatoria dignitate. Item, idem papa Leo Otthoni & suis successoribus Romanis Imperatoribus, & regibus,in perpetuum restituit omnia bona Romanæ ecclesiæ, per prius ab Imperatore collata: & fuit factum per papam, cardinales & populum Roma-

num,& uniuersale concilium. Cuius copia sic incipit: Leo seruus seruorum Dei, episcopus, Otthoni spirituali filio nostro in Christo, Imperatori Augusto, & omnibus successoribus suis, Imperatoribus & Regibus regni Italiæ,quatenus dominus Carolus rex Francorum & Longobardorum, & patricius Romanus,nec non Pipinus pater eius, de regalibus regni huius tribuerũt in sancta Ecclesia Romana beato Petro apostolo, siue per instrumenta scripta, siue per Ethereum notarium suum,siue per sacram, siue per donationes, seu per alios modos, siue proueniunt per donationes à Iustiniano rege, & à Ruperto rege: hæc omnia largimur & diffinimus uobis domino Imperatori & Alheidæ coniugi tuæ, regnique consorti,uestrisque successoribus regni huius Italiæ in perpetuum, præsentibus sacrosanctis Euangelijs, & patrocinijs plurimorum sanctorum, &c. Et nominantur omnia dominia & castra nominatim, & subscriptiones nominatim, & præcedunt episcopi in subscriptione, cardinales,&c.

## SVB OTTONE II.

### ALIA ROMANA SYNODVS.

IOannes decimustertius Romanus pontifex, Leoni octauo substitutus, accepta sede, mox cristas erigens, atque insolentius quàm par erat, se erga proceres Romanorum exhibens, in exilium missus, in Campania custodiæ mancipatur. Hunc Otto 2, sumptis supplicijs à seditiosis, armata manu restituit.

Confestim & Synodus celebratur, in qua Imperator urbem Romam, & Hexarchatum Rauennæ, papæ reddit. Deinde Ecclesiastica quædam reformantur & constituuntur.

Continuator Reginonis Rauennæ id concilium habitum esse affirmat,anno Domini 967.uerùm Strada scribit Romæ celebratum,pontifice in sedẽ reposito: id quod uero similius est.

### ALIA IN INGELHEYM *Synodus.*

Anno Domini 972, Synodus propter Adalberonem,S. Vdalrici nepotem,in Ingelheym colligitur:aliud uerò nihil addit Hermanus Contractus.

### VVINTONIENSIS SYNODVS.

In Anglia magnum certamen inter clerum & sacerdotes exortum est in Cantuarienſi ecclesia, tali occasione: Elferus Merciorum princeps, pro coniugatis sacerdotibus, cum impuris monachis bellum gerens,profligatis Sibariticis monachis,sacerdotes coniugatos ecclesijs restituit,præsertim Alfritha regina isti negocio fauente. uerùm monachi (ut est id hominum genus liuidum & crudele) nihil non molientur, ut oppressis & expulsis sacerdotibus piè in coniugio uiuentibus, ipsi soli rerum potirentur:ac sub uanissimo castitatis prætextu impunè scortarentur, utpote non uni saltem coniugi alligati, uerùm in plures licentiam habentes. Primum igitur suis uociferationibus ad populum,in inuidiam conantur pertrahere sacerdotum uitam coniugalem, tanquam ab omni pietate alienam: quia nimirum Canonibus esset contraria. Ac fuit in primis audax monachus Etheluuoldus, qui sine fronte coniugium sacerdotum insectabatur. Deinde aulam regiam irrepunt monachi, ac non tantum criminationibus portentosis, uerùm etiam arte magica, incentore suo spiritu, eius artis præside, hominum uoluntates fascinant, absque ullo timore Dei. Tertiò Dunstanus, scortationis monasticæ insignis patronus, non contentus sua magia, Romam proficiscitur: atque inde ab Iohanne duodecimo, monstro Romano horrendo & ingenti (quod omnes historici ueteres execrantur & detestantur) non modò pallium emit, uerùm etiam sæuum diploma contra sacerdotum legitima coniugia impetrat. Hanc Gorgonem reuersus domum, tum politicis uitijs,tum etiam Ecclesiasticis omnibus obijcit. Synodus igitur Vuintoniæ indicitur: hic lacerdotes ex uerbo Dei dilucidè demonstrant & euincunt, coniugium non modò permissum, uerùm etiam mandatum esse sacerdotibus. Proferunt insuper exemplaria primitiuæ Ecclesiæ plurima. Dunstanus uerò cum suis assectis, omisso uerbo Dei, tantum sonat canones seu traditiones humanas, & exotici, hoc est Romani præsulis truculentam membranam. Denique cùm à iuuentute cum diabolo habuissẽt commercia Dunstanus, & magicis artibus nihil non attentaret atque obtineret, ad hasce artes ueluti ad asylum esse recipit. Nam cum uideretur sacerdotum causa, ex luculento uerbo Dei, & obseruatione primitiuæ Ecclesiæ superior futura: diabolus in auxilium uocatus, uocem edit, non aliter atque ex imagine crucifixi Christi, quæ à pariete suspensa erat, ea uox proferretur, ueram Dunstani uiam esse, ut Ranulphus refert: seu ut Malmelburiensis habet, clericos, eorumque fautores confusos esse. Polydorus aut hanc fuisse uocem: Non bene sentiunt, qui presbyteris fauent. His uerbis palàm auditis, multi quidem expauerunt, atque

rum nonnulli non ignari istarum technarũ proteſtantur, ſeſe propter hanc uocem nequaquam impio decreto aſſentiri poſſe. Norant enim, Deum nequaquam ferre ſententiam contra ſuum expreſſum uerbum: diaboli uerò hoc eſſe opus proprium, ut cõtra Dei uoluntatem pronunciet. Monachorum tamen plauſibus & clamoribus Synodus diſſoluitur. Hæc circa annum Domini 975 facta uidentur.

Nondum igitur ſedatis animis (ut Malmelburienſis & Ranulphus loquuntur) in Caluę regio uicu alia Synodus congregatur. Euocat autem Elfredus è Scotia epiſcopum inſigni doctrina, fide, eloquio & autoritate præſtantem, qui coniugia ſacerdotum ex uerbo Dei, & non hypocriſin & tyrannidem monachorum aſſereret. Hunc alij Fathodum, alij uerò Ethelredum (ut Balæus ſcribit) nominant. Hic iterum tam ualidis argumentis ſacerdotum coniugium adſtruitur, ut monachi ueluti diuina luce obcæcati, non habeant quod ſolidè opponere poſſent. In eiuſmodi igitur anguſtias cum denuò redacti eſſent libidinoſi & crudeles monachi, ad extremam ancoram rurſum confugiunt, qua ſe ſeruant. Quæ nam uerò ea eſt? Audi. Dunſtanus quidem eius tragœdiæ choragus, dicebat ſe confectum ſenio & laboribus Eccleſiæ, ut ſtudijs incumbere ulterius nequeat, nec uelle ſe eiuſmodi colloquijs deinceps moleſtari: Ac licet (inquit) uideamini uictoriam habere, ea tamen non gaudebitis, nec uelle ueſtrum in ea parte ſequetur. Magicis igitur præſtigijs & diabolica clementia Dunſtanus efficit, ut ſubitò cœnaculum illud corruat: & nonnullis occiſis, alijs uerò miſerabiliter læſis, ſolus Dũſtanus in trabe ſtans in columis maneat. alij ferunt, raſum agmen unà cum impoſtore, ab iſto periculo immune fuiſſe. Sic non uerbo Dei iſta controuerſia dirimitur, ſed diabolica ſæuitia, quia eſt homicida: ac tandem cruenta cæde plurimorum ſanctorum uirorum, rectéque ſentientium, uincit Dunſtanus antiſtes Cantuarienſium, atque dominium in ſcelerata cauſa obtinet. Mamelburienſis lib. 2. Ranulphus lib. 6. cap. 11. Polydorus lib. 6. Capgrauius, & alij.

ALIA ROMANA *Synodus.*

In quadam Romana Synodo, decretum fuiſſe commemorat Bonfinius, ut unuſquiſque paſtor ſibi commiſſum gregem paſcat, neq; ſine maximo ſcelere eum deſerat. Occaſio fuit, quòd multi ſuis locis relictis, in alias regiones ſeſe conferrent, alij alijs de cauſis. Adelberto tamen Pragenſi epiſcopo, à pontificibus Romanis ait libertatem eſſe conceſſam, ut ſi proprię ouiculę eum audire nollent, liceret ad uicinas gentes excurrere, atque Euangelium Chriſti quàm latè poſſet propagare. libro 1. Decadis 2. Vero ſimile igitur eſt, circa Annum 978, hoc decretum eſſe factum.

CONSTANTINOPOLITANA *Synodus.*

Sacerdotum atque ſenatorum duntaxat in Conſtantinopolitana ciuitate, ſynodus à Nicephoro Phoca eſt coacta. cauſa fuit eiuſmodi.

Nicephorus imperio Orientis potitus, anteceſſoris ſui Romani coniugem duxit in uxorem. Ea uerò res tùm improbaretur patriarchæ Polyeucto, non dubitauit Nicephorum à ſacro loco tanquam pollutum arcere. cauſas uerò prætendit duas. Vnam, quòd ſecundas nuptias celebraſſet: alteram, quòd Theophanonis imperatricis liberos è ſacro fonte ſubleuaſſet. Res à Nicephoro ad ſacerdotes & ſenatum principum reiecta eſt, qui diſcuſſa controuerſia reſpondent: Canonem à Copronymo homine impio ſancitum, ualere non debere: atque ſcriptis rationibus, matrimonium Imperatoris confirmarunt. Patriarcha autem cum rationibus nihil poſſet, pertinacia tantum obſiſtit, donec pater Imperatoris Bardas iureiurando aſſeueraſſet, non eſſe liberos Theophanonis à Nicephoro è ſacro fonte ſuſceptos, & autor iſtius rumoris Stylianus, in conuentu publico iuraret, ſibi ea de re nihil conſtare. Tantus ſcilicet zelus erat, in ſcirpo nodum quærere. Nam Deus in ſuo uerbo nuſquam uetuit, matrimonium inire cum ſuſceptis ex baptiſmo, aut cum patrinis. Zonaras tomo tertio de Nicephoro.

ALIA CONSTATINOPOLITANA *Synodus*

Baſilius Scamandrenus, patriarcha Conſtantinopoleos, enormibus ſuis peccatis cauſam conuocandi Synodum præbuit: cum quadriennium iam munere ſuo functus eſſet, autoritate eius cœtus depoſitus: atq; Antonius Studites in ipſius locum ſuffectus eſt: idque accidit ſub Iohanne Zimiſce. Zonaras tomo 3.

SVB OTTHONE III.

SYLVANECTENSIS SYNODVS: *eſtq; de cauſa Arnulphi Remenſis archiepiſcopi prima Synodus.*

Carolus dux, mortuo Ludouico, regnum paterna & auita ſucceſsione poſtulat. erat enim Lotharij frater. Verùm Hugo Capetus ex alio ſtemmate oriũdus, re-

gnum obtinet. Anno Domini 990, Carolus Remjn ciuitatem occupat: idq; proditionibus Arnulphi, fui nepotis, qui ibi erat archiepiſcopus. Remẽſi igitur ciuitate prodita atq; occupata, & archiepiſcopo ſiue uerè ſiue in ſpeciem capto, coeũt epiſcopi diœceſani Syluanectis, in medium conſilia conferentes, quomodo his tantis turbationibus occurrendum eſſet. Nec abſimile uero eſt, Hugonem ad iſtam Synodũ & ſententiam epiſcoporũ ſtimulum ſuũ addidiſſe.

Componunt autem & promulgant tum inuectiuam, tum atrocem excommunicationem erga omnes inuaſores & direptores eius ciuitatis: ac nominatim in Adelgerum proditorem totis habenis, quod dicitur, feruntur.

Etſi autem de Arnulphi proditione rumores paſsim uolitarent, nec deeſſent aliqui accuſatores: tamen quia nondum ſatis euidentia teſtimonia in promptu erant, & quia captiuus credebatur, in hac quidẽ Synodo ab ipſius publica damnatione patres abſtinent. Hæc patent ex 14 cap. actorum ſynodi Remenſis, quam paulo pòſt ſubijciemus.

REMENSIS SYNODVS: EST QVE *de cauſſa Arnulphi ſecunda Synodus.*

Hugo uiciſsim uictoria potitus, omnem mouet lapidem, ut Arnulphum iterum deijciat atq; amoliatur: cauſas haſce exaggerans, non decere, ut ex concubina natus, tam ſublimi Eccleſiæ munere fungatur. Re autem uera odiũ eum extimulabat, quod Lotharij regis progeniem exterminare cuperet, ne regno ſuo ullum periculũ crearet.

Hugo igitur epiſcopos Galliæ conuocauit, ut de Arnulpho decernerent. Videtur ipſe Hugo non procul abfuiſſe à concilio, atq; ſuis criminationibus & poſtulationibus urſiſſe patres, ut ſuæ cupiditati morem gererent, atque Arnulpho dignitatem omnem derogarent: ut ex Ammonij narratione apparet. & Synodus narrat, eum ueluti moræ impatientem, tandem irrupiſſe in ipſum conuentum, atque narrationem actorum poſtulaſſe.

Cum autem eius ſynodi acta in uetuſto codice accuratè conſcripta ad manum haberemus, uiſum eſt ea integra inſerere, quia aliàs non extabant. Apparet autẽ Gerbertum fuiſſe collectorem.

PROLOGVS.

¶ Licet æmuli mei dentes in me exacuant, dictaque & facta proſcindere parent: plus tamen amicorum obſequio, quàm inuidorum odio permoueor. Non enim ubi non erat timor, timere didici, nec amicorum infecta relinquere negocia; accingar igitur, & ſummarum quidem genera cauſarum, in Remenſi concilio expoſita breuiter attingam, ut & geſtorum ueritas innoteſcat, & quæ à ſummis uiris retractata ſunt agnoſcantur. Peto autem ab huius ſacri conuentus prælatis, ſi quid minus grate uel parum comptum expreſſero, nõ iniuriæ, ſed meæ adſcribi ignorantiæ: ab aliis ditoribus quoq;, ne me aliena uel parũ diuerſi denotent. Siquidem triplici genere interpretionis utendum fore cenſeo, ſcilicet ut quædam ad uerbũ, ex alia in aliam tranferantur linguam. In quibuſdã autem ſententiarum grauitas, & eloquij dignitas dicendi genere confirmentur. Porrò in alijs una dictio occaſionem faciat, & abdita inueſtigari, & in lucem iſtos affectus manifeſtè proferri. Quæ etſi ad plenum aſſequi nõ potuero, his tamen modis doctiſsimorum hominum ſententias conabor interpretari. Sed earũ amplificationes, digreſsiones, & ſi qua eiuſmodi ſunt quodam ſtudio refringam, ne odio quarundam perſonarum, potiſsimumq; Arnulphi proditoris mouere uidear, quaſi ex eius legitima depoſitione Remenſe epiſcopium legitimè ſortitus uideri appetam. Alterius erit hoc operis, alijsq; implicitum quæſtionibus, cũ de proprijs, communibus, & differentijs epiſcoporum, archiepiſcoporum, uel metropolitanorum, patriarcharum, ſeu primatu, uel etiam Romani epiſcopi poteſtate, ut animo concepi, prolixius diſputabo.

*Incipiunt capitula.*

Qui, & quò, & ex quibus prouincijs epiſcopi conuenerint. Prælocutio Arnulphi epiſcopi, de examinanda Arnulphi cauſſa.

Reſponſio Siguini archiepiſcopi, de cognitione iudicij.

Obiectio Daiberti archiepiſcopi, & Heruei epiſcopi.

Conqueſtio Brunonis epiſcopi.

Proſecutio Goteſmanni & Brunonis epiſcoporum, de diſcuſsione Arnulphi.

Rathbodus epiſcopus, Lotharienſes epiſcopos chirographum Arnolphi reprehendere dicit.

Libellus Arnolphi.

Arnulphus epiſcopus eundem libellum in parte uituperat, & in parte laudat.

Exemplar libelli cuiuſdam hæretici conuerſi.

Confeſsio Adalgeri presbyteri.

Vdo epiſcopus commonitorium Arnulphi, & anathema inducit.

Gualterus epiſcopus ea reprehendit.

Guido epiſcopus aliud anathema inducit.

Siguinus archiepiſcopus argumentatur, Arnulfum, & ſuos cõplices dãnatos uideri.

Exempla

Exempla canonum de damnatis, qui ministrant.
Arnulphi episcopi admonitio, pro defensione Arnulphi.
Siguini archiepiscopi anathema, pro eadem re.
Qui Arnulphum defendere conati sunt, & quibus exemplis.
Epistola Stephani archiepiscopi ad Damasum papam.
Rescriptum Damasi ad eundem.
Ratbodus episcopus decretalē tomū Synodi porrigit, pro Arnulphi defensione.
Breuis annotatio accusationis & defensionis Arnulfi.
Quòd iustè captus sit, ex Africano cōcilio.
Exemplar Epistolæ regis, ad Romanum pontificem directæ, pro causa Arnulfi.
Item, episcoporum ad eundem.
Quid regis & Brunonis episcopi legati Romæ egerint.
Luculeta oratio Arnulfi episcopi, uim totius Synodi continens.
Exempla canonum contra Arnulphum.
Arnulphus in Synodū deductus, episcoporum sententijs contradicit: sed retineri sententiam non ferens, secessum petit.
Synodus absente Arnulpho, in eius crimina capitula annotat.
De confinitimis hostium sacerdotibus, qui sine regis licentia legationes agunt.
De his qui regibus fidem promissam non seruant.
De clericis, q capitalia crimina cōmittūt.
De confugientibus ad hostes.
De his qui rege superstite, aut sibi aut alijs affuturum prouident regnum.
De custodia uitæ principum.
De refugis atq; pfidis clericis siue laicis.
De clericis uel monachis, contra regem periuris.
Episcoporum collectio, & Arnulfi cōfessio, & super eius depositione quæstio.
De Maximo episcopo depositio.
De Eutychete presbytero.
De Ratherio & Petro electis.
De iniustè depositis.
Quomodo Arnulphus deponi debeat.
Exemplum de Potamio archiepiscopo depositio.
De Egidio & Ebone depositis.
De iudicio non innouando.
Sequentis diei synodus.
Ingressus regum in Synodum.
Arnulphus episcopus, præteriti diei acta breuiter recapitulat.
Arnulphus episcopus Arnulphi confessionē subornat contra comitē Brochardū.
Arnulfus à regibus ueniam petit, & accipit, modumq; abdicationis agnoscit.
Libellus abdicationis Arnulphi.
Adalgeri presbyteri reclamatio, & depositio.
Africanum Conciliū, in quo modus Romani episcopi cognoscitur.

CAPVT PRIMVM.

Anno ab incarnatione Domini nostri IESV CHRISTI 992, indictione quarta, anno regni domini Otthonis Augusti nono, & excellentissimi regis Hugonis quarto, congregata est Synodus in Remensi territorio. Actum est autem magna industria principum, ut quia omnes Galliarum episcopi eò conuenire non poterant, propter quasdam regni necessitudines: ij maximè conuenirent, qui comprouinciales essent. Deinde ex uicinis prouincijs fama & dignitate honestiores, & qui legatione suarum prouinciarum digni uiderentur, suorumque fratrum absentiam sua præsentia sustinere possent.

Igitur 15 Calend. Iulij, collecti sunt in basilica domini Basoli confessoris, Remorum quidem diœcesanei: Guido Suessonicæ urbis episcopus, Adalbero Laudunensis, Heueus Belluacensis, Gotesmannus Ambianensis, Ratbodus Nouiomensis, Odo Siluanectensis: ex prouincia Bituricensium, quæ Aquitanorum esse putatur, Daibertus archiepiscopus: ex prouincia Lugdunensium prima Sequanorum metropolis, Remensiq; prouinciæ cōtigua, Siguinus archiepiscopus, Arnulfus Aurelianensis, Herbertus Antisiodorensis, præterea diuersarum urbium abbates quàm plurimi aderant: quī post solitariam episcoporum disputationē residere iussi sunt, habitaq; ratione totius summæ synodi, dignitas prælaturæ ac potestas quasi iudiciaria stetit penes archiepiscopum Siguinum, quem & ætas & uitæ meritum ac scientia commendabat. Arnulfus autem uenerabilis episcopus, ordinis custos, ac omnium gerendorum interpres declaratus est, eo quòd inter omnes Galliarum episcopos sapientia & eloquentia clarior haberetur. Hunc post expositam allegationem eorum sacerdotū qui minimè adesse poterant, post totius cleri ingressum, quibusdam sentētijs pertractatis, hoc modo prælocutum accepimus.

CAPVT SECVNDVM.

Ita quidem est ut dicitis, reuerendissimi patres: nullus tumultus, nullus accusator improbus, nullus iudex iniquus, hoc sanctum Conciliū agitare debet. Seruetur unī cuiq; personæ suus locus, debita reuerentia: nullusq; aut se aut aliū prę iudicio grauari putet, cum sit libera facultas & proponendi, & scisitandi, & respondendi. Consultationes autem siue deliberationes, sic

in medio locentur,ut nemo cauſetur imponi ſibi quod nolit, aut eripi quod uelit. Sanè quę me priorem dicere uoluiſtis, dicam quod ſentio in præſentia ueſtra, & cleri nuper admiſsi,idque paulo altius repetam, ut res bene digeſta melius innoteſcat. Ego quippe cum inter uarios tumultus bellorum pro pace Eccleſiæ, cui authore Deo deſeruio, totis uiribus elaborarem:noui nuncij fama, inauditi ſceleris rumore, ſic ſubitò turbatus ſum, ut etiam in uilibus rebus lingua balbutiret, intellectus hebeſceret. Ferebatur quippe illa nobilis urbs Remorum, dolo proditionis hoſtibus paruiſſe, prædæ ac direptioni ceſsiſſe, ſancta ſanctorum armata militum acie polluta fuiſſe. Horum omnium malorum incentor,auctor, quod ſine magno dolore animi referre nequeo, is qui tutari debuerat, Arnulfus epiſcopus nunciabatur, ſacerdotalis dignitas huius cauſa impetebatur: uixq; erat qui noſtro ordini non inſultaret. Nunc quia religionis amore, & ſtudio ſereniſsimi regis noſtri domini Hugonis cõgregati ſumus, quærendum eſt, quomodo tanta infamia carere poſsimus: etſi frater & coepiſcopus noſter Arnulfus,illata crimina diluere queat,uel crimen regiæ maieſtatis propulſare. Scitis enim, omnes nos inſimulari probro infidelitatis & perfidiæ,cauſa unius.Si,inquiunt, iuſtis epiſcopi utuntur legibus, fidiſsimique ſuis regibus ſunt, cur hominem impuriſsimum ſuis legibus non puniunt? nimirum aliorum flagitia ideo moliuntur celare, an impunè liceat eis peccare. Abſit hoc ab hoc ueſtro ſanctſsimo cœtu, abſit ut cõtra diuinas & humanas leges quenquam moliamur defendere uel damnare. Dicant tantum qui nouerunt ſeriem geſtorum, fique ſuos exponant caſus, qui graues (ut ipſi aſſerunt) iniurias pertulerunt:tum,ſi qua contradictio fuerit obortа, diſcuſsis partibus ex authoritate canonum iudicium promulgetur.

CAPVT TERTIVM.

Tum Siguinus:Non patiar, inquit, diſcuſsionem fieri eius qui dicitur eſſe maieſtatis obnoxius, niſi fortè conuicto ſupplicij indulgentia promittatur.ſimulq; 31 caput Toletani cõcilij prolatũ eſt ex eadẽ re.

Sæpe principes contra quoslibet maieſtatis obnoxios, ſacerdotibus negocia ſua committunt:& quia ſacerdotes à Chriſto ad miniſterium ſalutis electi ſunt, ibi conſentiant regibus fieri iudices,ubi iureiurando ſupplicij indulgentia promittetur, non ubi diſcriminis ſententia præparatur. Si quis etiam ſacerdotum contra hoc commune conſultum diſcuſſor, in alienis periculis extiterit,ſit reus effuſi ſanguinis ad Chriſtũ,& apud Eccleſiã perdat propriũ gradũ.

CAPVT QVARTVM.

Grauiſsimum uerò eſt, ait Daibertus, ideo te iudicem præbere in alienis negocijs,ut cum reum conuincis, tu concidas; cum dijudicas,tu damnatus abeas. Si hoc, inquit Herueus epiſcopus, periculoſum eſt:uidete ne ſit periculoſius, iudicia Eccleſiaſtica deinceps à ſecularibus non expectari. Conſequens enim eſt, ad forenſia iura nos pertrahi,ſi diuinis legibus in aliquo uidemur obniti. At quomodo ſine iudicio relinquetur, quod commiſſum eſſe conſtiterit? uel cur contra principem noſtrum cauſabimur, ſi quod attingere nõ audebimus,iudiciaria poteſtate concedetur?

CAPVT QVINTVM.

Bruno epiſcopus dixit: Nullum certè ueſtrũm æquè turbat tanti diſcriminis examen,ac me:ego quippe ſolus ob hunc infœliciſsimum per ora omnium uolito.Ego eũ in has miſerias præcipitaſſe uideor, qui contra omnium bonorum uota,memetipſum in pignus obſidis dedi,pro ſpe conſeruandæ fidei:tanta erant apud me regis Lotharij merita,tantumq; me carnis affinitas permouebat.Et cum ſcirem hunc Laudunenſis urbis peruaſorem, totiusq; tyrannicæ factionis fuiſſe principem:ſub obtentu tamen huius honoris, ad meliorem ſtatum uitæ attrahere niſus ſum, ut qui diſcordiarum & bellorũ incentor extiterat,pacis & charitatis ipſe iáceret fundamenta. Attendite pacis principia, attendite hominẽ mala pro bonis reddentem.homines mihi percharos,& ad uſum uitæ multum neceſſarios:id eſt,unicum fratrem meum comitem Gislebertum,meumq; conſobrinũ cotem Guidonem, cum cæteris quorum amicitia gloriabar, ſua ſimulata captiuitate ueræ captiuitati contradidit, me pacis ſponſorem in mortis diſcrimine dereliquit:& ô impudens audacia hominis, qui mei, imò ſui & totius Eccleſiæ homicida, adhuc improba fronte negat, quod negari non poteſt. Certè ex his quæ confitetur,eliciemus ea quæ propalare erubeſcit. Certè in præſentia regum, in præſentia epiſcoporũm,ante ora cleri & populi, ſacramento uolens obligatus eſt,ſe principibus ſuis adiumentò futurum conſilio & auxilio ſecundum ſuum ſcire & poſſe, contra Carolum,item q; inimicis dominorum ſuorum, nec conſilium nec auxilium ſe laturum ſciente ad eorum infidelitatem, neq; propterito aut futuro ſacramento ſe præſenslicturũ.an nõ erat inimicus Carolus, quignum peruadere nitebatur? an non inimici Rotgerus & Mamaſes, qui clerum & populum

pulum eius in ecclesia ipsius, armata militū manu cæperant? Hos iste consecretales & primos amicorum esse fecerat: hos eorū bonis ditauerat, qui se elegerant, qui sibi principatū contulerant, quibus sine periurio auferre nihil poterat, quos necessariò iuuare debebat, nisi in se peccaret: at quid peccaueritū? Fidem ne promissam seruare, quid sibi persuadere nisi sunt? Ignoscite fratres, si dolor nimius de grauitate sacerdotali aliquid derogauit: & si orationem finire non sinit, quam uestra intelligentia ex præcedētibus ad plenum comprehendit.

CAPITVLVM SEXTVM.

Hic Godesmānus Ambianensis ecclesiæ episcopus subintulit: Multa uenerabilis pater Bruno persecutus est, quæ quāto magis fidem dubijs faciunt, tanto magis reū manifestatis arguūt, ac sacerdotio indignum reuincunt. Sed quia paulo antè de periculosa discussione sermo habitus est, uelim nosse, quid pater Bruno inde sentiat. Nō est enim æquū nos fieri authores effundendi sanguinis, qui debemus esse authores salutis. Et illud esse quod tacetis. Sentio, inquit, reuerendi patres, & hoc uos intelligere quod dicitis, & alterū pudor mihi coniunctissimus, utpote auunculi mei regis Lotharij filius: habeo, & reprendo naturæ leges, mouet etiam homo affinitate carnis præferam: aut ut meo sanguine (quantū charitati uestræ multiplices grates. Sed absit hoc à me, ut amori Christi amorē sanguinis in me est) Ecclesia Dei polluatur. Ergo, agite discussionem simul & iudiciū aggrediamur: nec sanguinis effusionē perhorrescite, cum apud benenolentiam principum iustè petita obtinere non difficile sit. Cū hoc maxime sit pertimescendū, nedū fortè uni personæ parcere uolumus, sicut frater & episcopus noster Herueus paulo antè retulit, & eam & omnem Ecclesiasticum ordinem sub periculo sanguinis relinquamus. Itaq; is presbyter, qui urbis portas aperuit, inuestitur, si placet, atq; gestorū ordinem pandat. Ab uniuersis dictum est: Placet.

CAPVT SEPTIMVM.

Quoniam, inquit Ratbodus, Nouiomensis ecclesiæ episcopus, à multis nostrorum fratrum audio dici, libellum fidelitatis sub specie chirographi editum ab Arnulpho, ad damnationem eius posse sufficere: quoniā quæ Lotharienſium quosdam contra hanc scripturā fama est disputare: interim de hac re iudiciū tantorū patrum experiri uelim, quidq; de eo sentiendū sit agnoscere. Synodus dixit, Proferatur in mediū. prolatus est itaq; libellus chirographi, ad hunc modū.

CAPVT OCTAVVM.

Ego Arnulfus gratia Dei præueniēte Remorum archiepiscopus, promitto regibus Francorū Hugoni & Rotberto, me fidē purissimā seruaturū, consiliū & auxiliū, secundum meū scire & posse, in omnibus negotijs præbiturū: inimicos eorum nec cōsilio nec auxilio ad eorū infidelitatem scienter adiuturum. Hæc in conspectu diuinæ maiestatis & beatorū spirituū, & totius Ecclesiæ assistens promitto, pro bene seruatis laturus præmia æternæ benedictionis. Si uerò, quod nolo, & quod absit, ab his deuiauero, omnis benedictio mea cōuertatur in maledictionē, & fiant dies mei pauci, & episcopatum meū accipiat alter. Recedant à me amici mei, sintq; perpetuò inimici. Huic ergo chirographo à me edito, in testimoniū benedictionis uel maledictionis meæ subscribo, fratresq; & filios meos ut subscribant rogo: ego Arnulfus archiepiscopus.

CAPVT NONVM.

Quo peracto, Arnulfus Aurelianensis ecclesiæ uenerabilis episcopus subiunxit: Habet, inquam, hæc scriptura maximam uim reprehensionis: habet etiam subtiles defensionis uires, habita ratione personarū. Nam eius author Arnulphus detestabilis est, eo quòd ob immensum ambitum affectati honoris, inauditum seculo prius monimentū sui detestabile reliquit. Qui uerò commentati sunt, rem utilem ac necessariam fecisse uisi sunt: ut si aliquando fidem promissam pernegare uellet, scriptura cōtra se testis existeret: et si deuiaret ipse, cōtra suā professionē & subscriptionē ueniens, honore se priuaret: & ne fortè peccās nomine summi pontificis diutius defenderetur, ipse summus pontifex sententiā suæ dānationis in se dixisse uisus est. Sed quia presbyter adest, finem dicēdi faciā, ut ipsi locus pateat. Interim tamen dū presbytero standi locus eligitur, significabat sibi assidentibus, quendam episcopum ex hæresi ad fidem catholicam conuersum, beato Gregorio similem libellum porrexisse: sed hoc interesse, quòd hic Arnulfus malarum causarū rationibus permotus sit, id est perfidia & cupiditate: ille autem optimarum, id est fide catholica & amore habendi Deum. Erat uerò ibi ità scriptum inter cætera.

CAPVT DECIMVM.

Et ideo, postquam comperto diuisionis laqueo, quo tenebar, diutina mecū deliberatione pertractans, prona & spontanea uoluntate ad unitatem sedis Apostolicæ diuina gratia duce reuersus sum: ne nō pura mēte, sed simulatè reuersus existimer, spōdeo sub ordinis mei casu, & anathematis obligatione, atq; promitto tibi, & per te S. Petro Apostolorum principi, atq; eius uicario

beatiſsimo Gregorio, uel ſucceſſoribus ipſius, me nunquam quorumlibet ſuaſionibus, uel quocunque alio modo ad ſchiſma, de quo Redemptoris noſtri miſericordia liberante ereptus ſum, reuerſurum: ſed ſem per me in unitate ſanctæ Eccleſiæ catholicæ, & cõmunione Romani pontificis per omnia permanere. Vnde iuratus dico per Deum omnipotentem, & hæc ſancta quatuor Euangelia, quæ in meis manibus teneo, & ſalutem geniumque Mauricij atque Theodoſij dominorum noſtrorum R. Q. P. gubernatores, me in unitate (ſicut dixi) Eccleſiæ, ad quam Deo propitio ſum reuerſus, & communionem Romani pontificis, ſemper, & ſine dubio permanere. Quòd ſi (quod abſit) aliqua excuſatione uel argumento ab hac me unitate diuiſero, periurij reatum incurrens, æternæ pœnæ obligatus inueniar, & cum autore ſchiſmatis habeam in futuro ſeculo portionem.

CAPVT VNDECIMVM.

Adalgerus: Scio me, inquit, non magnã habiturum expectationem in dicendo, reuerendiſsimi patres: cum omnia quæ pro defenſione mea dicturus ſum, contra me fortaſſe uideantur. hoc enim & in initio intellexi, cũ Dudo Caroli miles, ut huius proditionis author exiſterem, machinatus eſt. Cui cum reſponderem, cur ex tanta maſſa hominum ego clericus & ſacerdos potiſsimùm eligerer, ut ſeniorem & epiſcopũ meum traderẽ ob cauſam Caroli, ad quẽ nihil attinebã: primùm, ſocordiã & fatuitatẽ hominũ me ſcire dicebat. Meũ autẽ ingeniũ, prudentiam, animi magnitudinem, miris laudibus extollebat. Denique ipſum meũ ſenioreẽ hoc ita uelle, ſibiq; ita præcepiſſe: cui cũ fidẽ quaſi ſpopõdiſſem, nõ tamẽ ſatis tutũ fore hoc mecũ reputabã, niſi ex ipſius ſenioris ore non benè credita, per memetipſum ſine interprete recognoſcerẽ. eius amor, eius imperium, me in has præcipitauit miſerias. Quærebã tamẽ ex eo, cuius nã fretus auxilio imperata perficerẽ, & ſi tibi pertimeſcendũ foret? qui cũ Carolũ ſibi patruum eſſe dixiſſet, Manaſſen quoq; & Rotgerũ ſacramẽta quæ uoluerit præſtitiſſe: auunculũ ſuũ Rotbertũ, Caroli ſeruũ, comitẽ fidiſsimũ fore deſignauit, cum alijs quibuſdã. & ut hoc factũ ſub ſpecie honeſti tegeretur, manus & ſacramẽta ſimul Carolo præbui. Sed iuſſu ipſius, claues urbis accepi: ſed à manu ipſius portas aperui, ſed illius præcepto. Hæc ſi quiſquam ueſtrũm aliter eſſe putat, meque indignum cui credatur: credat igni, feruenti aquæ, candenti ferro: faciant fidem tormenta, quibus non ſufficiunt mea uerba. ipſi hoſtes mei, quibus nuper inuiſus eſſe cœpi, teſtimonio erunt, cum ſuo me beneficio uiuere comprobabunt, quãdo ueſtrum anathema perhorreſcens, eorum tunc miſeratione glorios Richardi fratris epiſcopi uix euaſi, hanc meam confeſsionem expaueſcentis.

CAPVT DVODECIMVM.

Ad hæc Odo epiſcopus Siluanectenſis: Bene nunc (inquit) anathema in memoriam redit. Pater enim Arnulfus, hunc noſtrum Arnulfum in chirographo ſe damnaſſe dicit: nos aũt quoddam ſcriptũ ab eo in tẽpore ipſo accepimus, per Guidonis manus uenerabilis epiſcopi, in quo & confeſſio ſui facti, & damnatio ipſius contineri uidebatur, quod in præſenti iubeat recitare ſanctitas ueſtra. Synodus dixit: Recitetur. Recitatũ itaq; eſt in hũc modũ: Arnulphus gratia Dei archiepiſcopus, cõmonitorum prędonib. Remorũ. Quid tibi uis prędonũ Remenſiũ ſcelerata manus, nihil ne te moueant pupilli & uiduæ lachrymæ, nec aduocatus eorũ, uelis nolis, dominus tuus ipſe teſtis & iudex, & grauis ultor, cuius iudicium nõ effugies. Vide quid ante oculos ipſius egeris: ſanctam pudicitiam uirginum non erubuiſti, matronas etiam barbaris nudas reliquiſti, orphanum & purpillum non reſpexiſti. parum tibi hoc: acceſsiſti ad templum matris Dei, cunctis mortalibus reuerendum: eius atrium perfregiſti, polluiſti, uiolaſti. Quod oculi ibi uiderunt, concupiuiſti: quod manus attrectare potuerunt, rapuiſti. Et nos quidem contra diuinum ac humanum ius, miſericordia abutentes, quod cibi & potus abſtuliſti, non indulgemus: ſed propterimpia tempora non exigimus. exigimus autem reliqua omnia, quæ pollutis manibus peruaſiſti, ac retines. Redde ergo, ut ſententiam damnationis, in peruaſores rerum Eccleſiaſticarum, à ſacris Canonibus promulgatam: eamque in te latam, multotiesque ferendam excipe.

Autoritate omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, interueniente & adiuuante beata Maria ſemper uirgine, authoritate quoque ac poteſtate Apoſtolis tradita, nobisque relicta, excommunicamus, anathematizamus, maledicimus, damnamus, & à liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ ſeparamus, uos Remenſium prædonum authores, factores, cooperatores, fautores, & à proprijs dominis rerum ſuarum ſub nomine emptionis abalienatores. Obtenebreſcant oculi ueſtri, qui concupiuerunt: areſcant manus, quæ rapuerũt: debilitẽtur omnia mẽbra, quæ adiuuerũt. Sẽper laboretis, nec requiẽ inueniatis, fructuq; laboris ueri priuemini: formidetis & paueatis

& paueatis à facie persequentis, & non per sequentis hostis, ut tabescendo deficiatis. Sit portio uestra cum Iuda traditore Domini, in terra mortis & tenebrarum, donec corda uestra ad plenam satisfactionem conuertantur. Hic autem sit modus plenæ satisfactionis, ut omnia iniustè ablata, præter cibum & potum, proprijs dominis ex integro restituatis, coramq; Remensi ecclesia pœnitendo humiliemini, qui sanctam Remensem ecclesiã reueriti non estis: nec cessent à uobis hæ maledictiones scelerum uestrorũ persecutrices, quam diu permanebitis in peccato peruasionis. Amen, fiat fiat.

CAPVT XIII.

Quo perlecto, Gualterius Augustodunẽsis ecclesiæ episcopus: Quid'nã (inquit) hoc portentum est? satis'ne sanæ mentis est hic episcopus, qui pro iactura uilissimæ supellectilis reos damnat: super sui autem & cleri & populi captiuitate tacet, pro pauperum tugurijs fortè magis quàm in ruẽtibus anathematizat, & pro templo Dei per orbẽ terrarum famosissimo nihil dicit? Nempe omnis terrena creatura homine uilior est, & omne manu factum ędificiũ templo Dei uilius. Sed fortè quia Apostolus dicit, Si esurierit inimicus tuus, ciba illũ: si sitit, potum da illi: tanquam pietate usus, prędonibus cibum & potum indulget: attamẽ ab auro & argẽto deterret, quid hoc ad pauperes Christi? certè enim aurum & argentum non perdiderunt, quia non habuerunt: sed cibũ & potũ, quem ad usum uitæ nõ sine magno labore cõquisiuerunt. Ecce audistis fratres arcatoris, prædonum nutritoris. Intellexistis quia ad hoc uoluit capi, ut sua simulata cautela ueram nobilium efficeret captiuitatem. Ideo sacrilegos à communione non arcet, quia se authorẽ sacrilegij esse cognoscit: nec sic tamen euadit, dum authores, in uẽtores, factores, cooperatores, fautoresq; simul permiscet. Ipse enim autor, cuius consilio & imperio perditio facta est. Ipse factor & cooperator, ut per quendam Sapientẽ dicitur: Comites illi tui, manus erãt tuę. Ipse fautor, qui usq; in præsens tacendo cõsensit, & ut fama est, magnis insuper beneficijs cumulauit. tendit materia hæc in immẽsum. Sed cõtraho sermonẽ qua possum brevitate, ne uidear quasi criminales dictare.

CAPVT XIIII.

Guido episcopus: Si in proprijs consceptionibus, ubi cauere sibi potuit Arnulfus, ita læsus est; quomodo in proxima Synodo Syluanectis habita, damnatus non est? Conueneramus quippe in unum nos omnes, qui hic adsumus Remorũ diœcesanei, cõquestum sanctam Remensem ecclesiam nostrarum omnium matrem desolatum iri. Metropolitanus noster cũ clero & populo teneri ab hostibus prædicabatur. Rumor tamen ab eo factę proditionis frequens erat: itaq; nostrorum comprouincialium cõsensu uni consultu statuimus anathema in reos, quod nullus aliquo modo se occultans, subterfugere posset. Eius exẽplar (si placet) proferatur. prolatumq; est in hunc modum.

ORATIO INVECTIVA EPISCOporum Remensis diœceseos, uice decreti habita Syluanectis.

¶ Quousq; se extendet effrenata licentia uestra, alterius proditoris Iudæ satellites? Ad quem finem scelerum progredietur, incœpta audacia uestri ducis: ducis dicimus Adalgeri presbyteri, qui nomen sacerdotalis dignitatis suo nomine polluit? Te igitur interpellamus funeste presbyter, quid tibi uisum est, post illa cruenta arma, quibus te Lauduni exercuisti, ut iterũ uilis apostata factus, Arnulfum Remorũ archiepiscopum traderes, cum ante eum uelut fidissimus cũstos cubares, conuiua assiduus esses, cõsilia disponeres, sacrosancta administrares? Nũ rigorem Ecclesiasticæ seueritatis, uel iudicium omnipotentis Dei effugere te putasti? Vrbis portas aperuisti, hostes introduxisti: uenerabile templum matris Dei, atque ipsis barbaris reuerendum, uelut hostium castra oppugnasti. nũ etiã uos, prædonũ maxima portio, qui Ecclesię ingentibus beneficijs eratis obligati: qui dicitis, Hæreditate possideamus sanctuarium Dei: qui signa militaria, loricati & galeati, cum scutis & lanceis ante arã beatæ Dei genetricis intulistis: qui pollutis manibus pastorem cum clero & populo intra sancta sanctorum comprehendistis, custodiæ distribuistis, carceri mancipastis, & adhuc retinetis: num, inquam, uos diuina iura effugietis? Vos quoq;, quorum dolo & fraude, cõsilio & auxilio tantum scelus factum est, cum his qui principes tanti facinoris fuerunt, consociandi estis, ut pœnam peccati simul feratis, qui causa peccati simul conspirastis, bonaque ciuium Remensium, prædones impijssimi, uelut sub hasta distraxistis. Nec etiam uos abesse debetis, qui in Adalberonem Laudunensem episcopum non minus leuia perfecistis: & ut pullulantem hæresin rescindamus, quæ dictitat omnia licere Carolo, etiam in sacris locis: Remensem simul ac Laudunensem ecclesiã, utrãq; sacrilegio (quamuis dissimili) pollutã, à sacris remouemus officijs, donec legitimè cõcilietur utraq;. Et ne quis nos talibus monstris hominũ fauere, talib. negotijs assẽsum prębituros putet: sed pro fide qua uiuimus, omnibus

omnibus expositos periculis sententiam nostram ita confirmamus, stabilimus, corroboramus.

*Anathema in reos.*

Autoritate omnipotentis Dei Patris & Filij & Spiritus sancti, interueniente & adiuuante beata Maria semper uirgine, cum omnibus sanctis: autoritate quoq; ac potestate Apostolis tradita, nobisq; relicta, excommunicamus, anathematizamus, damnamus, & à liminibus sanctę matris Ecclesiæ separamus, Adalgerum presbyterum, diaboli membrum, episcopi, cleri & totius populi Remensis traditorẽ: eos quoq; qui huius traditionis extiterunt inuentores, authores, factores, cooperatores, fautores, ciuiumq; depopulatores, & à propris domi nis rerũ suarũ sub nomine emptionis abalienatores. his adiungimus Laudunẽsis epi scopij peruasores, ac ipsius episcopi grauissimos tortores. Fiat illis, sicut Scriptura dicit: Qui dixerunt, Hęreditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus, pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem uenti. Sicut ignis qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes: ita persequeris eos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine: erubescant & conturbentur in seculum seculi, & confundantur & pereant: & cognoscant, quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra. Et quia pupillum & uiduam non miserati sunt, neq; templa Dei reueriti, dominiumq; ecclesiarum sibi usurpauerunt, fiant filij eorum orphani, & uxores uiduę. Scrutetur fœnerator omnem substantiam eorum, & diripiant alieni labores illorum. Nutantes transferantur filij eorũ, & mendicent, eijciantur de habitationibus suis: fiant dies eorum pauci, & principatum eorum accipiat alius. Et duplici contritione contere eos, Domine Deus noster: nisi resipiscant, & Ecclesiæ catholicæ fructuosa pœnitentia satisfaciant. Amen, fiat fiat.

CAPVT XV.

Siguinus archiepiscopus: Peruenit hoc scriptum ad noticiam Arnulfi, dictum est peruenisse. subiunxit: Suspendit se post ab eorum communione, quos iustissimè damnatos accepit. Imò, inquiunt, eos omni fidelium communione dignos habuit. Ego, inquit, non satis admirari queo super huius audacia. Primùm ipse prædones suos à cõmunione remouit, eisq; modum damnationis præscripsit, ut omnia iniustè ablata restituerent, coramq; Remensi ecclesia humiliarentur, qui sanctã Remensem ecclesiam reueriti non essent: & sicut paulò antea à quibusdam fratribus mihi relatum est, restitutio amissarum rerum aut uix ulla facta est, aut nulla. pœnitentia autem à nullo publicè susceptа, ob facinus publicè admissum. Occultè autẽ qui potuit, cum scriptum sit: Qui publicè peccat, publicè pœniteat. uel quomodo pro uili supellectile reos damnauit, sicut frater & coepiscopus noster Gualterius paulo antè retulit, pro uiolata Ecclesia à communione nullum removit: an uile putauit esse crimen, quod diuinæ leges per se totum uiciisi posse non putant, nisi ad humana iura transfundant? Sic enim scriptum est in Toletano concilio, capite decimo: Nullo teneantur euentu necessitudinis, qui Dominicis se defendendos commiserunt claustris. Si quis autem hoc decretum uiolare tentauerit, & Ecclesiasticę excommunicationi subiaceat, & seueritatis regiæ feriatur sententia. Ecce hic planè dicitur, quòd ab episcopis excommunicandi sint hi sacrilegi, & à regne digna pro meritis pœna animaduertendi: sed quis ipsos absoluere potest, nisi pœnitentia & digna satisfactione ueniam postulantes? At hi quando satisfecerunt, ut absolui possent, cum neminem reuera captum abire liberum fiuerint? Sed esto, Arnulfus eos absoluerit: cur ergo clericus eius Raineri uicedomini filius, retentus est? Si per uim factũ est, & Arnulfo inuito, in crimine sacrilegij permanentes, etiam ab idoneo episcopo absolui non potuerunt. Si autem eo consentiente, obligationem pro absolutione ab obligato acceperunt. Itẽ, esto Arnulfus eos absoluerit: quo modo id sine suorum clericorum præsentia potuit? At eos non interfuisse constat, dum absoluerẽtur. interfuerunt autem, dum obligarentur. Irrita igitur habenda est, quæ solennis debuit esse, si in abditis absolutio facta est. Scriptum quippe est in concilio Carthaginensi, cap. 23. ut episcopus nullius causam audiat, absq; præsentia clericorum suorum: alioquin irrita erit sententia episcopi, nisi præsentia clericorum confirmetur. Et quia scriptum est, Impius cum in profundum peccatorum uenerit, contemnit: tantorum scelerum ipse sibi conscius, sacro sancta tractare non erubuit in Ecclesia, quam fratres & coepiscopi nostri Remorum diœceseos, nostro consultu à communione suspenderant iustissimis de causis. Quapropter, si placet, capitula Canonum super his perquirantur, ut nemo causetur hũc nostro, sed sanctorum patrum damnatum esse iudicio. Synodus dixit: Placet perquiratur. perlatæ sunt itaq; in medium hæ sententiæ.

CAPVT

CAP. XVI.

*De damnatis, & ministrare tentantibus post excommunicationem, ex Antiocheno, capite* XIIII.

Si quis episcopus damnatus à Synodo, presbyter aut diaconus à suo episcopo, aut fuerint aliquid de ministerio sacro contingere, siue episcopus, iuxta præcedentem consuetudinem, siue presbyter aut diaconus: nullo modo liceat ei, nec in alia Synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis. Sed & communicantes omnes abijci de Ecclesia, & maximè si posteaquàm didicerint aduersum memorator prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentauerint. Item, si quis excommunicatus, ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationem protulit.

*Carthaginis. Cap.* XXVIIII.

Item placuit uniuerso Concilio, ut qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, siue episcopus, siue quilibet clericus, & tempore excommunicationis suæ ante audientiam communionem præsumpserit, ipse in se damnationis indicitur protulisse sententiam.

*Carthaginis. Cap.* XIII.

Vt episcopus, qui contra suam professionem in concilio habitam uenerit, deponatur. Si quis contra professionem uel suscriptionem suã uenerit in aliquo, ipse se honore priuabit.

CAP. XVII.

Arnulphus episcopus dixit: Quamuis hæcita se habeant, reuerendissimi patres, certumq; sit hûc Arnulfum omnium patrũ concordibus damnari sententijs: tamen ne in inuidiam adducamur, admoneantur si qui sunt studiosi eius defensionis, habeantque locum contradicendi, suumque Arnulfum quomodolibet defensandi. Sitque hoc edictum nostrum sub disciplina Ecclesiastica, ita ut nullus deinceps excusandi pateat locus. Excuset nunc, qui eum iustas putat habere causas. Hic clerus ipsius adest, hic abbates scientia & eloquentia non ignobiles erigant iacentem, attollant humilatum: & si iniustè deiectum existimant, qua iusticia reformari debeat edoceant. Non enim in ruina fratris & consacerdotis nostri lætari nobis fas est: nec quisquam in iniuriam sui ducit, si ea quæ contra Arnulphum dicta uel facta sunt, ueracibus cognouerit refelli assertionibus.

CAP. XVIII.

Siguinus archiepiscopus dixit: Sicut frater & coepiscopus noster uenerabilis Arnulphus perorauit, autoritate Dei Patris omnipotentis, & Filij, & Spiritus sancti, adiuuante beata Maria semper uirgine, cum omnibus sanctis, autoritate quoque huius sacri conuentus præcipimus, ut nemo in hac Synodo silentio tegat, quæ pro defensione Arnulphi putauerit esse idonea: uel si ea quæ circa ipsum facta sunt, reprehensione digna existimat. Nec deinceps alicui scientia pateat refricandi aut remordendi, quod hoc sacro sanctum Concilium decreuerit, qui se nunc defensioni subduxerit, cum utique & ex tanto tempore excurrere potuerit, & nunc ei omnis copia dicendi adsit. Sed nec occasione insidiarum sibi quisquam blandiatur, cum sciamus principes nostros, omnibus licentiam absque iniuria ueniendi, & causas proprias exponendi, quæ uellent, concessisse. Sic accusatoribus siue obtrectatoribus, tam præsentibus quàm futuris, uel contra Arnulfum, uel contra nos testis conscientia præsens, qua in extremo examine quisque dijudicandus est, sit nobis iudicantibus præsens forma Christi in ultimo iudicio iudicantis: habeant defensores exemplar misericordiæ, qua misericordibus miserendum est.

CAP. XIX.

Hic cũ ab uniuersis patribus pronunciatum esset, Placet, placet hoc edictum patris Siguini: stupor se quamplurimus infudit, qui pertinaci episcoporum sententia Arnulfum damnandum fore putabant: quosdam autem spes defendendi in magnam animi alacritatem perduxit. Et suæ quidem Ecclesiæ filij accusare nolebant, pudore permoti: defendere autem minimè præsumebant, conscientia simul & anathemate deuincti. Sed aderant acerrimi defensores, scientia & eloquentia insignes, Iohannes scholasticus Antisiodorensis, Ranulphus abbas Senonensis, Albo rector cœnobij Floriacensis, ignorantia præteritorum gestorum pressi, & anathemate ad dicendum prouocati. Facto itaque silentio, diuersarum partium multiplicia librorum uolumina subitò apparuerunt. Multa denique in medium prolata, multa inter confidentes collata, ingens spectaculum præbuerunt: in primisque Stephani arciepiscopi, & trium Conciliorum epistola ad Damasum perlecta est: itemque Damasi responsio continuata in hunc modum.

CAP. XX.

*Quòd episcoporum & summorum negotiorum Ecclesiasticorum causæ semper ad sedem Apostolicam sint referendæ.*

Dño beatissimo & Apostolico culmine sublimato,

ſublimato, ſancto patri patrũ Damaſopapę, & ſummo omniũ præſulũ pontifici, Stephanus archiepiſcopus cõcilij Mauritanię, & uniuerſi epiſcopi de tribus concilijs Africanæ prouinciæ. Notum ueſtræ facimus beatitudini, quòd quidam fratres in confinio nobis poſiti, quoſdam fratres noſtros, uenerabiles uidelicet epiſcopos, uobis in conſultis à proprio deijcere moliuntur gradu, cum ueſtræ ſedi epiſcoporum iudicia & ſummorum finem Eccleſiaſticorum negotiorum, in honorem beatiſsimi Petri, patrum decreta omnium, cunctam reſeruaſſe ſententiam, inquirendique reuerentiam de Dei rebus, quas omni cura & ſolicitudine obſeruare debemus. Maximè uerò debent ab ipſo præſulum examinari uertice Apoſtolico, cuius uetuſta ſollicitudo eſt, tam mala damnare, quàm releuare laudanda. Antiquis enim regulis cenſitum eſt, ut quidquid horum (quamuis in remotis, uel in longinquo poſitis ageretur) prouincijs, non prius tractãdum uel accipiendum ſit, niſi ad noticiam almæ ſedis ueſtræ fuiſſet deductum, ut eius autoritate, iuxta quod fuiſſet pronunciatum, firmaretur. Et reliqua multoties talia, & his ſimilia, quæ ſuper his conſtituta ſunt. Quibus, ſi illicitè factum eſt (ut ſemper ueſtræ ſedi conſuetudo fuit) feſtinanter occurrite, & pro his uiriliter, ut pater pro filijs certantes, ſtate. Sicut bene ad Ieſum filium Syrach dictũ eſt: Vſque ad mortẽ certa pro ueritate, & ſemper Dominus Deus tuus pugnabit pro te. accipere enim perſonam impij non eſt bonum, ut declines à ueritate iudicij: ſin minus illicita ſunt hæc, pateat nobis talis omnibus licentia, beatiſsime pater: aut ſi liceat hos uel aliquos etiam minorum graduum clericos, niſi canonicè tempore legitimo uocatos, aut ſine legitimis accuſatoribus, aut abſque ueris & innocentibus teſtibus: & niſi manifeſtè canonicè conuictos, aut ſponte confeſſos, uel à ſuis ſedibus eiectos, aut ſuis rebus expoliatos, uocare ad Synodũ, uel damnare. Quia legimus, eos non poſſe canonicè ad Synodum uocari, ante ſuam diu tenẽdam & gubernandam, uiribus ſcilicet pleniter reſumptis, reſtitutionem, ſuiſque omnibus ſibi legaliter reſtitutis integerrimè: & ſic imperare, ut ueniant ad Synodum, niſi ſponte uoluerint.

## CAPVT XXI.

*Item epiſtola Damaſi ad eundem Stephanum, & ad concilia Africæ, quòd epiſcoporum iudicia non aliter quàm authoritate ſedis Apoſtolicæ ſint terminanda.*

Damaſus ſeruus ſeruorum Dei, atque per gratiam eius, epiſcopus ſanctæ catholicæ Eccleſiæ urbis Romæ, Stephano archiepiſcopo cõcilij Mauritanię, & uniuerſis epiſcopis Africanę prouincię: Lectis fraternitatis ueſtrę literis, primo gratias ago, quòd tantorum fratrũ merui benedictione frui. Deinde, quòd circa fratres ſollicitos uos ſe peri, & cum eis crucem Domini deferre, qui ait: Qui uult uenire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: & reliqua ad hũc modum pertinentia. Igitur quoniam in præſenti opportunè geſtorum conſultatione, Apoſtolicis ueſtra beatitudo uiſceribus commota, nos hortata eſt, tuitionem fratrum Apoſtolica impendere autoritate, & eorum iniurijs ſubuenire: dum conſtat, uos eadem cũ Apoſtolo compaſsibiliter dicere, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandaliſatur, & ego non uror? ſatagẽtes, ne aliquis de his qui nobis crediti ſunt, à ſæuis beſtijs laceretur, aut capiatur. pro qua re oportet iuxta ueſtram prudentiam commonicionem, magis autem ſecundum Domini diuinam præceptionem, nos qui ſupra dominum eius, hoc eſt uniuerſalem catholicam Eccleſiam epiſcopale ſuſcepimus miniſterium, ſollicitè uigilare, ut ne quid de ſacris eius muneribus, id eſt Apoſtolici iuris, Apoſtolorumque ſucceſſoribus atque miniſtris, quicquam nobis dormitantibus ualeat ſupprimi, atque iniuſtè nobisque inconſultis damnari. Scitis fratres chariſsimi, firmamentum à Deo fixum & immobile, atq; titulum lucidiſsimum ſuorum ſacerdotũ, id eſt omnium epiſcoporum, Apoſtolicam ſedem eſſe conſtitutam, & uerticem Eccleſiarum. Tu es enim, ſicut diuinum pronunciat ueraciter uerbum, Petrus: & ſuper firmamentum tuum, Eccleſiæ columnæ, qui tibi & claues cœlorũ regni cõmiſsi, atque epiſcopi intelliguntur, confirmatæ ſunt: ligare & ſoluere poteſtatem quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris, promulgaui. Tu profanatorum hominũ & membrorum meorum, maximeq; meorum diſcipulorum error, ut princeps & doctor orthodoxæ & immaculatę fidei, cuius uice hodie (gratia Dei) legatione pro Chriſto fungimur: & omnes huius ſanctæ ſedis præſules eius uicem geſſerunt, gerunt, & gerent. Ideo omnia quæ innotuiſtis, non licere mandarem, niſi uos tam pleniter inſtructos eſſe ſcirem, quòd cuncta ſuper quibus conſulatis, illicita eſſe non dubitetis. Diſcutere namque epiſcopos, & ſummorum Eccleſiaſticorum cauſas negotiorum metropolitanas, una cum omnibus ſuis comprouincialibus: ita ut nemo ex ijs deſit, & omnes in ſingulorum concordent negocijs, licet. Sed definire eorum atque Eccleſiarum ſummas quæ relas

relas causarum, uel damnare episcopos, absq; huius sanctæ sedis autoritate, minime licet: quam omnes appellare, si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet. Nam (ut nostis) Synodum sine eius autoritate fieri, non est catholicum: nec episcopus nisi in legitima Synodo, suo tempore Apostolica uocatione congregata, definitè damnari potest: neq; ulla unquam Concilia rata legitimate. Accusatores autem clericorum, & testes super quibus rogitastis, absq; ulla infamia aut suspicione uel manifesta macula, & uerè fidei pleniter instructi esse debent: & tales, quales ad sacerdotiū eligere diuina iubet autoritas. Quoniam sacerdotes (ut antiqua tradit autoritas) criminari nō possunt: nec in eos testificari, qui ad eundem nō debent nec possunt prouehi honorem. Vocatio enim ad Synodū, iuxta decreta patrum canonica, eius qui impeditur, tam sua præsentia, quàm & scriptis atq; apocrisarijs, per spacium fieri debet congruum atq; canonicum: quia nisi canonicè uocatus fuerit suo tempore, & canonica ordinatione, licet uenerit ad conuentum quacūq; necessitate, nisi sponte uoluerit, nullatenus suis respondebit insidiatoribus. Quoniam nec seculi leges hoc permittunt fieri: quanto magis diuinæ? Deiectis uerò, atque suis rebus expoliatis, nihil uobis uerius significare queo, quàm quod sancti patres definierūt, & nostri prædecessores Apostolica autoritate roborauerūt. Ita enim hæc se habent: episcopos eiectos, atq; suis rebus expolia tos, ecclesias proprias primò recipere, & sua omnia eis legaliter reddi, sancti Canones decreuerunt: & postea si quis eos accusare uellet, æquo id periculo facere sanciunt. Iudicetur esse decernentes episcopos rectè sapientes, & iustè uolentes ad tempus, diuque illis & resumptis uiribus & suis potestatiuè fruentibus rebus, amicisque, & Dei seruis sapientibus consulentibus uiris, in Ecclesia conuenientes, ubi testes erunt singulorum, qui oppressi uidebantur, & reliqua ad hunc ordinem pertinentia, quæ prolixitatem uitantes hic non inserimus, quia his sufficere credimus. Si quis autem his non est contentus, legat ea, & satiabitur. Scimus enim, homines inermes non posse cum armatis ritè pugnare. Sic nec illi qui eiecti, uel suis bonis sunt expoliati, cum illis qui in suo statu, & suis fruuntur amicis atq; bonis, litigare ritè possunt. Nec seculi quoq; leges hæc secularib. fieri permittūt: sed prius eiectos uel oppressos aut expoliatos, cum suis omnibus restitui iubent: & postea suo tempore (sicut lex eorum continet) ad placita uenire præcipiunt, nec ulla carceris custodia appellantem arceri permittunt. Docent enim ex parte (sicut nostis) terrena, quæ sunt cœlestia. Accusatores uerò & accusationes quas seculi leges nō adsciscūt, nullatenus sunt in horum admittendę causis: quia omne quod irreprehensibile est, catholica defendit Ecclesia: & hoc à maioribus definitum esse, propter prauorum hominum insidias, non dubitatur. Decet enim Domini sacerdotes fratrum causas piè tractare, & uenerabiliter intendere, atque eorum iudicia super sacrificia ordinare, ne proterua aut tyrannica dominatione (ut de quibusdam refertur) sed charitate pro Deo & fraterno amore cuncta peragere: & quod sibi quis fieri iuxta Dominicam uocem non uult, alij inferre non præsumat: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur uobis. Ea uerò quæ Apostolorum prædicatione & patrum institutione percepimus, semper tenere debemus, ne aliqua noua cudere, aut ad noxam fratrum semper intendere uideamur. Sed alterutrum onera portemus, ut, iuxta Apostolum, legem Domini adimplere ualeamus. Tempus enim congruum præuideri oportet, quando uniuscuiusque accusatæ personæ causa, rectissimè in medium producatur, quatenus grauitatem eius & consonantiam, quæ contra patrū decreta uel Synodi cōfessionē prodi, minimè cognoscatur, quàm ordinabiliter omnes intēdāt, ut ad eam in omnib. rationabiliter respondeāt, & iustè se uelle manifestè ostendant. Nullus autem introducatur personaliter, sed accusatores & accusati æqua audiantur ratione, iuxta quod gestorum ordo exigit. Accusatores uerò & iudices non ijdem sint: sed per se accusatores, per se iudices, per se testes, per se accusati, unusquisq; in suo ordinabiliter ordine. nā inscriptio primò semper fiat, ut talionē calumniator recipiat: quia ante inscriptionē nemo debet iudicari uel dānari, cū & seculi leges hæc eadē retineant: de quibus omnibus uera semper fiat æquitas, quatenus accusationis & iudicij ac testimonij mercedē, per ueritatē gestorū consequi ualeant. Scriptū est enim: Abominatio Domino labia mēdacia. &, testem fallacem, proferentem mendacia, & seminantem inter fratres scandala atque litigia detestatur, ipso monēte atq; dicēte: Non facies calumniā proximo tuo, nec ui opprimes eum: nō facies quod iniquū est, nec iniustè iudicabis: non considerabis personam pauperis, nec honores uultum potentis. iustè iudica proximo tuo: & quod tibi nō uis fieri, alteri non facias, etc.

Et maximè præceptum habentes Apostolicum,

ſtolicum, attendere nobis ipſis & gregi, in quo nos Spiritus ſanctus poſuit epi copos, regere Dei Eccleſiam, quam acquiſiuit per ſanguinem ſuum proprium : conuenit & iterum attendere lupos, attendere malos operarios, qui peruerſa faciunt, & aduerſa loquuntur, ut detrahere ſemper diſcipulos Domini, & infamare queant. Quos corrige re uos, & omnes Domini ſacerdotes ſummo ſtudio oportet: quia peius malum non eſt, quàm ut ciues ciuibus inuideant, & ſacerdotes uel clerici, ſacerdotibus uel pontificibus inſidientur, teſtante etiam ueritatis uoce: Qui uos tangit, tangit pupillam oculi mei: & qui ſcandaliſauerit unum de puſillis iſtis, melius eſt illi ut ſuſpendatur mola aſinaria in collum eius, & demergatur in profundum maris. & item: Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. ille proculdubio ſcandalizatus eſt in Dominum, qui eius ſcandalizat epiſcopum uel ſacerdotem, & multa talia, quæ hic non inſeruntur, ne nimis prolixa efficiatur epiſtola. Monentes quoque, inſtruere debetis memoratos uicinos ueſtros, ut à talibus ſe ſubtrahant: & quæ illicitè circa præfixos fratres egerunt, citò corrigant: & quos nobis inconſultis læſerunt, nobis inconſultis plena ſatisfactione ſanent: & citò ſibi eos reconcilient, ſi noluerint Apoſtolicæ ſedis ſuſcipere cenſuram. nam ſi quid fortaſſe in eis aut contra eos emerſerat, noſtrum fuerat expectandum examen, ut noſtra (ut ſemper huic ſedi fuit conceſſum priuilegium) aut condemnarentur autoritate, aut fulcirentur auxilio. neque enim ſuo prolibitu noſtra debuerant iura peruadere, abſque Apoſtolicæ ſedis diſpoſitione mandante. A talibus deinceps omnes ſe abſtineant ſacerdotes, qui noluerint ab Apoſtolicæ petræ, ſuper quam Chriſtus (ut prædictum eſt) uniuerſalem conſtruxit Eccleſiam, cui epiſcoporum ſumma iudicia atque maiorum cauſæ (ſicut paulo ſuperius memoratum eſt) reſeruatæ ſunt, ſoliditate, atque ſacerdotali honore ſecludi. Inducię enim accuſatis in criminalibus epiſcopis, ſex menſium, uel eo amplius (ſi neceſſe fuerit) concedendæ ſunt: quoniam & laicis hoc permiſſum, nullus ſeculariбus imbutus diſciplinis ignorat: quanto magis ſacerdotibus, qui ſuperiores eſſe eis non dubitatur. Habetur quoq; in decretis patrũ ſancitũ, nõ debere canonicũ quenquã ſacerdotem iudicari uel damnari, ante quam accuſatores canonicè examinatos præſentes habeat, locũq; defendendi accipiat: item inducias Eccleſiaſticas, ad abluenda crimina, & cætera: nec extra propriam fiat prouinciam, primò diſcuſsionis ac cuſatio ſine Apoſtolica præceptione, cui in omnibus cauſis debet reuerentia cuſtodiri: quoniam & antiqua docet hoc patrum regula, in qua & imperialia pariter ſtatuta concinunt. Criminum, inquiunt, diſcuſsio ibi agitanda eſt, ubi crimen admiſſum eſt. nam alicubi criminum reus prohibetur audiri: & alibi in canonibus præcipitur, Quæcunque negocia in ſuis locis, ubi orta, ſunt finienda, & reliqua. Talia, & his ſimilia, ſalua tamen in omnibus Apoſtolica authoritate, ut nihil in his diffiniatur, priuſquam ei placere cognoſcatur, qua omnes ſuffultos eſſe oportet: & ſi quid eis graue intolerandumque acciderit, eius eſt ſemper expectanda cenſura. neque enim proteruè, aut ſtimulo ſuæ cogitationis impulſus (ut ſæpe actum) aggrauimus detrahere, aut accuſare præſumat quenquam ſacerdotum: quia iniuria eorum ad Chriſtum pertinet, cuius uice legatione pro populo Chriſti ſanguine redempto funguntur. cauſas enim eorum, quia Dei cauſæ ſunt, eius eſſe iudicio reſeruandas, qui ualet corpus occidere, & animam mittere in gehennam. qui dicit Mihi uindictam, & ego retribuam: apud quem conſcientia nuda eſt, cui non abſconduntur occulta. Inſtruendi etiam omnes ſunt, quomodo per nos illis Chriſtus intonuit, Non eſſe ouium, lupi inſidias præuidere, ſed paſtoris. Monet igitur beatus apoſtolus Paulus, ne de his temere leuiterque præſumatur iudicium: de quibus nemo poteſt uerius uel melius iudicare, quàm Deus. Tu autem, inquit, quare iudicas fratrem tuum, aut cur ſpernis eum? omnes enim ſtabimus ante tribunal Dei. Scriptum eſt enim: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Domino. Itaque unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo. In hoc ergo non ſibi quiſpiam temerarios auſus uſurpet, ut præter quod ad concordiam pertinet, aliud agat, unde unitas Eccleſiæ diſsipetur. non ergo leuiter quiſquam aſſentiat in detractione, uel iudicatione, aut damnatione fratrum: maximeque ſacerdotum, qui proximiores ſunt Deo, & qui proprio ore Chriſti corpus conficiunt: quia ob hoc uenit ira Dei in filios præuaricatorum, qui Chriſtum in ſuis perſecutionibus membris. Nolite fratres, nolite efficiparticipes eorum, nec communicetis peccatis talium, aut in fructuoſis uerbis illorum: magis autem & redarguite talium cœtus, qui extendere moliuntur quaſi arcum, in fratres linguas ſuas. Defendite ergo fratres, & omnes monete ut armentur contra

contra fratrum persecutores. confidimus autem de uobis meliora, & uiciniora salutis: quia neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua (magistro gentium docente) poterit nos separare à charitate Domini nostri IESV CHRISTI, quæ maximè in sacerdotibus & reliquis perficitur membris eius. Nolite itaque amittere confidentiam uestram, quæ magnam habet remunerationem. Ecce enim iudex ante ianuam assistit, coronas hilariter promittens his qui pro eo fratribus auxiliũ ferunt, & oppressis succurrunt, atque in charitate collaborãt. Quòd si subtraxerit se quis, non placebit Deo, sed cadet: quia non subleuauit caden tem, sed emarcuit.

*Et post aliquanta:*

Temerè enim iudicat, si quis episcopum absque sedis Apostolicæ autoritate condemnat, cum ei (ut paulò superius prælibatum est) hoc specialiter priuilegium reseruatum sit.

*Item post aliquanta:*

Ille procul dubiò facit iniquitatem in iudicio, qui ea sibi uendicat, quæ ei uẽdicare non licet: ideoque huic sedi concessa sunt, ut nullus usurpare sine eius consultu præsumat, qui non uult honore Ecclesiastico indignus aut contemptor iudicari. Itaque oportet propulsare negligentes, sed ita, ut nolentes non roborentur: & bonos improbis atque insidiatoribus fratrum resistere, ne corpore desidiæ oppressi, taciturnitatis teneamur obnoxij. Itaque qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit, nihil agit aliud quàm fauere impietati. Nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare, & reliqua.

CAPVT XXII.

Allatus est autem etiam Tomus, Abbothariensi regno per manus Ratbodi episcopi Nouiomensis, in quo hæc continebantur: Ex decretis sancti Clementis papæ, de accusatione episcoporum. Accusandi uel testificandi licentia denegetur, qui Christianæ religionis & nominis dignitate, & suæ legis uel sui propositi normam, aut regulariter prohibita neglexerũt. Trãsgressores enim legis suæ sponte, eiusque uiolatores, Apostatæ nominantur. Omnis enim apostata refutandus est, & ante reuersionem suam non in accusatione aut testimonio suscipiendus.

*Ex decretis Stephani papæ.*

Nullus episcoporum, cum suis fuerit rebus expoliatus, aut à sede propria qualibet occasione pulsus, debet accusari, aut à quoquam ei potest crimen obijci, priusquam integerrimè restauretur, & omnia quę ei ablata quocunque sunt ingenio, legibus redintegrentur, & ipse propriæ sedi & pristino statui regulariter reddatur.

*Item ex eisdem.*

Accusatores & accusationes, quas secuculi leges non recipiunt, & antecessores nostri prohibuerunt, & nos submouemus. nullus enim alienigena, aut accusator episcoporum fiat, aut iudex. Vnde & de Loth scriptum est: Ingressus erat aduena, nunquid ut iudices? Accusator autem eorum nullus sit seruus aut libertus, nullaque suspecta aut infamis persona. Repellantur etiam cohabitantes inimicis, & omnes laici.

*Ex decretis Syxti papæ.*

Nemo pontificum aliquem suis rebus expoliatum episcopum, aut à sede pulsum, excommunicare aut iudicare præsumat: quia non est priuilegium, quo expoliarĩ possit iam nudatus.

*Ex decretis Iulij papæ.*

Si quis ab hodierna die & deinceps episcopum, præter huius sanctæ sedis sententiam damnare, aut propria sede pellere præsumpserit, sciat se irrecuperabiliter esse damnatum, & proprio carere perpetim honore: eosque qui absque huius sedis sententia sunt electi uel damnati, huius sanctæ sedis autoritate scitote pristinam recipere communionem, & in proprijs restitui sedibus.

*Item:*

Nocumenta episcoporum sunt prohibita, ita ut qui talia tentauerint, aut eis nocere præsumpserint (siquidem clerici fuerint) à proprio gradu decidãt: si uerò monachi aut laici fuerint, anathematizentur.

*Ex decretis Symmachi papæ.*

Ordinis dignitate & communione priuetur, qui uiuo pontifice, quolibet modo episcopatum eius conuictus fuerit ambisse uel tẽtasse: omnesq; pariter huius culpę reos, anathematis pœna duximus plectẽdos.

*Item:*

Nulli fas est uel uelle uel posse transgredi Apostolicæ sedis præcepta, nec eius dispositionis ministerium, quod omnium sequi oportet charitatem. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis Apostolicis uoluerit contraire decretis: nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extoris à sancto ministerio fiat: nec de eius iudicio quisquam postea curã habeat, quoniam iam damnatus à sancta & Apostolica

Ecclesia, eiusque autoritate & propria in obedientia atque præsumptione, à quoquam esse non dubitatur: quia maioris excommunicationis deiectione est exigendus, cui sanctæ Ecclesiæ commissa fuerit disciplina: quia non solum præclaris sanctæ Ecclesiæ iussionibus parêre debuit, sed etiam alios ne præterirent, insinuare. Sitque alienus à diuinis & pontificialibus officijs, qui noluit præceptis obtemperare Apostolicis.

*Ex decretis Eusebij papæ.*

Oues ergo quæ pastori suo commissæ fuerint, eum nec reprehendere, nisi à recta fide exorbitauerit, debent, nec ullatenus accusare possunt: quia facta pastorum, oris gladio ferienda non sunt, quanquam rectè reprehendenda uideantur. Ideo ista dicimus, quia his scriptis uestris reperimus, quosdam episcopos uestris in partibus à proprijs ouibus accusatos, aliquos uidelicet ex suspicione, & aliquos ex certa ratione: & idcirco quosdam suis rebus esse expoliatos, quosdã uerò à propria sede pulsos: quos scias nec ad Synodum comprouincialem, nec ad generalem posse uocare, nec in aliquibus iudicare, antequam cuncta quæ eis sublata sunt, legibus potestati eorum redintegrentur.

*Item ex eiusdem.*

Errorem uestrum corrigite fratres, & ab omni erroris macula uos custodite, ut purũ Deo munus offerre ualeatis. Seruos Dei nolite persequi. Episcopos nolite infamare, neq; accusare: quia Deus eos suo iudicio uoluit reseruari.

*Ex decretis Adriani papæ.*

Homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, uenefici, adulteri, & qui raptum fecerit, uel falsum testimonium dixerit, seu qui ad sacrilegos magosq; cucurrerint, nullatenus ad accusationem, uel ad testimonium erũt admittendi. Qui crimen intendit, agnoscendum est, si ipse antè non fuit criminosus: quia periculosum est, & admitti non debet rei aduersus quemcunque professio.

*Ex decretis Fabiani papæ.*

Similiter statutum est, & nos eadem statuta firmantes statuimus, ut si aliquis clericorum suis episcopis infestus aut insidiator fuerit, eosque criminari tentauerit: aut conspirator fuerit, ut mox ante examinatum iudicium submotus à clero, curiæ tradatur, cui diebus uitæ suæ deseruiat, & infamis absq; ulla restitutionis spe permaneat, nec ullus unquam præsumat accusator simul esse, & iudex.

*Ex decretis Marcelli papæ.*

Si qui episcoporum expulsi fuerint, aut expoliati suis rebus, primò omnia legaliter reddi, quæ eis ab inimicis aut persecutoribus ablata sunt, & sedes proprias cum omnibus ad se pertinentibus regulariter congregatis restitui, & postea tempore congruo uocari ad Synodum regulariter congregatam, censemus: nec liceat ei, priusquam hæc fiant, de se iuxta statuta prædictorum respondere, aut de suis impeditionibus, si se uiderit prægrauari, reddere rationem. Sed his ritè peractis, suisq; omnibus liberè dispositis, si tum iustè uidetur, suis respondeat accusatoribus: & si ei necesse fuerit, inducias accipiat non modicas, ut explorare ualeat ea quæ obijciuntur ei, ne aliqua deluſus fraude nocenter ruat.

*Ex decretis Anacleti papæ.*

Accusatores, inquit, & testes esse non possunt, qui ante hesternum diem, aut nudiustertius inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, ne læsi ulcisci se uelint. Inoffensus igitur accusatorum & testium affectus quærendus est, & non suspectus.

*Ex decretis Damasi papæ.*

Qui accusare alium elegerit, præsens per se, & non per alium accuset: neque ullus unquam iudicetur, antequam legitimos accusatores præsentes habeat, locumq; defendendi accipiat, ad abluenda crimina. Syluerius autem papa de fraudulenta sui comprehensione querimoniam faciens, inter cætera dixit: Qui talia contra me egerunt, anathematizaui: & unà cum episcopis, Apostolica & Synodali autoritate statui, nullum unquam episcoporum ita decipi: huiusmodi uerò præsumptorem anathema maranata fieri in conspectu Dei & sanctorum angelorum.

CAP. XXIII.

In his omnibus qui defensioni studebant, quatuor quædam principaliter ingerebant. Primùm, ut suæ sedi restituerentur: neque enim spoliatum respondere debere. Deinde legitimas uocationes, & ut Romano pontifici causa significaretur, tum accusatum tum accusatores, testes ac iudices in magna Synodo discernendos, neque sibi aliter ex ratione canonum posse uideri causam constare. Quibus omnibus diligenter consideratis, altera parte respondebatur, iuxta huncordinem decretorum, omnia penè consummata esse. Nam ut ab ultimis, inquiunt, repetamus, accusator eius ad hanc causam satis idoneus est. Quippe nec antè inimicus, nec ad accusandum

dum metu aut præmio adductus, sed tantum zelo religionis permotus: & qui, si eum non cognouisset, eo quo utitur presbyteratu dignus haberi posset. Vocationes autem eius ad Synodum per epistolas canonicas, & per apocrisiarios, non solum sex mensium, sed etiam anni spacia transcendunt. Addebant præterea, sedi suæ minimè posse restitui, eo quòd etiam restitutus uocem loquendi non haberet. sic enim contineri in Africano concilio, titulo 12. Si clerici intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum uox postea penitùs audiatur. Et quia captio eius inuidiosa putabatur, neque inusitatum, neque alienum à sacris legibus idem repetebatur. In historia quippe Remensium pontificum scriptum constabat, Hildemannum Beluacensem episcopum, detentum in monasterio sancti Vedasti, Sytonem Ludouicum insimularetur, ad Lotharium Cæsarem profugere uoluisse. Epum idem molientem, per Rothadum Suessonicum, & Erchenradum Parisiorum episcopum, in Vuldensi monasterio, pro similibus similia sustinuisse. Iustum ergo uideri, ut qui de regiæ maiestatis crimine impeditus, uocationi episcoporum non paruerit, iudiciaria potestate contentus sit: idq; firmari ex Africano concilio, titulo 38.

CAP. XXIIII.

Cresconius Villaregiensis episcopus, plebe sua derelicta, Tuburniensem inuasit ecclesiam: & usque hodie commonitus, secundum quod statutum fuerat, relinquere eandem quam inuaserat plebem, contempsit aduersus statuta, quæ pronunciata fuerant: Cõfirmata quidem audiuimus, sed petimus secundum quod nobis mandatum est, ut dignemini dare fiduciam, quo necessitate ipsa cogente, liberum nobis sit, rectorem prouinciæ secundum statuta gloriosissimorum principum aduersus illum adire: ut qui nunc admonitioni sanctitatis uestræ acquiescere uoluit, & emendare illicitum, autoritate iudiciaria protinus excludatur. Aurelius episcopus dixit: Seruata forma disciplinæ, non existimabitur appetitus. Si uestra charitate modestè conuentus recedere detrectauerit, cum fuerit suo contemptu & contumacia, facientè etiam autoritate iudiciaria, conuictus.

Item ex eodem Concilio, titulo 43. Sunt plerique conspirantes cum plebibus prosuis, quas decipiunt (ut dictum est) earum scalpentes aures, ad seducendum uitiosæ uitæ homines: uel certè inflati, & ab hoc consortio separati, qui putant propriæ plebi incubandum: & nonnunquam conuenti ad concilium uenire detrectant, sua fortè ne prodantur flagitia metuentes. Dico (si placet) circa hos non tantum diœceses non esse seruandas: uerumetiam & de propria Ecclesia, quæ illis malè fauerit, omni modo admitendum, ut etiam autoritate publica reijciantur, atque ab ipsis principalibus cathedris remoueantur. Oportet enim, ut qui uniuersis fratribus, ac toto concilio inhæserit, non solum sua iure integro, sed & diœceses possideat. At uerò qui sibimet putant plebes suas sufficere, fraterna dilectione contempta, non tantum diœceses amittant: sed (ut dixi) etiam proprijs publica careant autoritate, ut rebelles.

CAP. XXV.

Ad Romanum autem pontificem causam perlatam fuisse dicebant, exemplaribus in hunc modum prolatis: Beatissimo papæ Iohanni, Hugo gratia Dei Francorum rex. Nouis atque inusitatis rebus permoti, summo studio, summaque cura uestra consilia expetenda decreuimus. quippe cum sciamus, uos omne tempus in humanis ac diuinis studijs exegisse. Considerate ergo quæ facta sunt, & facienda præscribite, ut & sacris legibus suus honor reddatur, & regalis potestas non annulletur. Arnulfus regis Lotharij (ut dicunt) filius, post graues inimicitias ac scelera, quæ in regnum nostrum exercuit, loco parentis adoptatus est à nobis, ac metropoli Remorum gratis donatus: iusiurandum præbuit, quod contra præterita & futura uaderet sacramenta. Libellum fidelitatis sub nomine chirographi conscripsit, recitauit, corroborauit, corroborarique fecit. Milites ac omnes ciues iurare coegit, ut in nostra persisterent fide, si ipse aliquando in potestatem hostium deueniret. Contra hæc omnia, ut certissimi testes sunt, ipse portas hostibus patefecit: clerum ac populum suæ fidei creditum, captiuitati & prædæ distribuit. Sed esto, eum esse addictum alienæ potestati, ut ipse uideri uult: cur ciues & milites peierare cogit? Cur arma contra nos comparat? Cur urbem ac castra contra nos munit? Si captus est: cur non patitur liberari? Si ui hostium oppressus, quare non uult sibi subueniri? & si liberatus est, cur ad nos non redit? Vocatur ad palatium, & uenire contemnit. Inuitatur ab archiepiscopis, nihil se eis debere respondet. Ergo qui uices Apostolorum tenetis, sta-

tuite, quid de altero Iuda fieri debeat, ne nomen Dei per nos blasphemetur: & ne fortè iusto dolore permoti, ac uestra taciturnitate urbis excidium, totiusque prouinciæ moliamur incendium: nec iudici Deo excusationem prætendetis, si nobis quærentibus atque ignorantibus, formam iudicij dare nolueritis.

CAP. XXVI.

Domino & reuerendissimo papæ Iohanni, episcopi Remorum diœcesēos: Non sumus nescij, Beatissime pater, iamdudum oportuisse nos expetere consulta sanctæ Romanæ ecclesiæ, pro ruina atque occasu sacerdotalis ordinis: sed multitudine tyrannorum pressi, longitudine terrarum semoti, desideria nostra hactenus implere nequiuimus. Nunc itaque uestro examini, non sine magno dolore perferimus nouum atque inusitatum crimen Arnulfi Remorum archiepiscopi, qui famosus apostata factus, locum Iudæ traditoris olim in Ecclesia tenet: qui filius quondam ecclesiæ Laudunensis, cum episcopum suum dolo & fraude cæperit, ecclesiam eius pernaserit, ad cumulum suæ damnationis Remensem sibi creditam, cum clero & populo captiuauit: nec mouet eum nostra uocatio, uel potius saluberrima exhortatio, non archiepiscoporum comprouincialium multoties repetita admonitio, non canonicè facta coram Deo & angelis eius professio: non chirographi in conspectu Ecclesiæ recitata descriptio, non numerosa sacramenta miris excogitata consilijs. Stant suo uitio quàm plures ecclesiæ pastoribus uiduatæ, pereunt innumerabiles populi sine sacerdotali benedictione & confirmatione: ipse factione tyrannica, diuina humanaque iura contemnens, tyrannidem exercet. Regibus nostris, à quibus tantam gloriam gratis consecutus est, interitum meditatur. Ergo tandem monstro perditissimi hominis expergefacti, iuimus in sententiam Domini dicentis: Si peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unū uel duos, ut in ore testium duorum uel trium stet omne uerbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem & Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Adesto pater ruenti Ecclesię, & sententiam ex sacris canonibus promulgatam, uel potius ab ipsa ueritate prolatam, profer in reum. Sentiamus in uobis alterum Petrum defensorem, & corroboratorem Christianæ fidei: ferat sancta Romana Ecclesia sententiam damnationis in reum, quem uniuersalis damnat Ecclesia. Suffragetur nobis uestra auctoritas, & in huius apostatæ deiectione, & in eius qui domui Dei præesse posit, archiepiscopi noua ordinatione: simulque inuocatis episcopis nostris fratribus, necessaria promotione: ut sciamus & intelligamus, cur inter cæteros Apostolatum uestrum præferre debeamus.

CAP. XXVII.

His epistolis in media Synodo recitatis, missionis earum tempus, & relata legatio à defensoribus Arnulfi perquirebatur: &, de primo quidem mensis undecimus reperiebatur, de altero autem nihil memoria dignum. Sed legatos tantum scripta Romano pontifici porrexisse, primoque se blandè acceptos esse: postea uerò quàm Heriberti comitis legati, equum corpore præstantem, niueo colore insignem, cum alijs muneribus pontifici obtulerunt, se per triduum ante ianuam pælatij defatigatos, nec admissos, infecto negotio rediisse. Astipulabantur etiam huic rationi Brunonis episcopi præsentes clerici, qui se pro eius captione Romanum pontificem adesse dicebant. A' quo male dicta in reos cum ex autoritate Apostolica expeterent, eius ministri summam solidorum decem dari censebant. Quibus derisis, eo quòd se pecunia redimi posset, nec mille talenta moras inferrent: hoc tandem in responsis ab ipso pontifice accepérunt, ut is pro quo captus esset, bene illi prospiceret. Non ergo sedem Apostolicam huic iudicio præiudicare. Bene quoque Africanos episcopos super hoc Romanorum typo permotos fuisse, qui super hac re, Synodo 217 episoporum, tempore Zosymi papæ inchoata, & per tempora Bonifacij distenta, tandemque sub Celestino consummata, quod de Romani episcopi potestate sentiri uellent, in æternis monimentis statuerunt. Quod concilium quoniam insigne est, & beati Augustini prę sentia illustratum, & artificiosis cōsultationibus expolitum, uimque multiplicis argumenti huic Synodo præbuit, ad plenū his gestis annectere utile iudicauimus.

CAP. XXVIII.

Multa super his pater Arnulphus publicè locutus est, multa cum sibi tantum assidentibus contulit: quæ ne forte minus suauitatis habeant, ita sparsim posita, ut sunt ab eo prolata, ea in unum colligere maluimus, ut continuata oratio plus utilitatis studioso Lectori cōferat. Nos uerò, inquis

rò, inquit, Reuerendiſsimi patres, Romanã ecclesiam propter beati Petri memoriam ſemper honorandam decernimus, nec decretis Romanorum pontificum obuiare contendimus: ſalua tamen autoritate Nicæni concilij, quod eadem Romanæ ecclesiæ ſemper uenerata eſt. Statuta etiam ſanctorum canonum diuerſis locis, diuerſis temporibus (ſed eodem Dei ſpiritu conditorum) in æternum ualere præcipimus, ab omnibus ſeruanda cenſemus. Duo autem ſunt, quæ magnopere à notificis ſilentium, aut noua conſtitutio promulgatis legibus Canonum, uel decretis priorum præiudicari poteſt. Si enim ſilentium præiudicat, omnes leges, omnia priorum decreta, & ſilente ſilere neceſſe eſt. Si autem noua conſtitutio, quid proſunt leges conditæ, cum ad unius arbitrium omnia dirigantur? Videtis, quia his duabus cauſis admiſsis, Ecclesiarum Dei ſtatus periclitatur: & dum legibus leges quærimus, nullas omnino leges habemus. Quid ergo? Num priuilegio Romani pontificis derogabimus? minimè. Sed ſi Romanus epiſcopus is eſt, quem ſcientia & uitæ meritum commendet: nec ſilentium, nec noua conſtitutio metuendæ ſunt. Quòd ſi uel ignorantia, uel metu, uel cupiditate abalienatur, uel conditio inuidiam facit (quod ferè ſub hæc tempora uidimus) Romæ tyrannide prævalente: tunc multo minus idem ſilentium, & noua conſtitutio formidanda ſunt. Non enim is qui quolibet modo contrà leges eſt, legibus præiudicare poteſt. Sed ô lugenda Roma, quæ noſtris maioribus clara patrum lumina præbuiſti, noſtris temporibus monſtroſas tenebras futuro ſeculo famoſas effudiſti. Olim accepimus claros Leones, magnos Gregorios. Quid dicam de Gelaſio & Innocentio, qui omnem mundanam philoſophiam ſua ſapientia & eloquentia ſuperant? Longa ſeries eorum eſt, qui ſua doctrina mundum repleuerunt. Eorum itaque diſpoſitioni, qui uitæ merito & ſcientia cunctos mortales anteirent, rectè uniuerſalis Eccleſia credita eſt: quamuis & in hac ipſa fœlicitate hoc priuilegium tibi ab Africanis epiſcopis contradictum ſit, has credo quas patimur miſerias magis, quàm typum dominationis formidantibus. Nam quid ſub hæc tempora non uidimus? Vidimus Iohannem cognomento Octauianum, in uolutabro libidinum uerſatum: etiam contra eum Otthonem, quem Auguſtum creauerat coniuraſſe: quo fugato, Leo neophytus in pontificem creatur. Sed Otthone Cæſare Roma diſcedente, Octauianus Romam redit, Leonem fugat: Iohannem Diaconem naſo, dextris digitis ac lingua mutilat: multaque cæde primorum in urbe debacchatus, in breui moritur. cui Benedictum Diaconem, cognomento Grammaticum, Romani ſubſtituunt: eum quoque Leo neophytus cum ſuo Cæſare non longe pòſt aggreditur, obſidet, capit, deponit, perpetuoq; exilio in Germaniam dirigit. Succedit Otthoni Cæſari Cæſar Ottho, natura, ætate cunctos principes, armis, conſilio ac ſcientia ſuperans. Succedit Romæ in pontificatu horrendum monſtrum Malefacius, cunctos mortales nequitia ſuperans, etiam prioris pontificis ſanguine cruentus: ſed hic etiam fugatus eſt, in magna Synodo damnatus: poſt obitum diui Otthonis Romam redit, inſignem uirum Apoſtolicum Petrum, Papienſis eccleſiæ prius antiſtitem, data ſacramentorum fide, ab arce urbis deijcit, deponit: ſqualore carceris affectum, perimit. Num talibus monſtris hominum ignominia plenis, ſcientia diuinarum & humanarum rerum uacuis, innumeros ſacerdotes Dei per orbem terrarum, ſcientia & uitæ merito conſpicuis, ſubijci decretum eſt. Quid eſt hoc Reuerendiſsimi patres? uel quo'nam uitio fieri credendum eſt, ut caput Eccleſiarum Dei, quod in ſublime erectum, gloria & honore coronatum eſt, ita in infima deiectum, ignominia & dedecore deturpatum ſit? Noſtrum, noſtrum eſt hoc peccatum, noſtra impietas, qui quærimus quæ noſtra ſunt, non quæ IESV CHRISTI. Si enim in quouis ad epiſcopatum electos, morum grauitas, uitæ meritum, diuinarum ac humanarum rerum ſcientia, ſubtiliter inueſtigantur: quod in eo qui omnium epiſcoporum magiſter uideri appetit, inueſtigandum non eſt: cur ergo in ſumma ſede ſic infimus conſtituitur, ut etiam in clero nullum habere locum dignus inueniatur? Quid hunc Reuerendi patres, in ſublimi ſolio reſidentem, ueſte purpurea & aurea radiantem, quid hunc (inquam) eſſe cenſetis? Nimirum ſi charitate deſtituitur, ſolaque ſcientia inflatur & extollitur, Antichriſtus eſt, in templo Dei ſedens, & ſe oſtendens tanquàm ſit Deus. Si autem nec charitate fundatur, nec ſcientia erigitur, in templo Dei, tanquam ſtatua, tanquam idolum eſt: à quo reſponſa petere, marmora conſulere eſt. Quò ergo conſultum ibimus? Euangelium docet, quendam in ficulnea ter fructũ

quæbisse: & quia non repererit, succidere uoluisse, sed admonitum expectasse. Expectemus ergo primates nostros, quo ad possumus: atq; interim diuini uerbi pabula, ubi'nam reperiri ualeant, inuestigemus. Certè in Belgica & Germania, quæ uicinæ nobis sunt, summos sacerdotes Dei, in religione admodum præstantes, inueniri, in hoc sacro conuentu testes quidam sunt. Proinde si regum disidentium animositas non prohiberet, inde magis episcoporum iudicium petendum fore uidetur, quàm ab ea urbe, quæ nunc temporibus uenalis expositа, ad nummorum quantitatem iudicia trutinat. Quod si quispiam dixerit secundum Gelasium, Romanam ecclesiam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius unquam iudicio iudicari posse: quanquam hoc ipsum Africani episcopi impossibile iudicant, nisi fortè (inquiunt) quisquam est qui credat, unicuilibet posse Dominum nostrum examinis inspirare iusticiam, & innumerabilibus congregatis in concilium sacerdotibus denegare. Sed cum hoc tempore Romæ nullus penè sit (ut fama est) qui literas didicerit, sine quibus (ut scriptum est) uix ostiarius efficitur: qua fronte aliquis eorum docere audebit, quod minimè didicit? Ad comparationem quippe Romani pontificis, in alijs sacerdotibus ignorantia utcunq; tolerabilis est: in Romano autem, cui de fide, uita, moribus, disciplina sacerdotum, deq; uniuersali Ecclesia catholica iudicandum est, intolerabilis uideri potest. Is enim est (ut quibusdam placet) qui secundum Ezechielem prophetam, moratur in gazophylacio, quod respicit uiam meridianam, & excubat in custodijs templi: cur autè loco prior, scientia inferior, non æquo animo ferat iudicium loco inferioris scientia prioris? Certè ipse Apostolorum princeps non abnuit iudicium, quamuis loco minoris, Pauli, scientia prioris, in faciem sibi resistentis: quoniam non sana uidebatur doctrina magistri. & Gregorius papa cum dicat, Si quæ culpa in episcopis inuenitur, nescio quis Apostolicæ sedi subiectus non sit, subinfert: Cum uerò culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis pares sunt. Inuolutus ergo criminibus, sentiat præesse sibi Romanum pontificem: qui nullis atrocioribus factis prægrauatur, intelligat parem dignamq; se ac Romano pontifice in quolibet negotio laturus sententiã. Sed esto, ponamus nunc Romæ esse Damasum, quid contra eius decretum actum est? nempe, si bene recordor, primum capitulũ fuit, quòd episcoporum & summorum negociorum Ecclesiasticorum causæ semper ad sedem Apostolicam sint referendæ: utique relatę sunt non solum ab episcopis, sed etiam à principe nostro serenissimo, liberaque potestas Apostolicæ sedi data est, & uera inuestigandi, & cognoscendi, & dijudicandi per temporum interualla nimis prolixa: nec prius ad causam accessimus, quàm desperatione iudicij eius protraheremur. Consultus est ergo Romanus episcopus ut oportuit, & de huius Arnulfi depositione, & de eius qui domui Dei dignè præesse posset substitutione: sed cur nihil respondeat, quorum interest, ipsi uiderint. Nos autè Sardicense concilium, quod priuilegio Romanę ecclesiæ plurimùm fauet, ita ad hanc causam inflectimus, ut quod de solo episcopo in qualibet prouincia relicto dicit, ad Romanum episcopum affectum esse credamus. Sic enim habetur Titulo 6.

Osius episcopus dixit: Si cõtigerit in una prouincia, in qua fuerint plurimi episcopi, unum fortè remanere episcopum: ille uerò per negligentiam noluerit ordinare episcopum, & populi conuenerint episcopos uicinæ prouinciæ: debere illum prius conueniri episcopum, qui in eadem prouincia moratur, & ostendere quòd populi petant sibi rectorem: & hoc iustum esse, ut & ipsi ueniant, & cum ipso ordinent episcopum. Quòd si conuentus literis tacuerit & dissimulauerit, nihilque responderit: tunc satisfaciendum esse populis, ut ueniant ex uicinis prouincijs, & ordinent episcopum. Iuxta huius sententiæ tenorem, ad petitionem ab episcopis & principe conuentus est, ut sua autoritate Arnulfus deponeretur, & alter substitueretur. Quia ergo conuentus literis tacuit & dissimulauit, & nihil respondit: nunc satisfaciendum esse populis censeo, ut episcopi qui exuicinis prouincijs conuenerant, & hunc Anulfum, si depositione dignus est, deponant: & si fortè qui domui Dei præesse posit, repertus est, episcopum cõstituant. Et quoniam Damasus episcoporum summa negocia metropolitanis discutere concedit, definitionem eorum suæ potestati attribuit: Damaso quidem non resistimus, sed scriptum beati Gregorij in medium proferimus. Lator, inquit, præsentium Nemesion ad nos ueniens, indicauit Paulum Teathinæ ciuitatis episcopum, inter alia mala in corporale crimen lapsum, à suis fuisse clericis accusatum: atque habita cognitione, ita quod sine dolore dicere non possumus, claruisse: atque insuper postquã conuictus est, etiam libellum eum in quo ea de quibus accusatus fuerat, uera esse confessus est, obtulisse. Qua

Qua de re illo depositō, episcopali sententia, eius loco cum fraternitatis uestræ consensu esse episcopum ordinatum. Ecce hic Paulus episcopus, ignorante Gregorio deponitur, alter in loco eius substituitur: causa cum suis effectis per latorem apicum Gregorio significatur. Non in depositores Gregorius ulciscitur, sed in depositum ulterius sæuit. ait enim post aliquanta: Qui si fortè (quod non credimus) post depositionem suam inuerecundè, ac mente peruersa aliquid de episcopatu loqui, atque rursus ad hoc qualibet aspiratione præsumptione tentauerit, fraternitatis uestræ se contra improbitatem ipsius omnino uigor accendat, atque Dominici corporis & sanguinis communione priuatum, in monasterio eum usque ad diem obitus sui, ad agendam curet pœnitentiam retrudendum: quatenus perpetrati sceleris maculas dignis discat fletibus emundare, quas magis in interitu animæ suæ, nequiter augere desiderat. Quomodo nunc decretum Eusebij papæ seruatum est? Etenim paulo antè in Tomo decretali lectum est: Oues ergo quæ pastori suo commissæ fuerint, eum nec reprehendere, nisi à recta fide exorbitauerit, debent, nec ullatenus accusatio ferienda non sunt, quanquam rectè reprehendenda uideantur. Certè hic Paulus à suis ouibus, id est à suis clericis reprehensus & accusatus est, non de fide, sed de corporali crimine. In hac itaque decretorum uel canonum uarietate hoc obseruandum est, ut causarum euentus finem accipiant iuxta æquitatem, nullis animorum perturbationibus improuidè admixtis. Et quoniam summi negocij discussionem & definitionem, à metropolitano primæ Iustinianæ factam fuisse cognouimus: doceamus etiam nunc, quòd episcopis etiam suorum metropolitanorum summa negocia discutere liceat. Scribit item Gregorius uniuersis episcopis concilij Vizachij: Sicut (inquit) laudabile discretumque est, reuerentiam & honorem debitum exhibere prioribus: ita rectitudinis & Dei timoris est, si qua in eos correctionis indigent, nulla dissimulatione postponere: ne totum, quod absit, corpus incipiat morbus inuadere, si languor non fuerit curatus in capite. Ante multum siquidem temporis, quædam ad nos de fratre nostro Clementio, primate uestro perlata sunt, quæ cor nostrum nō modico mœrore transfigerent: sed premētibus diuersis tribulationibus, & maximè circumsæuientibus hostibus, ea nobis non fuit spacium requirendi: & quoniam ita sunt grauia, ut transire indiscussa nullo modo debeant, fraternitatem uestram his hortamur affatibus, ut cum omni sollicitudine acuiuacitate, ueritatis indagare substantiam multis modis debeatis: & ut audita sunt, ultione canonica resecentur: aut falsa, & fratris nostri innocentia diu, sub nefandæ opinionis dilaceratione non iaceat. Vnde ne quis desidiæ tepor in requisitione sit, admonemus ut non cuiusdam personæ sit gratia, non fauor, non blandimenta, uel quodlibet aliud, quenquam uestrūm uel ab his quæ nobis nunciata sunt molliat, uel à tramite ueritatis excutiat: sed sacerdotaliter ad inuestigandam uos ueritatem, propter Dominum accingite. Nam si quis in hoc aut piger esse, aut negligenter præsumpserit se exhibere, dictis criminibus apud omnipotentem Dominum se nouerit esse participem, cuius zelo ad perscrutandas subtiliter nefandi causas facinoris non mouetur. Et hic profectò intelligimus, nullam personam peccantem esse, quæ iudicio uniuersalis Ecclesiæ non subiaceat. Omnis enim criminaliter peccans, uel (ut ita dicam) alteratus, & quasi legibus capite minor censetur. Accusatur apud Gregorium Lucillus, Mellitiæ ciuitatis episcopus, & ex epistolis coepiscoporum illata crimina uera esse cognoscit. Et ideo, inquit, quia tanti facinoris ultio nulla debet dilatione differri, fraternitas uestra tres uel quatuor de fratribus ac consacerdotibus sibi nostris adhibeat, ut ipsis quoq; præsentibus, prædicta ac satisfacta ueritate, prædictum Lucillum de episcopatus ordine, quem huius sceleris contagiū maculauit, studeat sine ambiguitate deponere. Progreditur ultrà, & in cō socios criminū, dignam Romano pōtifice sententiā iaculatur. Quia uerò, inquit, presbyteri, uel diaconi quidam proditæ iniquitatis fuisse conscij ac participes memorantur, sanctitas uestra subtili indagatione discutiat: & si ita repererit, ab honoris sui & ipsos similiter gradu deijciat, & in monasterijs, ubi dignè ualeant agere, ad pœnitentiam deputentur. Non adhuc satis est, quia scit dictum Ezechielis prophetæ: Fili hominis, perfode parietē. sed quia, inquit, per hos multi huius labe peccati perhibeatur esse collapsi, cunctos qui rei esse claruerint, Dominici corporis ac sanguinis participatione priuare uos conuenit. Ecce hic Gregorius non nutrit uitia, sed amputat. Quid est enim aliud, de manifestis peccatis tacere, quàm scelera nutrire? Sed esto. Taceamus de his, in quibus nemo

se lædi conqueritur: quid acturi erimus, si armati duces genialis lecti nocturna furta deprehenderint? Si irati reges quemlibet nostrûm maiestatis reum conuicerint? Quid inquam acturi erimus, si quodam colludio, longis ambagibus, perplexis cauillationibus se deludi senserint: num eos iudicij formam, Romæ pecunia redempturos putatis? reumq; sibi defuturũ, quin auri & argenti montes Romanis offerat, si se redimi pecunia speret? At si remota ab usu & cõsuetudine & spacio terrarum esse putatis, quæ præponimus, sint uobis exempla è uicino petita. Egidius certè Remorum archiepiscopus, qui Achilperici regis amicitia usus fuisse conuictus est, ad Childeberti regis sui infidelitatem, in urbe Metẽsi à Galliarum episcopis depositus, apud Argentoratum (quæ nunc Strateburgis dicitur) perpetuo exilio damnatus est: cui mox Ronulfus, Lupi ducis filius, iam presbyter substituitur: nec Magnus Gregorius, priuilegij Romanæ ecclesiæ acerrimus defensor, quicquam pro his aut contra hæc dixisse reperitur. Ebo etiam eiusdem Remensis ecclesiæ metropolitanus, ob crimen regiæ Maiestatis, apud Theodonis uillam à Galliarum episcopis deponitur: longeque pòst à Nicolao papa requisita & cognita eius depositio est, ac deinde à Sergio corroborata. quid ergo? Num Damasi decreta damnabimus? minimè. Sed in causis latentibus, & in quibus ob magnitudinem sui iusta prouocatio fit, ad uniuersale concilium, uel ad Damasum recurremus? Si tantum eum Romæ commorari audierimus, quamuis etiam ad Damasum prouocatio Africanis inhibeatur concilijs (ut superius dictum, & ad huc dicendum est) ac in causis euidentibus, & in quibus ad Romanum episcopum nulla prouocatio fit, prouincialibus uel comprouincialibus utemur concilijs. Quod etiam Antiochena Synodus uelle uidetur.

CAPVT XXIX.

Si quis, inquit episcopus, de aliquibus causis criminalibus in iudicio episcoporum fuerit accusatus, contingat autem de ipsis episcopis prouinciæ qui conuenerunt, diuersas habere sententias, & alios quidem innocentem eum pronunciare, alios reum: propter huiusmodi igitur controuersiam amputandam, placuit sanctę Synodo, Metropolitanũ episcopum alterius uicinæ prouinciæ aduocari, & aliquãtos cũ eo episcopos alios, qui pariter residentes, quæcunq; fuerit, dirimant quæstionẽ, propter hoc ut firmum sit iudicium, quod ab unius prouincię episcopis fuerit promulgatum. Quamuis & hoc Concilium, quod de prauata coepiscopi nostri causa agitur, uniuersale uideri debeat, utpote plurium prouinciarum iudicia continẽs: & ne forte ad placitum loqui uideamur, ueterumq; sententias malè interpretari, audite quid hinc sentiat Hincmarus Remorum archiepiscopus, & in lege Dei eruditissimus. Scribẽs enim ad Nicolaum papam, ita inquit: Ablit à nobis, ut priuilegium primæ & summæ sedis sanctæ Romanæ ecclesiæ pontificis Persiæ paruipendamus, ut controuersias & iurgia tam superioris quàm etiam inferioris ordinis, quæ Niceni & cæteri sacrorum Conciliorum Canones, & Innocentij aliorumque sanctæ Romanæ sedis pontificum decreta, in synodis prouincialibus, à metropolitanis præcipiunt, terminari ad uestram summam autoritatem fatigandam ducamus. Ac si fortè de episcopis causa nata fuerit, unde certa & expressa in sacris regulis non habeamus iudicia, & obid in prouinciali, uel in comprouinciali nequeat examine diffiniri: ad diuinum oraculum, id est ad Apostolicam sedem nobis inde est recurrendum. De prouocationibus idem Hincmarus æquè nobiscum sentit, quòd à suspectis iudicibus, & minoris autoritatis, ad maioris autoritatis iudices legitima prouocatio sit. Ab electis uerò, & ubi reus causa decidit, nullam omnino fieri posse. de quo & in Africanis concilijs ita legitur: Vt ab electis iudicibus prouocare liceat. Si autem fuerit prouocatum, eligat qui prouocauerit, iudices: & cum eo ille contra quem prouocauerit, & ab ipsis detur ceps nulli liceat prouocare. Item in eisdem concilijs de eadem re, capite XXII. Quòd si clerici ab episcopis prouocandum putauerint, non prouocent nisi ad Africana concilia, uel ad primates suarum prouinciarum: sicut & de episcopis sæpe constitutum est. Ad transmarina autem qui putauerint appellandum, à nullo in terra Africa, in communione suscipiantur: nimirum per transmarina, Romanam ecclesiam uolentes intelligi, cuius ubi orta est, debere determinari, Africani episcopi confirmauerunt. Videat autem, qui potest, quod non sine quodam scrupulo, paulo antè lectum est: Vt nostis, inquit Damasus, synodum sine eius, id est Romanæ sedis autoritate fieri, non est catholicum: quid ergo, si barbarorum gladijs circumsæuientibus, licentia commeandi Romam intercludatur: uel si Romana barbaro cuilibet seruiens, motu libidinis eius in aliquod regnum auferatur: num interim aut nulla concilia erunt, aut orbis terrarum episcopi, ad suorum regum damna, uel interitus ab hostibus dispo-

nendarum

nendarum rerum consilia & concilia expe-
tabunt: & certè Nicenus canon, qui ipsa
Romana ecclesia teste, omnia concilia, om
nia decreta eminentia sui exuperat, bis in
anno concilia debere fieri dicit, nihilque
inde ad Romani episcopi autoritatem spe-
ctare præscribit. Sed insuper eius priuile-
gio (sicut Africana Synodus interpreta-
tur) multum derogat. Et de priuatis qui-
dem causis, in prouinciali Synodo: de com
munibus autem, in generali concilio, ea-
dem Africana synodus iudicandum præ-
scribit, capite nono Concilij Melpuitani:
At nos controuersiarum lite depulsa, Ro-
manam quidem ecclesiam, ob memoriam
Apostolorum principis, ita ut à maioribus
nostris accepimus (quo ad possumus) am-
plius quàm Afri colamus: & seu se digna
seu indigna prolatura sit, si status regno-
rum patitur, ab ea responsa petamus, si-
cut etiam pro causa Arnulfi factum esse con
fiat. Si in expetendis uel uitandis iustam
uel iniustam iudicij promulgauerit formã,
in altero pax ecclesiarum, & unitas conser-
uabitur. in altero uocem Apostoli audie-
mus dicentis: Quicunq; uobis annunciaue
rit præter quod accepistis, anathema sit,
licet angelum de cœlo se fingat esse. Porrò,
si tacebit, ut nunc, cõsulite leges, uoce con-
ditorum loquentur. Sed ô infœlicia tempo
ra, quibus patrocinio tantę fruſtrãtur eccle-
siæ. Ad quam deinceps urbium fugiemus:
cum omnium gentium dominam, huma-
nis ac diuinis destitutam subsidijs uidea-
mus? Vt enim planius dicamus, palamq; fa-
teamur, post Imperij occasum hęc urbs Ale
xandrinam ecclesiam perdidit, Antioche-
nam amisit: & ut de Africa taceamus, atq;
Asia, ipsa iam Europa discedit. nam Con-
stantinopolitana ecclesia se subduxit: inte-
nora Hispaniæ eius iudicia nesciunt. Fit er-
go discessio, secundum Apostolum, non so
lummodo gẽtium, sed etiam Ecclesiarum:
quoniam cuius ministri Gallias occupaue-
runt, nosq; totis uiribus premunt, Antichri
stus instare uidetur. &, ut idem Apostolus
ait, Iam mysterium iniquitatis operatur
tantum: ut qui nunc tenet, teneat, donec
de medio fiat, ut ille perditionis filius re-
ueletur, homo peccati, qui aduersatur, &
extollitur supra Dei nomen, Deiq; cultu-
ram. Quod iam in aperto fit, ut Romana
potentia conquassata, religione profligata,
nomen Dei frequentibus periurijs impu-
nè humilietur: ipsius diuinæ religionis cul-
tus etiam à summis sacerdotibus condem-
natur. Ipsa insuper Roma iam penè sola à
seipsa discedit, dum neque sibi neque alijs
consulit. Proinde si placet charitati uestræ,
quia Pelagium patriarcham à duodecim
episcopis auditum esse scimus, ut beatus
Augustinus in libro contra eundem Pela-
gium scribit: quoniamque Romana Eccle-
sia à nobis consulta, nullam iudicij for-
mam promulgauit, ex sacris legibus capi-
tula proferantur: & à quot episcopis epi-
scopus in crimine detentus audiri de-
beat, & qui causæ suæ dicendæ adesse
noluerit, quam sententiam excipiat.
Itaque iubente Synodo, hæ sententiæ re-
citatæ sunt, ex concilio Carthaginis titu-
lo decimo.

## CAPVT XXX.

Fœlix episcopus dixit: Quisquis episco-
porum accusatur, ad primatem prouinciæ
ipsius causam deferat accusator: nec à com-
munione suspendatur, cui crimen inten-
ditur, nisi ad causam suam dicendam ele-
ctorum iudicium, die statuta, literis euo-
catus minimè occurrerit: hoc est, infra spa-
cium mensis ex ea die, qua eum literas ac-
cepisse constiterit. quod si aliquas ueras ne
cessitatis causas probauerit, quibus eum
occurrere non potuisse manifestum sit,
causæ suæ dicendæ inter alterum mensem
integram habeat facultatem: uerùm tam-
diu post mensem secundum non commu-
nicet, donec purgetur. Si autem ad conci-
lium uniuersale anniuersarium occurrere
noluerit, ut uel ibi causa eius terminetur,
ipse in se damnationis sententiam dixis-
se iudicetur: tempore sanè quo non com-
municat, nec in sua ecclesia uel parrochia
communicet. De contemptu iudicij ex
epistola papæ Bonifacij, probat uera es-
se illa quæ aduersum se dicta sunt, qui ad
ea confutanda adesse minimè uult: &
nullus dubitat, quod ita iudicium no-
cens subterfugit, quemadmodum ut ab-
soluatur, qui est innocens quærit. Sed astu-
ta cauillatio eorum qui uersutis agen-
dum credunt esse consilijs, nunquam
innocentiæ nomen accipiet. Confitetur
enim de omnibus, quisquis se subterfu-
gere iudicium dilationibus putat. ueniet
tamen aliquando ille qui talis perhibetur,
in medium: nec prodest illi toties latuis-
se, toties subterfugisse, quem sui actus
& commissa, quocunque fugerit, ea quæ
subijciuntur illi, si uera sunt crimina, per
sequuntur: ut si adesse uoluerit præsens,
si confidit ad obiecta respondeat. quod
si adesse neglexerit, dilationem sententiæ
de absentia non lucretur. Nam manife-
stum est, confiteri eum de crimine, qui
indulto, & toties delegato iudicio, pur-
gandi se occasione non utitur. Nihil enim
interest, utrum in præsenti examine,
omnia quæ dicta sunt comprobentur,

cum

cum ipsa quoq; pro confessione procurata toties constet absentia.

CAP. XXXI.

His omnibus pertractatis, à defensoribus Arnulfi uenia postulatur: & quòd eius negocia minus cautè prius inquisierint, & quòd Concilium longis dilationibus defatigauerint. Deinde adiungunt, non se controuersiarum genere adductos, ad studium defensionis accessisse: sed episcoporum anathema sibi necessitatem dicendi imposuisse. Episcopi uerò, & qui contra Arnulfum stetisse uidebantur, æquo animo se obiecta accepisse dicebant. Sibi quoque placere, quòd iudicium posse fieri iam in commune legitimum putaretur: nihilque aliud superesse, quàm ut ipse Arnulfus in medium deduceretur, & de qualitate sui facti iuxta quod uellet responderet. Itaq; iubente Synodo, in episcoporum ordine consedit: cui pater Arnulfus circa eum regis beneficia, itemq; ipsius in regem maleficia, miti alloquio cõmemorat. Negat ille se quicquam contra regis salutem egisse, sed pro fide ad eum conseruata, cum clero & populo se in propria urbe ab hostibus captum fuisse: nihilq; solatij perinde à rege tulisse, sed insuper maleficia pro beneficijs recompensata sibi esse. Opponit pater Arnulfus, præsentem presbyterum, qui urbis portas, acceptis à manu eius clauibus, iussu ipsius affirmabat se hostibus aperuisse. Ille respondet, presbyterum longè meditata dicere, falsaq; pro ueris narrare, suamq; innocentiam eius fictis criminationibus haberi suspectam non debere. Cui econtrà presbyter ingerebat, quòd se ad accusandum nemo impulerit: quòd locus fugę sibi patuerit, quòd sibi semper fidissimus fuerit, nihilq; aliud in accusandi causa se habere, quam ut crimine proditionis liberaretur, qui eius imperio paruisset: & si quid in ueri confessione Synodi dubitet, uel suo uitio adscribat: Synodi decretis se subiacere pollicebatur, tantum Ecclesiasticæ communioni restitueretur. Adhæc Arnulfus, se teneri ab hostibus conquerebatur, nec aliquando se uidisse episcopum sic attractatum. ideoq; se respondere nescire. Neq; uerò sibi relictos esse suos monachos, suos clericos, suos abbates, quibus quæ uellet præcipere posset: quod dictum insulsi hominis esse putabatur. Et quid'nam, inquit pater Arnulfus, his præcipiendum est? Num ut te à culpis eximant? & quid est, si pro testimonio ferendo dices, En tui episcopi, qui tè frequẽter pro temetipso, ut ad Synodũ uenires, hortati sunt? en tui abbates, tuusq; clerus, cum sibi prælatis, his omnibus datur licentia te defendendi, non solum uoluntaria, uerùm necessitate imposita. Ad hęc ille, ad priora relabebatur, non se uidisse episcopum sic attractatum dicens, nec ita se habitum scire respondere: doctum etiam hominem inter tot sapientes insipientem uideri posse. Cur ergo, inquit episcopus Guido, secundum tua uota habitus, toties q; ab episcopis & domino tuo rege uocatus, respondere noluisti? Et ille: Delatus ad regem eram, & ideo quòd uocabar, ire nõ audebam. Non ita est, inquit Guido episcopus: sed cum te in uicinia Laudunensis urbis apud Cauinionem conueniissem, coram fidelibus testibus clericis & laicis, tertio te ad fratrum tuorũ couuentum inuitaui, sub obtestatione diuini nominis, ex canonum autoritate & sanctitate omnium fidelium: ad dominorum quoq; tuorum præsentiam ire monui, per fidelitatem quam eis promiseras, per omnia sacramenta quæ ipsis præbueras, unde periurum te esse, negare non potes: per chirographum, cui subscripsisti, & omnes nos subscribere fecisti. Sed cum tu respõderes, non posse te ire sine ductoribus Oddone & Heriberto, eo quòd uim tibi inferri timeres: fratrem meum Gualterum obsidem tibi obtuli, mè & patrem meum comitem Gualterum, itineris ductores pollicitus sum, ut sine periculo uitę, membrorum, captionis, ad tua redires. Idem quoq; in eodem momento, sacramenta firmare propria manu præstò fui: cumq; te à Carolo captum esse prætenderes, eiq; sacramenta & obsides præbuisse, ideoq; sine eius licentia ire nõ posse: percontabor à te, qui'nam obsides pluris tibi uiderentur? utrum Richardus frater tuus, Bruno episcopus consobrinus tuus, eiusq; sororis filius, in regum potestate constituti? an milites tui Sehardus & Rainoldus, qui datis per se pueris, abire permissi sunt, quorumq; beneficia simulatis captiuatoribus tuis attribuisti, palàm faciens, quanta in dante & accipiente obligatio fuerit. Quod'nam etiam tibi sacramentum potius seruandum foret, requirebam, scilicet quod regi & domino tuo sponte dederas, aut quod hosti armato inuitus dare debueras? Tria autem erant sacramenta, quæ nulla arte, nullo ingenio effugere poteras. Primum, quo te obligasti, ut pro nullo à te facto uel faciendo sacramento, à fidelitate dominorum nostrorum recederes. Secundum, ut si ab hostibus interceptus esses (sicut tunc simulabas) mox ut locus fugæ tibi patẽret, ad dominos tuos redire, per rectam fidem non differres. Idq; in præsenti facere monebam, cum te cum pauci essent, ego autem optimorũ militum copias haberem. De tertio uerò quid dicam, cum tam multiplicis periurij reus sis, quòd

lis, quòd esse periuros facis. Omnes enim ciues tui ac milites, te iubente iurauerunt, ut si aliquando ab hostibus capereris, uel ipse tua sponte à regis fidelitate deficeres, regi se fidem seruaturos, urbemque & castra sub eorum iure retenturos. Contrà, cum tua fidelitate regis defecetis, contra omnes mortales tibi sacramenta præbere iussisti: domino tuo regi portas ciuitatis obstruxisti: Carolo, quoties sibi libuit, aperuisti: nec ad professionem tui chirographi respicere uoluisti, cum inimicis dominorum tuorum consilium & auxilium, secundum scire tuum & posse, subministrares. Nunquid & hæc negare contendes? Addebat etiam de pactis & coniurationibus, quibus episcopos à sua subiectione quasi emancipauerat, si à chirographi conditionibus declinasset: seque id ex sua ac reliquorum episcoporum persona, iam dudum apud Cauinionem effeciſſe. Ad hæc illè, de non seruatis chirographi & sacramentorum, erubescebat: quibus tamen pomodis hęc eadē attenuabat. Petebant ergo episcopi, ut aliquis familiarium eius testis horum admitteretur, cuius conscientiam uereretur. Admittitur ergo Ramnus, secretorum ipsius per omnia conscius, & qui eum inter alia periuria etiam contra se ac suam uxorem ac filium publicè per iurum protestabatur. Cui cum à sacro conuentu diceretur, quæ Arnulfus de regis infidelitate denegaret, tali eum sermone aggreſſus est: Cur omnem populum tuo erroreperdis? nescis quæ ante urbis traditionem, iuxta fluuium Axonam mihi retulerit Ludouici amorem filij Caroli omnibus prætuliſſe mortalibus? & si tibi placere uellem, ut de eius salute cogitarem? Vnde ergo & scelera tua episcopis confitebere, ut quia corpus perdidisti, saltem animam per pœnitentiam salues: & populum qui de tuis criminibus adhuc dubitat, ab hoc errore absoluas. Quod si nolueris, coram episcopis, coramque omni multitudine, quæ pro foribus astat, peccata tua, quæ adhuc dubia sunt, manifesta faciam: & scelera tua, quę in nulla opinione populi sunt, in medium proferam, ut omnes sciant, & intelligant, quid de te sentire debeam, & ut uerbis meis fides in æternum habeatur. Postquam peroraueram, mea dextèra ita esse sacramenta firmabo, meumque uernaculum episcopis tradam, qui per ignitos uomeres incedens, Deum de te iudicare manifestis declaret iudicijs. Ad hæc abbatū quidam dicebant, debere dari Arnulfo secretum deliberandi, cum quibus uellet, ut consultius pro se responderet ualeret. Quibus pater Arnulfus: Quis, inquit, prohibet? Surgat, & quoscunque delegerit, suis consultationibus adhibeat. Surgens itaque, ad scriptæ secretiorem partem, omnes diligenter obseratis, uenerabiles deduxit episcopos Siguinum Senonensem, Arnulfum Aurelianensem, Brunonem Linguonensem, Gotesmannum Ambianensem.

CAPVT XXXII.

In horum absentia, multa ex canonum capitulis in Synodo prolata sunt, multa inter absidētes collata, utpote omnium ignaros quæ in abditis agerentur: non tamē ne scios, imperatricis Theuphanij ac hostiū regis colloquia, contra ipsius regis uoluntatē & utilitatem Arnulfum expetiſſe: suorumque militum copias sub signis Caroli, cōtra eundem regem in acie constituiſſe, & insuper criminis regiæ maiestatis reum esse. Itáque uarijs quoq; sacramētorum generibus implicitum uideri, ut à nemine sacerdotum tot periurijs obuoluto, episcopale ministerium ullis legibus ualeret impleri. Ad has autem causas hæ sententiæ, quasi è uicino respicientes, reperiebantur. Ex concilio Toletano, cap. XXX.

CAPVT XXXIII.

Confitemini hostium sacerdotes, præter eos qui à regia potestate licentiam acceperunt, à quolibet mandatum agentes extraneum, occultè accipere uel dirigere non præsumant. Qui autem deprehenditur aut conuincitur, denunciatus principi apud cōcilium condigna animaduersione multabitur. Item ex eodem, titulo LXXV.

CAPVT XXXIIII.

Post instituta quædam Ecclesiastici ordinis, uel decrēta, quę ad quorūdam pertinent disciplinam: postrema nobis cunctis sacerdotibus sentētia est pro robore nostrorum regum, & stabilitate gentis Gothorū, pontificale ultimum sub Deo iudice ferre decretum. Multarum quippe gentium (ut fama est) tanta extat perfidia animorum, ut fidem sacramento promiſſam, regibus suis obseruare contemnant: & ore simulēt iuramenti professionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem. Iurant enim regibus suis, & fidem quam pollicentur prę uaricant: nec metuunt uolumen illud iudicij Dei, per quod inducitur maledictio, multaque pœnarum comminatio super eos qui iurant in nomine Dei mendaciter. Quæ igitur spes talibus populis contra hostes laborantibus erit, quæ fides ultrà cum alijs gentibus in pace credenda, aliter quod fœdus post fœdus non uiolandum? quæ in hostibus iura ista permanebunt

bunt sponsione, quando nec ipsis proprijs regibus iuratam fidem conseruant? Quis enim adeò furiosus est, qui caput suum manu sua propria desecet? illi, ut notum, immemores salutis suæ, propria manu se ipsos interimunt, in semetipsos suosque reges proprias conuertendo uires: & cum Dominus dicat, Nolite tangere Christos meos. & Dauid: Quis, inquit, extendit manum suam in Christum Domini, & innocens erit? illis nec uitare metus est periurium, nec regibus inferre exitium. Hostibus quippe fides pacti datur, nec uiolatur. Quòd si in bello fides uigeat, quanto magis in suis seruanda est? sacrilegium quippe est, si uioletur à gentibus regum suorum promissa fides: quia non solum in eis sit pacti transgressio, sed & in Deum quidem, in cuius nomine pollicetur ipsa promissio. Inde est, quòd multa regna terrarum cœlestis iracundia ita permutauit, ut pro impietate fidei & morum alter ab altero solueretur. Vnde & nos oportet cauere casum huiusmodi gentium, ne similiter plaga feriamur præcipiti, & pœna puniamur crudeli. Si enim Deus angelis in se præuaricantibus non pepercit, qui per inobedientiam cœleste habitaculum perdiderunt (unde & per Esaiam dicit: Inebriatus est gladius meus in cœlo) quanto magis nos nostræ salutis interitum timere debemus, ne per infidelitatem eodem sæuiente gladio pereamus? Quòd si diuinam iracundiam uitare uolumus, & seueritatem eius ad clementiam prouocare cupimus, seruemus erga Deum religionis cultumatq; timorem, custodiamus erga principes nostros pollicitam fidem atque ipon sionem. Non sit in nobis, ut in quibusdam gentibus, infidelitatis subtilitas impia, nõ subdolæ mentis perfidia, non periurij nefas, & coniurationum nefanda molimina: nullus apud nos præsumptione regnum arripiat, nullus excitet mutuas seditiones ciuium, nemo meditetur interitus regũ: sed defuncto in pace principe, primatus gentis cum sacerdotibus successorem regni consilio communi constituant: ut dum ciuitatis concordia à nobis retinetur, nullum patrię gentisq; disidiũ per uim ambitionis moueatur. Quòd si hæc admonitio mentes nostras non corrigit, & ad salutem communem cor nostrum nequaquam perducit, audite sententiam nostram. Quicunq; igitur à nobis, uel totius Hispaniæ populis qualibet coniuratione uel studio sacramẽtum fidei suæ, quod pro patriæ salute, gentisq; Gothorum statu, uel conseruatione regiæ salutis pollicitus est, temerauerit, aut regem nece attrectauerit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyranni ca regni fastigium usurpauerit, anathema sit in cõspectu Dei patris & angelorum: atque ab Ecclesia catholica, quam periurio profanauerit, efficiatur extraneus, & abomni cœtu Christianorum alienus, cum omnib. impietatis suæ socijs. Quia oportet ut una pœna teneat obnoxios, quos similis error inuenerit implicatos. Quod iterum secundò replicamus, dicentes: Quicunque amodò ex nobis, uel cunctis Hispaniæ populis, quolibet tractatu uel studio sacramẽtum fidei suæ, quod pro patriæ salute, gentisq; Gothorum statu uel conseruatione regiæ salutis pollicitus est, uiolauerit, aut regem nece attrectauerit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium usurpauerit, anathema sit: atque ab Ecclesia catholica, quam periurio profanauerit, efficiatur extraneus, & ab omni consortio Christianorum alienus, & damnatus in futuro Dei iudicio habeatur, cum comparticipibus suis. Quia dignum est, ut qui talibus sociantur, ipsi etiam damnationis eorum participatione obnoxij teneantur. hoc etiam tertio acclamamus dicentes: Quicunque amodò ex nobis, uel cunctis Hispaniæ populis, qualibet meditatione uel studio, sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ salute, gentisque Gothorum statu, uel incolumitate regiæ potestatis pollicitus est, uiolauerit, aut regem nece attrectauerit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium usurpauerit, anathema sit in conspectu Spiritus sancti, & martyrum Christi: atq; ab Ecclesia catholica, quam periurio profanauerit, efficiatur extraneus, & ab omni communione Christianorum alienus, nec partem habeat iustorum: sed cum diabolo & angelis eius, æternis supplicijs condemnetur, unà cum eis qui eadem coniuratione nituntur, ut par pœna perditionis constringat, quos in perniciem praua societas copulat. Et ideo si placet omnibus qui adestis, hoc tertiò reiterata sententia, uestræ uocis consensu firmate. Ab uniuerso clero uel populo dictum est: Qui contra hanc uestram definitionem præsumpserint, anathema, maranatha, hoc est, perditio in aduentu Domini sint, & cum Iuda Ischariotis partem habeant, & ipsi & socij eorũ: Amen. Quapropter nos ipsi, & sacerdotes omnes, Ecclesiam Christi ac populũ admonemus, ut hæc tremenda, & totiens reiterata sententia, nullum ex nobis præsenti atq; æterno condemnet iudicio: sed fidem promissam, erga gloriosissimum dominum nostrum

strum regem seruandam custodientes, ac fyncera illi deuotione famulantes, non solum diuinæ pietatis in nobis clementiam prouocemus, sed etiam gratiã antefati principis percipere mereamur. Item ex concilio Agathensi, tit. 50. cap. 34.

CAP. XXXV.

Si episcopus, presbyter, aut diaconus capitale crimen commiserint, aut chartam falsauerint, aut testimonium falsum dixerint, ab officij honore depositi, in monasterium retrudantur: & ibi tantummodo, quam diu uixerint, laicam communionem accipiant. Item ex Concilio Toletano sexto, capite 12.

CAP. XXXVI.

Prauarum audacia mentium, sæpe malicia cogitationum, aut causa culparum, refugium appetit hostium: unde quisquis paterator causarum extiterit talium, uirtutem potens defendere aduersariorum, & patrię uel genti suæ detrimenta intulerit reum, in potestatem regis ac gentis reducatur, excommunicatus & retrusus, longinquioris pœnitẽtiæ legibus subdatur. Quòd si ipse mali sui prius reminiscens, ad Ecclesiam fecerit confugium, intercessu sacerdotum & reuerentia loci, regia in eis pietas reseruetur, comitante iusticia. Item ex eodem Concilio, tit. 17.

CAP. XXXVII.

Quamuis in Concilio anteriori, quod anno primo glorioſi principis nostri habitum est, de huiusmodi re fuerit promulgata sententia: tamen placet iterare, quod conuenit custodiri. Itaque regis uita constante, nullus sibi aliquo opere uel deliberatione, cuiuscunque dignitatis laicus, seu gradu episcopi aut presbyteri aut diaconi consecratus, cæterisque clericatus officijs deditus, futurum regem prævidens, contra uiuentis regis utilitatem, & proculdubio uoluntatem, nullo blandimento uel suasione pro eadem spe, aut alios in se trahat, aut ipse in alium acquiescat. Iniquum enim, & ualde execrabile Christianis debet haberi, futuri temporis illicitis prospicere, & uitæ suæ ignaris uentura disponere. Quod si quisquam iam talia, iniqua deliberatione cum quocunque est meditatus, hoc sibi nouerit esse sacerdotali moderatione concessum, si ueniabiliter posit, ut hoc sine mora præsentis principis auribus studeat publicare. Si autem retineat, & deliberationis suæ machinamenta noluerit dicere, pessimo plectatur anathemate. Item ex eodem Concilio, tit. 18.

CAP. XXXVIII.

Iam quidem in antecedenti uniuersali Synodo, saluti nostrorum principum constat esse consultum: sed libet iterare bene sancita, & digna authoritate munire salubriter ordinata. Ideoque testamur coram Deo, & omni ordine angelorum, coram Prophetarum & Apostolorum, uel omni Martyrum choro, coram omni Ecclesia catholica, & Christianorum cœtu, ut nemo intendat interitum regis, nemo uitam principis attrectet, nemo eum regni gubernaculis priuet, nemo tyrannica præsumptione apicem regni usurpet, nemo quolibet machinamento in eius aduersitate sibi coniuratorum animum adsocier. Quòd si quispiam horum quicquam nostrorum tentare præsumptor extiterit, anathemate diuino perculsus, absque ullo remedij loco habeatur condemnatus æterno iudicio. Is autem qui eius sedem fuerit assecutus, si uult tanto expiari piaculo, quasi proprij patris eius ulciscatur interitum. Item ex Concilio Toletano.

CAP. XXXIX.

Non parum proficit ad emendationem multorum, si ea quæ constituta sunt, per fraternam collationem ad memoriam reducantur: si illa etiam adijciantur, quæ aut deesse uidentur, aut omnino constituenda competenter existimantur. Quis enim nesciat, quanta sint hactenus per tyrannos & refugas transferendo se in externas partes, illicitè perpetrata: & quàm nefanda eorum superbia iugiter frequentata, quæ & patriæ diminutionem afferrent, & exercitui Gothorum in desinentem laborem imponerent. Quod si quidem laicorum insania fuisset factum, tolerandum nobis forsitan aliquotiens uideretur. Illud tamen est uehementius stupendum, quod peius est: quia tanti ex religionis proposito, in hac interdum præsumptione præcipites efferuntur, ut non ad leuem confusionem nostram pertineat, si res ullatenus inulta remaneat, quam & mundana lege & Ecclesiastica conuenit instanter disciplina corrigere. Ideoque placuit nunc concordi sententia definire, ut quisquis in ordine clericatus, à maximo gradu usque ad minimum constitutus, in alienæ gentis regionem, se quacunque occasione traduxerit, ut exinde superbiẽdo, uel reditũ suum, uel quodlibet aliud uideatur expetere, siue etiam quod gentem Gothorum, uel patriam aut regnum specialiter sub hac occasione possit nocere, uel fieri disposuerit, uel aliquatenus fecerit. Sed & quicunq; talibus conscius reperitur, eisq; uel consiliũ uel opem administrare cognoscitur, qualiter aut ad

gentem alienam fugam appeterent, aut in malis quæ cœperant, perdurarent, seu quãcunq; læsionem genti Gothorũ, uel patriæ aut principi post fugam inferrent, atq; in eadem prauitate perseuerarent: quisquis hoc feciſſe dinoſcitur, iſte ita indubitanter omni honoris ſui gradu priuetur, ut locum eius in quo miniſtrauerat, alter continuò perpetim regendum accipiat. Ipſe uerò tranſgreſſor ſub pœnitentia conſtitutus, ſi reminiſcens mali quod fecerat, uſque in diem mortis ſuæ, ſi rectiſsimè pœnituerit, in ſolo tantum fine communio ei præſtanda eſt, ita ut antequam finis eius tempus adueniat, ſi quiſpiam ſacerdotum etiam ordinante principe, ei communicare conſenſerit, particeps criminis illius effectus, anathema ſiat in perpetuum, ac ſimili cum eo cui communicauerit, ſententia condemnetur: quoniam poteſtati principis, nullus ſacerdotum in hoc præbere debet aſſenſum. Vnde uel periurium uideatur in currere, uel (quod abſit) ſi quicunque catholicæ fidei præuaricator princeps ſurrexerit, ſacerdos nullatenus uel fauore principis, uel terrore, à recto credulitatis lumine ad tenebras cogatur reuerti. Sic enim nec ſuperadnexa capita, uel imperijs principum, uel terroribus oportebit unquam euocari: quia nouimus omnes penè Hiſpaniæ ſacerdotes, omnesque ſeniores uel iudices, ac cæteros homines officij palatini iuraſſe: atque ita nunc de regibus decretum fuiſſe, ut nullus refuga, uel perfidus, qui contra gentem Gothorum, uel patriam, ſeu regem agere, aut in alterius gentis ſocietatem ſe tranſducere reperitur, integritate rerum ſuarum nullatenus reformetur, niſi forſitan princeps humanitatis aliquid perſonis talibus impertire uoluerit: cui tamen non amplius quàm uiceſimã partem rerum, ei qui perfidus extitit, de rebus unde rex elegerit, tribuendi poteſtatẽ habebit. Sed quia pleroſq; clericos inſtãtis leuitatis, interdum prauitas ita eleuat, ut prætermiſſa ſui ordinis grauitate, ac pollicitiſacramenti immemores, cõſtante principe, cui fidem ſeruare promiſerãt, in alterius erectionem temeraria leuitate cõſentiant, abrogari decet hanc omnino licentiam, & à noſtro conſortio penitùs extirpari: ita ut ſi quicunq; laicorum, quandoquidem intra fines patriæ Gothorum ſuperbiens, regni apicem ſumere fortaſſe tentauerit, eiq; clericorum quilibet adiutoriũ uel fauorem prẽſtiterit: atq; hunc qui ſuperbire uidetur, ad eandem regni ambitionem, prævalente delicto, peruenire contigerit: ex eo quidem die uel tempore eiuſdem epiſcopum, uel cuiuslibet ordinis clericũ, excommunicatum manere perpetim oportebit, quo tali ſe ſcelere implicauit: tamen ſi propter improbitatem principis, cui iniquè conſentiit, non potuerit inſtantia ſacerdotũ à communione ſuſpendi: ſaltẽ ſi ſuperſtite poſt eiuſdem regis obitũ tẽpus inuenerit, ſuperiori anathematis correptioni ſubiaceat. Et quicunq; illi, præter in ultimo uitæ ſuæ fine (ſi tamen eum legitimè pœnitere probauerit) communionis gratiã conſenſerit impendẽdã.* Nobis interim ratio perſuaſit, Synodali ſuper hoc conſtitutione decernere, ut quicunq; etiã laicorũ interdictis capitulis, hoc eſt in aduerſitatẽ gẽtis, aut patriæ, uel regiæ poteſtatis, in externas partes ſe cõferendo, uel talibus opẽ prębẽdo noxius fuerit ultra repertus, non ſolum (ut dictum eſt) omni re rum ſuarũ proprietate priuetur: ſed & perpetua excõmunicatione damnatus, nũquã illi niſi ultimo mortis ſuę tempore communionis tribuatur. Excepto, ſi communionis eius remediũ, uel eorum de quibus ſuprà taxauimus, imploratione ſacerdotum, apud principẽ fuerit impetratum. Nam ſi in derogationẽ aut cõtumeliam principis reperiatur aliquis nequiter loqui, aut in necem regis, ſeu direptionem intendere, uel conſenſum præbere: nos quidẽ huiuſcemodi excõmunicatione dignum cenſemus. Vtrum tamen ſit illi quandoque communicandum, pietate principis decernẽdũ relinquimus: cuius procul dubio poteſtatis eſt, ſubiectorum culpas miſericordiæ iudiciiſq; ſententia temperare. Conteſtamur autem clementiſſimos principes, & per ineffabile diuini nominis ſacramentũ obteſtantes, unanimiter, obſecramus, ne quandocũq; abſq; iuſta, ubi neceſſe fuerit, imploratione ſacerdotali, ex communicationis huius ſententiam à perfidis clericis uel laicis, ad externas partes ſe transferentibus, uel cõſenſum præbẽtibus, quacunq; temeritate ſuſpendat. Nam hoc magis utilitatibus uidetur ferre cõſultum, ut conſtitutionis noſtræ forma ſeruetur: & ut execrandum anathema ſiat, & uel ut præuaricator catholicæ fidei ſemper ad Domini reus exiſtat, quicũq; regum deinceps canonis huius cenſuram, in quocunq; crediderit uel permiſerit uiolandũ. Item excõcilio Toletano, cap. 11.

CAPVT XL.

Frequẽtiam moleſtiarum nocens impulſus, contemni quidem magnitudine dicentis poterit grauitatis: ſed quia honeſta ſollicitudo cohibere properat, quod frequentata uſitatio uitare non curat, ideo cum & quorundam paternorum ſanctionibus decretorum, & inſtitutionibus ſit legalibus cautum, ne contra ſalutem principum, gentis q; aut patriæ quiſquã meditari conetur, aduerſum

aduersum hoc unum specialiter nunc depromitur obseruandum: ut si quis religiosorum, ab episcopo usq; ad extremum ordinis clericorum siue monachorum, generalia iuramenta, in salutem regiam, gentis-que aut patriæ data reperiatur uiolasse, uoluntate profana, mox propria dignitate priuatus, & loco & honore habeatur exclusus.

CAP. XLI.

Hæc & huiusmodi dum sibi quoque, uel alteri replicat, episcopi qui in Synodo residebant, ab his conuocantur episcopis, qui Arnulphum ad remotiora comitati fuerant. Quò cum conuenissent, causam sui aduentus nõ sine lachrymis & multo gemitu didicerunt. erat autẽ Arnulfi causa, Apiarij presbyteri causæ consimilis. de quo, si cut Africani episcopi Celestino papæ Romano retulerunt, ita & hic de Arnulfo, episcopi episcopis in hunc modum referre uisi sunt. Tergiuersationes Arnulfi, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur, Deus iudex iustus, & fortis, & longanimis, magno compendio resecauit. Tetriore quippe ac putridiore obstinatione compressa, qua tamdiu liuidum cœnum impudentia negationis uolebat obruere, Deo nostro eius conscientiam coartante, & occulta quæ in illius corde tanquam in uoluabro criminum iam damnabat, etiam hominibus publicante, repentè in cõfessione cunctorum obiectorum flagitiorũ dolosus negator erupit, & tandẽ de omnibus incredibilibus opprobrijs ultroneus se ipse conuicit. Atq; ipsam quoq; nostram spem, qua eum & credebamus & optabamus de tam pudendis maculis posse purgari, conuertit in gemitus. Nisi quoniam istam nostram mœsticiam uno tantum solatio iniquæstionis absoluit, & suis uulneribus quasi remcunq; medelam, etsi inuita ac suæ conscientiæ reluctante confessione, prouidit. Addebant præterea confessores episcopi, eum suis pedibus prouolutũ, cũ lachrymis & gemitu sua crimina sub nomine cõfessionis declarasse, seq; à sacerdotali officio, quo hactenus indignè usus fuerat, remoueri uel le. Sed episcopi, qui consentiente Arnulfo, confessionis testes admissi fuerant, ab ipsius ore se audire malle dicebant. Quod cũ factũ esset, episcopi per terribile nomẽ omnipotentis Dei, sub tremendo anathemate præcipiunt, ne ulla formidine coactus, aliquid falsè de se proferat: seq; illi omne solatium laturos, ac pristinum honorem etiam inuitis regibus recuperaturos pollicẽtur, tantum innocentiam ex æquo & utili astruere uelit. At ille episcopis pro salutis suæ studio gratias agens, quæ eorum fidei cõmiserat, uera esse confirmat. Nec se Deo, in cuius conspectu adstet, uelle mentiri, ad cuius iudicium ire formidet. Petebant ergo episcopi, quoniam ea quæ per confessionem protulerat, grauissima sibi uiderentur, ut abbatum & clericorum doctissimos ac religiosissimos intromitti liceret: quiq; sacramẽto uel anathemate deuincti, & sua peccata fido silentio tegerẽt, & quid facto opus esset in commune decernerent, futuris quoq; temporibus dictorum & factorũ fidissimi testes existerent. Quod, aliquandiu secũ reputans, fieri permisit. Admissi ergo sunt ex omni abbatum & clericorum collegio, ferè numero triginta, quibus per conditionem anathematis, Arnulphi confessio, ipso iubente, in ipsius præsentia prolata est. Itaq; eo commoto, longis consultationibus definitum est, quomodo eius arcanum tegeretur, & clero ac populo absenti pro eius depositione satisfieret. Iam enim eum qui sibi delectos iudices constituerat, ad alterius non posse commeare iudicium, certum erat. iam episcopi inuidia Romani priuilegij carere uidebantur, cum Arnulphus nec ad alios iudices, nec ad sedem Apostolicã prouocasset, uel ante electorum iudicum audientiam, quod bene quidem licuerat, si se iustam habere causam putasset: uel post eorundem iudicum sententiam, quòd minimè licere manifestum erat, sed utpote reus, à torquente se conscientia conuictus, & sua sponte (ut uideri tunc potuit) cõfessus, iudicij formã improbus accusator suĩ expostulauerat. Quæsitum ergo est, qualiter ipsius depositio celebraretur, ut lege & consuetudine cõstaret. Et de lege quidem manifestum erat, quòd una & eadem semper ad æquitatem spectet. De consuetudine uerò, quòd neque una neque eadem sit, neque semper ad æquitatem intendat: sed eam præcellere, quæ legi uel æquitati uicina sit. Quærebatur ergo lex & consuetudo depositionis episcoporũ, uel archiepiscoporum. & lex quidem hæc reperiebatur in Africanis cõcilijs, sed sine depositionis celebritate & consuetudine.

CAP. XLII.

*De Maximino episcopo.*

De Maximino autem Bagaiensi, & ad eum, & ad ipsam plebem, placuit de Concilio literas dari, ut & ipse ab episcopatu discedat, & illi sibi alium requirant.

CAP. XLIII.

Itẽ Eutyches presbyter, in Constantinopolitana Synodo depositus, non aliud depositionis factum excepit, nisi quòd anathema ipsi ab uniuersis conclamatum est: & post aliquanta, à Flauiano episcopo sen-

tentia in hunc modum prolata: Per omnia Eutyches quondam presbyter, & archimandrites, ex his quę antè acta sunt, & propositis eius quæstionibus, Valentini & Apollinaris peruersitate repertus est ægrotare, & eorum blasphemias incommutabiliter sequi: qui nec nostram reuerens persuasionem & doctrinam, rectis uoluit consentire dogmatibus. Vnde gementes, perfectam eius perditionē decreuimus, per Dominum nostrū IESVM CHRISTVM ab eo blasphematū, extraneū esse ab omni officio sacerdotali, & nostra cōmunione & primatu monasterij. Sciāt ergo & hi qui postea cum eo colloquentur, & ad eum conuenerint, quoniam rei erunt & ipsi pœna excommunicationis, si non declinauerint confabulationes eius.

CAP. XLIIII.

Item quæ circa Ratherium Veronensem episcopum usu uel consuetudine prouenerūt, ab omnibus abrogata sunt. Vterq; enim nec abdicationis porrecto libello, nec sacerdotalibus depositis insignibus, successorē acceperat: Ratherius quidem Milonem, Petrus uerò Honestum monasterij beati Apollinaris abbatem: quem Honestum dominus Iohannes papa, cognomēto Bonus, ad consecrandum prius sibi allatum uidit, quàm de Petri deiectione uel fama nuncia te cognouerat. Deferebatur ergo lex & cōsuetudo siue depositionis festiuitas, ex concilio Toletano, cap. 28.

CAP. XLV.

Episcopus, presbyter, aut diaconus, si à gradu suo iniustè deiectus, in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altari de manu episcoporum. Si episcopus est, horarium, annulum & baculū: si presbyter, horarium & planetam: si diaconus, horarium & albam: si subdiaconus, patinam & calicem: sic & reliqui gradus, eas in reparationem sui recipiant, qui cum ordinarentur, perceperant.

CAP. XLVI.

Ex hac itaque sententia intellectum est, ut quę in promotione sua quisq; acceperat, ea in depositione reddere deberet. Arnulfus autem in sui promotione, annulū & baculū acceperat, quoddamq; genus horarij, quod per differentiam pallium dicitur. hęc ergo eū reddere debere, neq; uerò in hoc facto primati Romano præiudicium inferri: quòd neq; ad eum ab Arnulfo prouocatum sit, neq; eidē Arnulfo depositionis necessitas ulla imposita, quodq; ab episcopis & principe Romanus episcopus cōuentus respondere noluerit: cum ipse potius sacrorum canonum executor, & reum sua damnare autoritate, & episcopos iudicium remorantes instigare debuerit, ut episcopo sui primatis: item decretum Propotamio Braccarensi archiepiscopo, ex concilio Toletano, lege & consuetudine ualere constitutum est. Erat autem huiusmodi.

CAP. XLVII.

Adsumere poteramus canonicam in cōtum fraternę lætitię tibiam, quia diuinaple tas conuentum nostrum ad concordiæ cōuocauerat studia. Et cōuenerat mœstitiā uitare, quoniam uisitatione disciplinæ uidebamur paternas regulas innouasse: sed grauius sistrum pro cymbalo fuminus, & funus pro carmine decantamus, gementesq; cum Hieremiæ quęstibus dicimus: Dissolutum est gaudium cordis nostri, uersus est in luctum chorus noster. Vnde & cōram nobis cōspicimus, quoniam cecidisse coronam capitis nostri uidemus, dum tam nobile in infimum corruit, quod in statu sublimi sanctitatis optimè stetit. Ecce etenim tractantibus nobis in pace de Ecclesiasticis regulis, delatum est conuentui nostro epistolium confusę cōfessionis, & abolendæ subscriptionis, quod Potamius Bracarēsis ecclesię episcopus de factis propijs, suis uerbis, suis annotarat articulis. Quo re ferato, quid obliteranda pagina & aboleda literarū panderēt elementa, fletibus potius quàm sermonibus lachrymosa concio recoluit. Tunc solitariè tantum secretimq; adunatis pontificibus Dei, prædictum episcopum adesse fecimus coram nobis: quem insultibus aggredientes, amplius quàm loquelis, referatam illi suæ deformitatis, & nostræ confusionis protulimus scripturam: quam accipiens ac recurrens, scisciantibus nobis, utrum sui operis, & suæ annotationis intimatio esset? ille suum actum, suique oris eloquium, suorumque digitorum esse robur adseruit, quod illic relegendo præuidit. Rursum diuini nominis contestatione hunc adiurantes, obtestati sumus, utrum de se sponte mendacium diceret, aut alicuius uiolentia premeretur, & perterritus talia enarraret, ueraciter indicāretur? Qui mox flebili uoce, luminibusque ploratu madentibus, & fragore singultuum, cum unius Dei nominis iuramento clamauit, se & uerè eadem mala de se confiteri, & ad hæc confitenda nulla se uiolentia prægrauari. Vnde etiam fermè per nouem menses sponte deseruisse regimen ecclesiæ suæ, & ergastulo quodam pro admisso flagitio acturus pœnitentiam se conclusisse, prædixit. Tunc per fidelem confessionem est agnitio, quòd tactu fœmineo sorduisset, declarata: & hi-

cer

ceſſunc paterna antiquitas ſacris regulis deijcere ab honore decerneret, nos ta-
men miſerationis iura ſeruantes, non ab-
ſtulimus nomen honoris, quod ipſe ſibi
ſui criminis confeſsione iam tulerat: ſed
talida autoritate decreuimus, perpetuæ
pœnitentiæ hunc inſeruire officijs & ęrum
nis, prouidentes melius illum per aſpe-
ram pœnitentiæ ſolitudinem, ut quan-
doque perueniret ad refrigerij manſio-
nem, quàm relictum in uoluntatis ſuæ la-
titudine, ad prȩcipitium deijci ęterna dam
nationę. Tunc uenerabilem fructuoſum
Eccleſiæ Clumienſis epiſcopum, commu-
ni omnium noſtrûm electione conſtitui-
mus eccleſiæ Braccarenſis gubernacula
continere, ita ut omnem metropolim pro-
uinciæ Gallicæ, cunctosque epiſcopos,
publicosque conuentus ipſius, omniumq;
curam animarum Braccarenſis eccleſiæ gu
bernandam ſuſcipiens, ita componat atq;
conſeruet, ut & Dominum noſtrum de
reſtitudine operis ſui glorificet. & nobis
de incolumitate Eccleſiæ eius gaudium
præſtet. Quia uerò ad futurum proſpicere
conuenit, ne exoriatur in ſtatu pacis quæ-
dam commotio litis, patrum ſententiam,
quæ iam dictum Potamium epiſcopum re
ctitudine damnat, huic decreto connecte-
re uigilantia noſtra procurat. Ex concilio
Toletano, titulo quarto. Nec illud, fratres,
ſcribere alienum ab Eccleſiæ utilitate cen
ſuimus, ut ſciretis, quicunque ſub ordina-
tione uel diaconatus, uel prebyterij, uel epi
ſcopatus mortali crimine dixerint ſe eſ-
ſe pollutos, à ſupradictis ordinibus ſub-
mouendos, reos ſcilicet uel ueri confeſsio
ne, uel mendacio falſitatis. Neq; enim ab-
ſolui poteſt in his, ſi in ſeipſos dixerint,
quod dictum in alios puniretur: quoniam
omnis qui ſibi fuerit mortis cauſa, maior
homicida fit. Multæ quidem & aliæ ſen-
tentiæ huic poterant annecti decreto, quæ
dictũ Potamiũ epiſcopũ ſeueriſsima auſte-
ritate abijcere iubẽt: ſed ex omnib. hanc cõ
ſcriptã ponere ſententiã maluimus, ne ſi tot
cõdemnationis edicta replicaſſemus, grauiſ-
ſimę ultionis autores exiſtere uideremu.

CAP. XLVIII.

Poſt huius Pontamij deiectionem, Re-
mensium archiepiſcoporum Egidij & Ebo
nis depoſitiones, ad legem ſimul & con-
ſuetudinem ualere uiſæ ſunt. Quod ergo
ſuper æternis traditum monimentis, pro
lege & conſuetudine ualere cenſebãt. Nec
quenquam epiſcoporum in depoſitione
ſua ſcindendum, more Romanorum, ho-
neſtum iudicabãt, cũ hoc nec lege firmare-
tur, nec conſuetudine factum in hiſtoria-
rum monimentis reperiretur. Africanũ er-
go concilium ſequentes, ut ipſius Arnulfi
uerecundiæ parceretur, ſtatuebant: & pro-
pter Eccleſiæ opprobrium, & propter in-
ſolentem inſultationem ſecularium, ne di-
gnitas ſacerdotalis polluereturr & ne fortè
de his de quibus impetitur, & adhuc im-
petendus erat, publicè conuictus foret.
Libellum ergo eius depoſitionis dictan-
dũ, & coram eo ipſius iuſſu ſcribendũ cen-
ſebant, & propria manu corroborandum,
& uiuæ uocis confeſsione atteſtandum, ut
eius abdicatio nec exquiſita, nec inuita uel
extorta fore uideretur. tot enim ſceleri-
bus inuolutũ, ſacris altaribus aſtare nõ poſ
ſe. Quòd ſi corpore langues epiſcopus, ab-
dicationis porrecto libello ſecundũ Grego
riũ accipere ſucceſſorẽ poteſt: multo magis
qui in anima Deo mortuus eſt, abdicatio-
nis porrecto libello, ſucceſſorem accipere
poſſe. Addebãt præterea, quia ſi hæc ita fe-
ſtiuè & ſolẽniter determinata forẽt, omni-
no iudiciũ hoc innouari nõ poſſet: idq; for
mari ex concilio Antiocheno, capite 15.

CAP. XLIX.

Si quis epiſcopus criminaliter accuſatus,
ab omnibus qui ſunt intra prouincialem
epiſcopis exceperit unã conſonãq; ſentẽti-
am, ab alijs ulterius iudicari nõ poterit: ſed
manere circa eũ oportet tanquã conueni-
entẽ, quę ab omnibus prolata eſt firmã ra-
tãq; ſentẽtiã. His ita definitis, diſceſſum eſt.

CAP. L.

Sequenti autem die, conſidentibus epi-
ſcopis in baſilica domini Baſoli confeſſo-
ris, totiusque cleri diſpoſito conuentu,
pauca de ciuilibus, plurima uerò de Ec-
cleſiaſticis negocijs pertractata ſunt. Rur-
ſumq; Arnulfus Remẽſis in memoriam re-
dijt. Cumq; cauſa eius iam non in defenſio
ne, ſed maximè in cõqueſtione uerſaretur,
alijs illũ propter genus, alijs propter flore
iuuẽtutis miſerãtibus epiſcopis, ruina fra-
tris & ignominia ſacerdotalis dignitatis
grauius ſtimulabat. unuſquiſque enim ca-
ſum eius ex ſeipſo metiebatur, ſeq; ab infa-
mia liberari putabat, ſi is qui publicè impe
tebatur, à criminibus liber foret: uel peri cli
tari, ſi cauſam perderet.

CAP. LI.

Sed cũ has in longũ ducerẽt querimoni-
as, ecce Frãcorũ reges cũ primoribus pala
tij, ſacro cõuẽtui ſeſe inferũt: epiſcopis gra
tias agũt, quòd pro ſalute principũ diutius
cõſultãdo, deuotionẽ ſuã plena fide ſignaſ
ſent. Laudant, quòd à prauorũ hominũ cõ-
ſpiratione nõ ſolũ ſe remouiſſent: uerũ etiã
ipſa mente ſe alienos fuiſſe, ſuo ſtudio de-
monſtraſſent: ſimulq; geſtorũ ſeriẽ breuiter
exponi petunt, & in quo fine conſtiterint.

CAPVT LII.

Nō, inquit pater Arnulfus, hoc nobis adscribi debet, quod minimè promeritos constat. Pro salute enim uestra quamuis omni tempore consultandū sit, hoc tamē tempus saluti fratris nostri in periculo positi totum cōtulimus. & si res eò, quò uoluimus, deducta non est, nō utiq; amore & beneuolētia uestri, uel odio ipsius hoc actū est: sed causarum difficultate, in quibus si aliqua similitudo defensionis apparuisset, argumētorū fortia machinamenta, sententiarū ualidissima iacula, ꝑ eius munimine excitassemus: tanta nos pietas cōmouit, tantus charitatis feruor accendit. Deniq; non solum eos qui defendere parati erant, pro eo exacuimus: uerumetiā eos qui impugnare uidebantur, uestro anathemate dubitare coegimus. Itaque utcūq; numerosę patrū sententię prolatę sunt, sed nulla earū adiutus est. Deductus etiam in mediū est, & interrogatus. qui primò quidē omnia negauit: sed cū sibi singillatim species causarū proponerētur, necesse erat sibi confiteri, quod publicè factū cōstabat. Cumq; ex his quæ confitebatur, conse querētur ea quæ negauerat: illa quoq; quæ plurimū celare nitebatur, in dubiū adducebat. Inter has tergiuersationes cū hæreret, propositum sibi est, ut sibi consuleret: qui secessum petens, episcopos ad remotiora duxit. Ibiq; dū de qualitate purgationū agere putaretur, stimulante conscientia, subitò in confessionem peccatorū suorum erupit, cūctosq; qui aderant attonitos reddidit. Episcopis autē salutem illi promittentibus, nihilq; graue passurum, si rumores aduersos propelleret: ille nihilominus in sui cōfessione permansit, seq; sacerdotio priuari popposcit. Huic confessioni quidā ex abbatibus, multi ex clero interfuerunt, secretorum Arnulfi testes per lōga secula futuri. Sed si placet, in prę sentiam omnium deducatur, coramq; multitudine ipse sibi testis & iudex causam suā exponat: simulq; accusatores, testes atq; iudices inuidia liberet, in se uno horum omnium personam gerens.

CAPVT LIII.

Quo ingresso cū uniuerso populo, post paululū silentium indictū est. Deinde pater Arnulfus, ad Arnulfum: Vides ne omnium ora in te unū conuersa? cur pro te ipso nō loqueris? Qui cū malè cōcinna uerba effunderet, minusq; intelligi posset, ait pater Arnulfus: Es ne adhuc in sententia, in qua te serò reliquimus? Sum, inquit. Vis ne te abdicare à sacerdotij honore, quo hactenus abusus es? & ille: Sicut dicitis. Tū comes Brochardus: Quid est, inquit, istud, Sicut dicitis? palàm eloquatur, palàm confiteatur, ne postmodū episcopos crimina, quę uoluerint fin xisse dictitet, se cōfessum esse abneget. Et il le: Palàm, inquit, dico & profiteor me errasse, & à fidelitate regia deuiasse. Sed peto, ut Domino Arnulfo pro me loquēti credatis: ipsumq; in uestra præsentia deprecor, sicut mihi cōscius est, & sibi placet, ut ita causam meā exponat. Natura, inquit pater Arnulfus, taciturnus est: & insuper quæ sub testimonio Christi nostræ fidei celāda cōmisit, palàm cōfiteri erubescit. Sufficiat uobis hoc tantū nosse, quod publicè cōfitetur, scilicet sacramenta quæ regib. publicè præbuit, minimè conseruasse: cōtra confessionē & subscriptionē suam sub specie chirographi factā, publicè ueniisse. Nō est mihi satis, inquit comes Brochardus, nisi publicè fateatur, aut publicè pneget sub uestro testimonio, se traditionē fecisse, ut alteri sit libera facultas in eius locū succedēdi. Imò, inquit pater Arnulfus, non eritis hodie pares sacerdotibus, quibus solis pura debetur confessio: non ne, si quis militū pro nominato crimine apud regē insimularetur, ipse autē illud denegaret, confiteretur autē ita se in aliis peccasse, ut nec prædiū nec beneficiū obtinere posset, proq; sola uita supplicaret: si eius inquā prę diū uel beneficiū regali munificētia uobis offerretur, accipere recusare tis? Quid enim interest inter omnia mortifera crimina, utrū homicidio uel adulterio, an ueneficio quis puniatur? Satis ergo uobis sit, quòd per confessionē nobis sua peccata manifestauit, quòd publicè se indignū sacerdotio protestatur, quòd sic se peccasse coram regibus in conspectu Ecclesiæ confitetur, ut nullo honore huius seculi dignus sit. non enim ad rem spectare uidetur, utrum hoc an illo crimine se ipsum sacerdotio priuet.

CAPVT LIIII.

Ego Arnulfus, Remorum quondam archiepiscopus, recognoscens fragilitatem meam, & pondera peccatorū meorū, testes cōfessores meos, Siguinum archiepiscopū, Daibertum archiepiscopum, Arnulfum episcopum, Gotesmannum episcopum, Gualterum episcopum, Brunonem episcopum, Milonem episcopum, Adalbertum episcopum, Odonem episcopum, Guidonem episcopū, Heribertum episcopū, constitui mihi iudices delictorum meorū: & purā ipsis confessionē dedi, quærens remediū pœnitendi, & salutem animę meę, ut recederē ab officio & ministerio pōtificali, quo me reco gnosco esse indignū, & alienum me reddēs pro reatibus meis, in quibus peccasse me se cretò ipsis cōfessus sum: & de quib. publicè arguebar, eo scilicet modo, ut illi sint testes alij succedēdi & cōsecrādi in loco meo, q̄ di gnè prę esse & ꝑ desse possit Ecclesię, cui hactenus

Genus indignus præfui: & ut inde ultra nullam repetitionem aut interpellationē autoritate Canonica facere ualeam, manu propria mea subscribēs firmaui. †. Vel quo pus quondam SS. Huic libello Arnulfi, præ sentes episcopi testes adfuerunt, atque ab eo rogati subscribere, SS. ac singillatim illi dixerunt: Secundum tuam professionem & subscriptionem cessa ac officio. Post hoc clerum & populum à sacramentorum ne xu absoluit, ut omnibus libera facultas in alterius transmeandi iura patēret.

CAP. LV.

His solenniter peractis, eccè Adalgerus presbyter ad regum pedes prosternitur, se que priuari communione conqueritur, eo quòd imperio domini & archiepiscopi sui, cui resistendū non erat, paruerit. Cui pater Arnulfus: Aperuisti, inquit, urbis portas ho stibus? & ille: Aperui. & pater Arnulfus: In greſſus es templum Dei hostiliter? Tū pres byter: Negare non possum. & pater Arnul fus: Exore, inquit, tuo te iudico. Sanguis tuus super caput tuum. Subiunxit Gualte rus episcopus: Quando, inquit, imperans episcopus ita mulctatus est, tu obtempe rans, ac manibus iussa perficiens, consequē tem mulctam exolues. Et pater Bruno: Tu, inquit, ac tui similes malis consilijs, & ma lis executionibus iuuenem perdidistis. ut ergo ille ploret, & tu cantes? aut quomo do quæstibus temperare potero, si nul la afficiantur pœna, qui filium patrui mei in has præcipitauēre miserias? itaque pres byteto iubetur, ut quod malit eligat, aut perpetuum anathema, aut sui legitimam depositionem. sua enim spōte uenerat sub conditione, ne quid uiolentiæ pateretur. Diu ergo secum deliberans, maluit depo ni, quàm sub perpetuo anathemate detine ri. At episcopi nulla miseratione circa eum adducti, ueste sacerdotali induunt, ac mox illi singula quæque usque ad subdiaconatum sine reuerentia detrahentes, singilla tim per singula subinferunt: Cessa ab offi cio. deinde per legitimā reconciliationē, laicā illi tantū cōmunionē cōcedūt, ac pœ nitētię subdūt: eos uerò sacrilegos, urbisq; proditores, qui nec spōte nec ui ad satisfa ctionē uenerāt, iterato anathemate dānāt. post hæc Cōciliū solenniter determinatur.

Superest ut de euētu huius Synodi quę dā subijciamus. Depositio igitur Arnulfo, Gerbertus (quē alij Gilbertū dicūt) qui fu erat præceptor Roberti conregis, filij Hugo nis, Aquitanus philosophus, & monachus eruditione excellens, & eloquentia pol lens, substituitur in archiepiscopum Remo rum. Arnulphus uerò custodiæ traditur in Aureliana ciuitate: & quia Siguinus Seno num archiepiscopus, in tam uiolentam Ar nulphi depositionem, quæ magis ipsius au læ insatiabili odio, quàm episcoporū sen tentia fiebat, consentire nollet, unà cum Arnulpho in carcerem ire iubetur. qua qui dem in re Hugo rex suæ tranquilitati con sulere studebat, ne Seguinus summa auto ritate excellens, alios quoque episcopos ad improbandam hanc tyrānidem permo ueret. ac triennium utrique in captiuitate conseruantur: postea uerò, à Iohanne papa Romano restituūtur. Ammonius li. 5. cap. 46. Æmilius, Ganguinus, Tilius, & alij.

ALTERA REMENSIS SIVE *Mosomensis Synodus: estq; de causa Arnulphi, tertia Synodus.*

Huic tertiæ Synodo de controuersia Arnulphi, causam prębuit dissensio patrum in prędcedenti concilio. Etsi enim crimina Arnulphi notoria & manifesta erant, tamen pœnæ asperitatem erga pœnitentem im probabant nonnulli. Volebant enim autoritati & famæ episcoporum, pœnæ moderatione consuli, ne politici uiri hoc sublime genus uitæ tam fœdè pedibus su is conculcarent. Perlatis igitur actis Syno di Remensis Romam, per eos qui à pon tifice pendebant, Iohannes (ut plerique scribunt) decimustertius, Martinus Bene dictum septimum nominat, ingenti ira exardescit: & protinus suum fulmen ui brans, omnibus episcopis Galliæ, qui Ar nulphum deiecerant, aliumque sufficerant, omnibus sacris interdicit, executio nem scilicet cognitioni more Romano anteponens. Hisce plus quàm panicis ter roribus præmissis, Leonem abbatem cir cumdatum Romanæ sedis autoritate ab legat in Gallias, qui nouam indicat & con uocet Synodum in urbe Remensi: ut ha bet Ammonius, & Martinus (Inscriptio orationis Gerberti exemplari est in Mo somensi cōcilio) iubeatq; Siguinū uice Ro mani præsulis, eius Synodi gubernationē susc ipere. Quando autē Siguinus è carcere sit liberatus, an sit hoc factū adueniēte Leo ne pontificis Romani legato, an uerò paul o antè, nō est à scriptoribus indicatum.

Cōueniūt iterū episcopi, præsertim cū Hugo quoq; rex tonitruis Romanis nōni hil terreretur: & existimaret suo regno pe riculosum fore, si tot sacerdotibus conspi rantibus sese opponeret. Cessit igitur tem pori, & Synodo isti non restitit.

Porro in Synodo redintegratur contro uersia nō tā de Arnulphi criminibus, quàm de ipsius cōtumelioſa & uioleta depositio ne atq; in carceratione. Narrat Ammonius in gestis Remorum episcoporum, extare al

tercationem

tercationē Gerberti & Leonis ualde utilem, quam prodesset in lucem emitti: nos uerò tantum unicam in præsentia ad manū habuimus orationem Gerberti, in hac Synodo pronunciatam, non ineruditam, quam apponere uisum est.

ORATIO GERBERTI ARCHIepiscopi, habita in concilio Mosomensi.

¶ Semper quidem, reuerēdissimi patres, hanc diem præ oculis habui, spe ac uoto ad eum intendi, ex quo à fratribus meis admonitus, onus hoc sacerdotij non sine periculo captus mei subij. Tanta erat apud me pereuntis populi salus, tanta uestra autoritas, qua me tutum fore existimabā. Recordabar prēteritorū beneficiorū, dulcis atq; * effabilis uestrę, qua prēstantiū sępenumero cum multa laude usus fuerā. Cum ecce subi tò contrarius rumor uos offensos insinuat: uitioq; dare, quod magna paratū uirtute inter alios cōstabat. Horrui, fateor: & quos antea formidabam gladios, prę indignatione uestra posthabui. Nūc quia propitia diuinitas coràm tulit, quibus salutē meā semper cōmisi, pauca super innocentia mea referā, & quo'nam consilio urbi Remorū prēlatus sim edisseram. Ego quippe post obitū diui Otthonis Augusti, cū statuissem non discedere à clientela patris mei Adalberonis, ab eodem ignorans, ad sacerdotium prælectus sum: atq; in eius discessu ad dominū, coram illustribus uiris futurus Ecclesiæ pastor designatus. sed Simoniaca hæresis, in Petri soliditate me stantem inueniens, repulit, Arnulfum prætulit. Cui tamen plusquam oportuerit, fidele obsequiū exhibui: donec eum per multos, & per me apostatare palàm intelligēs, dato repudij libello, cū omnibus suis apostaticis dereliqui: non spe, non pactione capessendi eius honoris (ut mei ęmuli dicunt) sed monstrosis operibus diaboli uirtutis, in effigie hominis latitātis. Non idem (inquam) illum dereliqui, sed ne illud propheticum incurrerem: Impio prębes auxilium, & his qui oderūt me amicitia iungeris, & idcirco quidem iram Domini mereberis. Deinde sanctionibus Ecclesiasticis, per longa temporum spacia in eū peractis, legeq; perēptoria cōsumma ta, cū nihil aliud restaret, iudiciaria potestate principis coercetur: & tāquā seditiosus, sed & rebellis, à principali cathedra remoueturlege Africani cōcilij, iterū à fratribus meis & regni primorib. cōuētus & cōmonitus sum, ut excluso apostata curā discisi & dilaniati susciperē populi. Quod quidē & diu distuli, & postea nō satis spōtè acqeui: quoniā quę tormentorū genera me comitarentur, omnimodis intellexi. Hæc est uiarū mearum simplicitas, hæc innocentiæ puritas, & coram Domino & uobis sacerdotibus in his omnibus munda conscientia. Sed ecce ex aduerso calumniator uocum nouitatibus, ut maior fiat inuidia, delectatus obloquitur: Dominū tuum tradidisti, carceri mancipasti, sponsam eius rapuisti, sedem peruasisti. Ita'ne ego dominum, cuius nunquam fuerim seruus, cui etiam nullum sacramenti genus unquam præstiterimus? Et si illi ad tempus famulatus sum, fecit hoc imperium patris mei Adalberonis, qui me in Remensi ecclesia commonerari præcepit, quoadusque pontificis mei sacrati mores actusque dinoscerem. Quod dum operior, hostium præda factus sum: & quæ uestra munificentia, magnorum ducum largitas clara & præcipua contulerat, uiolenta prædonum manus abstulit, meque nudum penè gladios euasisse doluit. Deniq; postquam illum apostatam deteriliqui, uias & itinera illius non obseruaui, nec quolibet modo ei communicaui. Quo modo ego eum tradidi, qui ubi tunc temporis fuit nescium: sed neq; eum carceri mancipaui, qui nec nuper sub præsentia filiorū testium conueni, ut propter me nec admonitū ulla detineretur custodia. Si enim autoritas uestra pro me staret, tantum Arnulfus uilescceret, ut mihi obesse minimum ualeret. Quod si contraria mihi (quod absit) sentētia uestra decerneret, quid mea interesset, utrum Arnulfus, an alius Remorū constitueretur episcopus? Iam derapta sponsa, sedeq; peruasa, quod dicitur, ridiculum est. Dico enim primùm, nunquā illius fuisse sponsam, quā pro legitima dotione spiritualis dotis collatis antè beneficijs expoliauit, proscidit ac dilaniauit. Hęc dum sacerdotali insignitus erat, & iam omnia quæ notatæ sponsæ fuisse uidebantur, satellites Simonis uastauerāt. Dico etiam, si cōcedatur, quolibet modo illius sponsam fuisse: utiq; esse desijt, postquam eam pollutam & uiolatam, & (ut ita dicā) adulteratam suis prædonibus prostituit. Non igitur eam, aut quam non habuit, uel quam suo scelere perdidit, illius sponsam rapui. Sedem autem multitudine populorū refertam, aduena & peregrinus, nullius fretus opibus, peruadere qui potui? Sed fortè Apostolica sedes nobis opponitur, tanquā ea inconsulta, summū hoc negociū discussum sit uel ignorantia, uel contumacia. Certè nihil actū uel agendū fuit, quod Apostolicæ sedi relatum non fuerit, eiusq; per ea & octo menses expectata sentētia. Sed dū ab hominibus consilium non capitur, ad filij Dei supereminens eloquium recurritur. Si oculus (inquit) tuus scandalizat te, erue eum,

cum,& proijce illum abs te. & fratrem pec cantem corã testibus coramq; Ecclesia cõ monitum,& non obtemperantem, decer nit habendum tanquam ethnicum & pub licanum. Cõuentus ergo Arnulfus, & com monitus literis & legatis episcoporũ Gal liæ, ut à cœpto furore desisteret: & si uale ret, se quodãmodo addictionis scelere pur garet: dum monita salubria contemnit, ha bitus est tanquam ethnicus & publicanus. Nec tamen idcirco dijudicatur ut ethnicus & publicanus, ob sedis Apostolicę reueren tiam, sacriq; sacerdotij priuilegia: sed à se ipso in se ipsum damnationis sentẽtia pro lata, hoc solum in omni uita sua prædicare egisse iudicatum est: quia nimirum, si eum se ipso damnãte, episcopi absoluerent, pœ nam sceleris eius incurrerent. Si, inquit, ma gnus Leo papa, omnes sacerdotes & mun dus assentiat damnandis, damnatio con sentientes inuoluit, non prævaricationem consensus absoluit. Hoc enim Deus omni um indicauit, qui peccantem mundum ge nerali diluuio interemit. Et papa Gelasius: Ergo qui semel est cum suo autore damna tus, in particè * quolibet prauæ communio nis effectu execrationem sui gestat, & pœ nam. Excluso itaq; illo ab Remẽsi ecclesia, mihi reluctanti, multumque ea quæ passus sum, & adhuc patior formidáti, à fratribus meis Galliarũ episcopis hoc onus sacerdo tij sub diuini nominis obtestatione impo situm est. Quod si fortè quippiam à sacris le gibus deuiatum est, nõ id malicia, sed tem poris importauit necessitas. Alioquin tem pore hostili omne ius, omneq; licitum cau te, quid est aliud quàm patriam perdere, & necem inferre? Silent equidem leges inter arma: quibus ille Otto feralis bestia ita hoc tempore abusus est, ut reuerendissimos sa cerdotes Dei, quasi uilia mancipia manci paret, nec ab ipsis sacro sanctis altaribus tẽ perater, commeatus publicos interclude ret. Redeo ad me, reuerendissimi fratres, cui specialiter ob salutem pereuntis popu li, totiusq; reipublicæ curam mors furibun da cũ omnib. suis incubuit copijs. Hinc di ra egestas, horrea & apothecas armata ma nu sibi uindicat: illinc foris gladius & intus pauor, dies ac noctes reddiderunt insom nes. Sola uestra autoritas, ut tantorũ malo rum leuamen fieret, expectata est: quæ tan tam uim habere creditur, ut non solum Re mensis, sed etiã omni ecclesię Gallorũ de solatæ, & penè ad nihilum redactę subsidio esse ualeat: quã diuinitate propitia expecta mus, & ut fiat, omnes in cõmune oramus.

Finis huius Synodi est, quòd Arnulphus è carcere reuocatus, suæ sedi cum honore pontificali restituitur. Gerbertus uerò hac dignitate exuitur, & (quemadmodum Am monius testatur) pœnitentia ductus, non illubenter renunciat. Ne autem nimium of fenderetur Cęsar Otto, cuius pręceptor fue rat Gerbertus: & ex altera parte etiam Hu go nonnihil placaretur, cuius filium Rober tũ erudierat: Rauennatensem pontificẽ de signant Robertũ, ex qua ueluti scala postea in Romanũ episcopatũ temporis progres su emergit. qua de re alibi dicẽdi locus est.

Hugo sui regni curã agẽs, ista omnia fieri patitur. Ammonius, Martinꝰ, Tilius, & alij.

# CAPVT X.

## DE EPISCOPORVM ET Doctorum uitis.

### *DE ASIATICIS Doctoribus.*

THEODORVS ANTIOCHENVS.

IOannes Zimisces, Theodori monachi cuiusdam uaticinio, spem de Imperatoria dignitate adipiscenda cõceperat, mo dò præfinitum diuinitùs tem pus æquo expectaret animo. Voti itaq; sui compos factus Zimisces, Theodorum An tiochenis, qui tum præsule destituebantur, dedit pontificẽ. Cuius precibus motus Im perator, fœdam Manichęorum sectam, qui multos in Oriente suo ueneno infecerant, Philippopolim migrare iussit: ut Zonaras tom. 3. sub imperio Zimiscæ annotat.

### *DE EVROPAEIS Doctoribus.*

#### CONSTANTINOPOLITA ni patriarchæ.

STEPHANVS.

POst Nicolaum Stephanus Amasenus metropolita, Constãtinopolitanus de signatus est patriarcha: eã uerò dignitatẽ cũ uix triennio tenuisset, uita functus, successori Tryphoni locũ dedit: ut Zonaras tom. 3. sub imperio Rom. Lacapeni scribit.

TRYPHON.

Tryphon monachus ea cõditione sede Constantinopolitana potitur, ut post certũ tẽpus Theophylacto Imperatoris filio, qui tũ ob ętatẽ tãto muneri impar erat, ultrò se de cederet. Verùm elapso tẽpore pręfinito, Tryphon, ut conuenerat, cedere noluit: & quamuis omnes neruos, ne tantum sibi bo lum è faucibus eripi pateretur, intenderet, fraude tamen Cæsarien sis patriarchæ dignitatem amittit. Is enim ut Imperatori, si bi data esse à Tryphone uerba ęgrè ferenti, grãtificaretur, patriarchã amicitiæ nomine compellat,

compellat: ac quibus artibus ipsum Imperator oppugnet, indicat: sed nullum earũ esse felicem successum. Denique ait: Hoc te ariete expugnatum iri confidunt aulici, quòd literarum rudem te esse iactitãt. Quare ut hoc etiam te crimine purgare possis commodè, nolo tibi meo deesse consilio: Scribas, inquit, multis præsentibus nomen tuum, & pontificatus dignitatem, eamque chartam ad Imperatorem curato perferri. Paret Tryphon, dolum frandulenti hominis nõ olfaciẽs, & assumpta charta hæc scribit: Tryphon ex Dei misericordia archiepiscopus nouæ Romæ, & œcumenicus, & patriarcha. Eam chartam Cæsariensis Imperatori offert: ac mox per aulicos Tryphonis nomine subijcitur, quasi sua se functione abdicârit. Hoc artificio sede sua eiecto Tryphone, Theophylactus Imperatoris filius designatur pontifex: ut idem Tomo tertio, sub Romano Lacapeno commemorat.

THEOPHYLACTVS.

Romanus Lacapenus, filium natu minimum Theophylactum, cum pontificatum urbis eum ambire animaduerteret, detonsa coma clericum fecit. Aliquanto uerò pòst Tryphone, Cæsariensis patriarchæ dolo (ut diximus) dignitate sua exuto, Theophylactus sede Constantinopolitana contra maiorum decreta potitur. Annum autẽ tunc ætatis decimum sextum uix egressus, adhuc pædagogis parêre cogebatur: quorum iugo, patriarchatus honore eum extimulante, excusso, multa & præter decorum & officium fecit. equi enim, canes, uenationesque in primis ipsi curæ erant. Cum aliquando inter sacra ei nunciaretur, generosiorem illam, quam præ cæteris amaret, equam pullum enixam esse: properanter diuino peracto officio, uisendi gratia è templo discesserit. at uiso pullo, in templum, festum sanctæ passionis Seruatoris peracturus, redijt. Mortis causa ei fuit equitatio: qua cum audacissimè uteretur, allisso corpore, sanguinem per os reiecit. Vnde cum biennũ ęgrotasset, ex aqua intercute obijt, cum Ecclesiæ annis uiginti tribus præfedisset, anno duodecimo Imperij Constantini, Leonis filij. Ibidem.

POLYEVCTVS.

Polyeuctus monachus spado, eloquentia & uirtute insignis, à Cæsariensi patriarcha electus, Theophylacto successit. Primũ autem post renunciationem officium fuit, quòd Imperatorem monuit, ut detestandam cognatorum Romani senioris auariciam coherceret. Quæ uox Constantino Imperatori, Leonis filio, & in primis Helenæ Imperatrici admodum ingrata fuit: quæ in omnem, instigante eam Basilio spadone, occasionem dignitate patriarcham priuandi, intenta erat. Imperator uerò dũ idipsum, fortè coniugis impulsu, meditatur, mortem obijt. Cui cum Nicephorus Phocas per tumultũ in regno succederet, à Polyeucto in magna ecclesia coronatur.

Magna etiam seueritate Polyeuctus contra Iohannem Zimisce, qui Theophanonis instinctu, Imperatorem per sicarios nocte in lecto cubantem interfici curauerat, usus est. Nam cum is ad ecclesiam, ut diademate ornaretur, properaret, eius aditu tanquam cæde pollutus, à patriarcha prohibitus est. Eam seueritatem satis æquo animo tulit Zimisces: ac pro sui defensione, non quidem suis manibus, sed Theophanonis impulsu per sicarios trucidatum Imperatorem prætendit. Patriarcha contrà, Theophanonem regia pelli, cæsores exilio multari: ac decretum Nicephori, quo sibi ius designandi episcopos arrogarat, irrita haberi postulauit. Annuit mox Zimisces patriarchæ postulatis: legatisque missis, Theophano regia educta, in Præconesum relegatur, ipsumque decretum abrogatur. His factis, die natali Saluatoris in templũ admissus Zimisces, & regio diademate ornatus, ab omnibus Rex salutatur. Trigesimoquinto à coronatione Zimiscæ die, mortem obijt Polyeuctus: ut Zonaras tomo tertio, sub imperio Iohannis Zimiscæ scribit.

BASILIVS.

Basilius Scamandrenus monachus, qui Polyeucto successerat, cum uniuerso sacerdotum grege, senatu & populo, Ioanni Zimiscæ imperatori, ex Rosico bello Byzãtium redeunti, obuiam processit, coronas uictori offerentes. Quarto autem sui patriarchatus anno, ob quædam obiecta crimina loco motus est per concilium Basilius, cui Antonius Studites successit: ut Zonaras sub imperio Zimiscæ refert, tomo tertio Annalium.

IOBVS DIACONVS.

Sub imperio Cõstantini Leonis filij, Baptistæ manus per Iobum quendam diaconum, Antiochia Byzantiũ translata est: ut Zonaras tomo tertio Annalium narrat.

THEOPHYLACTVS.

Theophylactum à Photio quodam patriarcha Bulgaris missum episcopum, in libro fratrum ordinis Prædicatorum contra Græcos scribitur. Ac licet de tempore, quo uixerit, cum scriptorum autoritate destituamur, certi nihil in promptu sit: huic tamen ipsum seculo admodum uicinũ fuisse, uero haud absimile uidetur. inter Græcos enim theologos recentior est. præterea Photius ille, quem Cõstantinopolitanum putamus

putamus patriarcham, sub finem nonæ Cẽturiæ (iuxta Zonaram tomo tertio) in uita esse desijt.

Scripsit Græca lingua: In quatuor Euangelia enarrationes, quæ sunt ueluti summa quędam è Chrysostomi commentarijs decerpta.

In omnes D. Pauli epistolas.

In Prophetas aliquot minores: Habacuc, Ionã, Nahum. Apud Venetos, integros in Nahũ (quorum hactenus fragmentũ tantũ habuimus) & in Micheã Cõmentarios, cũ Epistolis aliquot eiusdem, Græco omnia exornata sermone, latẽre, Gesnerus in sua Bibliothera annotauit. Nec Hebrææ linguę ignarus fuit: ut patet ex cap. 18 in Lucã.

Porrò doctrinæ ipsius capita, nęuosq; insigniores, ex quarto Capite diligens petet Lector. Vnum saltem de næuis eius repetisse satis sit, quòd Latinorum sententiã de processione Spiritus sancti ex Patre & Filio improbet: in 3 cap. Iohannis.

Nunc opiniones solum peculiares paucissimis uerbis stringemus: Omnis, inquit, incredulus cõdemnatus est, quòd hinc migrans mox supplicio tradendus, & nõ in iudicium producendus, iuxta illud: Non resurgent impij in iudicio. Indigni enim habentur, ut rationẽ dent impij, sicut & diabolus. In iudicium igitur non resurgent, sed in condemnationem. in 2 cap. Iohannis. Item, Ioannis mortem ideo permittente Deo maturatam ait, ne uidelicet Christo & Iohanne diuiderentur sententiæ: sed ut omnis populus paratus ad Christum transiret. De Zacharia a Iudæis inter ędes ait: Alij dicunt, fuisse Zachariam filium Ioiadæ, quem lapidarunt: ut discimus ex libris Regum. Alij uerò patrem Præcursoris, eo quòd ille ordinauerat Dei generatricem cum uirginibus, etiam postquam peperisset Christum, & constituerat eam in loco quo illæ stant. Hic enim locus est inter templum & altare, quod est extra æreũ, & propterea occiderunt eum. Nã quia expectabãt Christũ quendã regem suũ futurum, nolebant autẽ regẽ ferre: ideo occiderunt sanctũ, qui asseruerat uirginẽ peperisse, & Christũ natũ esse, regnaturũ sup eos, quod auersabantur. absq; enim rege uolebant esse. in cap. 11 Lucæ. Parabolam esse, non historiã, quòd de Lazaro & diuite Christus recitat. cuius suæ sententiæ hãc reddit ratiõe: Nondũ enim erãt separata iustis bona, & peccatoribꝰ. cõtraria. in cap. 16 Luc. Christũ in eo loco crucifixũ ait, ubi primi omniũ nostrũm parentis craniũ iacuit: ut ubi per lignũ casus, illic & per lignum resurrectio. in 23 caput Lucæ. Deniq; in perstringendis ueterum hæreticorũ prauis dogmatibus plurimũ est occupatus: at suæ ætatis, quę plus quàm Cimmerijs pressa erat tenebris, doctrinæ ueræ deprauatores ne unico quidem uerbulo attingit.

# *DOCTORES*
## *Italiæ.*

## DE ROMANIS PONTIFICIBVS.

### IOHANNES X.

IOhannes decimus, natione Romanus fuit, iuxta Bergomensem, ex patre Rampualdo natus: ac professione monachũ S. Benedicti præ se ferens, ut Panuinius refert: pontificatum adeptus, turbas aliquo modo iam sopitas resuscitauit. Dum enim Formosi acta, maxima Romanorum parte contradicente, in integrum restituere conatur, seditioni in urbe Roma causam præbet, ita ut parum à cruento conflictu abfuerit. Pontifex uerò uitæ in periculo se uersari animaduertens, fugam arripit. A` Rauẽnatibus igitur exceptus, septuaginta quatuor episcoporum Concilium ibi coegit: cui Carolus Simplex, Francorum rex, cum archiepiscopis Galliæ interfuit. In eo autẽ Formosi acta rata esse censuit: repudiatis, igniq; traditis Stephani decretis, qui ad sacros ordines à Formoso adscitos, de nouo iterum ordinandos esse in Synodo iudicârat. Sigebertus.

Rauenna eum Romam redijsse, ac paulo pòst mortuum: eius q; corpus in basilica S. Petri terræ mandatum esse anno 900, octauo Calend. Nouembris, scribit Panuinius. Obijt anno secundo, die decimo quinto sui pontificatus: Domini uerò, 901. ut Nauclerus in Chronographia, generatione 31. Bergomensis libro undecimo: & Ranulphus libro 6. capite tertio, in Polychronico, testantur.

### BENEDICTVS IIII.

Benedictum quartum, patre Mammolo, ciue Romano natum, ut Panuinius habet: ob humanitatem & clementiam insignem, ad pontificatum post Ioannem euectum esse, refert Nauclerus in Chronographia, generatione 31. Nihil autem in tanto dignitatis fastigio laude & memoria dignum ab eo gestum reperitur. Acciderat enim illi ætati (ut Stellæ uerbis utamur) quòd omnis uirtus tam in capite (Romanum pontificem innuit) quàm in membris, ex hominum ignauia consumpta fuerat. Completis autem tribus sui regiminis annis, & mensibus quatuor, mortem obijt, anno Domini 904. Platina. Her-

mannus uerò Contractus annos quatuor, menſes 6, dies uiginti quatuor eum ſediſſe prodidit.

LEO V.

Leo quintus, Italus natione, patria Ardeatinus (Aretinus, iuxta Antoninum) ex quadam uilla, cui à Priapo nomen erat inditum, è monacho ordinis ſancti Benedicti de Brandalo, ad Romanæ ſedis dignitatẽ adſcitus eſt. Panuinius, & Trithemius in Chronico Hirſaugienſi. Sed breue admodum ipſius fuit curriculum. Quadrageſimo enim ſui pontificatus die, à Chriſtophoro eoſdem honores ambiente captus, in uincula conijcitur, ubi paulò pòſt animi mœrore extinctus eſt: uidens nimirum, à ſuo domeſtico, quem omnis generis officijs & dignitatibus ornârat, ac uelut lupum in domo ſua fouerat, eam ſibi referri gratiam: Anno Chriſti 905, ut Platina & Nauclerus annotant. Carcere eductum in monaſterium retruſum eſſe, ſcribit Panuinius: Sigebertus triginta dies ei tantum tribuit, Marianus uerò Scotus quinquaginta ſeptem.

CHRISTOPHORVS PRIMVS.

Chriſtophorus primus Romanus fuit, patre Leone natus, presbyter cardinalis titulo Damaſi, teſtibus Panuinio & Mariano Scoto. Balæus patriam & cognomen eius, ob ignobilitatem ignorari ait. Hic pontificiæ dignitatis cupiditate ardẽs, Leonem, cui familiaris (ut diximus) fuerat, cæpit: eóque in uincula coniecto, ui & armis, imò & meretricum ope (iuxta Balæum) pontificatum ſibi rapuit. Sigebertus. Verùm talionis pœnam ferre coactus eſt. omnibus enim tam clericis quàm laicis Romanis, ob malas illas artes, quibus ad eum honoris gradum euectus fuerat, inuiſus Chriſtophorus, à Sergio, cum iam ſeptimum ſui papatus menſem ageret, captus, atque in monachum attonſus eſt. Inde paulo pòſt, ab eodem Sergio, ſuo in pontificia ſede ſucceſſore, cognita nimirum hominis malicia ac crudelitate, rurſus extrahitur, arctioriq́ue, & quidem publico traditur carceri, ubi miſerè uitam finire coactus eſt. Platina, Nauclerus, Trithemius in Chronico Hirſaugienſi. Ranulphus libro ſexto: cap. quarto, in Polychronico, quarto eum ſui pontificatus menſe deiectum eſſe, memoriæ prodidit.

SERGIVS III.

Sergius tertius Romanus, natus patre Benedicto, presbyter cardinalis fuit. Antoninus, & Bergomenſis lib. undecimo. Luitprandus eum Romanæ eccleſiæ diaconum uocat. Is cum Formoſo pontificatum ambiens, repulſam paſſus erat, ac urbe Romanorum inteſtinis turbis ob electionem pontificum laborante, pulſus, in Thuſcia aliquã diu exulauit. Cum autem Chriſtophorus papa in odio omnium, tum clericorum, tum laicorum Romanorum (ut dictum) uerſaretur, ab utriuſque ordinis hominibus dẽ exilio reuocatur. Sergius occaſionem tantam ultrò ſibi oblatam non negligens, Caroli Simplicis Francorum regis, & Adelberti Thuſciæ marchionis præſidijs ſe muniuit, Romamque armata manu petijt, ſcilicet ut ſucceſſorem Petrinum decet. Verbem ingreſſus, ſedem papalem inuaſit: ac Romanorum inſtinctu Chriſtophorum ſua dignitate exutum, uitam monaſticam ſubire coegit: quem tamẽ paulo pòſt inde extractum, durioribus uinculis in publico carcere, uſq; ad uitæ finem conſtrinxit.

Antichriſti nota haud obſcura eſt, quod in Purificationis feſto candelas (quæ ad fugandos dæmones prodeſſe putabantur) ſe rendas præcepit, teſte Balæo. Digna conſtitutio tanto tyranno, qui nec interdiu uideret lucem, uoluit lucernas ſibi in ſacris ſuis accendi.

Tyrannide & crudelitate in ſede pontificia iam collocatus, ipſo Nerone haud inferior fuit. Formoſi enim cadauer, octauo poſt ſepulturam anno è terra euulſum, ac pontificali ornatu indutum, in ſellam papalem collocari, capitiſq; ſupplicio afficiſ. Tandem, cum ſæuiendo in cadauer ſuam expleuiſſet libidinem, tribus digitis præſectis, ipſum tanquam ſepultura humana indignum, in Tyberim præcipitari iuſsit: ut Luitprandus, Ranulphus in Polychronico libro ſexto, capite quarto, indicant.

Formoſi factionem atrociter etiam perſecutus eſt, propterea quòd ei impedimento fuiſſet, quo minus ad pontificiam dignitatem eueheretur: ut Platina habet. Formoſo quoque ordinatos ſuis rurſum exuit dignitatibus: atque ex ijs ſolum ad ſacros admittendos ordines decreuit, quos ipſe dignos iudicaret, eosque denuò ordinauit.

Ipſos etiam Romanos, ſeculari nimirum brachio fretus, minis & terroribus eò uſq; perpulit, ut omnia Formoſi acta & decreta improbarẽt & reſcinderent, ſuis uerò ſubſcriberent.

Ob libidinem quoque celebris eſt Sergius. ex Marozia enim Guidonis coniuge ſplendida, ſed impudentiſsima meretrice, ſpurciſsimus adulter genuit Iohannem, poſtea Romanum pontificem eius nominis duodecimum: ut Luitprandus refert lib. 3. cap. 12. Quãtuis Cuſpinianus eũ Sergij, cui Os porci nomen fuerat, filiũ fuiſſe ſcribat.

Eccleſiam

Ecclesiam Lateranensem, quæ temporibus Stephani sexti ferè penitùs corruerat, reparauit, diuersisque donis atque ornamentis locupletauit: idque in perpetuam rei memoriam, ex utraque parietum parte literis exaratum est: ut Antoninus scribit.

Rebus in pontificatu suo confirmatis, in Gallias eum profectum esse, Nauclerus scribit. Quid uerò ibi negocij habuerit, non exprimitur.

Pontificatum tenuit annis septem, mensibus quatuor, diebus quindecim. Platina. Mortuus est anno Domini 913. Cadauer eius in basilica Constantiniana sepultum est.

ANASTASIVS III.

Anastasius tertius, Luciani ciuis Romani filius, Sergio successit. In gubernatione autem quid præclari gesserit, etsi nusquam apud autores extet: tamen antecessoribus suis modestior fuisse uidetur, cum à maledicentia & damnatione eorum se continuerit ut Platina & Nauclerus testantur. Obijt anno Christi 915, cum sedisset annis duobus, ac totidem mensibus. Marianus Scotus, Hermannus Contractus addit insuper dies uiginti & duos.

LANDO I.

Anastasium secutus est Lando, patria Romanus, iuxta Sabellicum & Platinam. Sigebertus in Chronico uocat eum Dandonē, nisi fortè Typographi incuria error admissus sit. Onuphrius Panuinius scribit, quòd fuerit natione Sabinus, patria Herebo, ex patre Tanno. Adeò autem obscurus est, ut à pluribus scriptoribus, ipsis pontificibus Romanis non annumeretur. Platina.

Ante initum Pontificatum, Iohannem undecimum, postea Romanum pontificem ex adulterio, se masculum esse probās, genuit. Balæus, ex relatione Petri Præmonstratensis annotat.

Berengarium Italiæ regem, coronam ab eo accepisse, Schedelius narrat.

Berengario Italiæ, & Rudolpho Burgundionum regibus, de regno Italię inter se dissidentibus, Lando autoritatem suam apud utrunque regem interposuisse scribitur, quò minus armata manu confligerēt. Sabellicus Enneadis 9. lib. 1. Platina, Hartmannus Schedelius.

Cutriculum eius breue fuit. nondum enim septimo sui pontificatus mense completo, defunctus est. Nauclerus. Marianus Scotus, & Sigebertus, tantum quatuor habent menses: quibus Hermannus Contractus dies addit uiginti-duos.

IOHANNES XI.

Iohannes undecimus cognomento, & patria Rauennas, Landonis papæ filius, ut dictum est. Blondus eum Tauxignauo Romandiolæ oppido ortum asserit: Decade secunda, libro secundo. at Panuinius in prouincia Æmylia, patre Iohanne quodam natum fuisse scribit. Diaconus primùm fuit Petri Rauennatis archipræsulis, qui eius opera in negocijs, in Romana curia expediendis, sæpius uti solebat. Cum autem formæ esset decoræ, in amorem eius exarsit Theodora, nobile eius temporis Romæ scortum: eumque in turpem libidinem non tantum blanditijs allexit, sed & impulit. Cæterùm mortuo Bononiensi episcopo, Iohannes in locum eius eligitur. Verùm antequam episcopi officium in ea ecclesia, solenni ritu ei demandaretur, Petrus Rauennas mortem obijt. Quare Theodoræ amasiæ impulsu, priori ecclesia posthabita, Rauennatensem ambit: eamque impetrat, & à pontifice Romano eò ordinatur episcopus. Paulo pòst Romanus pontifex defunctus est. Theodora igitur, quo sæpius eius frueretur concubitu, suam eum ecclesiam deserere, Romanamque appetere, imò inuadere coegit: ac res ex uotis utrique successit. Luitprandus. Vno autem animo à Rauennatensi populo, tanquam inuasorem Ecclesiæ, Iohannem urbe eiectum esse per tumultum, Nauclerus, Martinus Polonus in suo Chronico, & Stella annotant.

Pontificatum Romanum opera meretricis adeptus, per literas Edouardum XXIII Angliæ regem grauiter reprehendit, quòd religionis studium in sua terra intercidere pateretur, dum magis rei bellicæ, quàm Ecclesiæ curam ageret: eique minatur, se publicè religionis hostem, cùm ipsum, tum totam eius gentem declaraturum esse, nisi maturè corrigantur. Rex hoc fulmine pontificio percitus, plurimos per Pleimundum constitui curat episcopos: ac per eundem, purgandi se causa Romam missum, Pontifici reconciliatur: ut Polydorus Virgilius lib. 6. Anglicæ historiæ refert.

Sed tamen militem potius, quàm Ecclesiæ gubernatorem, deinceps egit: eaque fortè de causa Bonfinius, eum uirum circumspectum & magnanimum uocat. Nam consilio Landulphi & Atenulphi Capuanorum principum, Constantinum Græcorum Imperatorem, contra Sarracenos, totam Italiam, Calabriam & Apuliam adeò uastantes, ut de tota religione,

Italiæq; salute actum uideretur, in auxiliũ uocauit: qui per Romanum ducem ipsi auxiliares copias misit. Quibus aduenientibus, cõiungit se pontifex cum Alberico Hetruriæ marchione. Isti igitur omnes cõiunctis uiribus Saracenos oppugnarunt: tantisque prælijs attriuerunt, ut intra tres menses ferè penitùs extincti fuerint: ut Blondus, Bonfinius & Luitprandus referunt. quibus & Leo Hostiensis in Chronico Casinensi libro primo, capite quinquagesimoquinto, adstipulatur: & Ranulphus in Polychronico, libro sexto, capite sexto.

Ex bello domum ridiens pontifex, triumphantis more Romam ingressus est: quam ob causam Alberici, cuius auxilio hostes profligarat, odium incurrit. Sibi enim soli uictoriæ laudem contra Saracenos (teste Bergomensi) adscripserat: quæ quidem res in apertum bellum deinde accreuit. Albericus enim Roma à pontifice eiectus, Vngarorum opem implorat: qui Italiam ingressi, grauius quàm unquam antea fecerant Saraceni, eam afflixerunt: ingentique præda onusti, ad sua reuersi sunt.

Porrò Saracenis, resumptis iam uiribus, & Beneuento urbe spoliata & incensa, adoppugnandam Romam nunc redeuntibus: autor est Romanis Iohannes pontifex, ut Guidonem Thusciæ comitem rei bellicæ præficiant. Qui rebus feliciter contra hostes gestis, urbem quieti reddidit. Guido autem aliquanto pòst quietis pertæsus, in pontificem optimè de se & Romanis meritum, eiusque fratrem Petrum, Maroziæ instinctu, suum ex Sergio papa filium, ad pontificiam dignitatem promouere conantis, impetum facit: ac pontificem captum, trucidato prius in conspectu fratre eius Petro, in carcerem coniecit: ubi à militibus Guidonis, ceruicali super os eius impositò suffocatur, cum pontificatum tenuisset annis circiter tredecim, Anno Christi 929: ut Luitprandus libro tertio, capite duodecimo: Sigebertus, Blondus libro secundo Decadis secundę, habent.

Iohanne è uiuis exempto, in locum eius per seditionem substituitur Iohannes alius, eius nominis duodecimus, Sergij papæ ex Marozia meretrice filius. Verùm quia clerus & populus Romanus, in eius electionem non consenserant, eodem anno sede deijcitur: & ob id in episcoporum Romanorum catalogum ab autoribus non refertur. Redijt tamen postea, mortuo Stephano septimo (ut dicemus) ad pontificiam dignitatem Iohannes: ut Luitprandus libro tertio, capite duodecimo: Sigebertus & Palmerius testantur.

### LEO VI.

Leo sextus Romanus fuit: patrem habuit uel Leonem, uel Christophorum quẽdam, Romanæ ecclesię primicerium: ut Panuinius refert.

In pontificatu constitutus, uulgus furibundum in urbe Romana, ob intestinos motus, qui multos iam annos duraueranr, compescere, & ad concordiam mutuam reuocare, ipsam quoque Italiam bellis ardentem pacare studuit: sed septimo sui regiminis mense (teste Balæo) uenenò Marozia sublatus est, quò Iohanni filio eius notho ad pontificatum redeundi locus esset: ut Bergomensis, Platina & Naucl erus annotant.

### STEPHANVS VII.

Stephanus septimus, Romanus, Gendemundi cuiusdam filius, ut Panuinius annotat, post Leonem sedem papalem conscendit. Etsi autem nihil memoria dignum gesserit (prorsus enim muti sunt de eo pontificij scriptores) tamen pacis, mansuetudinis & religionis eum studiosum fuisse, Cranzius & Hartmãnus Schedelius testantur. Cùm annis duobus & mense uno pontificatum administrasset, uenenò extinctus est, Anno Christi 932: ut Baleus habet.

### IOHANNES XII.

Leone & Stephano uenenatis pòculis sublatis, Iohannes Romanus, Maroziæ ex Sergio papa filius (ut præter cæteros auctores etiam Leo Hostiensis libro primo, capite quinquagesimooctauo, Chronici casinensis, testatur) ad Romanæ ecclesiæ fastigium, unde prius deiectus erat (ut paulo antè strinximus) iterum conscendit.

Magna autem hic autorum (ut hoc obiter Lectorem moneamus) ueram historiam à Luitprando descriptam ignorantium, diuersitas est. Nam aliqui ex hoc Iohanne, cum bis pontificatum tenuerit, duos faciunt. unum, qui Leonem & Stephanum præcesserit, quem à pontificum albo secludunt: & hunc, de quo nunc agimus, Stephano surrogatum, de quo nihil esse ab historicis scriptum referunt. Sunt & alij qui ex hoc Romano, & altero Rauennate, unum quoque constituant. Ex quorum numero Platina, utrunque dicit esse Sergij pontificis filium. Valerius Anselmus scribit, unum eorum fuisse alterius fratrem: ex eiusdem Platinæ errore deceptus

deceptus. Sunt etiam adhuc alij, qui illum à prædictis duobus separent, & omnino diuersum fuisse credant, dicentes esse scriptoribus ignotum, ac nihil fecisse memoria dignum. Sed ad Luitprandum reuertamur, qui in libro tertio, capite duodecimo, de huius Iohannis matre sic scribit: Marozia scortum impudens, & Iohannis pontificis mater, post Guidonis mariti mortem, Hugonem eius fratrem, Italiæ regem, patria Burgundum, per nuncios inuitat ut ad se ueniat, & ab ea Romam nobilissimam urbem sumat. Quod aliter fieri non posse scribit, nisi ipsam in uxorem accipiat. Rex ergo relicto longè exercitu, Romam aduenit: qui decenter à Romanis susceptus in Hadriani molem, seu castrum S. Angeli, fortissimam munitionem, ad meretricis Maroziæ thalamum declinauit. Cuius incæsto concubitu dum esset potitus, Romanos, quasi iam securus, despicere cœpit. Habuerat tunc Marozia filium Albericum, Iohannis pontificis fratrem, quem tamen ex Alberico marchione genuerat: qui dum matris horatu Hugoni aquam funderet, ubi manus ablueret, ab eo pro correctione in faciem cæsus est, quod non moderatè & prudenter id fecisset. Is uerò, ut illatam sibi posset ulcisci iniuriam, congregatis in unum Romanis, eiusmodi eos sermone conuenit: Romanæ urbis dignitas ad tantam est stultitiam ducta, ut meretricum etiam imperio pareat. Quid enim fœdius, quid'ue turpius, quàm ut unius mulieris incæstu Romana ciuitas pereat? Romanorumque aliquando serui Burgundiones, Romanis imperent? Si meam priuigni sui faciem cęcidit, cum præsertim nouus habeatur hospes, quid uobis iam inueteratum facturum creditis? An Burgundiorum superbiam ignoratis? &c. Nec mora, his auditis, Hugonem regem omnes deserunt, atque eundem Albericum sibi dominum eligunt. Tanto igitur terrore coactus, Romanam urbem deseruit rex Hugo: atque ad suos, relicta Marozia, confugit. Albericus ergo cum Marozia matre, Romanæ urbis monarchiam solus tenuit, Iohanne eius fratre papatui præsidente. Qui post papalia facta, anno Domini noningentesimotrigesimoseptimo, & quinto anno sui pontificatus, naturæ cessit: dum meretrix mater, Romæ tam regnum quàm ecclesiam adhuc regeret. Cui sententiæ & Auentinus libro quarto Annalium adstipulari uidetur, cum inquit: Hugo Arelatensis ab Italis accitus, regno potitur Longobardorum. Albericus eius priuignus; cum matre Marozia urbem Romam occupat: uitricum urbe pellit, Iohannem fratrem suum pontificem maximum designat. Auentinus libro quarto Annalium. Ita hoc tempore Ecclesia, Romaque tota, meretrici turpissimæ subiecta erat, ut per illam utraque regerentur. in cuius quidem libidinem graiter inuehitur Luitprandus libro tertio, capite duodecimo:

*Quid Veneris facibus compulsa Marozia sæuis?*
*Coniugis ecce tui spectas, tu suauia fratris,*
*Nubere germanis satagens Herodia binis.*
*Immemor aspiceris præcepti cæca Iohannis,*
*Qui fratri uetuit, fratris uiolare maritam.*
*Hæc tibi Moyseos non præstant carmina uatis,*
*Qui fratri sobolem fratris de nomine iussit*
*Edere, si primus nequeat sibi gignere natum.*
*Nostra tuo periisse uiro te secula norunt.*
*Respondes, scio, tu: Nihil hoc Venus ebria curat.*
*Aduenit optatus, ceu bos tibi ductus ad aram*
*Rex Hugo, Romanam potius commotus ad urbem.*
*Quid iuuat ô scelerata uirum sic perdere magnum?*
*Crimine dum tanto satagis regina uideri,*
*Amittis magnam Domino tu iudice Romam.*

### LEO VII.

Leo septimus, patria Romanus, homo fuit ingenij remissioris: ac negocijs tum secularibus, tum Ecclesiasticis minus attentus, suæ tanquillitati & ocio tantum consuluit: nihilque de se literis & memoria dignum, præter solum nomen, reliquit posteris. Hoc Leone pontificatum ineunte, Ottho magnus Saxoniæ dux ad Imperij Romani dignitatem apud Germanos conscendit. Obijt autem anno pontificatus sui tertio, mense sexto, die decimo: Christi uerò noningentesimo quadragesimoprimo: ut Platina, Bergomensis libro undecimo, & Ranulphus libro sexto, capite sexto, in Polychronico, testantur.

### STEPHANVS VIII.

Stephanus octauus, ex Germanis primus, die post obitum Leonis decimo, Romanæ ecclesiæ pontifex creatus est. In gubernatione autem, à rebus gerendis, Romanorum ciuium crebris & turbulentis motibus impeditus fuit: imò intra ipsa mœnia facto conflictu, adeò uulneribus confossus est, ut ob cicatricum in facie deformitatem deinceps in publicum prodire (turpe nimirum id sibi fore iudicans) noluerit, sed intra domesticos parietes latitare maluerit: ut Platina & Naucle-rus referunt. Obijt completis pontificatus sui annis tribus, & mensibus quatuor: ut Hermanus Contractus & Palmerius scribunt.

MARTINVS III.

Martinus tertius, siue Marinus (quo nomine eum Sigebertus & Hermannus Contractus appellant) patria Romanus, Stephano defuncto, sellam Pontificiam anno Christi nonigentesimo quadragesimoquarto conscendit.

In sua functione, negocijs huius seculi postpositis, religioni animum adiecit, atque operibus idololatriæ potissimùm seruientibus studuit. Templa enim, ob uetustatem ruinam minitantia, reparauit (quod quidem Pontificij scriptores, totum se religioni addicere, non uerentur appellare) ac pauperum curam egit, quos liberaliter fouit atq; aluit.

Pacis politicæ etiam rationem habuit. Nam cum Ottho exercitum duceret in Italiam, eò ad Berengarij tyrannidem compescendam accersitus, eiq́ue Lotharius Hugonis Italiæ regis filius obstaret, finibusq́; suis prohiberet, & ob id cruentis sæpe confligerent prælijs: papa utriq;, ut ab armis discederent, autor fuit, cum tota Italia præter famem, alijs etiam grauissimis calamitatibus premeretur: ut Platina & Bergomensis habent.

Cum annis quatuor, mensibus sex, ac diebus quatuordecim (iuxta Sigebertum, & Martinum in Chronico) dignitate pontificia perfunctus esset, collectus est ad maiores suos. Platina, Bergomensis, & Balæus, tribus annis, paucisq́ue mensibus eum Romanæ præfuisse Ecclesiæ scribunt. Ranulphus, tribus annis, menses sex adijcit: libro sexto, capite sexto, in Polychronico.

AGAPITVS.

Agapitus secundus, Romanus natione, Martino, tota Italia bello ardente, successit. Ob uitæ autem innocentiam, Christianæq́ue (pontificiæ potius) religionis amorem, à Nauclero & Bergomense commendatur.

Frothoni Daniæ regi, ab eò uirós doctos, qui sui regni incolas de uera fide erudirent, petenti, non est dubium quin sit gratificatus: eiq́; suæ religionis homines miserit, quo & iugo suo istas regiones submitteret. Erant enim Romani pontifices, in omnes occasiones suum stabiliendi primatum intenti: uerùm Frotho morte præuenit Romanæ legationis aduentum, ut Saxo lib. 9 historiæ Danicæ narrat.

Huius pontificis temporibus Synodus in Ingelheim celebrata est, cui Martinus Romanæ ecclesiæ legatus præsedit, Ludouico Francorum & Otthone Germanorũ regibus præsentibus: ubi multa in Ecclesiastico ordine uitiosa, emendata sunt: ut ex Otthone Phrysingense, Reginonis Continuatore, & Balęo uidere est.

Pax etiam & tranquillitas externa ei cuiræ fuit. Nam Berengario superbè & crudeliter Italis imperante, nec religiosis & monachis parcente, sed omnia pro suo arbitrio, Agapitus alijq́ue Italiæ proceres, nuncios ad Otthonem, cuius laus in rebus feliciter gerendis, tum in toto orbe Christiano nota erat, eius auxilium rogatum mittunt. Qui magnis itineribus in Italiam contendens, eam à Berengarij, filijq́; eius Alberti iniquo imperio liberat. Testes eius rei sunt Nauclerus, Bonfinius, Bergomensis, & alij.

Alberto etiam Venetos, postquam Ottho Imperator ab Italia decesserat, bello uexante, pontifex pro uirili id prohibere conatus est: ut Platina refert. Obijt anno pontificatus sui nono, mense septimo, qui est Christi noningentesimus quinquagesimus quintus: iuxta Sigebertũ, Hermannum Contractum, & Nauclerum. Balęus annum habet noningentesimũ quinquagesimumquartum.

IOHANNES XIII.

Iohannem decimumtertium, qui ante pontificatum Octauianus dicebatur, patre Alberico Romano principe, Guidonis & Marozię filio legitimo natum: Iohannes Stella, & Leo Hostiensis tradunt.

Adolescens nullo non flagitiorum genere, præ cæteris eminuit & claruit, sed cum magna esset Alberici patris apud Romanos autoritas & potentia, muneribus apud proceres, at minis apud populum & clerum obtinuit, ad Romanæ sedis dignitatem euehi filium, ganeo potius, cui præficeretur, dignum, quàm Ecclesiastico munere, ob uitæ fœdam turpitudinem, dignum scilicet patella operculum. In ipso enim uiuum pontificiarum uirtutum in Romana Ecclesia, intueri licet exemplar. Ea de causa Nauclerus & Platina, monstri appellatione eum non dedignantur. Idem & Blondus de eo fert testimonium.

Pontificem agens, nunquam de uitæ emendatione cogitauit: sed sceleribus, quibus ab ineunte ætate assueuerat, etiam postea deditus fuit.

Constituisse hic papa scribitur, Balæo teste, ut Imperator Augustus semper post hac à Papa Romæ coronaretur.

Ab hoc quoque Antipetrino, Dunstanus monachus necromanticus, archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, confirmationem, ac metropolis suæ pallium Romæ suscepit, anno Domini 960. ac grandi insuper auri ui, ab eodem impetrauit magnæ autoritatis diploma, quo posset ministrorum

nistrorum Ecclesiæ apud Anglos coniugia damnare, & ad Papistici cœlibatus uotum compellere: aut omni prorsus Ecclesiastico prouentu, parêre detractantes, exuere: ut ex Iohanne Capgrauio Balæus, & Polydorus Vergilius libro sexto Anglicæ historiæ referunt.

Italiæ bellis intestinis flagranti, etiam mederi, suis rebus potissimùm consulens, conatus est. Nam & ipse Otthonem Imperatorem tum suo, tum Romanorum nomine, missis ad eum legatis ad Berengarij tyrannidem auertendam, in Italiam denuò accersiuit: is uerò conscripto in Germania milite, statim eò contendit: & Berengarium perfidum, eiusque filium Albertum bello aggressus est. Berengarius autem Otthonis uirtutem antea expertus, fugit, & intra munitiones suas latitauit. Albertus uerò cum eiusdem potentiam sustinere non posset, in Corsicam insulam Fraxinetum abijt, seque Sarracenorum fidei commisit: ut Luitprandus libro sexto, capite sexto, & Nauclerus narrant.

Imperator externo rerum statu, aliquo modo in Italia pacato, Romam adijt: ac præstito prius Romanis iuramento, de suo erga urbem & Ecclesiam indefesso studio, intra mœnia receptus est. A' pontifice autem, totoque populo honorifice excipitur: ac paulo pòst Imperij diademate, unà cum filio septem uix annorum, accepto: insuper Germaniæ, Pannoniæque titulo, publico & solenni ritu in D. Petri basilica, ante altare à Iohanne ornatur. Posthæc Imperator aliquandiu Romæ commoratus, familiaríque sæpius pontificis colloquio usus, ferio & grauiter de corrigenda uita, tanto Ecclesiæ Dei gubernatore admodum indigna, cum monuit. Tandem Imperator, cum iuramento sese inuicem obstrinxissent, nunquam se datam iam mutuò fidem & pactum uiolaturos, Romatus est: utijdem annotant. Interim pontifex iuramenti & promissionis Imperatoripaulo antè datæ immemor, Alberto secoiungit: eique ex Corsica insula, quò fugerat, reuocato, Romanæ urbis portas aperit, ac ingredi permittit. Imperator de papæ perfidia per duos cardinales certior factus, & rei indignitate motus, relicto Berengario, Romam cum exercitu redire festinat, in Papam & Albertum animaduersurus. Verùm illi metuentes Imperatoris indignationem & arma, expoliata prius sancti Petri basilica, fugam arripiunt: hic quidem Corsicam repetijt, ille uerò in Campaniam abijt: ibique, Antonino teste, in syluis & montium iugis ferarum more oberrans latitauit. Ante fugam autem Papa duos illos cardinales, per quos Imperator reuocatus erat, cõprehẽdi iussit: quorũ alteri linguã, nasum & duos digitos, alteri uerò manũ præscidit. Ottho Romam ingressus, profugum papam per literas reuocat, eiq; liberè Romam redeũdi, ac sua dignitate fruendi potestatem concedit: uerùm papa malè sibi conscius, uenire detrectat. Imperator igitur auditurus episcoporum de Iohanne sententiam, concilium plurimorum Episcoporum Romæ conuocat: ut Luitprandus, Nauclerus & Antoninus referunt.

Crimina autem, quorum Iohannes reus agebatur, hæc in Concilio primùm in medium adducuntur: Quòd Missam celebrans, non communicârit: quòd nulla habita temporis ratione, in equorum stabulo diaconum quendam ordinarit: quòd muneribus corruptus, episcopatus, & quidem ob ætatem minus aptis personis distribuerit: quòd sit sacrilegus, adulterij, incœstus ex duabus sororibus, & propria cognatione, ac periurij reus: quòd uenationi studuerit: Benedictum patrem suum spiritualem lumine priuarit, qua calamitate mox extinctus sit: Iohannem quendam cardinalem uirilibus exectis occiderit: quòd ense, galea & lorica armatus in publicum prodierit: quòd in diaboli amorem uinum biberit: in ludo aleæ, Iouis, Veneris, aliorumque dæmonum opem expetierit: matutinas & canonicas horas neglexerit, nec crucis signo se muniuerit. Luitprandus libro sexto, capite septimo, sicut suo loco exposuimis. Hic uerò Lectoris monendi gratia repetimus, ut ista monstra Romana, & organa diaboli, discant cognoscere, & rectius iudicare quàm uulgus pontificium solet. Cogita enim, an Ecclesia Christi, in tantis potentis, quæ tota rerum natura abhorret, possit consistere?

Posthæc Imperator autoritate & mandato Concilij, ad pontificem profugum secundas adornat literas, in quibus præcipua capita criminum ipsi obiectorum stringit: ac ut comparere in Synodo, & de ijs se purgare uelit, hortatur. Idem libro 6. capite 9.

Hasce literas cum legisset pontifex, Synodo rescripsit: se ipsos excommunicare, si uelint alium pontificem creare. Idem cap. 10.

Tertiò igitur Imperator ex Synodo ad Iohannem literas, per duos cardinales mittit, quibus idem quod prioribus petit. Sed eæ redditæ ipsi non

sunt, cum nusquam cardinales à Synodo missi, inuenire uespertilionem possent. Ibidem.

Re igitur diu multumque in Synodo deliberata, omnes de Iohanne remouendo, alioque substituendo consentiunt. Concessit itaque Imperator clero & populo Romano, quem ipsi tanto munere dignum iudicarent, eligendi facultatem. Qui mox communibus suffragijs Leonem sibi dari episcopum petunt: ut Luitprandus, Nauclerus & Antoninus annotant.

Iohannes pontificatu, & iustè quidem, deiectus, nihil non tentauit, quo eam (ut ipse censebat) ab Imperatore & Synodo sibi oblatam iniuriam ulciscereturr. Promissionibus igitur splendidissimis munerum amplissimorum, Romanos ad opprimendum clàm Imperatorem, in sua urbe commorantem, sollicitauit: sed malè res, Iohanni gratificari uolentibus cessit, ut Luitprandus testatur. Quin & consanguinei eius, uiri urbis Romæ præpotentes, cum iam Imperator bello contra Berengarium, eiusque filium implicitus, aliquanto longius ab urbe abesset, omnem mouerunt lapidem, quo Leone pulso Iohannes restitueretur. Mulieres quoque nobilitate generis apud eosdem illustres, quarum consuetudine Iohannes usus fuerat, uehementer in eadem causa apud proceres laborauerunt, tandemque uoti sui compotes factæ fuêre. Leone itaque ejecto, Iohannes, uir omnium qui unquam ante se in pontificatu fuêre (teste Platina) pernicioſissimus & sceleratissimus, per uim restituitur. Sed paulo pòst, cum nocte quadam extra Romam mulierculæ cuiusdam illicita frueretur consuetudine, à dæmone percussus, mortem obijt: ut Luitprandus & Nauclerus referunt. Quidam ab adulteræ marito transfossum (id quod uero similius est) scribunt, anno pontificatus sui nono, mense tertio. Platina, Balæus. Alij annos tantum octo ei tribuunt, eumq; Christi anno noningentesimo septuagesimo secundo obijsse annotant.

BENEDICTVS V.

Romani, in primis uerò Iohannis fautores, contra iuramentum Imperatori datum, quòd nunquam pontificem sine ipsius aut filij sui consensu eligere uellent, Benedictum diaconum quendam, cognomento Grammaticum (ut Concilium Remense hoc seculo celebratum habet, capite uigesimo octauo) natione Romanum, in locum Iohannis in adulterio interempti, Leone (cuius electionem Imperator ratam habuerat) repudiato, in sellam pontificiam non sine tumultu substituunt: pòst missis ad Imperatorem legatis, confirmari eius electionem petunt. Verùm Imperator eos non modò audire detrectat, sed & minis à se repellit, cum eius autoritas ea in re prius neglecta fuisset. at Romani nihilominus in sua persistunt sententia. Leo præterea insidias sibi strui animaduertens, ad Imperatorem in Camerino ducatu commorantem se confert, eique de Romanorum iniuria grauiter conqueritur. Imperator hac sui contumelia extimulatus, Romam exercitum urbi admouet, ac Romanos foris ferro atque igni, intus uerò fame eò usque adegit, ut sibi Benedictum tradere cogerentur: quem non tantù pontificia, sed omni ferè sacerdotali dignitate à Leone exutũ, perpetuo damnat exilio, & Adeldagi Hamburgensis episcopi commendat fidei & custodiæ: qui tamè honorificè eum tractauit. tandem igitur mœrore animi extinctus est. Eius sepulchrum adhuc hodie in ecclesia Hamburgensi uidere est. Sedit in pontificatu menses circiter tres: ut Sigebertus: Luitprandus libro sexto, capite undecimo: Antoninus & Crantzius in Metropoli libro tertio, capite 20 referunt. Platina sex mensibus Romanæ ecclesiæ eum præfuisse scribit.

LEO VIII.

Iohanne ob uitam malè actam, in Synodo Romæ congregata, ritè deposito, in locum eius omnium tum cleri tum populi Romani suffragijs, ipso etiam Imperatore annuente, Leo primarius scrinij magister, uir strenuus & industrius, patria Romanus, eligitur. sed paulo pòst sede iterum dejicitur: ac Iohannes, in cuius ipse locum erat surrogatus, ac pòst hunc Benedictus, pontificiam dignitatem, per Romanorum potentiam tenent. Tandem uerò Imperatoris ope, pristinum honoris gradum recuperat. Synodus Remensis hunc Leonem neophytum appellat.

Pontificatum adeptus Leo, Benedictum omnibus dignitatibus exuit: eique solum diaconatus gradum, Imperatore pro ipso intercedente, concessit: ut Luitprandus libro 6, capite 11, & Reginonis continuator testantur.

Gratitudinis etiam erga Imperatorem declarandæ causa, imperio reddidit, quæ uel Constantinus donauit, aut Carolus dedit Ecclesiæ, aut ante illum Iustinianus confirmauit, uel Arithpertus Longobardorum rex tribuit. Exemplar autem literarum Leonis suprà in capite de Politia posuimus ex libro 4, capite decimo Saxoniæ Crantzij.

rij. Eius rei quoque meminit Fasciculus temporum.

In Synodo quadam, cum populo & clero Romano potestatem eligendi pontificem ademisse, atque ad solum Imperatorem, quo seditionum causas in electionibus præcideret, id iuris & cõfirmationem transtulisse, ex Martino Cusensi Blondus lib. 3 Decadis secundæ commemorat. Extat idem decretum sexagesima tertia distinct. c. in Synodo.

Postquam autem annum unum & menses quatuor in pontificatu trãsegisset, mortem obijt: ut Nauclerus testatur, anno Christi nongentesimo sexagesimoquarto. Blondus solos menses tres ei adscribit.

## IOHANNES XIIII.

Leo Iohannem decimum quartum, nãtione Italum, Iohannis episcopi cuiusdam filium, successorem habuit. Episcopatum is Narnien sem sex annis & mensibus undecim administrauit. Vsus est tum eius opera Iohannes Romanus pontifex, Alberici filius, in legatione ad Otthonem Imperatorem: ut ex Luitprandi libro sexto, capite 6 uidere est.

Leone autem mortuo, Azo primarius scrinij magister, & Marinus Sutrij episcopus, ad Imperatorem à Romanis postulatum sibi pontificem ablegantur. Imperator Odogarium Spirensem, ac Lizonem Cremonensem, episcopos, suo nomine Romam mittit. Ibi rein pontificum consuetu agitata, communi totius populi suffragio Iohannes Narniensis deligitur: ut Continuator Reginonis & Auentinus libro quarto Annalium habent.

In gubernatione, cum mansuetudinis & tranquillitatis maximè studiosus esset pontifex, Petrus urbis præfectus, & Gotfredus quidam Campaniæ comes cum filio, duo consules, Senatores duodecim, ac nobiles Romanorum plurimi, contra eum, quòd Imperatori faueret, confœderati, in ecclesia Lateranensi eum capiunt, ac in carcere Sancti Angeli mensibus ferè undecim captiuum tenent. (insolenter eum Romanis imperasse, eosque durius quàm decebat tractauisse, & ob id in eam calamitatem incidisse, solus Continuator Reginonis testatur.) Verùm Ottho, cognita contra Iohannem Romanorum sæuitia, conscribit exercitum, eumque Romam adducere festinat. Sed ante Imperatoris in Italiam aduentum, Gotfredus, eiusque filius mortem obierunt (quidam à Iohanne Capuanorum principe eos interfectos scribunt.) Romani certiores facti, Imperatorem suæ urbi appropinquare, papam è uinculis dimissum, magno cum applausu in suam sedem reponunt, ac summo eum deinceps prosequuntur honore. Imperator autem nemine prohibente urbem ingressus, habito procerum conuentu, de autoribus tantæ in papam iniuriæ diligenter inquirit, ac seuerè in reos animaduertit. Alios enim in exilium egit, alios bonis suis exuit: duodecim autem quos diximus senatores, præcipuas istius mali faces, in crucem egit, duos consules apud Germanos perpetuò exules esse iussit. Gotfredi, eiusque filij ossa, è sepulchris mandante Imperatore (fottè pontificis instinctu) eruta, & dispersa sunt: ipsum autem Petrum, pontificis arbitrio puniendum reliquit. Qui uindictæ cupidus, eum nudum per carnificem, ad equum Constantinianum ad integrum diem crinibus alligari: deinde asino impositum, facie ad posteriora uersa, & manibus caudæ alligatis, per totam urbem flagellis cædi, ac tandem in Germaniam exulatũ ire iussit. Exemplum scilicet patientiæ, omnibus ab hoc Christi uicario petere licet. Antoninus, Sabellicus, Continuator Reginonis & Auentinus, Petrum fuga sibi consuluisse, quo minus in manus uel Imperatoris, uel pontificis incideret, referunt.

Rebus porrò Romæ pacatis, Imperator & pontifex Rauennam abeunt, ibique Pascha simul celebrãt: ac Synodo plurimorum ex Italia & Romania episcoporũ ibidem collecta, plurima statuerunt. Tum etiam Imperator Iohanni pontifici urbem & terram Rauennatensem, aliaque suis maioribus ablata restituit.

Imperator etiam & pontifex Rauennæ commorantes, Otthonem secundum iam antè regem designatum, Romam è Germania per literas uocant: quem eò uenientem cum noua nupta Theophania, pontifex in Lateranensi patriarchio Christi natalibus imperiali diademate redimitos, Augustos appellauit.

In eadem coronationis festiuitate idem pontifex Capuanam ecclesiam, ob Pandulfi principis in Romanam ecclesiam merita, metropolitanam constituit: ut Blondus: Cranzius libro quarto, capite decimoquinto Saxoniæ: & Auentinus libro quinto Annalium referunt.

Suæ etiam, hoc est Antichristi doctrinæ rationem habuit. Nam per Ægidium Tusculanum cardinalem, suo nomine legationem fungentem, ad Polonos eam propagari curauit: qui episcopos ijs ordinauit, atque ut Romanum pontificem | summum Ecclesiæ caput agnoscerent, docuit. Chronicon Poloniæ.

Huius

Huius Pontificis tempore, campanis contra uerbum Dei baptisatis, peculiaria nomina imposita sunt. Ipse enim pontifex, maiori campanæ in ecclesia Lateranensi, quam post Otthonis coronationem baptizauit, suum nomen dedit: Balæo testante.

Obtinuit autem pontificarum, iuxta Palmerium, annis octo. Platina septem habet. Obijt anno Christi noningentesimo septuagesimosecundo.

BENEDICTVS VI.

Benedictus sextus, Romanus, Hiltepranti cuiusdam filius, cum Iohanni in pontificia dignitate successisset, grassantiũ tum calamitatũ simul particeps factus est. A' Cynthio enim, præpotenti ciue Romano, captus, in publicam S. Angeli custodiam coniectus est: in qua ab eodem, mense quo sedere cœpit, crudeliter interfectus dicitur. Alij enim (ut Nauclerus & Honorius) fune collum eius fractum: alij uerò (ut Sabellicus & Cusensis) fame eum enectum scribunt. Sed cum nusquam sit reperire, eius mortem, uel Imperatorem, aut Romanos esse ultos: Scriptores plurimi, Sabellicus in primis, Panuinius & Platina, pontificem iustas suæ maliciæ pœnas dedisse suspicantur.

DONVS II.

Donus, Romanus (quem Marianus Scotus & Honorius Bonum, Sigebertus uerò Nonum uocat) defuncto Benedicto, locum eius accepit. Nihil autem uel malè uel bene memoria & literis dignum in Pontificatu gesit. Ecclesiastica tamen mediocriter (teste Cranzio) administrauit: & à seditionibus immunis fuit, ut Simoneta inquit. Anno primo pontificatus sui eum obijsse, Platina, Bergomensis, & Nauclerus testantur: Palmerius uerò annum unum, & menses sex ei adscribit.

BONIFACIVS VII.

Bonifacius VII, Romanus, prius Franco nuncupatus, ex patre Ferucio natus, diaconus cardinalis, Dono surrogatus est pontifex, anno Christi 976. Horrendum monstrum, cunctos mortales nequicia superans, etiam prioris pontificis sanguine cruentus: ut Concilium Remense indicat. Sed quia malis artibus sibi eos honores acquisierat, cunctaque gubernationis officia malè administraret, omnium apud Romanos odia incurrit. Relicta itaque sede, fugam arripere consultissimum sibi fore putauit. Spoliata igitur prius omnibus suis thesauris ecclesia, Constantinopolim abijt. In magna Synodo eum. damnatum, concilium Remense capite uigesimooctauo testatur. Dum autè Roma abest, Ioannes XV in eius locum creatur pontifex. Porrò Constãtinopoli ex spolijs diuenditis, magnam auri uim sibi comparauit. Eo igitur tanquam ualidissimo arietе, quo animi Romanorum expugnari possent, fretus, (id enim superiora eum docuerant tempora) mense octauo pòst Romam redijt: sibique muneribus ciuium, & pessimorum quorumque animos conciliare tentauit. Verùm cum hac ratione parum proficeret, Iohannem cardinalem, cuius in urbe Roma autoritas erat præcipua, quique improbis ipsius conatibus obstabat strenuè, sui sodalitij consilio & ope cæpit, ac lumine priuauit. Sed paucis diebus interpositis, ipse Bonifacius tantorum scelerum conscientia excruciatus, subitanea morte corruit, mense põtificatus sui septimo: ut Sabellicus, Nauclerus & Platina recensent. Vndecimo mense postquam ab exilio Constantinopolitano ad pontificatũ redijsset: apoplexia eum suffocatum esse, Blondus libro tertio Decadis secundæ narrat. Cadauer eius terræ mandari primùm non sunt passi Romani: sed proiectum in Lateranensi platea, à quouis lanceis & contis impunè transfodiebatur. tandem clericorum beneficio, sepulturæ populari traditum est: ut Antoninus libro decimosexto, capite primo, ex Iohanne de Columna annotat.

IOHANNES XV.

Petrus, natione Papiensis, ac eiusdem Ecclesiæ episcopus, uir insignis & Apostolicus, teste Remensi Concilio, fugato Bonifacio pontificatum adipiscitur: ac mutato priori nomine, Iohannes XV dictus fuit. Octauo autem sui regiminis mense, à Bonifacio, Constantinopoli ex fuga reuerso, multoque ære onusto, capitur: oculisque priuatus in carcerem conijcitur, ubi squalore & fame interijt: ut Bergomensis, Martinus in Chronico, & Sabellicus testantur. Ferrucij, primarij Romani ciuis, Bonifacij patris, gladio, quòd filio in adipiscendo pontificatu aduersatus esset, eum cecidisse, ex Valerio Anshelmo Balæus recitat. Quod & Blondus libro tertio Decadis 2 indicare uidetur.

BENEDICTVS VII.

Bonifacio, homine sacrilego & scelerato è uiuis ex empto, Benedictus septimus Romanus, Deusdedit filius, episcopus Sutrinus, pontificia dignitate potitur: ut Nauclerus, Platina & Panuinius habẽt. Monasteriorũ architectũ egit. nam cœnobium

cœnobium Sanctæ Crucis in Hierusalem (hoc enim nomen ecclesiæ cuidam Romanæ erat) uetustate collapsum reparauit: teste Panuinio.

Gladio quoque politico usus est hic pontifex, tanquam Antichristi uicarius. Nam cum Otthonem tertium, patre Imperatore annuente, corona regia donasset, (ut Martinus in suis Chronicis testatur) ab Imperatore gratitudinis ergò potestatem, seditiosos in urbe Roma capiendi ac pro arbitrio puniendi accepit. Quod & egregiè præstitit, dum alios exilio, alios horribilis uinculorum supplicijs afficeret: ut Stella, & Balæus lib. 3. de Romanorum pontificum actis referunt.

Porrò cum proceres de substituendo nouo Imperatore, Otthone secundo è uiuis exempto, Romæ deliberarent, alijq; Otthoni tertio adhuc puero, alij uerò Henrico Bauariæ duci eam dignitatem deferendam censerent, Pontifex orando & monendo apud eosdem institit, ne in electione noui Imperatoris temerè suffragia ferrent, sed Christianæ Reipublicæ rationem haberent. Tandem uerò Germanorum, Otthonem successorem regni expetentium, sententiam ratam haberi uoluit idem pontifex. Platina.

Anno pontificatus sui octauo, qui fuit Christi noningentesimus octuagesimus quartus, uitam cum morte commutauit: ut Palmerius & Platina habent. Cadauer eius Romæ in basilica S. Crucis in Hierusalem reconditum est.

## IOANNES XVI.

Iohannes decimussextus, Romanus, Leonis presbyteri cuiusdam filius, pontificiam sellam conscendens, prorsus hostili erga clerum fuit animo: atque ob id non modò cleri, sed & totius populi odium uehemens bonorum Ecclesiæ dispensatorem egit. Iis enim, neglecto interim uero eorum usu, ad quem conferri debebant, suos cognatos & affines diuites reddidit, eorumque ingluuiem & auariciam explere uoluit. In carcerem igitur coniectus quarto sui regiminis mense, fame in eo periit: ut Naucerus, Sabellicus & Bergomensis testantur.

## IOANNES XVII.

Iohannem XVII Romanum, Roberti filium, Panuinio teste, rei militaris peritissimum, eximiæque eruditionis uirum fuisse, ac multa posteris scripta reliquisse: ex Carsulano & Præmonstratio, Balæus & Bergomensis quidem referunt; sed quænam illa sint, non exprimunt.

Antichristi notæ in ipso insignes fuêre, quòd Vdalricum Augustanum episcopum, in diuorum numerum censeri iussit, anno noningentesimo nonagesimotertio, ut in Bambergensi scribitur historia: & quòd Crescentio pedes osculandos præbuit, ut Platina refert.

Religionis negocia maiori cura hic tractauit, quàm multi antecessores sui fecerunt. Cum enim Lotharius Francorum rex, Arnulphum Remensis Ecclesiæ episcopum, non legitima ratione, ac sine Romani pontificis autoritate in Synodo dignitate sua priuari, ac Gilbertum quendam monachum & magum ei surrogari fecisset: Iohannes re cognita, omnibus episcopis qui Synodo isti interfuerant, sacris interdixit: ac per suum legatum Leonem quendam abbatem, in eadem urbe Synodo episcoporum indicta, Arnulphum in suæ dignitatis locum restituit: ut Sigebertus, Gaguinus & Paulus Æmylius testantur. Platina, & alij quidam eum secuti, Benedicto septimo hanc Synodum, in qua Arnulphus restituitur, adscribunt: sed toto errant cœlo. Synodus enim celebrata est, ut ex actis constat, anno noningentesimo nonagesimosecundo. At Benedictus anno noningentesimo octuagesimoquarto in uiuis esse desijt.

Calamitatum uerò sub hoc præsule, Romana sedes expers non fuit. Crescentius enim Numentanus, urbis Romæ dominium per uim sibi rapiens, ipsum pontificem, quem minus morigerum, & suorum conatuum fautorem habebat, adeò afflixit, ut Roma relicta, in Hetruriam exulatum coactus fuerit secedere. Inde ad Otthonem tertium, peritum opem legatos mittit. Crescentius autem metuens Imperatoris iram, Iohannem pontificem per consanguineos, agnatosque conuenit, sibique reconciliari, ac Romam redire petijt. Amicorum itaque precibus, ac Crescentij amplis promissionibus uictus, indignationem remisit. In urbem igitur rediens, obuiam habuit Crescentium, Senatores, cæterosque magistratus, ac totum Romanum populum. Ipseq; Crescentius ad genua Pontificis se dimittens, eius pedes exosculatus est: ac magna cum solennitate in sedem pontificiam repositum, debito deinceps honore prosequutus est: ut Antoninus, Blondus & Platina annotant. Obijt denique Iohannes anno Christi noningentesimo nonagesimoquarto, regni uerò sui decimo: iuxta Palmerium.

GREGO-

GREGORIVS V.

Cum Ottho Imperator iter Romam uersus ingressus esset, accersitus nimirum à Iohanne (ut diximus) contra Crescentium, nunciatur ei de morte pontificis. Domesticum igitur suum sacerdotem, uirum sanè doctum Brunonem, Conradi ex Luidgarda Otthonis primi filia pronepotem, Otthonis Sueuiæ ducis & Iudithæ filium, per Vuillegisam collegam eius, Romam mittit, eiq; pontificiam sedem concedi postulat. Romani metu perculsi, precibus Imperatoris mox annuunt: eumq;, Gregorij nomine ipsi impositio, Romanū salutant pontificem. Imperator hos statim subsequitur: urbemq; ingressus, intercedente nouo pontifice, Crescentio reconciliatur. Post discessum uerò eius, Crescentius Romanorum quorundam clamoribus incitatus, dominium urbis arripit, Gregorium sede sua pellit: ac Iohanem Placentinum episcopum, à quo magnum auri pondus (ut Petrus Damianus in inuectiua contra Cadaloum indicat) acceperat, eius locum tenere iussit. Gregorius in Hetruria aliquandiu subsistit, ea spe, se quoq; exemplo Iohannis antecessoris sui, ab exilio reuocatū iri. Sed spe sua frustratus, Imperatorem in Germania fixā habentem sedem, adijt, ac de tanta Romanorum iniuria apud eum queritur. Imperator animo recolens Romanorum in suos etiam maiores perfidiam, ad domandos eos, omnes belli neruos intendit: Romam maximis itineribus petit, eamq; hinc inde obsidione cingit. Crescentius autem cum Iohanne pontifice, arci S. Angeli se includit: quam adeò cōtra hostiles impetus communierat, ut deinceps non tam S. Angeli, quàm Crescentij arx dicta sit. Ciues Romani, uidentes summa ui ab Imperatore se peti, pacem supplices rogant: ac portis reseratis, eum intra mœnia recipiunt. Imperator autem ac belli duces, difficilem sibi fore oppugnationem arcis perpendentes, suisque uiribus propemodum diffidentes, rem alia aggrediendā censent uia. Facta igitur utrique spe ueniæ & salutis, arce eos exire iubent. Verùm in itinere intercepti, Iohannes prius oculis, auribus quoq; & naribus (ut Damianus refert) deinde dignitatibus, deniq; uita etiam priuatus est. Flores temporum Honorij, & Auentinus, habent, quòd de Capitolio præcipitatus sit: indeq; esse, ut nulli pontifici Capitolium inuisere liceat. Crescentius uerò iumento uili impositus, uerso ad posteriora uultu, spectaculi loco in urbe circumducitur, eiusq; membra paulatim præsecantur, tandem ante urbis mœnia de patibulo suspenditur: ut Naucleus, Bonfinius & Antoninus referunt.

Gregorius undecimo sui exilij mense, pristinæ dignitati per Imperatorem restitutus, suam patriam insigni aliqua dignitate ornaturus, sanxit, ut penes solos Germanos eligendi regem esset ius ac potestas, qui post diadema à Romano pontifice acceptum, Imperator & Augustus appellaretur. Suntq; Electores constituti, Moguntinus, Treuirensis & Colonienſis archiepiscopi, marchio Brandeburgensis, comes Palatinus Rheni, Saxoniæ dux: & rex Bohemiæ, qui paribus suffragijs Electorum existentibus, litem inter eos dirimat. Hanc constitutionem Imperator & probauit, & sua autoritate ratam haberi uoluit: ut Naucleri generatione 34. Bonfinius lib. 10. Decadis primæ rerum Vngaricarum, Cuspinianus in Otthone, Platina & Stella testantur.

Sunt qui Imperiale diadema accepisse Otthonem III ab hoc Gregorio narrant: inter quos Blondus, Schaffnaburgensis, Hermannus Contractus & Cuspinianus habentur.

Obijt completis pontificatus sui annis duobus, mensibus octo, anno Christi 997. iuxta Blondum, Stellam & Platinam: computato scilicet simul illo anno, quo exulem egit, Iohanne Romanam interim sedem tenente, ut iam dicemus.

IOHANNES XVIII.

Gregorio in exilium acto, Iohannes Calaber succedit. Fuit is natione Græcus, conditione seruus, at mira calliditate præditus. Aulam enim Otthonis Magni ingressus, uulpina astutia Imperatricis beneuolentiam sibi primò conciliauit: cum qua ipsum rem etiam habuisse, Petrus Damianus in inuectiua in Cadaloū testatur. Quæ ut regia stipe alerotur, à coniuge Imperatore impetrauit. Gnathonicis deinde artibus, quas egregiè callebat, effecit, ut in magna existimatione, & quidem inter primos in aula Otthonum haberetur. Mortuo autem temporibus Otthonis III, Placentinæ ecclesiæ episcopo: Iohannes omnium applausu, eam non tam regendam, quàm deuastandam suscipit: ut in Chronico Quedlinburgensi de eo est annotatum.

Quemadmodum autem homo ambitiosus fuit, ita & per fas nefasq; ad summos aspirauit honores. Cum enim Constantinopoli, quò legatione Imperatoris nomine (ut eadem historia Quedlinburgensis testis est) functus erat, reuerteretur, Romam magno auri pondere onustus uenit, quo Crescentium auariciæ deditissimum corrupit, adeoq; sibi deuinxit, ut eius autoritate & potentia per seditionem papali sede potiretur: ut Schafnaburgēsis & Stella narrant. Sed undecimo pontificatus sui mense,

le, miserabili morte (ut modò diximus) una cum Crescentio perijt.

SYLVESTER II.

Sylvester, antea Gilbertus dictus, natione Belga, teste Auentino, patria Aquitanus, ut Paulus Æmylius habet, defuncto Gregorio successit. Monachum à tenerîs annis apud Floriacenses egit: uerùm ea conditione repudiata, studiorum gratia Hispalim, quæ Hispaniæ urbs est, se contulit. Fortè ibi in philosophũ quendam magiæ deditum incidit, cuius domestica usus est conuersatione. In eius Bibliotheca reperit librum quendam, de arte magica conscriptum. Arrisit homini studium illud, ac de eo furripiẽdo cogitauit. Verùm cum philosophus eum religiosius asseruaret (noctu enim sub ceruicali repositum custodiebat) à filia sibi familiari petijt, ut parentis librum clàm sibi perlegendũ daret. Puellę igitur opera uoti sui compos factus, cum libro aufugit. Metuens autem ob furtum uitæ suæ, ipso cum diabolo fœdus iniijt, eumque sibi artis magicæ præceptorem, itinerisque comitem, quo tutus in Galliam redire, & haud uulgares dignitatis gradus ac opes consequi posset, expetijt ut Vincentius & Heinricus de Erfordia referunt.

In Hispalensi autem schola breui temporis spacio tantum profecerat, ut omniũ cum admiratione artes liberales in Gallia doceret: easque antea ex Gallia quasi profligatas, iam sua industria reuocaret: adiunctis sibi laborum & professionis sociis, Constantio S. Maximini abbate in diœcesi Aurelianensi, & Adelboldo Vouizi burgense episcopo. Summi itaq; uiri, nimirum Ottho adolescens, postea Imperator eius nominis tertius, Robertus rex Francię, & Leothericus postea Senonum archiepiscopus, ipsi instituendi traduntur.

At Arnulpho Remensi sede deiecto, in Synodo quadam, ipse Gilbertus, Lotharij Franciæ regis autoritate, eodem dignitatis gradu potitus est. Verùm Iohannes Romanus pontifex, Arnulphum non legitima ratione, ac sine sua autoritate, episcopatus honore exutum indignè ferens, per legatum Remis Synodum conuocat: ac Gilberto, qui per uim, ut fur & latro, in ouile intrârat, remoto & damnato, Arnulphum restituit. Gilbertus ad Imperatorem de iniuria illa (quo quidem nomine ipse eam æstimabat) conquesturus abijt: ibiq; aliquandiu commoratus, episcopatum Ratisponensem, qui tum fortè uacabat, Imperatoris ope adipiscitur. Hunc cũ plurimos annos, mortuo Romanæ urbis pontifice, per Otthonem ad eãdem sedem euehitur: ut Robertus Gaguinus, Annonius de gestis Francorum, Vincentius, Antoninus, Ranulphus libro 6. capite 14 in Polychronico, ac plurimi alij testantur.

Regulam de Abaco, ad Constantium abbatem S. Maximini iuxta Aureliam, eum scripsisse, Vincentius libro 24, capite 98: & Vuilhelmus Malmesburiensis libro 2. cap. 56 de gestis Anglorum, indicant.

In pontificatu suam cum diabolo necessitudinem, & quotidiana colloquia egregiè dissimulauit. Æneum uerò caput domi clàm habuit, per quod diabolus, de rebus futuris ab ipso rogatus, responsa dabat.

Mirè autem sibi placebat, animoq; iam prorsus securo erat Sylvester, in tanto honorum gradu, diaboli ope, constitutus. Cõsuluit igitur aliquando diabolum de tantæ fœlicitatis suæ diuturnitate: qui respondit, non eum moriturum, nisi Hierosolymis Missam celebrarit. Pontifex urbem Palæstinæ intelligens, longissimè mortem à se abesse somniabat, cũ nihil minus quàm de Hierosolyma adeunda cogitaret. Impiam igitur, & ab omni emendationis cura liberam agebat uitam. At consuetudine in Romana ecclesia receptum fuit, pontificem in ecclesia S. Crucis, quæ Hierusalẽ dicitur, in quadragesima sacra facere. Quod & Sylvester ratione sui officij, & ꝓ recepto more in eo templo, animo securo præstitit. Verùm in ipsis sacris ardenti febri corripitur, dæmonumq; audit strepitum. Ibi tandem de templi appellatione cogitare cœpit, seq; ambiguo diaboli sui congerronis responso deceptum, ac iam mortem sibi imminere intelligit. Conscientiæ itaq; morsu sæuissimo excitatus, scelus suum deplorauit, ac præsentibus cardinalibus rem omnem multo cum gemitu aperuit, eosq; de uita piè & sanctè instituẽda grauiter monuit. Deniq; ab eis petijt, ut corpus suum dissectum & lacerum bigis imponatur: & quocunq; equi bigis iuncti, sua sponte id deferrent, ibi sepeliatur. Cardinales, ut petierat, præstant: sed corpus equi, nemine agente (nisi fortè ille equorum gubernator fuerit, qui uiuum pontificem pro libitu agitare solebat) ad Lateranensem ecclesiam uehũt, ibiq; terræ mandatur, anno pontificatus tertio, Christi uerò 1001. Eius sepulchrum collisione ossium, & sudore emisso, ab eo tempore dicitur semper pontificum mortem prędixisse: procul dubio hanc ob causam (ut Barni uerbis utamur) ut diabolus significet, cũ pontificibus successoribus eandem necessitudinem sibi esse, quę cum Syluestro fuit, quẽ etiam suæ mortis ante obitum monuit: ut Platina, Nauclerus, Antoninus, & Henricus de Erfordia, annotarunt.

## ALII DOCTORES Italiæ.

### MARTINVS.

MArtinum quendam Romanæ ecclesiæ episcopum, ac pontificiæ sedis legatum, Synodo in Ingelheim præsediſſe, anno Domini 948. ex Reginonis Continuatore constat.

### IOHANNES DIACONVS. AZO.

Iohannes Diaconus, & Azo primarius scrinij magister, nomine sedis Apostolicæ, omniumque procerum urbis Romæ, ad Otthonem Imperatorem, petitum eius opem contra Berengarij in Italiam tyrannidem, ablegantur: teste Luitprando libro sexto, capite sexto. In utrumque Iohannes XIII postea crudeliter sæuijt. Alterum enim dextra, alterum uerò lingua, naribus, ac duobus digitis priuauit, eo quòd Imperatorem de Pontificis perfidia certiorem reddidissent, & Romam reuocassent: ut idem Luitprandus libro sexto, cap. undecimo testis est.

### AZO ALIVS. MARINVS.

Azo scrinij magister, & Marinus Sutrij episcopus, ad Imperatorem Otthonem in Saxonia commorantem mittuntur à Romanis: petitum ut Leoni VIII defuncto, alium pontificem substituat. Continuator Reginonis, & Auentinus libro 5 Annalium Boiorum.

### EGIDIVS TVSCVLANVS.

Egidium Tusculanum Iohannes XIIII, Romanæ ecclesiæ pontifex, ad Polonos misit, ut ibi ueram religionem, Antichristi scilicet, plantaret, eosque in fide confirmaret: & in toto regno diœceses constitueret, episcopos præficeret, ac ut Romanum pontificem pro Ecclesiæ capite colerent doceret. Chronicon Poloniæ.

### IOHANNES TERRACINENSIS.

Cum plurima Italiæ loca terræmotibus concuterentur, ciues Terracinenses, Iohanne episcopo suo suadente, Casinenſi monachorum collegio quotannis sexies mille anguillas se soluturos uouerunt. Leo Hostiensis libro 2. capite 14. Claruit sub Otthone tertio.

### VRSVS PADAVANVS, REINUUARDUS Tridentinus.

Vrsus Padauanus & Reinuuardus Tridentinus archiepiscopi, sua præsentia dedicationem Halberstadensis ecclesiæ ornare dignati sunt: ut ex historia Quedlinburgensi constat, Anno 992.

## RAVENNATES.

### PETRVS.

Petrus Rauennatis sedis episcopus, qui hoc tempore secundus post Romanum habebatur, Iohannem, qui postea papa factus est, successorem habuit: ut Luitprandus libro secundo, capite decimotertio scribit.

### IOHANNES.

Anno 984, Otthonem tertium Iohannes Rauennas, apud Aquisgranum, regio diademate ornauit: ut Schaffnaburgensis autor est.

### LEO. Fridericus.

Leo eiusdem ecclesiæ præsul paralysi percussus, sede sua cesit, priuatusq; quadrienio ferè superuixit. Eius uerò locum, regnante Otthone tertio, Fridericus sortitus est, qui de suo patrimonio ecclesiam sibi concreditam liberaliter fouit: ut Petrus Damianus in epistola ad Nicolaum papam scribit.

## PAPIENSES, QVI ET Ticinenses.

### IOHANNES.

Iohannes Papiensis episcopus, uir bonus & doctus, Vngaris ciuitatem igni tradentibus, in media flamma perijt: anno 924. ut Luitprandus libro tertio, capite primo refert.

### LVIDPRANDVS.

Hugo in Italia rerum potitus, cum Luidfredum Papiensem præsulem dignitate sua exuere uellet, precio placatur: teste Luitprando lib. 5. cap. 14.

### LEO.

Leo episcopus Ticinensis ciuitatis, Vualberti & Gezonis præpotentum ibidem ciuium, Hugoni rebellantium, partibus non fauit: eiusq; ope, Samsone comite subministrante consiliũ, uterq; in Hugonis potestatem uenit. Idem lib. 3. cap. 11.

### LVITPRANDVS.

Ampliſsima familia in Papiensi urbe natus est Luitprandus, seu, ut eum uocat Tritemius, Eutrandus. Patre enim eius, ob morum probitatem & linguæ urbanitatem, Hugo Italiæ rex usus est legato ad Romanum Græcorum Imperatorem, pro eius sibi amicitia expetenda: ut ipse Luithprandus lib. 3. cap. 5 testatur. Vitrici quoq; sui, uiri & grauitatis & sapientiæ laude præclari, quẽ idem Hugo Italiæ rex ad Constantinopolitanum Imperatorem pro regni negocijs ablegauerat, lib. 5. cap. 5 meminit.

Fuit autẽ Luitprandus adolescens Græcè & Latinè doctus, & poeseos non ignarus. Sæpe enim historicæ narrationi Græca interspergit. Nonnunquam ligata etiam oratione utitur, præsertim cum oblata occasione in magnatum uel uitia invehitur,

uabitur, uel eorum laudes prædicat.

Scripsit historiam rerum per Europam gestarum libris sex, quam ab anno Christi 858 usque ad trigesimum ferè Otthonis magni annum deduxit.

Cæterum qua ratione Ticinensis ecclesiæ Leuita factus sit, non inuenitur. Vocis autem dulcedine, qua nullus sibi coæquabilium puerorum uel par, uel superior erat, cum Hugonis, qui euphonia maximè delectabatur, sibi fauorem conciliasset Luitprandus, consilijs rebusque gerendis in aula fuit adhibitus: ut ipse non obscurè indicat capite 1, libri 4. ubi, eà quæ ipsemet cognorit, in posterioribus libris se scripturum pollicetur. Postea uerò cum Berengarius rerum in Italia potiretur, parentũ suorum opera ac largitione, ipsi à secretis, epistolarumque signator esse iubetur.

Mortuo autem Hugone, Berengarij nomen etiam apud procul disitas gentes inclarescere cœpit. Constantinus itaque Cõstantinopoleos Imperator, ipsius amicitiam per literas & nuncios expetebat. Berengarius igitur sumptibus parcens, Luitprandi uitrico arte circumuento persuasit, ut priuignum suum, quo nemo ob animi constantiam melius, tum ob dicendi copiam nemo commodius id facere posset, propijs sumptib. huius itineris molestias subi repateretur: id causæ suo prætendẽs consilio Berengarius, facilimè eum hac occasione Græcæ linguæ cognitionem, cum ingenio ualeat, istic percipere posse. Hac spe uitricus eius motus, non tantum itineris sumptus, sed & munera Constantino regi, Berengarij nomine offerenda, de suo sponte largitur. Constantinopolim ingressus Luitprãdus, honorificè à rege exceptus est: ac expedito quod in mandatis habebat à Berengario, negocio, magnis muneribus eum donatum, Constantinus ad suos ire permisit: ut ipse Luitprandus lib. 6, cap. 1. 2 & 3 scribit.

Verùm cum suo munere fideliter in aula longo tempore functus esset, uulgare aularum præmium inde reportauit. A' Berengario enim in exilium missus est: ut lib. 5, cap. 14 queritur. In eo uerò libros suæ historiæ, qui hodie extant, conscripsit, quos Regimundo Hispaniarum episcopo dedicauit, ut in Præfatione tertij libri his uerbis testatur: Cœptus quippe libellus in Franconoord, in Paxu insula, nõ gentis & eo amplius à Constantinopoli miliaribus, usque hodie exaratur. Et in Præfatione libri sexti, plurimis quidem se exerceri calamitatibus secundũ exteriorem hominem, queritur: uerùm secundum interiorem, ibidem de sua patientia gloriatur, cum inquit: Tẽporis instantis qualitas tragœdum me potius quàm historiographum quæreret, nisi pararet Dominus in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Explicare enim non possum, quot peregrè profectus quatiar incommoditatibus, iuuat que hominem exteriorem potius lugere, quàm scribere. Interior uerò Apostolicis confirmatus institutis, in huiusmodi tribulationibus gloriatur, sciẽs quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio uerò spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctũ, qui datus est nobis. Pareat itaque interiori exterior, suaque infortunia non solum nõ exhorreat, uerùm in his potius conquiescat: dumq; scribendo operam dans, fortunæ rota hos extolli, illos deprimi dixerit, præsentem incommoditatem minus sentiet: eiusque mutabilitati congaudens, deteriora (quod fieri nequit) nisi mors aut membrorũ debilitatio intercedat, iam nõ metuat, sed fortunata semper expectet. Instantia enim si maturauerit, salutem quæ deest afferet: infortunatum quod adest, expellet.

Historiæ suæ dogmatica obiter interdum admiscet, quæ hic breuiter interferere libuit.

De sacra Scriptura inquit: Priscorum facta regum, & sanctorum scripta Patrum, nobis quid agere debeamus insinuãt. lib. 2, capite 8.

De Deo inquit: Deus iustus est, & rectũ iudicium eius, in quo non est iniquitas. libro 3, capite 13.

De Christo, eiusque beneficijs eleganter ait: Dominus noster IESVS CHRISTVS, coæternus & consubstantialis patri, sanctoque Spiritui, cuius misericordiæ plena est terra: qui neminem uult perire, sed omnes saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire, ne pereant: qui solus Deus ante mundi constitutionem prœuidit, atque post omnem creaturam, quasi Dominum cæteris utentem ac dominantem creauit hominem: quemque in fine temporis per sui sanguinis effusionem, uerus homo uerusque Deus, non duo, sed unus redemit. libro 2, capite 12.

De diaboli lapsu, & quòd omnium iniustorum bellorum incentor sit, inquit: Is qui post creationis suæ mox clarissimam dignitatem, Creatori suo se similem facere uoluit, per auditores suos, talibus Heinricum contra fratrem, imò regem & dominum (Otthonem magnum intelligit) sermonibus instigauit: Recte ne patrem egisse reris, in regia tibi dignitate genito, nõ in

eadem genitum præponendo? Planè non discretionis hoc censura ponderauit: uerùm passionis magnitudine aberrauit. Ergò age, neque tibi deerunt copiæ, fratrem deijce, regnum accipe: sitque tibi regnandi facultas, cui accidit Deo largiente, & in eadem dignitate natiuitas. li. 4. cap. 8. Et Paulo pòst:

*Fraternas acies nunc nunc malè*
*Conflictare cupis, fallax, crudelis, inique,*
*Impie Leuiathan Beemoth paras*
*Antiquum renouare tua iam fraude duellum,*
*Crimine pro cuncto pœnas lues.*
*Hic reprobum numeris culpans quòd peccat in æuo*
*Improbe supplicium referes simul:*
*Et quæcunq; malis debentur flammea cunctis*
*Vincula, parta tibi misero, neq;*
*Ignicomas erebi iustè demersus ad undas,*
*Perpetuò tecum arsuros trahes*
*Christicolas.* —

Diabolum quidèm nouisse Scripturam, sed ea peruersè abuti, idem testatur: Diabolus quippe Scripturas nouit, & tamen (ut peruersus est) peruersè eas interpretatur: & cum his utitur, ad perniciem, non ad salutem utitur. Scis'ne hunc, cum tentationum iaculis Dominum & redemptorem nostrum IESVM CHRISTVM, ausu nephario sauciare conaretur, his propheticis malè usum uerbis? Quoniam angelis suis mandauit de te, ut in manibus tollant te, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum. Hoc sanè ita esse scriptum, ac de eo dictum, nullus fidelium ambigit. Sed quàm fraudulenter uera hæc Leuiathan ille proferat, ex ipsius (qui'non solum mortalium, sed et angelorum sensus exuperat) responsione animaduertere poteris: Non tentabis, inquit, Dominum Deum tuum. libro 4. cap. 3.

De iustificatione ait lib. 4. cap. 8, oratione ad diabolum conuersa:

*Non perpetuò tecum arsuros trahes*
*Christicolas: quia si qua sacro baptismate loti*
*Debita post traxêre, Dei manet*
*Gratia, quæ lapsos erexit sanguine gratis.*

De fide. Non Deo difficile, paucis plures sternere, si tamen horum qui id agere cupiunt, fides meretur: fides inquam, non professionis tantùm, sed operis: nõ solummodo oris, sed etiam cordis. lib. 2. cap. 8.

De cruce piorum inquit: Dominus noster IESVS CHRISTVS, ad amorem sui, propriæque patriæ dilectionem, quosdam beneficijs inuitat, terroribus alios compellit, non quò sibi, qui nec augmentum bonitate nostra (ut propheta testatur dicẽs: Quoniam bonorum meorum non eges) nec detrimentum malicia sumere possit, sed ut nobis prosit. Placuit itaque ei, quia beneficijs noluimus, huiusmodi nos ad tempus castigare terroribus. lib. 2. cap. 12.

Deum in pœnis misericordiæ etiam recordari, idem testatur, cum de Papiæ urbis conflagratione sic scribit: Pijssimi, omnipotentisq; Dei ira, cuius propheta misericordiam & iudicium concinit, cuiusque misericordia plena est terra, usq; ad consummationem non desequit. Nam etsi peccatis pro merentibus est exusta, non tamen inimicorum manibus tradita. impleturq;, quod rex & propheta canit: Nunquid in æternum proijciet Deus, aut non apponet, ubi complacitior sit adhuc, aut in finem misericordiam suam abscondet à generatione in generationem, aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? Itemq; & alius propheta dicit: Cum iratus fueris, misericordiæ recorderis. libro 3. capite 1.

Deum pro suo iudicio conferre regna. Sic enim Heinricum Imperatorem, cum Arnoldo Boiorum duce ad Imperij fastigium aspirante, colloquentem introducit libro 2, capite 7.

*Insana Domini iussis quid mente resistis?*
*Quòd populus regem me cupit, esse scias*
*Imperio Christi, quo constat machina mundi:*
*Tartarus hunc metuit, hunc Phlegeton timuit.*
*Conterit hic nitidos reges, dudumq; tremendos,*
*Sublimesq; uolens erigit hic miseros,*
*Quò meritas laudes Domino per secula soluant.*
*Tu'ne superbe, reus, perfide, dure, ferox,*
*Inuidiæ stimulis sæuaq; cupidine tactus,*
*Corpora Christicolùm perdere ualde stitis?*
*Si regem populus cuperet præponere temet,*
*Protinus is fierem, quem magis is cuperet.*

Et libro quarto, capite octauo, acriter in Heinricum Otthoni fratri rebellè inuehitur, cum inquit:

*Regnandi tibi quid iuuenum tam dira cupido,*
*Optime Saxigenûm prohibet Deus?*
*Haud pater Heinricus dedit his, quia sceptra mouebat*
*Astripotens bonus ipse Deus, pius,*
*Quo sine nec regnum capitur, nec tempora sistunt,*
*Quicquid in orbe Deus geritur iubet,*
*Per quem iura duces cernunt, regesq; triumphant.*

Næuos etiam insignes habet Luitprandus. nam, Sanctissimorum apostolorum Petri & Pauli precibus (inquit) Christianos credimus meruisse, quatenus Pœni fugerent, & ipsi uictoriam obtinerent. libro 2, capite 14. Item: Papiam ope sanctissimi patris doctorisque egregij beati Syri, cuius in ea urbe requiescunt exuuiæ, ne penitùs exincendio corrueret, seruatam esse. li. 3. cap. 2 scribit. Sic & lanceæ Dominicæ uictoriam, quam ab hostibus reportauit Otthо, ad scribit. lib. 4. cap. 11 & 12.

Roman

Romanæ ecclesiæ primatum defendere uidetur, cum summum pontificem, & uniuersalem papam, Romanum antistitem appellet, lib. 6. cap. 6.

Vbicunque autem locorum mortuus sit Luithprandus, nusquam apud autores reperire est.

## MEDIOLANENSES antistites.

### EVALBERTVS.

Berengario, cum filio Alberto, superbè Italis imperante, Italiæ proceres communi consensu Eualbertum (qui & Guabertus, & à Luitprādo Vualbertus dicitur) Mediolanensis sedis antistitem, & Vualdonē Cumanum, cum alijs principibus Italiæ uiris, ad Otthonem apud Augustam Vngarorum incursiones sustinentem mittunt, petitum eius auxilium contra Berengarij insolentem tyrannidem: ut Luithprandus libro 6, cap. 6: Nauclerus uolumine secundo, generatione 33. & Pantheon Gotfridi Viterbiensis parte 17, annotant.

### HARDERICVS.

Berengarius ab Harderico archiepiscopo accitus, Papia relicta, cōcitato cursu Mediolanū uenit. Luithprandus lib. 5. cap. 12.

### MANASSES.

Manasses Arelatensis ciuitatis episcopus, cum Hugonem genere sibi propinquum, tota Italia dominari cognouisset, deferta, imò uendita (ut ei Luithprandus obijcit) Ecclesia, ad ipsum, ambitionis spiritu ductus, se contulit. Hugo autem suæ potentiæ consultum esse ratus, si sanguine & affinitate sibi iuncti ad regni officia euehertur, tribus eum episcopatibus, Veronensi, Mantuano, & Tridentino simul præfecit. His minimè contentus Manasses, Tridenti nam quoq; marchiā, assiduis apud Hugonem precibus instans obtinuit. Ea potitus, militem potius quàm episcopū agere, gloriosius sibi esse iudicabat: minus igitur Ecclesiæ negocia deinceps ipsi curæ erant. Ne autem temerè & impiè feciſſe uideretur, quòd Arelatensi sede relicta, ad alios honorum gradus aspirasset, sui cōsilij hanc prætendebat rationem, quam tamen longa oratione reijcit Luitprandus lib. 4. cap. 3. cuius uerba adscribere libuit. Beatus (inquit Manasses) Petrus, Antiochena dimissa ecclesia, ad Romanam urbem, quæ potentiæ magnitudine cunctis tunc nationibus imperabat, postmodum transuolauit: ubi cum disponente Deo sanctam toto orbe uenerandam fundaret Ecclesiam, discipulo suo beato euangelistæ Marco pristinā Antiochenam simul commendauit: ita tamē, ut Aquileiensem & ipse primò institueret, atq; Alexandrinam concitè eteret. Quod ita factum esse, neminem eorum qui actus Apostolicos legerit, nescire cognouimus. Sed ut nobis respondentibus, ô Manasses, uera te super his non sentire cognoscas, ex nominis tui etymologia, parentes tuos uidentes fuisse intelligis. Manasses quippe obliuiosus, seu obliuio Domini, interpretatur. Quid enim uerius aut apertius parentes tui hoc nomine uaticinari potuerunt? Ita inquam es oblitus tui, ut nec hominem quidem te esse reminiscâre. Diabolus quippe Scripturas nouit: & tamen, ut peruersus est, peruersè eas interpretatur: & cum his utitur, ad perniciem, non ad salutem utitur. Scis'ne hunc, cum tentationum iaculis Dominū & redemptorem nostrum IESVM CHRISTVM ausu nephario sauciare conaretur, his propheticis malè usum uerbis? Quoniam angelis suis mandauit de te, ut in manibus tollant te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum. Hoc sanè ita scriptum esse, ac de eo dictum, nullus fidelium ambigit. Sed quàm fraudulenter, uera hęc Leuiathan ille proferat, ex ipsius qui non solum mortalium, sed & angelorum sensus exuperat, responsione animaduertere poteris: Nō tentabis, inquit, Dominū Deum tuum. Vides igitur, quòd & tu ueris quidem, sed fraudulentis assertionibus uteris, quemadmodum & apostata Iulianus respondisse dicitur Christianis, quos auiditate rapinę censu proprio defraudauit: Nolite, inquit magister uester, possidere aurum, neq; argentum. Et illud: Facilius est camelum introire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Et item: Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus. Cedò igitur, quid peruersius ille, quid'ue fœdius, te dixisse credendum est? Quod enim Petrus ad iustitiam, tu transfers ad culpam. Credo enim te actus Apostolorum non intellexisse: aut, quod credibilius est, minimè legisse. Ibi planè sic scriptum reperies: Quoniam fideles uendebant prædia sua, & ponebant precium ante pedes Apostolorū, quibus erant omnia communia, nec quisquam aliquid suum esse dicebat. Diuidebatur autem singulis, prout cuiq; opus erat. Si igitur, quod in humano censu est precio sius, tibiq; anima tua charius, Petrus aurum quasi quiddā pestiferū tangere noluit: qua ratione eum Antiochena deserta, ad Romanam asseris Ecclesiam transuolasse? Si latras, illū, quod omnino falsum est, quæsiuisse censum: ego animarum lucrum, & glorioſum comprobo martyriū. Prędictum quippe ipsi à magistro, imò creatore & redemptore omnium fuerat: Quoniā cum esses iunior, cingebas te, &

te,& ambulabas ubi uolebas: cum autem se nueris,extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non uis.hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Denique & alio in loco post resurrectionem, Petro se quò iret interroganti: respondisse Dominus dicitur, Romam, iterum crucifigi. Venit igitur Romam Petrus, non ambitione inflammatus, sed martyrio animatus: non quærens aurum, sed animarum lucrum. ô felicem, imò beatum, si talem te tua conscientia testaretur. Nec inficiari quidem potes, te Veronensem episcopatum uendidisse:quod Petro non cuilibet, sed Apostolo illi,nunquam didicimus contigisse. Quare non solum spirituali, uerùm etiam corporali honore sensus alienatione te priuatum esse cognouimus.

Insatiabili itaque ambitionis studio laborans Manasses, nullam non ad altiores adhuc dignitatum gradus ascendendi occasionem negligendam duxit. Nam cum Berengarius ex Sueuia,paruo cum comitatu in Italiam contenderet contra Hugonẽ, ut Italiæ regnum in suam iterum potestatẽ redigeret: ipse castra ad Formicariam arcẽ, quam Manasses clerico suo Adelhardo tuẽdam commiserat, posuit.Sed cum ui & armis arcem natura & opere munitissimam, expugnare difficile sibi fore animaduerteret, ipsiq; de Manassis & ambitione & uanæ gloriæ cupiditate constaret, Adelhardi amicum expetijt colloquium Berengarius. Quem,cum aduenisset, statim de arcis deditione sollicitauit: facta ei spe, quòd Manassen Mediolanensi,ipsum uerò Cumano episcopatu,gratitudinis ergò,esset donaturus,si Italię regno potiretur:eamq; promissionem iuramento confirmabat.Arrisit homini spes aurea, rem ad Manassen defert, qui statim Berengarij petitioni locum dat. ac non solum arcem in eius potestatem tradidit:uerùm etiam totius Italiæ episcopis, ut Berengarij partibus se adiungant, autor fuit.Rebus autem ex sententia Berengario in Italia succedentibus,Adelhardũ non Cumanum, sed Regiensem constituit episcopum.Manassem uerò Mediolanensi ecclesia potitum, ex Luitprandi constat narratione: qui à Vualberto,eadem sede pulso, ipsum coram Otthone accusatum scribit, libro quinto, capite 13: & libro sexto, capite sexto.

### LANDBERTVS.

Landbertus, quem Auẽtinus Lambertũ uocat, amore Mediolanensis cathedræ captus, quiduis in Berengarij gratiã fecit. Magno igitur auri pondere contra sanctorum patrum decreta expenso, uoti sui compos factus est. Tenebat autem tum in uinculis Odelricum palatij comitem,sibi rebellem, rex Berengarius: eum Landberto episcopali iam dignitate potito, custodiẽdum tradidit, donec quid de eo fieri uellet, statuisset.Episcopus hãc qualemcunq; occasionẽ nactus,de sua pecunia,quam pro episcopatu erogarat, recipienda sedulò cogitabat. Quare cũ suo captiuo, precium pro sui redemptione offerẽte, cõtra regẽ pacisciturpost aliquot dies rex Odelricum ab episcopo per nuncios repetit: uerùm is suum captiuum, salui suis honoribus dimittere se posse cõstanter negat.Fore enim, ut si quẽpiam trucidandum regi traderet,sacerdotali exuatur dignitate. Núcij ad suum regẽ reuersi, Terentianum illud responsi locorẽ tulerunt:Huic cõmendes,si quid rectè curatũ uelis:ut Luitprandus lib.2, cap.15 scribit.

Defuncto Berengario, Rodulphus Italię regnum sibi arrogabat, contra Ermegardæ Adelberti,Eporegiæ ciuitatis marchionis, uiduæ procos,quę totius Italię dominiũ tenebat:ut Luithprãdus scribit.Verùm Auẽtinus narrat, uiuo Berengario Rudolphum, Lamberti episcopi & reliquorum Italię procerũ consilio,regnum affectasse:lib.4.Annalium.Collectis igitur copijs,nõ procul à Papiensi urbe,quam Ermegarda incolebat,in eo loco ubi Ticinus & Padus confluunt,castra posuit Rodulphus: eiusq; partibus in primis fauebat prædiues Mediolanensium episcopus.Verùm à muliere libidine insigni clàm accersitus Rodulphus, noctu desertis castris,Papiensem urbem,nemine animaduertente,mulieris astucia per nauiculam ingressus est.Orta die,milites sui regis præsentia destituti, animis perturbati in castris oberrant: moxq; rumore sparso, regẽ transfugam iam iam in ipsos impetum facturum cum hostibus, quibus cum se coniunxisset: magno tumultu castris egressi, nullo certo ordine,neq; duce, cum sibi quisq; primum itineris locum peteret, & quo se turò recipere posset,properaret,fecerunt ut fugẽ absimilis uideretur profectio. A Mediolanensibus igitur ex fuga recepti, ibi tanquã loco munito se concludunt. Landbertus eius urbis primarius præsul,Rodulphi perfidia motus, Hugoni comiti, qui & potentia & sapientia eminebat præ cæteris, autor est ut Rodulphum regno exuat,sibique obtineat.

Rodulphus cum ob sui exercitus fugam, dum ipse apud Amasiam delituerat, deuictoria contra hostes desperasset,Burchardũ Sueuorum ducem, socerum suum,ut auxilio sibi ueniat,sollicitat.Qui coacta cohorte,statim Mediolanum petit,hostilem ergà ciues animum dissimulans: ut quid in urbe

urbe ageretur, cognoscere posset. Verùm Landbertus per exploratores de fraude certior factus, benignè quidem Burchardum excipit, eique omnia humanitatis, beneuolentiæque præstitit officia: interim tamen totius Italiæ proceres in Burchardi necem inuitat. Mediolano igitur egressus, in hostium phalanges, qui ei iter intercluserat, incidit: & in fuga lapsu equi retardatus, lanceis confoditur Burchardus: ut Luithprandus libro tertio, capite 3 & 4 refert.

HILDVINVS.

Hilduinus Lobiensis cœnobij, Trithemio teste, abbas, Landociensis ecclesiæ fit episcopus. Sede autem sua pulsus, ad Hugonem in Italiam, qui rerum ibi potiebatur, & cum quo affinitas quædam ipsi intercedebat, fugit. Qui humaniter eum exceptum, Veronensi episcopatui præesse iubet. Aliquanto post mortuo Landberto, eiusdem opera Mediolanensem sedem occupauit: ut Luitprandus libro 3, capite 11. indicat. Raherium Lobiensis cœnobij monachum, Veronensibus ab Hilduino quodam consecratum præsulem, author est Trithemius. Is uerò dum adhuc abbas esset, scripsit petentibus fratribus, Lobiensis cœnobij acta, & sermones aliquot ad fratres, ut idem testatur: qui si extarent, iudicium de doctrina eius fieri posset.

THEOBALDVS ARchidiaconus.

Hugo Italiæ rex, Theobaldum ex Stephania pellice filium, Mediolanensem fecit archidiaconum, ea opinione, ut sede illa episcopo orbata, ipse substitueretur. Sed spe sua excidit Theobaldus: ut Luitprandus libro quarto, capite sexto indicat.

## CAPVANI.

SICO.

Sico Capuanus episcopus, contra ius & æquum ecclesiam S. Angeli à suo antecessore, cuidam monacho Casinensi, ut ibi monasterium extrueret, concessam, uiolenter rapuit, ac suo diacono beneficij loco donauit. Monachus apud pontificem Romanum Martinum secundum, de iniuria sibi illata conquestus, literas extorquet ad Siconem: quibus acriter in eum inuectus est Papa, ignorantiam Canonum, literarum inscitiam, nimiam cum secularibus familiaritatem, temerariam denique transgressionem ei obijciens: ac nisi monacho luam ecclesiam reddiderit, anathematis fulmen, & dignitatis amissionem minatur. Chronicon Casinense libro 1, capite 60.

ADELBERTVS, *Ardericus.*

Adelbertus, egregius ecclesiæ Capuanæ præsul, & Ardericus episcopus, suis suffragijs iuuât electionem Aligerni abbatis Capuani. Chronicon Casinense libro primo, capite 63.

IOHANNES, LEO, *Gerbertus.*

Iohannes Romanæ ecclesiæ pontifex, cum sede sua pulsus, in exilio uagaretur, Capuam uenit: ibique rogatu Landulphi principis archiepiscopatum constituit: cuius & fratrem Iohannem Primum eam sibi dignitatem usurpare iussit. Post hunc Leo Casinensis abbas annis quatuor, mensibus sex, eandem sedem tenuit. Cui Gerbertus monachus Capuanus, penultimo Otthnis primi anno successit. Ibidem libro secundo, capite nono. Verùm Blondus ob Pandulphi Capuani principis in Romanam ecclesiam merita, in festiuitate coronationis secundi Otthonis, Capuam inter metropolitanas ecclesias locum sortitam esse refert: ut suprà diximus.

AGIO.

Agio Capuanus archiepiscopus, magnæ illi Halberstadensis ecclesiæ dedicationi interfuisse scribitur, in historia Quedlinburgensi, anno 992.

## AQVILEIENSES.

ENGELFRIDVS. RVDOLphus diaconus.

Engelfridus Aquileiensis patriarcha, iam ingressurus iter ad Romanam Synodum, in qua Iohannes damnatus est, repentino morbo corripitur. Rudolpho igitur diacono suo, ut uices suas in in Synodo agat, demandat. Luitprandus libro sexto, capite sexto. Verùm Reginonis Continuator scribit, Angelfredum Romæ interfuisse Synodo, ibique mortem obijsse.

GREGORIVS.

Saraceni, Morauia & Bohemia ferro & igni uastata, arma in finitimas sibi regiones Carnorum ac Noricorum, quas nunc Carniolam, Carinthiam, Stiriamque uocamus, uerterunt. His Gotofredus Morauiæ, Eberhardus Carinthiæ duces, & Gregorius Aquileiensis patriarcha, armato milite occurrerunt. Pugnatum est diu ancipiti prælio: sed tandem occisis ducibus, patriarcha cum reliqua cohorte, fuga salutem quærere coactus est: ut Bonfinius libro decimo Decadis primæ, ex Annalibus Vngarorum refert.

PETRVS PRESBYTER *Tiburtinus.*

Petrus quidam Tiburtinus presbyter, ecclesiam sancti Pastoris, Tiburtinæ ur-

bi uicinam, cum omnibus reditibus ac fundis, monasterio S. Mariæ in cellis subiecit & donauit. Chronicon Casinense libro secundo, capite uigesimotertio.

## CVMANI.

### PETRVS.

Vualbertus præpotens Papiensis ciuitatis iudex, Cumis, ditissimo in loco, filium suum Petrum episcopum fecit: ut Luitprandus libro 3, capite 10 narrat.

### VVALDO.

Berengarius tyrannus, cum omnia pro suo arbitrio in Italia ageret, Cumis Vualdonem quendam episcopum constituit. Quod quàm bene fecerit, subditorum depopulatio, uitium euulsio, arborum decorticatio, multorum oculorum excusio, simultatis sæpissima repetitio, tum signis, tum gemitibus narrant: teste Luitprando libro 5, capite 13.

Berengarij tamen tyrannidem postea etiam expertus est. Ipse enim ad Otthonem in Germaniam fugit, eiusque opem contra Berengarium, ex cuius manibus uix se elapsum queritur, implorauit: ut idem libro sexto, capite sexto: Continuator Reginonis, & Ottho Phrysingensis libro sexto, capite uigesimoprimo testantur. Nauclerus & Gotfridus Viterbiensis, eum cum Eualberto Mediolanensium episcopo, procerum Italiæ iussione, ad Otthonem in Germaniam abijsse scribunt, petitum contra Berengarium eius auxilium.

Rei etiam militari operam dedit. Insulam enim Cumani lacus armis à se captam, solo æquauit. Continuator Reginonis.

## PLACENTINI.

### VVIDO.

Contra Imperatorem Berengarij partibus Vuido, Placentinæ urbis episcopus, fauebat: teste Luitprando libro 2. cap. 17.

### BOSO.

Bosonem Hugo Italiæ rex, ex pellice sibi natum, post Vuidonem, Placentinũ constituit episcopum. Eum uerò Berengarius sede deijcere uolebat: sed precio interueniente, dignitatis gradum retinuit. Idem libro 4, cap. 6: & libro 5, cap. 14.

### SIGOLFVS.

Sigolfum Placentinæ ecclesiæ præsulẽ Imperator, quòd partibus Alberti contra ipsum faueret, in transalpinas Franciæ uel Saxoniæ partes exulatum misit, anno 966, ut Continuator Reginonis testatur. Synodo tamen Romæ contra Iohannem XIII, circiter annum Christi 971 celebratæ, interfuit Sigolfus Placẽtinus: unde ab exilio eũ reuocatũ, pristinæq; dignitati restitutũ fuisse, colligere licet, nisi fortè hic alius sit à priori. Luitprandus lib. 6. cap. 10.

### GEZO TERTONENSIS.

Consilio Gezonis Tertonensis episcopi, & aliorum quorundam, Synodus Romana refutauit literas Iohannis pontificis profugi, ad episcopos isthic congregatos scriptas. Ibidem.

### GVIDO MVTINENSIS.

Berẽgario in Italiá contra Hugonẽ arma ta manu ueniente, Guido Mutinensis præsul, nõ quidẽ iniuria aliqua lacessitus: sed maxima illa abbatia Nonantula, quá tunc acquisiuit, animatus, non solũ ab Hugone defecit, sed & magnæ in Italia multitudinis animos ab eo auertit: ut Luitprandus libro 5. capite 12 testatur.

Legatione Alberti, Berengarij filij, fungens Guido, uulpina astutia & calliditate præditus, Imperatorẽ Otthonẽ magnum apud Saxones tũc agentẽ adijt, & quasi fidẽ suã ipsi (ut astutè simulabat) probaturus, quorundam Italiæ procerum perfidiã prodit. Verùm Imperator fraudem persentiscens, ipsum in conspectum suum non admisit, sed captum custodiæ tradidit: ut Reginonis continuator, & Cuspinianus in Otthone primo referunt. Imperatori tamen postea ipsum reconciliatum fuisse, indicio est, quòd in Synodo Romana, damnationẽ scelerati pontificis iuuit: teste Luithprando libro 6, capite 10.

### SIGFRIDVS PARMENSIS.

Parmensem episcopum Sigfridum, Hugo Italiæ rex Constantinopolim misit, ut Bertam filiam, sibi ex Bezola concubina natam, Romano Constantini Porphyrogeniti filio, adhuc paruulo, matrimonio copulandam offerret: ut idem libro 5. capite 9 testis est.

## VERONENSIS.

### SVB LVDOVICO.

### ADELHARDVS.

Ludouicus Bosonis filius, Berengario de Italia expulso, cum paucis Veronam Adelhardo eius urbis episcopo suadente, omni cura liber ingressus est: ut Regino scribit libro 2.

### ALBERICVS, GVINISIVS, *episcopi Marsorum, & Andreas presbyter.*

Albericus Marsorum episcopus, ab Otthone magno ius monasterij S. Angeli de Barregio, quoad uiueret, impetrauit: quo defuncto, ad Casinenses ut rediret, inter ipsos conuenerat. Chronicon Casinense libro 2. cap. 4.

Porrò

Porrò cum Albericus ob ætatem decrepitam ad Ecclesiæ gubernationem minus idoneus esset, Guinisio filio ex illegitimo thoro nato, episcopatum regendum dedit: ac ut Casinense quoq; monasteriũ in filij potestatem, quem & honoribus & diuitijs excellere uolebat, perfas nefasque rediret, laborabat sedulò. Capuanorum igitur, quibus ob insolentiam inuisum Casinensem abbatem, sub cuius dominatu erant, sciebat, animos tentat, eorumque operam expetit. Promissa autem ingenti pecuniæ copia, tum monachos tum ciues aliquot Capuanos, ut abbatem oculis privent, ac suo filio monasterij administratio concedant, sollicitat. Eius pecuniæ dimidiam partem in præsentia: alteram uerò, cum exculptos abbatis oculos in suis tenuerit manibus, se soluturum, sanctè pol licetur. Capti spe prædæ Capuani, suam ei operam addicunt. Albericus, ne mora aliqua interposita res diuulgaretur, coradit undecunque pecuniam, Capuanisque offert. Adeunt homines illi pecuniæ auidi abbatem, eumque ut Capuam cauta cognoscendi ac ius dicendi gratia uenire non grauetur, obnixè rogant. Abbas, quem Capuanorum erga ipsum inuidia non latebat, dolum persentiscens, primùm uenire recusat. Instant illi porrò uehementer, ac interposito iuramento, saluum & incolumem se ipsum ad S. Benedicti monasterium (non Casinense, sed Capuanum intelligentes) perducturos, fidem faciunt. Abbas splendidis promissis Capuanorum fidem adhibens, locum dat petitioni, ac cum ipsis Capuam contendit. In monasterium autẽ S. Benedicti, quod Capuæ erat, honorificè introducto, abbati (sic enim illi) statim uincula inijciuntur, oculique effodiuntur: ijque mox linteolo inuoluti, per legatos ad Albericum ferri curantur. Legati gratum suo domino hoc futurum nuncium non dubitantes, concitato cursu ad eum aduolare contendunt. Verùm cum ab ipso haud longè abessent, ex uiatore quodam, suum episcopum ea ipsa hora, qua abbatis oculi exculpi fuerant, uita functum esse cognoscunt. Legatorum unus fuit Andreas quidam presbyter, quem centesimum ætatis iam annum egressum, Leo Hostiensis in Chronico Casinensi libro secundo, capite decimosexto, se, dum adhuc puer esset, nouisse fatetur. Guinisius, Alberici filius, qui patri successerat, ut in suam potestatem monasterium S. Angeli, de quo paulo antè diximus, reciperet, uehementer cum Casinensibus monachis contendebat: sed Marsorum comitum iudicio tandem uictus, monachis, quod uoluerunt, concesit. Chronicon Casinense libro secundo, capite quarto.

### IOSEPH LATINENsis presbyter.

Ioseph quidam Latinensis ciuitatis presbyter, Capuano monasterio S. Laurentij ecclesiam, quam ipse in suo territorio extruxerat, cum omnibus prædijs subiecisse, scribitur in Casinensi Chronico libro 6, capite 6.

### SALDEFRID LEsinensis.

Saldefrid Lesinensis ciuitatis diaconus, S. Martini ecclesiam, quæ in ipsius erat potestate, cum ornamentis omnibus Casinensi monasterio obtulit. Leo Hostiensis libro 2, capite 6.

### BENEDICTVS FVliginensis.

Benedictus Fuliginẽsis episcopus, Theodorico Metensium episcopo S. Feliciani ossa donauit: ut ex Theodorici uita cõstat.

### LANDENVLPHVS.

Landenulfo Nucerinæ sedis episcopò, Grimoaldus iudex Aquinensis, piscaturam Lesinensem donauit ea conditione, ut quot annis monasterio S. Sophiæ de Beneuento, Byzanteos uiginti sex penderet. Chronicon Casinense lib. 2, cap. 13.

## BRIXIANI.

### IOSEPH, Antonius.

Iosepho, ætate quidem iuuene, at morum grauitate suo seculo uix ullo inferiori, Berengarij tyrannide Brixinæ sedis dignitate expoliato: Antonius quidam abeodem, posthabito episcoporum consilio & suffragio, propia autoritate in locum dejecti surrogatur: ut Luitprandus libro 5, cap. 13 scribit.

### ADELCHISVS Lucerinus.

Adelchisi Lucerinæ ciuitatis episcopi, Leo Hostiensis in Casinensi Chronico libro 2, cap. 6 meminit.

## CREMONENSES.

### LVTPRANDVS.

Ioannes Romanæ ecclesiæ pontifex, homo omniũ scelerum contagio insignis, Otthonem Imperatorem extra Romã Berengarij bello in Italia occupatum, per legatos incusat, quòd mala fide res ageret, dum hostes non ipsi pontifici, sed sibi soli iuramento obstringeret: & Leonem quendam episcopum,

scopum, & Iohannem diaconum cardinalem, qui Romanæ sedi dicto audientes esse noluerint, benignè recepissent. Imperator se purgandi gratia, Landohardum Numendensem, & Luithbrandum Cremonensem episcopos, pontificijs legatis adiunctos, Romam proficisci iubet. Quos, cum in conspectum ipsius uenissent, ità excepit pontifex: ut non obscurè colligere possent, quanto erga Imperatorem animus eius odio flagraret: nec de sua sententia, quicquid tandem legati, sui Imperatoris purgandi gratia, interposito etiam iuramento proferrent, latum cedere uoluit unguem. Luithprandus libro sexto, capite sexto. Deinde in Synodo Romæ contra eundem Iohannem habita, hoc Luithprando Cremonensi Ottho Imperator usus est interprete ad Romanos: utidē autor est lib.6,cap.7.

LINZO.

Mortuo Leone octauo, Imperator Odogarium Spirensem, & Linzonem Cremonensem episcopos Romam ablegat, ut suo nomine noui pontificis interfint electioni. Communi igitur consensu Iohannes Narniensis substituitur. Reginonis Continuator, & Auentinus libro quinto Annalium.

PROBVS COESIVS
*Siculus.*

Ottho secundus, ex infelici contra Saracenos prælio ad mare fugiens, à nautis intercipitur: delatus uerò Rosanam (ut Auentinus testatur) Tarentini littoris urbem, à Probo Cæsio, eius loci antistite, & Theodorico Metensium episcopo, qui cum Imperatrice belli euentum præstolantes ibi substiterant, à nautis liberatur: ut Heinricus de Erfordia, & Martinus Polonus in suo Chronico narrant. Auentinus libro quinto Annalium, eum ex naui hostium in mare exilijsse, ac natando euasisse refert.

## *DE GALLICANIS*
## *Episcopis & Doctoribus.*

### LAVDVNENSES.

ANSELLINVS.

MOrtuo Ludouico Francorum rege, Carolus Lotharingiæ dux, patruus eius, ad capessendum regnum in Galliam uenit: sed Gallis, eo quòd Germanorum imperio prorsus addictus fuisset, minimè probabatur. Obuium igitur habuit Hugonem Capetem, ualida factionum manu stipatum. Commisso autem ad Laudunum urbem prælio, Caroli exercitus cæditur. Ipse dux fugâ elapsus, Laudunum urbem ingreditur, ubi uxor eius commorabatur. Noctu autem ab Anselino Laudunensi episcopo uetulo (quem Nauclerus Anselmum, Annonius uerò Ascellinum uocant) reseratis portis, Hugo quoque intromittitur: qui uinctum Carolum, ad Aurelianenses cum uxore carceri includendum misit: ut Annonius libro 5. Robertus Gaguinus libro quinto, & Paulus Æmylius libro tertio de gestis Francorum testantur.

ADELBERO.

Adelbero Laudunensis episcopus, interest Synodo Remis, anno noningentesimo nonagesimoprimo celebratæ: ut ex cap. eius Concilij constat.

ARNVLPHVS AVRELIANENSIS.
*Aurelianensis.*

Arnulpho Aurelianensi in Synodo Remensi, cum inter omnes totius Galliæ episcopos sapientia & facundia excelleret, primæ delegātur partes, ac ut quo cūcta ordine peragerentur ipsi curæ sit: ut ex actis eiusdem Synodi uidere est.

### ANTISIODORENSES.

BETTO.

Betto ab ineunte ætate monasticis studijs imbutus, sit præpositus monasterij sanctæ Columbæ: inde ad Antisiodorensem episcopatum translatus est, circa annum Domini 916. ut Trithemius in Chronico Hirsaugiensi testatur.

GILDERICVS.

Gildericus abbas monasterij sancti Germani, doctrinæ & morum splendore illustris, Bettoni successit: ut idem scribit.

RICHARDVS.

Circa annum Domini 970, Antisiodorensem administrauit sedem Richardus, qui ex abbate S. Germani ad eam dignitatem conscenderat. Ob uitæ quidem integritatem, & religionis zelum dignus ea sede: uerùm quia simplex, minusque industrius esset (qualem tamen omnino tempora illa requirebant) suæ prouinciæ labores uix sustinere poterat: ut idem refert in Chronico.

HERBERTVS.

Herbertus Antisiodorensis episcopus, cæteris qui in Synodo Remensi fuerunt, annumeratur, anno 991: ut ex Actis eius Concilij uidere est.

IOHANNES
*Scholasticus.*

Ioānes Antisiodorēsis Scholasticus, rerū scientia

scientia & facundia præstans, in eadem Synodo Arnulphi acerrimum egit defensorem: ut ex Actis constat.

ANSEGISVS TRECARVM *episcopus.*

Orto inter Ansegisum Trecarum episcopum, & Robertum comitem, dissidio quodam, episcopus comitis factione prævalente, urbe ejicitur: qui mox ad Otthonem, eius petitum auxilium, in Saxoniam fugit. Imperator calamitate episcopi motus, milites ei duce Helpone addit. Obsidetur aliquandiu ciuitas: uerùm Senones, belli summam Archenbaldo archiepiscopo & Ramardo comite uetulo administrantibus, obsessis auxilium ferentes, commisso cum Saxonibus prælio, superiores extitêre: ut Annonius libro 5 de gestis Francorum, capite 43 indicat.

## TVLLENSES.

LVIDHELMVS. *Druogo.*

Anno 906, Luithelmus Tullensis ecclesiæ præsul, in uiuis esse desijt. cui Druogo successit: ut Regino scribit libro 2.

GERHARDVS.

Gerhardo Tullensi episcopo præsente, Theodoricus Mediomatricum episcopus, in ecclesia S. Vincentij duas consecrat aras, anno 972. Acta Metensium.

FVLBERTVS CAMERACENSIS. *censis.*

Circa tempora Otthonis primi, Cameracensi ecclesiæ præfuit Fulbertus: teste Iacobo Meier in Chronico Flandriæ.

## LEVCORVM *episcopi.*

GOZELINVS.

Gozelinus, nobili Francorum genere natus, pietate insignis, & in omnis generis doctrina solidè institutus, in Leucorum urbe, quæ multis seculis dissipata, & ad nihilum redacta penè fuerat, eligitur & consecratur episcopus.

Prima autem ipsius in gubernatione cura fuit, clerum instituere, uiros sapientes sibi adiungere: urbem solitudini haud absimilem, rebus & faculatibus augere, muris que cingere. Ac fideliter eum iuuit Archenbaldus S. Apri abbas, qui sui monasterij sumptibus deuastatæ ecclesiæ ministros aliquandiu aluit. Mortuus est autem Gozelinus, anno ordinationis suæ quadragesimo quarto: ac in Buxerensi cœnobio, quod ipse olim fundauerat, & uirginibus inhabitandum dederat, terræ mandatur: ut in libro secundo de Actis Leucorum urbis episcoporum scribitur.

GERARDVS.

Gerhardus patre Colonensi ciue oriundus, inter cleros ibidem pietatis & eruditionis opinione maximè clarus, autoritate Otthonis Augusti, ipsiusque fratris Brunonis, eiusdem sedis archiepiscopi, in Leucorum sede surrogatur. Fuit homo superstitioni & idololatriæ Antichristi deditissimus. S. Mansueti enim corpus, qui temporibus Petri apostoli Leucorum credebatur fuisse episcopus, cum pluuiæ defectu passim laboraretur, circa fines agrorum circumgestari curauit. Et paulo pòst grassante inguinaria peste, idem corpus, episcopi iussu ad S. Mariæ templum (quam summam imperatricem & matrem cœlestis imperatoris, ac omnium suarum ouium legatione perfungi dicebat) magna deportatum est pompa. Quo facto, cessauit pestis: ut ibidem extat.

FRIDERICVS VIENNENSIS.

In Synodo Ingelheimêsi Fridericus quidam, à decem & sex episcopis ibidem congregatis, præsul Viennensis constituitur, anno 958: ut Reginonis continuator habet.

## SYLVANECTESES.

GVIDO.

Franci pro liberando rege suo à Normannis capto, Lotharium filium eius, Hildricum Beluacensem, & Guidonem Syluanectensem, episcopos, ijs dedêre obsides: ut Robertus Gaguinus libro 5 de gestis Francorum scribit.

ODO.

Odo Syluanectensis Remensi Synodo interest, anno 991, ut eius Synodi acta habent, capite 1.

DAIBERTVS BITVricensis.

Diabertus Bituricensiũ archiepiscopus, in Remensi Synodo ad genua principum prouolutus, pro salute Arnulphi supplex factus est: ut ex ijsdem actis cap. 53 uidere est.

Huius sanctissimi præsulis temporibus, in multis Bituricæ urbis ecclesijs (quæ, sicut testis est uniuersa antiquitas, monasteria olim fuerant) collegia canonicorum secularium instjtuta sunt. Præfuit autem Ecclesiæ suæ annis 25, & octo mensibus, ut ex Bituricensium episcoporũ uitis constat.

## BELVACENSES.

HILDERICVS.

Normannus Hildricus Beluacensis episcopus, pro Ludouici liberatione datus est obses: usque dum indicto aliquo conuentu procerum, plenius de pace tractare liceret. Ganguinus lib. 5.

ODO.

Odo ex abbate Corbeiensi, ob eximiam eruditi-

eruditionis opinionem, & uitæ sanctimoniam, Beluacensis factus est episcopus. Magna eius tum apud Romanum pontificem, & Galliæ regem fuit autoritas: quorum nomine sæpe in arduis negocijs, legationibus functus est. Claruit sub Otthone secundo: ut Trithemius in Hirsaugiensi Chronico annotat.

HERVEVS.

Herueus Beluacensis, Remensi Synodo anno 991 interest: ut patet ex Actis capite primo.

FRANCO ROTHOMAGENSIS.

Normannis Franciam igni & ferro depopulatibus, ac per Sequanam aduerso amne Rothomagum usq; delatis, Frâco regio destitutus subsidio, cum tantam hostiũ multitudinem ab urbe propulsari posse sibi diffideret, colloquendi cum hoste facultatem nactus, urbem eis tradidit ea conditione, ne quid detrimenti ciuibus inferretur.

Potiti hac urbe tutissimo sibi refugio hostes, Franciam totis uiribus, maximisque conatibus oppugnare cœperunt: Rollone Normanno, cui ob admissum scelus spes redeundi ad suos præcisa erat, belli summam administrante. Hostium sæuitia perterritus Carolus Francorum rex, Franconem ad Rollonem, cui iam notus erat episcopus, mittit, petitum trium mensium inducias: quas & impetrat. Verùm ijs exactis, Normanni ad ingenium rediêre, ac crudelius quàm antè in homines urbesque ui ni & ferro sæuire contenderunt. Rex suorum eiulatu, & rerum tristissima facie excitus, iterum Franconem Rothomagensium episcopum, ut firmandæ pacis causa Rollonem adiret, urget. Franco communis omnium in regno Franciæ salutis gratia, quiduis laborum & periculorum subire non recusans, ad Rollonem redit, eique ex regis iussu persuadere non desistit de religione Christiana amplectenda: quam si integra fide recepisset, Caroli filiam, Gillam nomine, cum Neustriæ ducatu uxorem ipsi datum iri. Sicq; res Gallicæ pacatæ fuêre. Gaguinus lib. 5.

## SENONENSES.

GALTHERIVS.

Cum Carolus Simplex ob ætatem iuuenilem regni molestias ferre non posset, creberique de bellico Normannorum apparatu rumores perferrentur ad Gallos: Eudoni (quem Annonius Odonẽ uocat) Roberti Andegauensis filio, Caroli tutela, regniq; administratio traditur. Hic à Galtherio Senonum archipræsule consecratus, ab omnibus rex salutatur. Idem libro 5. de gestis Francorum.

VVILHELMVS.

Vuilhemus, seu Guillermus (ut Annonius eũ uocat) Senonum episcopus, cum Otthonis primi, nomen iam in toto orbe celebre esset: communi de consilio Galliæ procerum in Angliam proficiscitur, repetitum Ludouicum Caroli Simplicis filium, ut paternum regnum capiat. Superioribus enim annis, cum propter ætatem, hostium concursiones in Galliam sustinere non posset, in Angliam cum matre Egina, Anglorum regis filia, fugerat. Quæ acceptis obsidibus & sacramentis, archiepiscopo filium ad Gallos traducendum commisit: ut Annonius libro quinto de gestis Francorum, & Heinricus de Erphordia indicant.

GERLANDVS.

Post Vuilhelmum, Gerlandus monachus S. Germani apud Antisiodorenses, uir doctus & pius, Senonum sede potitur. Post obitum, cadauer eius ad monasterium S. Germani relatum, sepulturæ ibidem traditum est: iuxta Trithemium in Hirsaugiensi Chronico. Annonius uerò libro quinto de gestis Francorum, capite quadragesimotertio scribit, Vuilhelmi successorem, quem Archenuualdum uocat, à Saxonibus Trecarum urbem obsidẽtibus, cæsum esse.

HILDEMARVS.

Gerlando successit Hildemarus, S. Dionysij apud Parisienses monachus, eruditus, & religionis studio clarus: ut Trithemius testatur.

SEGVINVS.

Seguinum Senonum episcopum Hugo Capetes cogit, ut ad Synodum Remensem ueniat, ibique Arnulphi deiectionem suo iuuet suffragio. Verùm cæteris episcopis regi gratificantibus, is solus contradicere non est ueritus, licet frustra: ut Annonius libro quinto, capite quadragesimosexto de gestis Francorum refert. At Iohannes Romanæ ecclesiæ pontifex, sine sua autoritate & consensu, Arnulphum dignitate sua ex poliatum ægrè ferens, omnibus episcopis, qui regis sententiam approbauerant, sacris interdixit: ac per Leonem abbatem Seguino mandat, ut sine ulla interposita mora Synodum cogat: & Arnulphum ex carcere reuocatum, pristinæ dignitatis locum, pontificia autoritate, remoto Gilberto, recipere iubeat. Seguinus Arnulphi cautæ addictus, pontificis mandatum fideliter exequitur. Sicque Arnulphus ipsius ope (penes Seguinum enim, cum inter cæteros episcopos & doctrina & longo rerum usu excelleret, iudicaria in Synodo stetit potestas, ut ex actis constat) sedem suam recuperat. Annonius, Gaguinus.

Cœnobium

Cœnobium S. Petri Milidunensis collapsum, ex fundamentis reparauit, monachisque repleuit. Seguinus. Anno Christi 1000, 16 Calend. Nouembris uita excelsit. Annonius.

GVIMARDVS NAVETENSIS.

Normanni, Caroli Simplicis temporibus, Galliam hostili animo ingressi, Nauetem urbem duce Rollone expugnant: eiusq; sedis episcopum Guimardum sacris occupatum, misere trucidant. Gaguinus libro 5 de gestis Francorum.

GALTERIVS *Augustodunensis.*
BRVNO *Lingonicnsis,*
MILO *Matisconensis,*
GVIDO *Suessonensis,*
GOTESMANNVS *Ambianensis.*
RATBODVS *Nouiomensis.*

Hi omnes interfuêre Remensi Synodo, Arnulphi causa celebratæ anno 991: ut ex Actis cap. 1. uidere est, quæ integrè Cõcilijs inseruimus.

## METENSES.

### SVB LVDOVICO.

AMELARIVS.

AMelarium Mediomatricum episcopum, libros quatuor de diuinis sacramentis scripsisse, autor est Honorius de scriptoribus Ecclesiasticis, qui sub Ludouico eum uixisse ait.

### SVB HEINRICO.

VVITGERVS.

HEinricus Imperator, Rutgeri Treuirensis archiepiscopi, & Giselberti ducis auxilio, Metensem urbem obsedit: & Vuitgerum episcopum, licet diu urbis mœnia fortiter defendentem, in suam tandem potestatem redegit: ut Reginonis continuator annotat.

BENNO.

Benno, qui eremum in Alpibus aliquandiu incoluerat, Argentinensis factus est canonicus. Sed paulo pòst ad Metensem archiepiscopatum uocatur, anno noningẽtesimo uigesimoquinto: dictusq; est, ob nimium sanctitatis studium, Benedictus episcopus. Post biennium uerò à Metensibus oculis priuatur, cuius sceleris autores in Synodo Duisburgensi anathematis fulmine feriuntur: ut idem refert.

### SVB OTTHONE I.

ADELBERO.

OTtho Magnus, cum sibi totius Lotharingiæ regnum subijcere tentaret, solius Adelberonis Mediomatricum episcopi, qui Bennoni successerat, rebellionem ex pertus est. Obijt autem anno 964, ut Sigebertus habet.

THEODORICVS.

Theodoricus, natione Saxo, Otthonĩ Magno sanguine ac familiaritate cæteris deuinctior, inter canonicos Halberstadenses ab ineunte ætate enutritus fuit. At Brunone ad Colonienſem archiepiscopatum euecto, Theodoricus eius indiuiduum agebat comitem: & quia ipsum quoq; ad Ecclesiasticam gubernationem accessurum aliquando sperabat Bruno, ut in Colonien si gymnasio artium liberalium & Sacrarum literarum doctrina erudiretur, prouidit. Acta Metensium. Mortuo itaq; Adelberone Mediomatricum episcopo, Imperatoris & Brunonis autoritate eundem locum sortitus est.

Asseruabatur in Metensi ecclesia catalogus quidam episcoporum Metensium, quorum nomina initialibus tantum literis, uel auro, uel argento, uel alio uiliori metallo, notata erant: qui Clementi, primo eius sedis antistiti, ab Angelo traditus fuisse, uulgi sermone ferebatur. In eum cum hic nouus præsul incidisset, suique nominis literam argenteam offendisset, dixisse dicitur: Ea fide suæ Ecclesiæ commodis se prospecturum, ut æquo omnium iudicio, litera aurea dignus censeatur: ut Sigebertus autor est.

Quibus uerò artibus tantam laudem sibi ac quisquerit, nusquam reperire est, nisi fortè reliquiarum cultu. Multa enim plaustra putridorum ossium ex Italica expeditione, cum Otthonis Magni castra integrum triennium secutus fuisset, in suam ecclesiam secum aduexit: ut Sigebertus refert. Aut templorum & monasteriorũ extructione, cui labori sedulus incubuit. Cœnobium enim S. Vincentij, pro felici suæ gubernationis auspicio, in urbe Metensi fundauit. Aliud quoq; in Caluomontensi pago, quorum utrumque plurimis reliquijs, prædijs, & in primis quæ ad uictum Deo ibidem famulantium, usui fore putabat, abũdè ditauit: teste Sigeberto, & actis Metensium.

Cum Otthone quoq; secundo, contra Græcos pugnante, in armis fuit. Nam cum Imperator ex infelici cum hostibus prælio, fuga salutem quærere compelleretur, & terra excluſus, natando hostium manus effugere contenderet, à nautis intercipitur, qui gregarium eum existimabant esse militem. Delatus ad Rosanæ urbis portum, ubi Theodoricus Metensium præsul, & Theophania Imperatoris coniunx, cum impedimentis substiterant, rei euentum expectantes, episcopi opera liberatur: ut Sigebertus scribit.

Dono prophetiæ illustrem fuisse Theo-

doricum, idem teſtatur. Nullus, inquiens, principum, qui ex Calabrico bello incolumes euaſerant, iuxta huius uiri præſagium diu in uiuis ſuperſtitit. Obijt autem anno primo regni Otthonis tertij, qui fuit Chriſti 984 : ut Metenſium pontificum Acta habent.

### SVB OTTHONE III.

ADELBERO ALIVS.

NAtus eſt hic Adelbero patre Friderico, Galliæ medianæ duce: matre uerò Beatrice, Hugonis magni filia. In Gurgitenſi ſchola à primis annis literas edoctus, eo anno quo Theodoricus obijt, menſe Nouembri, Deo, cleri populiq; uotis annuente, ſubſtituitur epiſcopus: ut Sigebertus refert. Ad cuius ordinationem uicinarum ciuitatum antiſtites Treuerim confluentes, paſtorale ei munus, rem peragente domino Ecberto, eius eccleſiæ epiſcopo, demandant.

Monachorum adeò ſtudioſus & amans fuit, ut felicem ſe eo prædicaret die, quo cum his prandere liceret, quibus cum mundus crucifixus eſt, & ipſi mundo. Fortè moniales putauit, quibus duo contubernia extruxit: alterum intra urbem Metenſem, (quę quotidie ei inuiſere licuit) alterum in Bliſacenſi pago, Trinitati ſacrum: quorum utrunq; ampliſsimis, uentri & gulæ potiſsimum ſeruientibus, bonis ditauit.

Synodo cuidam interfuit Adelbero, ab Heinrico II congregatę. qua de re in undecima Centuria dicendum eſt.

Obijt autem anno Chriſti 1005, cum pontificio munere functus eſſet annis uiginti & uno. Ibidem.

LEVDO, &
HERINVARDVS *presbyteri.*
BERTRAVS *diaconus.*

Hi ab Alberico Marſorum epiſcopo oſſa Elpidij martyris: & à Benedicto Fuliginenſi, Feliciani putridum corpus, accepta, ad Theodoricum Metenſium epiſcopum deferunt: ut ex actis Metenſium uidere eſt.

## REMENSES.

### SVB LVDOVICO *& Conrado.*

HERINEVS.

HErineus, uel Herueus, Remorum pontifex, circiter annũ Domini 905 creatus, Vuinimarũ anteceſſoris ſui interfectorem perpetuo anathemate ferijt: ut Marianus Scotus & Reginonis Continuator annotant.

Heinricus ad imperij faſtigium ſublatus, cum Carolo Simplice Francorum rege fœdus icit, eiq; poſcenti Germanorum copias contra aduerſariorum factionem (cum Roberto enim de regno contendebat Carolus) auxilio miſit. Quod uniuerſa penè



Francorum nobilitas ægrè ferens, regem nimirum Germanorum potius fidei ſe crederе, quàm ſuæ: ad Robertum regni æmulum ſtudia uires q; inclinauit. Quę, unanimi tantorum uirorum conſenſu permotus Herueus epiſcopus, à Roberti cauſa nõ alienus, regem inunxit. Verùm die ab ea inunctione tertio, mortem obijt epiſcopus. Quod miraculi loco fieri omnes credidêre: ut Paulus Æmylius libro 3 de geſtis Francorum ſcribit.

### SVB HENRICO PRIMO.

SEVLFVS.

POſt Heriueum, Seulfus Remenſem ſedem conſcendit, circiter annum Domini 921: teſte Paulo Æmylio de geſtis Francorum.

### SVB OTTHONE I.

HVGO. ARTALDVS.

IN Synodo Ingelheimenſi, cui Otthо Imperator interfuit, anno 948, inter cæteras, Hugonis quoque cauſa, qui Artaldo epiſcopo pulſo, Remenſis eccleſiæ ſedem inuaſerat, agitata: ipſeque omnium qui adeſſent epiſcoporum iudicio damnatus eſt: ut Continuator Reginonis habet.

Porrò Ludouicus Francorum, & Conradus Genaurorũ reges, caſtra magni Otthonis contra Hugonem, qui Capetes dictus eſt, ſequentes: cum Lugdunum propter loci aſperitatem expugnare non ualerent, caſtra ad Remenſem urbem ponunt: ubi Hugonis nepos Hugo, contra fas & æquum, legitimo eius loci epiſcopo adhuc ſuperſtite, ſedem epiſcopalem tenebat. Capta uerò urbe, Hugo eijcitur, & Artaldus in priſtinum dignitatis locum reſtituitur: Vrſpergenſe teſte.

### SVB OTTHONE II.

ALBERO.

GAndauenſe templum in Bardinico mõte, ab Alberone Remorum epiſcopo dedicatum eſſe, circa annum 975. Meyerus in Flandriæ ſcribit Chronico.

### SVB OTTHONE III.

ARNVLFVS.

ARnulphus Remorum archiepiſcopus, Lotharij regis Franciæ frater, uir bonus & modeſtus, Hugoni inuiſus, carceri traditur: ac illegitimorum natalium, & proditionis Remenſis urbis prætextu, in patrum Concilio ſede ſua deijcitur, ſolo Seguino Senonum epiſcopo acriter reclamante. In deiecti locum ſubſtituitur Gilbertus, magus inſignis, qui poſtea Romanus pontifex factus, Syueſter dictus eſt: ut ſuo loco ſcripſimus. Iohannes pontifex maximus, re cognita, omnibus epiſcopis, quorum ſententijs Arnulphus ſede remotus fuerat, ſacris interdixit: ac per Leonem abbatem,

ſuum

suum legatum in Remensi ciuitate, Apostolica autoritate alia Synodo collecta, prioris acta rescidit: sicq; Gilberto depositio, Arnulphus de custodia extractus, pristinæ dignitatis locum omnibus applaudétibus recepit: ut Antoninus, Paulus Æmylius, & Annonius testantur.

## PARISIENSES.

### ALBERTVS, *Vualterus.*

Albertus, qui & Ascelinus dicitur, Balduini Flandriæ principis ex concubina filius, episcopus Parisiorũ, & Truricinienſis antistes, anno 977 in uiuis esse desijt. Cui Vualterus successit, ut Iac. Meyer annotat.

### VVIGFRIDVS VIRIDVNENSIS.

Vuigfridus Viridunẽsis episcopus, Theodorico Metensium antistiti duas aras in S. Vincentij ecclesia consecranti adest, anno 972. Acta Metensium.

### FVLCHERVS NOVIOMAGENSIS.

Fulcherus illegitimo natus thoro, patre Ludouici Imperatoris coquo, cum annis ferè tribus Nouiomagensis ecclesiæ sedem gubernasset, morbo pediculari interijt: cuius cadauer cum pediculis scaturire nõ cessaret, ceruino corio insutum, terræ mandatum est. Magnum punitæ ambitionis & simoniæ exemplum, inquit Iacobus Meyer in Chronico Flandriæ.

## TREVIRENSES.

### SVB HEINRICO PRIMO.

#### RVTGERVS.

ANno 917, iuxta Trithemium in Chronico Hirsaugiensi, defuncto Ratbodo, successit Rutgerus in gubernatione Treuirensis ecclesiæ.

Scripsit decretorum librum, quem in Synodo suis suffraganeis Treueri oblatum, à cunctis approbatum esse, idem autor est.

Heinrico regi Metensem urbẽ oppugnãti, in auxilium uenit, anno 923. Moritur autem anno pontificatus sui undecimo, Christi 928. Continuator Reginonis.

### SVB OTTHONE I.

#### RVPERTVS.

RVpertus, qui Rutgero, eo quo obijt anno successit, in conuentu principum Duisburgæ, Otthone rege præsente, à Conradi ducis factione, infidelitatis erga regẽ accusatur. Sed breui se à crimine obiecto purgat: idq; factũ anno Christi 944, ut Reginonis Continuator habet. Ambitiosum & auariciæ deditũ fuisse argumento est, quòd plurimum laborauit in S. Maximini abbatia suo episcopatui adijcienda: sed irriti eius fuêre conatus. Peste extinctus est anno Domini 956, pontificatus sui 28. ut in eodem uidere est autore.

#### HENRICVS.

Rupertus in Treuirensis ecclesiæ gubernatione Henricum sortitus est successorẽ. Is iuxta summum templum Treueri monasterium in D. Petri apostoli honorẽ construxit: & à monachis ibi inclusis, Canonicorũ regulã strictè obseruari præcepit: ut Trithemius in Hirsaugiẽsi Chronico annotat. Otthonem etiam contra Berengarium, in Italiam cum armato milite contendentem secutus est: ac Synodo Romę contra Iohannẽ pontificẽ, ob scelestam & turpem uitã infamem celebratæ interfuit, eiusq; damnationis nõ inter postremos accensetur autores à Luithprãdo lib. 6. cap. 10. Otthone Romã abeunte, in itinere (teste Reginonis Continuatore) mortuus est episcopus.

#### THEODORICVS.

Theodoricus Treuerensis ecclesiæ diaconus, Heinrico defuncto succedere iussus est: ut Reginonis continuator scribit. Sub hoc præsule Treuirenses canonici, qui Heinrici antecessoris tempore ad arctiorem regulæ obseruationem obstricti fuerant, remissiores facti, secularibus rebus potius studuerũt. Horum exemplum malum subsequentibus temporibus Cõfluentini, Moguntini, Vuormacienses & Spirenses imitati, idem fecêre. Obijt Theodoricus anno Christi 977, ut Trithemius in Chronico Hirsaugiensi refert.

#### ECBERTVS.

Ecbertus Treuirensium episcopus, Adalberonem Metensibus ordinat episcopum. Acta Metensium.

Bannitum ieiunium tertia hebdomade post Pascha celebrandum, ob siccitatem nimiã, qua omnis tum terra premebatur, ab Ecberto initiũ sumpsit, anno 983: ut Trithemius in Hirsaugiensi Chronico narrat.

### SVB LVDOVICO.

#### RATHBODVS *Vltraiectensis.*

RAthbodus decimus quartus Vltraiectẽsium episcopus, Germanus, ingenij præstantia & facundia insignis, ab ineunte ætate Nãnone philosopho, qui aduocatus in Caroli Crassi palatio fuit, præceptore usus est, à quo philosophica percepit studia. Postea monasterium ingressus, Sacras literas euoluere cœpit: tandem Vltraiectensium episcopus consecratus est.

| | |
|---|---|
| Scripsit autem laudes S. Martini, | lib. 1. |
| Laudes S. Bonifacij episcopi, | lib. 1. |
| Laudes S. Martini, | lib. 1. |
| Homiliarum & Sermonum, | lib. 1. |
| De S. Amelberga, | lib. 1. |
| De S. Vuillibrordo, | lib. 1. |

Integrum quoq; de S. Martini translatione officium, & uarios in honore sanctorum cantus composuit.

Et uiuum & mortuum multis miraculis claruisse, Trithemius scribit: quorum tamẽ nulla recensẽt.

Moritur anno Domini 917, cum episcopatum in graui Danorum persecutione fideliter annis decem & octo administrasset. Cuius corpus Dauentiæ terræ est mandatum. Trithemius in libro de Illustrib. uiris.

## LEODIENSES.

### SVB LVDOVICO.

#### STEPHANVS.

STephanus Metensis canonicus, in sacris & prophanis literis solidè doctus, post Franconem Leodiensi sede potitus est, anno 904.

Scripsit autem ad Hermannum Colonien-sem, uitam S. Lamberti. Ad episcopum Metensem librum unum. Sermones multos, pluresq; Epistolas. Cantus quoq; nonnullos de inuentione S. Stephani, de cruce, de Lamberto. Officium de Trinitate, quod in octauis Pentecostes cantari solet, ex Alcuini libro dulci melodia exornauit: ut Trithemius refert. Obijt anno 921, iuxta Sigebertum.

### SVB HEINRICO I.

#### RICHARIVS.

STephano defuncto, Richarius autoritate Romani pontificis Iohannis, qui Rauennatensis dicebatur, per Carolum Francorum regem in eadem sede substituitur, repudiato Hilduino largitionibus à Gisseberto, qui cum Carolus de regno armis contendebat, eundem episcopatum petente, circa annum Domini 921. Sigebertus.

### SVB OTTHONE I.

#### OGO.

OGo ingenij perspicacia, ac singulari præstans prudentia, cum annis duodecim abbatiam S. Maximini extra Treuericæ urbis muros fideliter administrasset, Leodiensis episcopus factus est, circa annum Domini 945, ut Bruschius annotat. Cuius tale apud eundem extat Epithaphium:

*Obsecro te frater, titulum qui conspicis istum,*
*Quò memor esse mei corde uelis humili.*
*Ogo uocatus eram, dum carnis mole premebar,*
*Cœnobio huic dictus à puero monachus.*
*Nunc cinis & puluis, miseræ contagia uitæ*
*Valde perhorrescens, dic precor ex animo:*
*Factura Deus alme tuæ clemens miserere,*
*Ogoni requiem dans piè perpetuam.*

#### FARABERTVS.

Circa annũ Christi 950, Farabertus Leodiensi eccleſię præſidet: ut ex Sigeberto colligitur.

#### RATHERIVS.

Ratherius, seu Catherius, natione Belga, monachus Lobiensis, morum simplicitate, sed omni doctrinarũ genere insignis: cum Hilduino, qui in ambiendo Leodicensi episcopatu repulsam passus fuerat, in Italiam ad Hugonem regem abijt, per quem Veronensi ecclesiæ præficitur, circiter annum Domini 928: ut Luithprandus libro 3. cap. 11, & Sigebertus testantur.

Scripsit in primo exilio, de suis ærumnis librum unum.

In secundo alium, quem inscripsit Phrenesin.

Alium, qui uocatur Inefficax.

De corpore & sanguine Domini, librum unum.

Contra Anthropomorphitas librũ unũ.

Agonisticon, hoc est præloquiorũ lib. 6.

Confessionum quoq; librum unum.

Vitam S. Vrsmari Lobiensis lib. 1. & alia nonnulla: ut Sigebertus refert.

Duriter hoc seculo Ecclesiam Christi premebat Anthropomorphitarũ hæresis, quibus Ratherius ore & calamo strenuè & intrepidè reclamabat: ut Sigebertus indicat.

Cum autem Arnoldus Boioariorum & Carentanorum dux, in Italiam magno armatorum militum stipatus agmine contenderet, eo animo ut cum Hugone de regno Italiæ pugnaret: à Milone comite, Veronensis urbis dominium tenente, & Ratherio episcopo, quorum literis accersitus dicebatur, benignè excipitur. De aduentu Arnoldi Hugo certior factus, obuiam ei militaribus copijs processit: fusoq; eius exercitu, ipse dux fuga saluti suæ consulens, in Boioariã regressus est. ipsa uerò ciuitas in Hugonis potestatem uenit: & rebellionis culpa in Ratherium episcopum reiecta, ciues ei recõciliantur: Nauclero teste. Episcopus autem captus, Papiam exulatum ire iubetur: ut Luithpr. lib. 3. cap. 11, & Sigebertus referũt. Interiecto aliquo temporis spacio ad ecclesiam suam redit: ex qua tamen denuò expellitur. Qua uerò occasione id factũ, apud autores non extat. Bergomensis quidem lib. 11, & Platina in uita Ioánis XII, scribunt, eum libera & acri oratione in detestandos Hugonis mores inuexisse, eaq; de causa ab eo sede sua deiectũ esse: quod forte de secundo exilio accipiendum est.

Tandem mortuo Faraberto Leodiensi episcopo, opera Otthonis magni & Brunonis archiepiscopi, fratrum, in locũ eius suffectus est, anno 954. Verùm altero anno hac quoq; sede pulsus, ad Lobiẽse monasteriũ redijt. cuius de seipso hoc extat monastich.

Veronæ præsul, sed ter Ratherius exul.

Sigebertus. Anno autem primo Otthonis II, apud Lobienses exul mortem obijt, cuius de Erfordia annotat) inscribi rogauit: Conculcate pedes hominum sal infatuatum.

BALDERICVS.

Ratherio dignitate sua exuto, Baldricus, auunculi sui Raginerij, comitis Montensis, auxilio, Leodiensem conscendit sedem, anno 956. ut Sigebertus scribit.

SVB OTTHONE II.

ROGERVS.

ROgerus Leodicensiũ episcopus factus, anno 972, urbem muro cinxit, aliisq; splendidè exornauit ædificijs. Summam quoq; ædem ab imis fundamentis renouauit, ac cœnobium Iohanni euangelistæ sacrũ extruxit. præclara scilicet pietatis episcopalis opera, Sigebertus.

LVITARIVS Vercellensis.

Saracenos Gallia cisalpina uastata, Ioannem Vercellensem episcopum trucidasse, ex Vngarorum annalibus Bonfinius libro decimo Decadis primæ rerum Vngaricarum refert.

REGIMVNDVS Hispanus.

Reuerendo patri Raimundo, Liberitanæ ecclesiæ in Hispania episcopo, Luithprandus Ticinensis ecclesiæ leuita, in scriptis libros suos de Rebus per Europam gestis.

## GERMANIAE EPIscopi & doctores.

### BAVARI.

### LAVREACENSES, SIVE Bathauenses.

BVRCHARDVS.

BOiorum episcopi, proceres, nobiles & ciues primarij, negociationis gratia sæpe in Austriam commeantes, Ludouicum regem Vtini commorantem adeunt: eiq; de telonum rapacitate & portorio rũ magnitudine, quibus & plebeij & sacri ordinis homines expilentur, conquerun tur. Imperator benignè supplicum precibus auditis, rẽ Ariboni Austriæ duci, Theodomaro Salisburgensi, Burchardo Batauen si, & Odagrio præfecto demandat, ut quæ superiorum Imperatorum temporibus portoriorum ratio fuerit, cum senioribus inquirant. Qui in frequenti Rasuelstadij conuentu, quod ab Imperatore in mandatis habebant, exequuntur: ut Auentinus lib. 4 Annalium scribit.

GERARDVS.

Gerhardus Bathauẽsis episcopus adest Synodo Dingelfingensi, ab Arnulpho Boiorum duce indictæ, ubi dux ecclesijs abalienata restituit bona, & monachos, qui ob seueriorem disciplinam aciem deseruerant, in suam stationem redire coegit.

Certamen ei fuit cum Heroldo Iuuauiẽsi episcopo: uterque enim principem sibi locum inter cæteros Boiorum episcopos iure antiquitatis arrogabat, ut suo loco diximus. Res tandem ad Agapetum pontificẽ Romanũ, à Gerardo per Hadamarum Fuldensem abbatem defertur. Is interposita sua autoritate, Gerardum non solum à Iuuauiẽsis episcopi subiectione liberum: sed & Heroldo postposito, illum Boiorum archiepiscopum pronunciat, & ut Pannoniam, Auaros, Morauos, Venedos sacris instruat iniungit. at Heroldo, nisi latæ sententiæ acquieuerit, sacris interdicit. Quin & seculari brachio Gerardum communit põtifex. Otthoni enim Imperatori, & Heinrico Boiorum duci per literas mandat, ne contra Heroldum suũ auxilium ipsi petenti subtrahant: ut Auentinus libro 4 Annalium refert.

PILGRINVS.

Geizo Vngarorum rex, rerum sacrarum adhuc ignarus, Pilgrinum Bathauensis & Laureacensis ecclesiarum pontificem, cuius nomen ob eximiam sanctitatis opinionem in omnium ore hoc æuo uersabatur, per legatos orat, ut ad Vngaros excurrere, & diuini uerbi prædicatione, æternæ eorũ saluti consulere non grauetur. cuiuis enim liberam diuinũ recipiendi cultum fore potestatem, ultrò pollicetur. Paruit uocationi Pilgrinus: & assumpto Vuolffgango eius seculi uiro doctissimo comite, iter ingressus est. Ad quorum conciones audiendas certatim Vngari aduolãt, seq; baptismi sacris initiari petunt: templa extruunt, & nihil non quod sacris rebus usui esse putabatur, subministrant.

Tam felici prædicationis suæ euentu, occasionem nactus Pilgrinus, per literas & duos diaconos Romanũ pontificem Benedictum sextum sollicitat: ut quoniam ipse solus tanto oneri, quod sibi apud Vngaros incumbebat, impar esset, se Laureacensem archiepiscopum designet, ac collegas cooptãdi apud Vngaros copiam faciat. Frideri cus enim, qui tum Iuuauiensi ecclesię præerat, archiepiscopalem dignitatẽ, autoritate & beneficio Benedicti v Romani pontificis, suæ ecclesiæ recuperauerat. Annuit Pilgrini precibus Romanus pontifex, ac mox scriptis ad Otthonem II Imperatorẽ, & primarios totius Galliæ ac Germaniæ episcopos, abbates, duces & comites literis: Laureacensem ecclesiã à Iuuauiensiũ dominio

eximit, Pilgrinum, eiusq; successores in Bathauensi, seu Laureacensi ecclesia perpetuo edicto archiepiscopos, ac Iuuauiensibus superiores esse statuit: & ut Pannonias, Noricum, Ripenses, Morauos, Vngaros, Auariã, Venedos in sacris rebus procurẽt, iubet. Iuuauiensibus uerò Noricum mediterraneũ & Vindeliciã attribuit, ut Auentinus lib. 5 Annalium scribit.

Porrò dum Ottho Imperator bello Polonico occupatur, Heinrici duo, alter Boiorũ, alter Charini limitis dux, Bathauiam occupant: ibiq; se muniunt, Imperatori fauentes grauiter affligunt, omniaque ferro & igni uastãt. Imperator collecto milite Bathauiã summis uiribus aggreditur: ac Pilgrini ope & cõsilio, ponte ex nauibus extructo, ui urbem expugnat: & mœnia, ne posthac hostibus recepta culo sint, solo æquat. Perpetuo deniq; edicto sancit, ut Pilgrinus, eiusque successores, Laureacenses archiepiscopi nominentur: ut idem testatur.

CHRISTIANVS.

Heinricus abdicato regio nomine (Otthone enim secũdo defuncto, ad Imperij fastigium aspirabat, cõtra principũ sententiã, quibus Otthonem III substituere in animo erat) regnoq; Boioariæ recepto, celebré Boiorum pontificũ, pręsulũ, ac populi conuentum egit apud Tulnã ciuitatẽ, ibiq; lites cõtendentium diremit. Ibi cũ & Luitpoldus Austriæ princeps, sui iuris esse assereret prædia Bathauensis episcopi, quæ Orientalem plagã spectarent, Christianus Bathauensis episcopus quinq; illustriũ uirorũ in Boioaria testimonio sua esse contra Luitpoldum obtinuit, suisq; prædijs omnibus immunitatẽ ab Heinrico impetrauit: ut Auentinus lib. 5 Annalium indicat.

## IVVAVIENSES, SIVE Salisburgenses.

THEODOMARVS.

Theodomaro Salisburgensi, & Burchardo Bathauensi põtificibus, alijsq; politicis uiris, demandatur ab Imperatore negociũ inquirendi de ratione tributorum, superioribus seculis usitata. Qui mox indicto Rasueltstadij conuentu, Imperatoris satisfaciunt uoluntati. Auentinus libro 4 Annalium Boiorum.

HILDEBERTVS.

Hildebertus Iuuauiensis episcopus, Dingelfingensem Synodum iussu Arnulphi Boiorum ducis collectam, sua exornat pręsentia: ut idem lib. 4 testatur.

HEROLDVS.

Heroldo Iuuauensi seu Salisburgensi episcopo, qui ex generosa familia comitum à Scheurn natus fuit, lis erat ob pallij dignitatem, quam à Carolo Magno suam ecclesiam accepisse iactitabat, cum Gerardo Bathauensi episcopo, cui à Leone VII pallio ante eadem collata fuerat dignitas. Gerardus per Hadamarum Fuldẽsem abbatẽ, rem ad Agapetum Romanum pontificẽ refert: & ob ecclesiæ suæ antiquitatem, confirmationẽ sui iuris expetit. Huius precibus annuit Pontifex, eumq; totius Bauariæ archiepiscopum esse iubet: Heroldo uerò, eiusq; socijs, nisi pareant, sacris interdicit. Ius pro fœdus cum Conrado duce ab Otthone pro scripto init: qui expoliatis templis, Bauariã per Vngaros horribiliter uastant. Interea Heinricus dux Boiorum, Heroldũ iuxta legis Salicæ horrendũ fulmen (quo cauetur, ut episcopus, si cum hostibus cõspirauerit, hos quópiam inuitarit: & eos quos seruare debeat, perdere uoluerit: pœnas capite luat) perfidiæ condẽnat. Eidẽ postea apud Muldorff capto, oculos effodi iussit. Johannes etiã XII, Romanæ ecclesiæ præses, eundem Heroldum ob tantũ scelus Rauennæ in frequenti Synodo condemnatum, diro anathematis fulmine ferit, ac omni prorsus sacerdotij dignitate eum exuit: ut Auentinus lib. 4 Annalium Boiorum refert.

FRIDERICVS.

Heroldo cõmuni episcoporũ cõsensu, in Synodo sede sua deiecto, Fridericus comes de Chiẽgeu, à clero populoq; uno ore episcopus substituitur, anno Christi 958. Hicà Benedicto V Romanæ ecclesiæ pontifice, ius pallij recuperauit. Verùm Benedictus eius nominis sextus, Pilgrino Laureacensi episcopo ob felicem ad Vngaros sacrorum cultuum propagationem, eandem dignitatem perpetuò tenendam concessit: ut Auentinus lib. 5 Annalium scribit. Erithuricum (fortè Fridericus est) Salisburgensem episcopum anno 991 mortuum, historia Quedlinburgensis testatur.

NITHARDVS *Sabonensis.*

Nithardus Sabonẽsis ecclesię episcopus, Dingelfingensi interest Synodo: teste Auentino lib. 4 Annalium Boiorum.

## RATISPONENSES.

TVTO.

Bohemis ab Henrico Imperatore & Arnulpho Boioariæ duce, ad obsequium coactis, Tuto Reginoburgensis episcopus Prągæ (quæ caput est gentis) templum D. Vito consecrat. Auentinus lib. 4 Annalium.

ISENGRINVS.

Isengrinus Reginoburgensis episcopus, interest Synodo in oppido Dingelfing, ab Arnulpho Boiorũ duce indictæ: in qua prædiorũ ususfructus Ecclesię abalienati restituuntur,

tuuntur, sacręędes ab Vngaris deuastatę re parari iubentur: & monachi, sacerdotesq;, qui seuerioris disciplinæ iugo excusso popularitèr uiuebant, sub arctioris disciplinę iugũ missi sunt: ut Auentinus lib. 4 Annalium indicat.

MICHAEL.

Vngarorum ad Lycum fluuium exercitu cæso ab Otthone, Michael Reginoburgensis episcopus, qui cũ Imperatore erat, in prælio uulnus in manu accepit, ac ægrè euasit: teste Auentino libro 5 Annalium.

RAMHOLDVS.

Ramholdus, eiusdem urbis præsul ad D. Haimeranũ, Treuerim in exiliũ relegatur, quòd Henrico Boiorũ duci cõtra Otthonẽ ui faueret: ut Auent. lib. 5 Annaliũ scribit.

VVOLFGANGVS.

Vuolfgãgus natione Sueuus, ex comitũ de Pfullingen prosapia ortus, Nauclero testis, duodecimus Ratisponensium fuit episcopus, uir suo seculo doctissimus.

Docendi munere hic functus est strenuè: nã comes fuit Pilgrini ab Vngarorũ rege Bauaria uocati, ut suã gentẽ de uera salute eruditet, ubi felicẽ ministerij sui successum, Domino cooperãte experti sunt: teste Auentino lib. 4 Annalium. In Bohemia quoque, quæ nuper idolorũ cultu abiecto Christo, nomẽ dederat, de uoluntate Secũdi Otthonis episcopatũ Vuolfgangus instituit: ut in Chronico de ducibus Bauariæ uidere est.

Lotharius occidẽtalis Galliæ rector, rutilans quoq; regnũ suo adiũgere ui & armis pro quod cũ Otthone inierat fœdere, Oriẽtale quoq; contendebat. Imperator igitur hostili animo per cõtinuos duos menses Gallię fines percurrit, cunctaque cæde & incendijs uastauit, solis templis saluis: & inter redeundũ, castra ad Axonã flumẽ posuit. Huic expeditioni D. Vuolfgãgus Reginoburgẽsis episcopus interfuisse, primusq; cęteris hęsitãtibus uadũ inuenisse, flumẽ superasse, animũq; militibus reddidisse dicitur: quẽadmodũ Reginoburgẽses ad huc prædicãt & depingunt. Auentinus lib. 5 Annalium.

Huius etiam episcopi suasu Heinricus Secundus Boiorũ dux, qui familiariter eo usus est: templum diuo Paulo Reginoburgij, quæ tum summi Boiorum principis sedes erat, dedicat. Idem.

Anno 994 in uiuis esse desijt, cui Gebhardus successit: ut Schafnaburgensis habet.

GEBHARDVS.

Gebhardus, cum fratre Rapotone Dalmasia, & ab Hohenuuart oriundus, Pruflam in agro Reginoburgensi, & Thierhaupten apud Lycatios D. Benedicto, eiusque consecraneis dedicant. Auentinus.

## FRVXINENSES, QVI & Frisingenses.

### SVB LVDOVICO.

VVALDO.

LVdouicus Arnulphi filius, qui postea patri in Imperij fastigio successit, cum iam septimo ætatis anno rex cõstitutus esset, Valdoni Fruxinensi episcopo erudiendus traditur: teste Auentino libro 4. Annalium.

VVOLFRAMVS.

Vuolframus Fruxini episcopus, interest Synodo Dingelfingensi, ab Arnulpho Boiariorum duce collectæ. Idem libro eodem.

### SVB OTTHONE II.

ABRAHAM.

HEinricus Boiorum dux, consilio Berchtoldi Schirorum principis, & Heinrici Augustanorum episcopi, contra Otthonem II imperij dignitatem affectans, ab Abrahamo Fruxinensi episcopo, Heinrici causæ non parum addicto, Reginoburgij in æde D. Haimerani regio diademate insignitur, multis licet refragantibus episcopis. Nouus rex cum Bolislao & Mizicone Polonorum ducibus mox fœdus init: eorumque ope confisus, regiam dignitatem ui & armis tueri conatur. Ottho de rebellione Heinrici, & accersito exterorum auxilio certior factus, regni proceres conuocat, eorumq; consilium ea in re expetit. Re in frequenti procerum conuentu diu multumq; iactata, de communi tandem cõsensu Poppo Vuirtzburgensis, ac Gebhardus equitũ magister in Boiariam ablegantur, postulatum, ut Heinricus publica fide accepta, ad Imperatorem concitato se conferret cursu. Quòd si recusaturus esset, contra rempublicam feciſſe, certi argumenti loco futurum. Paret mandatis Concilij Heinricus, ac cum Abrahamo episcopo ad Otthonẽ proficiscitur: quorum uterq;, Heinricus in Ingelnheim, Abrahamus uerò Corbeiam exulatum ire iubentur: ut Schaffnaburgensis & Auentinus referunt, quamuis ille exilij non meminerit.

Dum autem Augustus bello Danico occupatur, Heinricus & Arahamus custodia elapsi, ad Boios redeũt: Heinricus occupata Bathauia, multorum confœderatione se ibi munit: Augusti partibus fauentes grauiter affligit, & igni ferroq; omnia depopulatur. Idem episcopus & Fruxini facit. Vdalricus Senonum præfectus, iussu Imperatoris ui expugnat Fruxinum, ac episcopus in potestatem ipsius uiuus peruenit. Imperator quoq; capta Bathauia, Heinricum cum Abrahamo Treuerim in exilium mittit: ut Auentinus scribit lib. 5 Annalium.

GOTSCALCVS.

Gotscalcus Fruxinẽsiũ episcopus, castra

Otthonis tertij in Italiam, contra Crescentium tribunitiam potestatẽ in urbe Roma sibi usurpantem contendentis, secutus est. Auentinus.

Gothardi cuiusdã episcopi factũ, qui ab Heinrico II Imperatore Tigurinis monachis se præfici passus fuerat, improbauit: quòd nimirũ in alienã messem falcem suã immitteret, ut idem refert.

## *DE DOCTORIBVS Francis.*

## MOGVNTINI.

### HATTO.

HAtto, ex Franciæ regum stemmate natus, uir callidus & prudens, cum abbatiam Elbangensem annis 17 probè administrasset, in diuitis Augiæ cœnobio eandem prouinciam gerere cogitur, sub annum Salutis 888. cui cum annis quatuor pari fide præfuisset, Moguntinus archiepiscopus ab Arnulpho Imperatore designatus est.

Magnæ autem autoritatis uirum fuisse Hattonem, indicio est, quòd Ludouicum Arnulphi Imperatoris filium è baptismo susceperit, ac mortuo patre cum Otthone Saxoniæ duce tutoris officium à Germaniæ proceribus subire iussus est: ut Auentinus libro 4 indicat.

Habentur quidem aliquot eius Epistolæ: sed eæ nondum in lucem, quod nobis constet, prodiêre. A' Rabano Moguntino archiepiscopo per literas petit, ut suis literis ad Romanum pontificem proprias adiungere non grauetur, quo facilior suis ad pontificem sit aditus.

Leonis Romani se & suos in monasterio fratres, per literas commendat precibus: ac si fortè ex suo cœtu aliqui monachi Romam ueniant, ut præ cæteris singularem eis exhibeat beneuolentiam, petit.

Aliã eiusdem argumenti ad Pontificem misit, per Thacholfum, Thuringorum ducem, epistolam.

Apud Rabanum Moguntinum per literas pro Geruuigo uasallo intercedit, ut eius causam uel coràm ipse, uel per alios audire, & sententiam æquam ferre uelit.

Per epistolium ab Ezone comite repetit prædiolum in Brigiriching, cuius usus fructus saltem ad aliquod tempus ipsi concessus fuerat.

A' Bernhardo quodã comite per literas petit, ut eorum bonorum quæ in Italia collegium Fuldense possideat, fidelẽ ipse agat tutorem, ac ne abalienentur prospiciat.

Otgarium Moguntinum archiepiscopũ rogat, ut Gotschalco sit adiumento, quò hę reditatem ipsi negatam recipiat.

Meminit Auentinus Epistolæ cuiusdam Hattonis & aliorum quinq; Boioariæ episcoporum. ea occasione ad Ioannem x Romanum pontificem Moraui à Boiorum episcopis, sub quorum iurisdictione hactenus fuerant, post Arnulphi obitum se auellere conabãtur: quare per legatos apud Ioannẽ Romanũ pontificem grauiter eos accusant, quòd scilicet fœdus cũ Hũgaris, Christianę religionis hostibus, inierint, ac ut Italiã uastent allexerint: deniq; etiam pecunia se à Boiorum episcoporum iugo apud Romanos redimunt. Itaq; Hatto Moguntinus, ac quinq; Boiorũ pontifices, Ioanni Romano pontifici per literas conqueruntur, falso & præter meritũ à Morauis se acculari. Ipsum præterea Iohannẽ ob uitam turpẽ, ac pœnis ce indignissimam, liberè & apertè reprehẽdũt, & ut Morauos mendaciorũ præcones sua autoritate reprimat, hortãtur: ac nisi Boiorum præfectis & episcopis parêre uelint, anathematis fulmine eos cogat. libro 4 Annalium.

Magna præterea ipsi, cum adhuc abbatẽ apud Fuldenses ageret, intercessit familiaritas cum Angilberto Mediolanensi episcopo. Crebris enim literis se mutuò compellarũt: ut testatur Thioto abbas Fuldẽsis, in epistola ad Dadonem Mediolanensem.

Ob perfidiam, ac magnis uiris structas insidias, celebris est apud autores. qua de re suis in locis diximus. Hatto uidens dolos suos ex uoto sibi non successisse, mœrori & luctui se dat, ac paulo pòst uita fungitur, anno Christi 913, cum præfuisset Moguntinæ sedi annis uiginti & uno: ut Vuitichindus, Sigebertus, Cranzius in Metropoli libro secundo, capite 25: & libro 3, capite 4 testantur. Hermannus Gigas & Schedelius scribũt, quòd fulmine cœli ictus interierit, ac in Æthnæ montis uoragines à dæmonibus præcipitatus sit, hac uoce in aere resonante:

*Sic peccata lues, sicq; ruendo rues.*

### HERIGERVS.

Post Hattonem Herigerus (uel Hurgerius, iuxta Marianum Scotum) uir pius & modestus, Moguntinam ecclesiam administrãdam suscepit, anno Domini 913. Is Heinrico, in regem unanimi procerum cõsensu electo, unctionem & diadema Imperatorium obtulit: quæ tamen Imperator suscipere detrectauit, ut Vuitichindus testis est. Completis in pontificatu annis duodecim, sponte ijs se honoribus abdicauit, ac sexto anno post mortẽ obijt: ut Bruschius de Episcopis Germaniæ autor est.

### HILDEBERTVS.

Successorem in Moguntina ecclesia Herigerus habuit Hildebertum (qui & Hildebrandus

brandus, teste Bruschio, dictus est) fratrem Eberhardi ducis, & Conradi Romanorum regis: ut Lazius lib. 3 de Migrationibus gentium annotat.

In monasterio Fuldensi à primis annis educatus Hildebertus, monasticis studijs ibidem imbutus est, in quibus admodum feliciter profecit. Nam sapientia omnibus admiranda, uitæ integritas, ac sacrarũ literarum scientia præ cæteris adeò in eo effulsit, ut omnium iudicio, qui mortuo Haithoni succederet, dignus censeretur. factus que est abbas Fuldensis anno 923. Eam functionem cum fideliter annis quinque administrasset, Moguntiacæ sedis gubernationem suscepit.

Otthone autẽ ad imperiũ electo, Coloniensis & Treuirensis episcopi de noui regis inunctione inter se contendunt. At regni proceres sapienti consilio hanc litẽ dirimẽ tes, utrũq; repudiarũt, ac Hildeberto ungẽdi regẽ cõcesserunt potestatẽ: Vuitichindo lib. 2 gestorum Saxoniæ, & Trithemio in Hirsaugiensi Chronico, testantibus.

Dono prophetiæ eũ ornatũ fuisse, ijdem quidem referunt autores: nihil tamen certi exprimunt.

Cũ Mogũtinã ecclesiã annis 14. rexisset, ex hac decessit uita, anno Christi 939: ut Trithemius annotat. Legitur designatus Romanus pontifex, sed citius rebus humanis euocatus, quàm Romam migraret: ut Bruschius habet.

## FRIDERICVS.

Hildeberto defuncto in Moguntina cathedra, Fridericus Antichristi superstitionũ amans, ac fidei probatissimæ uir (teste Vuitichindo) surrogatur.

Nã in occisi fratris Eberhardi memoriã, apud Moguntinos S. Petri cœnobiũ extrui curauit: ut Trithemius in Chronico Hirsaugiensi scribit.

Arma uerò & militaria negocia, in primis ei curæ fuisse, inde cõijcere licet: quòd Otthoni ad bella eunti semper adfuit, cuius tamen fidem sæpe fefellit. Nam cum Imperator Brisaco Alsatię oppido admouisset exercitũ, plurimos in suo comitatu habuit episcopos, inter quos nõ postremo loco habebatur Fridericus Moguntinus. Is (erat enim alieno ab Imperatore animo, quod egregiè tamẽ dissimulare norat) cęteris suę fatinę hominib. autor fuit, ut deserto Imperatore, noctu motis castris clàm aufugerint, & ad sua redierint. At Fridericus, ne quo cõsilio id factũ qs suspicaretur, cũ Imperatore in castris aliquãdiu substitit. Interim uerò Eberhardus & Giselbertus Imperatoris hostes, quorũ partib. clàm fauebat Fridericus, pereũt. Eberhard. in prælio cadit, Giselbertus uerò ex pugna fugiẽs Rheno submergitur. Ante hãc tamẽ cladẽ Fridericus, quem diu iam presserat, erga Imperatorem animum perfidum prodidit, ac se quoque ex castris subduxit, relicto Imperatore ad Brisacum, & citato pede Mentensem urbẽ petijt. Conuenerat enim inter ipsum & Heinricum Otthonis fratrem, militẽ isthic scribere contra Imperatorem. Porrò audita in itinere cõfœderatorum nece, adeò in angustum cogitur pontifex, ut quid consilij capiat ignoret: attamen Imperatori, quamuis destitutus erat episcoporũ subsidio, nõ minor fuit uirtus & animus hostibus occurrendi. Postposita itaq; Alsatiæ uastatione, Franciam ferro & igni sub iugum suum redigit. Moguntini ciues, sui episcopi in Imperatorem perfidia cognita perterriti, ac regis offensam metuentes, episcopum suum profugum urbis ingressu prohibent. Nam pontifex corã tota ecclesia sua Moguntiæ, perceptione sacrosancti Sacramenti corporis Domini antea se purgarat: cùm quòd partibus Imperatoris minimè faueret, incusaretur: ut Reginonis Cõtinuator annotat. Imperatore autẽ Moguntiã cum exercitu contendente, episcopus fortè intercipitur, & in conspectũ eius adductus Hadamaro Fuldensi abbati custodiendus traditur. Qui initio quidẽ satis honorificè eũ tractauit: at cum literas quasdã Imperatori haud tolerãdas scripsisse eũ deprehendisset, arctiori custodia constrinxit. Tandẽ Imperatoris clementia inde dimissus, pristinę dignitatis locum recepit. Cæterùm rebus in Germania nõnihil pacatis, & cũ se in Imperatoris amicitiã rursus insinuasset Fridericus, ut Hadamaro ægrè faceret, ac suã in ulciscendo libidinẽ expleret, animo dies noctesq; uoluit. Communicato igitur clàm cũ alijs episcopis eiusmodi consilio: melius nimirum esse paucos literarũ scientia & uitæ integritate prędituos in monasterijs, quàm magnã otiosorum & fruges cõsumere natorum hominum cateruam alere: monasteriorum reformatio instituitur. ac quò postea ad maiores conuentus in ordinem redigendos facilior monasticæ prauitatis inquisitoribus esset aditus, inferiores primo loco examini subijciuntur. Sed tanta fuit Hadamari apud Imperatorẽ autoritas, ut omni successu Reformatores illi frustrati, hoc labore supersedere cogerẽtur: ut Luitprandus, Vuitichindus & Vrspergensis annotant.

Imperatorẽ postea in Italiam secutus est, cum alijs Germaniæ proceribus, ibiq́ue secundis eius nuptijs cum Adelheide Burgundiæ regina interfuit: ut historia Quedlinburgensis testatur. Ludolphus uerò filius, nuptias istas non probans, comite

Friderico

Friderico Moguntino, patre inscio in Germaniam redijt. Vnde postea nouæ inter patrem & filium exortæ sunt turbæ. Nam Salueldiæ (quem funestum Concilijs locum scriptores appellant) filius contra patrem, cum principibus, inter quos & Moguntinus præsul fuit, fœdus inijt, ac cum copijs episcopo duce Moguntiam intrauit. Episcopus uerò Brisacum, belli euentum ibi quasi de longè spectaturus, concedit. Imperator in Germaniam reuersus, Mogunto exercitum suum admouet, eamque acriter oppugnat: sed ciuium fortitudine ab oppugnatione propellitur. Filius tandem suis etiam uiribus diffidens, noctu excedens Mogunto, Ratisbonam pergit, quem pater eò usque insequitur: ac ciues fame & ferro ad deditionem, & filium, ut supplex ueniam petat cogit. Inter hosce motus Fridericus Moguntinus uita fungitur, cum pontificatui præfuisset annis ferè quindecim, circiter annum Christi 954: ut Vuitichindus, Sigebertus & Vrspergensis testantur. Hæc aliquanto prolixius hoc in loco repetere uoluimus, ut extaret næuus Antichristi, quantopere episcopi regnum Christi spirituale, cui præfecti erant, in mundanum conuerterint.

VVILHELMVS.

Post Fridericum, ecclesiæ Moguntinæ gubernationem Vuilhelmus, Otthonis Imperatoris ex Editha Angliæ regina filius, suscepit. Ab Arnstadensi autem episcopatu eò translatum eum esse, ex uerbis ipsius, quæ Marianus Scotus & Trithemius in Chronico Hirsaugiensi in hunc modum referunt, constat. Anno Dominicæ incarnationis 954, indictione 12, beatæ memoriæ Dominus Fridericus, sanctæ Moguntiacensis ecclesię archiepiscopus, 8 Calend. Nouembris obijt. Eodem uerò anno ego Guilielmus tantæ successionis indignus, loco eius, cum consensu cleri & populi eiusdem sanctæ sedis, 16 calend. Ianuarij, in loco Aranstedi sum electus, & 9 Calendis Ianuarij Moguntiæ ordinatus.

Huius præsulis consilio Adelbertus monachus (quamuis non uerbi propagandi, sed potius ægrè faciendi studio id fiebat) Rutsis destinatur episcopus. Sed postea eundem ob infelices suæ prædicationis successus inde redeuntem, familiariter suscepit, ac plurima beneuolentiæ officia exhibuit: ut Reginonis continuator habet.

Ob prudentiam in rebus administrandis, & comitatem erga quosuis celebratur. Ottho etiam pater, cum in Italiam contra Berengarium uocatus contenderet, omnem Francici regni gubernationem, & filiolum Otthonem, eius curæ commisit. Quem cum pater postea Romam, regem ordinandum, per legatos accersiret, ipse pontifex regio comitatu eò deduxit: ut Schafnaburgensis autor est.

Eam prouinciam cum annis 14 administrasset, mortem obijt: iuxta Sigebertum, anno Christi 968.

HATTO.

Hatto, cognomento Bonosus, cum Fuldensium monachorum cœtui per duodecim annos non sine magna laude præfuisset, in Moguntina sede defuncto Vuilhelmo surrogatus est.

In pauperes crudelem fuisse, hæc plurimorum de ipso narratio testatur. Nam tantis temporis ingentem eleemosynas petentium mendicorum copiam, in horreum quoddam amplum, quasi sua liberalitate eos alturus, concluisse dicitur: ac igne subiecto, eos concremari iussisse. Horum cum in ipsis flammis ululatus audirentur, mures esse dixit episcopus: sed tertio pontificatus sui anno diuina eum ultio oppressit. Murium enim turba impetu in eum facto, tantis eum molestijs affecit, ut nusquam ei tutus ab ipsorum morsibus daretur locus, quantumuis munitus. Turrim denique in ipso Rheni flumine extruxit, ibi seliberum fore sperans. At bestiolæ illæ transnatando Rhenum (mirabile dictu) turrim conscenderunt, ipsumque episcopum suis morsibus enecuerunt. Pontificis quoque nomen, parietibus & chartis inscriptum, diuina ultione abraserunt. Multis hæc quidem fabulosa habentur: at turris illa, cui à muribus nomen est, in hunc usque diem in Rheni flumine cõspicitur, ac de tãta episcopi immanitate testimonium dicit: ut Honorius in Floribus, Martinus in Chronico, & Trithemius de rebus Hirsaugiensium referunt: Anno Christi noningentesimo septuagesimo, iuxta Marianum Scotum, & Schafnaburgensem.

RVBERTVS.

Rubertus Dung, cum Moguntinæ sedi post Hattonem annis sex, uitæ & morum honestate præfuisset, uita functus, successori locum dedit: ut Marianus Scotus & Schafnaburgensis de eo scribunt.

VILLEGISVS.

Villegisus, quem Hermannus Cigas Vuihelmum uocat, humili loco, patre rhedario in Saxoniæ pago Stromingo natus, Ruberto anno 976 successit.

Hic uirtute & prudentia adeò in iuuenili ætate excelluit, ut ab Imperatore Otthone, ad diaconi officium in aula euheretur: quam prouinciam adeò fideliter administrauit, ut clandestinis, & maximè seriis deinceps adhiberetur in aula, de regno admini-

administrando consultationibus: imò filiũ Othonem III eius fidei & disciplinæ Imperator tradidit. In ijs omnibus, cum plurimarum uirtutum specimen edidisset præclarum, eiusq; laus in omnium ore uersaretur, Moguntinæ sedi magno omnium cum applausu datus est episcopus.

Diuini cultus, qualis tunc quidem in usu erat, maximè studiosus fuit, eumq; pro uiribus ampliare contendit sedulò. plurimorum enim monasteriorum & templorum architectus extitit. Statim, postquam ad eos honores cõscendisset, duo monasteria, alterũ in honorem Martini, alterum uerò S. Stephani extruxit. In mõte etiã S. Disbodi, uel Hattonis uel Ruberti incuria collapsum, Dei cultũ restituit, canonicis in eum locũ introductis. S. Victoris quoq; cœnobiũ extra Moguntiam, cùm ædificiorum, tum bonorum amplitudine illustrauit. Ac denique ecclesijs ditandis, bonisque hinc inde acquirendis intentus fuit: Mariano Scoto & Trithemio in Hirsaugiensi Chronico testantibus. Maius autem templum Moguntiæ à Vuillegiso extructum, ipso consecrationis die igne conflagrauit. Schafnaburgensis.

Tunilanensem, uel Dorlonensem quoque ecclesiam, Vigero eius ditionis domino & comite rogãte, dedicauit. Quam paulo pòst idem comes, cum omnibus reditibus S. Martino apud Moguntiam testamento legauit: ut Marianus Scotus indicat. Halberstadiam ad ecclesiæ maioris consecrationem anno 992 accersitus, sacræ illi actioni interesse non detrectauit: ut habet Quedlinburgensis historia.

Magni nominis & autoritatis uirum apud omnes hominum status fuisse, argumento est, quòd post Otthonis II obitum, cum filius eiusdem, qui patri succedere à regni proceribus iussus erat, sed tamen ratione ætatis, ad tantam negociorum moles minus erat aptus: totius Romani imperij curam & administrationem sustinere, ipsumq; Otthonem III regem inungere cogitur. Trithemius.

Primus etiam in Moguntina ecclesia hanc dignitatem & accepit, & postea ea usus est: quòd cum cæteris Electoribus ordinarijs, iuxta Otthonis constitutionẽ, Hẽricum Claudum Romanum Imperatorem elegit, constituit, ac consecrauit.

Vt autem conditionem suam perpetua tenere memoria liceret, in parietibus fui oratorij rotas depinxit ac suspendit, hac in scriptione: Vuillegise, prioris tuæ fortunæ memor, qui nunc sis considera. Nemini autem aditus in conclaue illud patebat: unde grandem ibi thesaurum reconditum teneri, plurimi suspicati sunt. Intromissus aũt aliquando Heinricus Claudus Imperator, nihil præter rotas & literas pictas uidit: idque in uulgus postea sparsit, ac ut pontifices Moguntini prioribus insignibus duas rotas adijciant sanxit: ut Nauclerus, Hermãnus Gigas, & Bruschius de Episcopatibus annotant.

Mortuus est autem archiepiscopus anno pontificatus sui 36, qui fuit Christi 1011, & in S. Stephani æde ab ipso extructa terræ mandatus. Idem.

### RVODBERTVS DIACONVS.

Heinricus frater Otthonis Imperatoris, Ruodberti Moguntinensis ecclesiæ diaconi opera, ex custodia, qua propter rebellionem in Ingelheim detinebatur, elapsus, Francofordiæ fratri Imperatori natalem Domini celebranti, ad genua prouolutus, ueniam petit: teste Reginonis Cõtinuatore.

## CVRIENSES.

### VVALDO.

Vualdo Curiensis episcopus, anno 949 in uiuis esse desijt: teste Reginonis Continuatore.

### HARDBERTVS.

Hardbertus, Vualdonis in Curiensi episcopatu iuxta eundem Cõtinuatorem successor, unà cum Augustano episcopo, Otthone Imperatore, & filio eius Ludolpho, utrinq; in acie stantibus, iam iamq; parricidiali manu prælium committere in animo habentibus, ultrò citroque commeat, sursum & deorsum cursitat: ac ut tantis cladibus, & sanguine cognato trucidando abstineant, utriusque aciei milites hortatur, & hac ratione utrosq; in officio continet: ut Auentinus lib. 4 Annalium scribit. Anno suæ gubernationis uicesimo primo, qui fuit Christi 969, in uiuis esse desijt. Bruschius.

### HVLDBOLDVS.

Huldboldo, qui post Hardbertum Curiensem sedem tenuit, & omnibus successoribus eius, telonium ad pontem Clauennę perpetuò tenendum concesit Ottho secundus. Anno 988, mortem obijt: teste Bruschio.

### VVALDO ALIVS.

*Heinricus.*

Temporibus Vualdonis, qui Huldboldum secutus est, Ottho III totam ciuitatem Clauennam sub Curiensis ecclesiæ iure ac potestate esse præcepit: ut Bruschius annotat. Vualdoni anno 995 defuncto surrogatur Heinricus, cuius breue admodum in ea functione fuit curriculum, iuxta eundem.

## RVBILOCENSES, SIVE Eichstadenses.

### VLFRIDVS.

Post Erchenuualdum, Vlfridus à clero Eichstadensi surrogatur episcopus, quam prouinciã annis 31 tenuit: ac quia Ludouico tertio, Cõrado primo & Heinrico Aucupi, Romanorũ Imperatoribus charus erat, multa suæ ecclesiæ priuilegia ab eis impetrauit. Idem, cum propter morbum Dingelfingensi Synodo interesse non posset, legatos suos eò misit: ut Auentinus libro quarto annalium testatur. Obijt anno Christi 933, Calendis Ianuarij. Bruschius.

### STARCHANDVS.

Vlfridum sequitur Starchandus in eadem sede. Is omnibus bonis, præsertim S. Vlrico Augustano, propter uirtutum in ipso elucentium chorum, gratus & charus fuit. Ecclesiæ etiam commodis & utilitati, tota eius administratio seruijt. Otthonem primum Hungaros bello petentem secutus est: & ad Lycum fluuium, ubi Imperator eos cæcidit, in pugna occubuit: ut Auentinus libro quinto Annalium refert. Bruschius, in hostium manus eum ueniisse, & ab ijsdem in Lyco flumine submersum scribit: idque factum est anno 965. cuius exuuias Vlricus episcopus Eichstadium ferri, ibique honorificè terræ mandari curauit. Peractis amici exequijs, cum iam ad suos rediret Vlricus, & ad Altorf, locum eminentiorem, ex quo totam Eichstetensem ciuitatem intueri poterat, conscendisset, uersa ad urbem facie, dixit: Vale S. Vuilibalde, uale uir sancte. Iuxta te enim, hominem in hac terra mihi amicissimum sepeliui, nunquam posthac Eichstadium uisurus. Vale, uale.

### REGINOLDVS.

Reginoldus trium linguarum, & Musices, aliarumque artium peritia insignis, Otthonis autoritate post Starchandum Eichstadensi potitur episcopatu.

Sanctorum Nicolai, Blasij, Vuilibaldi ac Vuunibaldi fratrum, uitas eum scripsisse, Bruschius de episcopatibus Germaniæ testatur.

Eius gubernatio Ecclesiastica apud omnes laudem merebatur: multorumque liberalitatem, huius pontificis gratia, ecclesia Eichstadensis experta est. Nam à tribus Otthonibus sibi in Imperio subsequentibus, haud uulgaribus immunitatibus, præter cæteras quas prius habuit, donata est. Iudittha etiam, Gisberti Lotharingiæ ducis filia, Bertoldi comitis coniunx, Bergæ monialium uirginum duobus ab Eichstadio miliaribus, cœnobium magnificè extruxit: ipsamq; cathedralem ecclesiam Eichstadij, argenteis & aureis monumentis insignem, & admodum diuitem reddidit.

Anno Christi 999, episcopatus uerò sui 24, die quarto Aprilis, uitam cum morte cõmutauit. Idem.

### SARCOLOCHVS.

*Godertus.*

Cum Vdalfridus Eichstatensium episcopus, quo minus Dingelfingensi Synodo interesset, morbo prohiberetur, nuncios suos Sarcolochum & Godbertum sacrificulos, quos chorepiscopos uocant, eò misit. Auentinus lib. 4. Annalium.

## CONSTANTIENSES.

### NOTINGERVS.

Notingerus, seu Notingus, iuxta Conradum & Nauclerum: uel Notgerus, ut Flores Honorij habent, anno 919, defuncto Salomone, communi Constantiensis cleri suffragio, ex S. Galli cœnobio, ubi monasticen profitebatur, ad Ecclesiæ gubernationem uocatur.

Vir sanè doctus fuisse, ac in omni doctrinarum genere plurima scripsisse perhibetur: de quibus, in Euangelia secundum quatuor Euangelistas commentarios: cantiones quoq; nonnullas, quarum adhuc hodie in ecclesia Constantiensi usus est: ac tropicos uersus, ad posteros uenisse, Honorius & Bruschius testantur.

Commissam sibi prouinciam tanta fidelitate & fructu administrauit, ut peractis eius exequijs, Huldericus Augustanus integrum triduum festum agi, ac preces ad Deũ fieri præceperit: ut eiusmodi præsulem, qualis hic fuerit, suę Ecclesię largiri uelit. Obijt autem anno Domini 935: regiminis uerò sui decimoquinto. Idem.

### CONRADVS.

Conradus comes de Altorf, ex illustri genere Guelforum natus (ut Nauclerus scribit) Notingeri domestica consuetudine & institutione fideli, à teneris annis familiariter usus est. Post præceptoris uerò sui obitum, S. Huldrichi & cleri Constantiensis uoluntate, eiusdem Ecclesiæ gubernationem suscipere iubetur.

Omne patrimonium, quod habuit amplissimum, in ædificiorum splendorem expendit. Varia enim templa, S. Iohannis, Pauli, Mauricij, pauperum quoq; & adjacta sancta peregrinãtium domicilia, de suo extruxit. Ex terra Sancta, quam uisendi gratia petierat, tertia uice reuersus, sepulchrũ Domini in Constantiensi æde, quod Hierosolymitani illius formam ad amussim referret, adornari fecit: ut Bruschius & Schedelius indicant.

Miraculis

Miraculis etiam clarum fuisse, ex Naucleo & Schedelio uidere est: qui in lacu Acronio siccis ipsum pedibus ambulasse, & in altari, cum Missam celebraret, cum uino araneam in calicem delapsam, sine ullo ualetudinis detrimento ebibisse scribunt. Episcopatum tenuit annis quadraginta duobus. Mortem obijt anno Domini 976. Sub dio iuxta Mauricij templum, ut petierat, sepultus.

GAMINOLPHVS.

Conradi defuncti sedem accepit Gaminolphus: sed & ipse quarto sui pontificatus anno uita functus, successori locum dedit.

GEBHARDVS.

Gebhardus Vthonis comitis de Bregẽtz filius, qui ex aluo matris partus doloribus extinctæ, exectus fuerat, homo doctus & facundus, Gaminolpho in Constantiensi sede surrogatur. Is sedulus Baalismi fuit propagator. Monasterium enim Petershusium quinquennij spacio à se confectum Benedictinis monachis repleuit. Constantiensi ecclesiæ plurima de suis bonis est elargitus. Zurzachij, sui patrimonij subsidio primariam extruxit ædem: ac quæ ad liberalem Deo ibi seruientium sustentationem sufficerent, benignè prospexit. Obijt anno Domini 996, cum præfuisset Ecclesiæ annis 16: ut Bruschius & Hermannus Contractus referunt. Corpus eius in nouo Petershusij templo cum tali epitaphio reconditum est:

*Debita pars terræ fallentia tempora sperne,*
*Et memorare uiæ, quam testatur cinis iste.*
*Gentis honos nostræ iacet hic, gentis dolor atq;:*
*Præfuit hic urbi, cuncto sed profuit orbi.*
*Hæc q; Deo sedem templi fundauit, & ædem.*
*Parti terrenæ Deus ignoscens miserere:*
*Redde uicem iustè, quia te dilexerat iste.*

## ARGENTINENSES.

BALDRAMVS.

Baldram, Boius natione, uir probitatis & religionis studiosus, Reginhardo successit, ordine uigesimusquartus episcopus. Dissidium inter ipsum & Argentoratenses obortum fuisse, quòd Ludouicus ex Frãcia pedem in Germaniam referens, dissentientibus animis in gratiã redactis, diremerit: Auentinus lib. 4 Annalium scribit. uerùm causas dissensionum non exprimit. Episcopatum tenuit annis undecim. Obijt anno 906. ut Continuator Reginonis, & Bruschius de Episcopatibus testantur.

OTBERTVS.

Arigerion & Berchtoldus duces, aduersus Conradum regem Sueuiam suo iugo subijcere contendentes, in eius partium episcopos immaniter sæuiunt. A quibus Otbertus Argentoratensis, Baldrami successor, ferro necatur: teste Auentino libro 4 Annalium. Verùm Bruschius de Episcopatib. diuersum annotat. Scribit enim, Otbertum in arce Rotenburgensi, quo se ob crudelitatem Argentinẽsium abdere compulsus fuerat, à duobus sicarijs mercede ad hoc facinus perpetrandum conductis, interfectum esse, anno Christi 913, cum sedem tenuisset annis septem.

GOTFRIDVS.

Gotfridus, Caroli Crassi ex sorore nepos, mense secũdo postquam Otberto successerat, in uiuis esse desijt: ut Bruschius de Episcopatibus indicat.

RICHVVINVS.

Richuuinus frater Reineri ducis Arduẽnæ & Vuestrasiæ (Lazio teste) post Gotfridum in præsulem Argentinensem consecratur, uir pietate & eruditione insignis. Collegium Thomense intra mœnia Argentinæ, bonis auxisse scribitur à Bruschio. Obijt anno sui præsulatus decimo quinto, Christi 928.

RVTHARDVS.

Ruthardus natione Sueuus, Richuuini successor, Imperatori Otthoni, Brisacum oppidum Alsatiæ armato milite cingenti, præstò fuit. Verùm noctu Imperatore desertо, tentorijs & sarcinis relictis, clàm cum cæteris episcopis aufugit: seque Giselberto & Euerhardo, qui contra Imperatorem in armis erant, adiunxit. Imperator deuictis hostibus, in perfidos animaduertit episcopos, ac Ruthardum in Corbeiense cœnobium ad Saxones exulatum mittit. Inde post undecimum annum Imperatoris fauore liberatus, in pristinum honoris locum restitutus est. Obijt anno Domini 950: ut Vuitichindus, Cuspinianus & Reginonis continuator indicant.

VTHO.

Vtho, patre Franciæ quodam comite Vthone, qui Hermanni Sueuiæ ducis ex fratre nepos erat, natus, Ruthardi locum accepit. Hunc literarum amantem fuisse inde apparet, quòd magna cura & diligentia libros hinc inde conquiri & comportari iusserit, qui adhuc hodie in bibliotheca Argentinensi asseruantur. Biennio antequam ex hac uita decederet, propter negociorum onus, collegam Erchenbaldum assumpsit: ut ex Bruschio uidere est. Obijt anno Christi 965, cum tenuisset sedem illam annis decem & quinq;.

ERCHANBALDVS.

Erchanbaldus pijs ac honestis quidẽ, sed

uilioris conditionis parentibus natus, ad Ecclesiæ gubernationem adscitus ab Vthone (ut diximus) post obitum eius, sedi omnium ore præesse iubetur. Hic uitas aliquot suorum antecessorum, haud ineleganti carmine descripsit. Obijt anno nongentesimo sextagesimooctauo, teste Bruschio.

BALDVS.

Erchanbaldus, in Argentinẽsis ecclesiæ administratione Baldũ quendã, hominem deuotũ & probũ, successorem habuit: qui post duodecimum administratæ prouincię annum in uiuis esse desijt.

VVILDEROLPHVS.

Vuilderolpho Baldi successori, Ottho II totius Alsatiæ administrationem, cũ ipse in Italiam iret, commisit, anno Christi 980. Post quintum ab hoc tempore annum, Seltzense cœnobium ad littus Rheni consecrauit. Anno põtificatus sui 17, qui fuit Christi 997, à muribus absumptus dicitur: Bruschio teste.

ALEVICVS.

Aleuicus, monachus doctus & pius, Otthonis tertij autoritate, Augiensis abbas constituitur, anno 997. Sed eodem anno per eundem Imperatorem ad Argentoratẽsem episcopatũ, Gregorio V Romano Pontifice eũ consecrante, promouetur: ut Hermannus Contractus & Bruschius scribunt.

## SPIRENSES.

EVERHARDVS.

Euerhardus, quem Auentinus Ænardũ uocat, ex Vueissenburgensi cœnobio ad Spirensem episcopatum, post Amelricum, anno 894 accessit. Verùm anno pontificatus sui decimo octauo, qui erat Christi 913, ab Arigerione & Berchtoldo fratribus, Sueuiam aduersus regem Conradum in suam potestatem armis redigere conantibus, oculis, eo quòd partium Conradi esset, priuatur: ut Auentinus lib. 4 Annaliũ, & Bruschius annotant.

ALMERICVS.

Almericus trium Imperatorum, Conradi, Heinrici Aucupis, & Otthonis Magni temporibus, quibus & sanguinis propinquate iunctus fuit, Spirensi præfuit ecclesiæ: cui uel amplificandæ uel exornandæ nunquã suo studio defuit. Cũ tenuisset illã sedem annis 31, uita functus est, anno 943.

REGINBALDVS.

Reginbaldus Hirsaugiensis cœnobij monachus, Sacrarum literarum scientia excellens, & pia ac honesta conuersatione insignis, iussu Otthonis magni, Spirensis creatur episcopus. Gratus etiam fuit Conrado Sapienti, qui telonia aliquot, tributa & decimas ei donauit: ac potestatem argentũ cudendi, Ottone id comprobante, concessit. Præfuit Ecclesiæ suæ annis 15, Obijt anno 958.

GOTFRIDVS.

Ex monasterio Vueissenburgensi Gotfridus productus, ac in Reginbaldi locũ à clero Spirensi surrogatus episcopus, apud omnes tam infimæ quàm summæ sortis homines plurimùm gratia & autoritate ualebat: sed breue admodũ eius fuit curriculum. decimoquinto enim mense ab electione, in uiuis esse desijt, anno 960: Continuatore Reginonis, & Bruschio referẽtib.

OTGERVS.

Otgerus doctrina, prudentia & facundia excellens, ob singularem in negocijs expediendis industriam & felicitatem, Otthoni Magno à consilijs erat. Verùm splendidarum aulæ molestiarum pertæsus, in Hornbachense cœnobium, suę tranquillitati & ocio cõsulens, se abdidit. Ibi cũ aliquãdiu delituisset, Ottho ad Spirensis ecclesiæ clauũ, defuncto Gotfrido, eum sedere iussit. cum autem summam omnium rerum ferret ei haberet Imperator, à suo latere nunquam eum discedere passus est. In Italiam itaque contra Berengarium abiens, suo in comitatu eum deduxit. Romæ, contra Iohannem pontificem, nullo non turpitudinis genere infamem, Synodo celebrata, eius de cathedra Romana deiectionem, & Leonis successionem, suo iuuit suffragio. Iohannes dignitate sua exutus, ijs quorum autoritate præcipuè res acta ipsi uidebatur, clàm insidias struxit. In primis uerò Otgarius, quem gratia plurimùm apud Imperatorem ualere sciebat, ipsi suspectus erat. Eũ itaque fortè captum, flagris & uirgis cædidum suis satellitibus tradidit, posteà in uincula coniecit: inde eum dimittere prius noluit, quàm iuramento se obstringeret, sibi curæ hoc negocium fore, quò cum Imperatore in gratiam redire posset pontifex. Ea conditione tãdem dimissus ex uinculis Otgerus, ad Imperatorem in castra redijt. Iohannes autem paulo pòst uita functus est: ut Luithprandus, Continuator Reginonis, & Trithemius in Hirsaugiensi Chronico annotant.

Italicis motibus pacatis, Imperatorem in Germaniã pedem referentem, secutus Otgerus, ad suam ecclesiam redijt: accum se quieti iam tradidisset, suæque Ecclesiæ administrandæ operam impenderet, per legatos Romanos Imperatori Leonis Romani pontificis obitus nunciatur, qui successorem postulatum uenerant. Imperator mox Otgerum Spirensem, & Lizonem Cremonensem Romam proficisci iussit,

iussit, ut Imperatoria autoritate electionē nouū pontificis iuuarent & confirmarent. Quo negocio feliciter expedito, & Iohanne Narniensi in pontificiam sedem collocato, Otgerus ad suos redijt: ut Reginonis Cōtinuator, & Auentinus lib. 4 Annalium scribunt.

Iohanne autem Romano pontifice non multo pòst à Petro urbis præfecto in carcerem missō, Imperator ad pacādos illos motus accersitus, iterum in Italiam cum armato milite contendit, Orgero eum comitante. Quem cum ad quartum ferè annum Imperator secum in Italia detinuisset, tandem multis priuilegijs, quæ Spirensi ecclesiæ cō cessit, onustum ad suos remisit. Domum uix reuersus episcopus, in morbum incidit: quo post paucos dies expirauit, anno Christi 969.

BALDERICVS.

Vuerinbaldus, Hirsaugiensis monachus, pietate & uitæ integritate pręstans, crebris Spirensis cleri precibus ad episcopatum suscipiendum post Otgeri obitum sollicitatus, tanto se indignum iudicans honore, hoc respōnsi dedit: Si mihi animus fuisset mundi me negocijs inuoluēdi, nunquā solitariam uitam, in qua nunc uersor, appetissem: eligite uobis, quem cunq; uolueritis episcopum: ego nec possum, nec uolo etiam, hoc arduū subire munus. Quare Balderico quidam oblatam sibi prouinciam administrandam susceptit, anno 970. Is quo que tribus Otthonibus, qui eum sępius ob eximiam prudentiam, & multarum rerum experientiam, in consilia adhibuerunt, charus fuit. At sub hoc canonici Spirenses, qui arctiori disciplinæ iugo constricti fuerant, unde & Regulares dicebantur, illud excusserunt: & abiecta uita & consuetudine monastica, seculo se magis dederunt: ac distributis inter se suis reditibus, quisq; sibi de proprio domicilio & œconomia prospexit. Quorum exemplo adducti Moguntini & Vuormacienses, idem fecêre: ut Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, & Bruschius annotarunt. Obijt anno 987, cum Ecclesiam tenuisset annis decem & septem.

SVB OTTHONE III.

RVPERTVS.

Rvpertus generis nobilitate, uirtute & omnium doctrinarum scientia insignis, ex Vueissenburgensi monachorum collegio, à clero Spirēsi, Imperatore, cui grata erat Ruperti conuersatio, per literas id negocij apud clerum agente, Balderico substituitur. Huius pontificis fauore, Ottho Spirensem episcopatum Lindesheimensi oppido, cum omni sua iurisdictione donabit. Imaginem quoque Christi crucifixi, in qua uiua Imperatoris effigies sculpta erat, in eadem ecclesia suspendi fecit: Bruschio testante. Præfuit Ecclesiæ annis 18. Obijt anno 1005.

VVORMACIENSES.

SVB CONRADO PRIMO.

RICHGOVVS.

MOrtuo Diethlaco, clerus Vuormaciēsis in electione successoris disidebat. Altera enim pars Luitherum abbatem Lorsensem expetebat. Verùm Romani prę sulis & Conradi Imperatoris autoritate, altera pars cleri Richgouum sibi dari episcopū obtinuit. triū autē Imperatorū temporibus, Conradi nimirū, Heinrici Aucupis, & Otthonis magni, quibus cū magna ei familiaritas intercesit, hac dignitate usus est. Obijt anno pōtificatus sui 36, qui erat Christi 950, ut Bruschius habet. Sepulchrum eius hoc Epitaphio insignitum est:

*Ad superos cives Richgouo pectore dives,*
*In tumulo, lapidis mole grauante, iacet.*
*Qui pastoris opus uenerandum Vuormaciani*
*Exegit, populis ergo colendus erit.*

SVB OTTHONE I.

ANNO.

ANno natione Hessus, in Treuirēsi cœnobio ad S. Maximinū studijs monasticis ab ineunte ætate imbutus, ob sacrarum & prophanarum scientiam literarum haud uulgarem, morūq; honestatē, ab Otthone primo circiter annū Christi 940, in Bergēsi monasterio iuxta Magdeburgum, abbatis munus primus obire iubetur, Trithemio in Chronico Hirsaugiensi testante. Inde post decimum annum, ob bene administratam prouinciam ad Vuormaciensem episcopatum per Imperatorem promouetur: cui pari dili gentia & fide præfuit annis 24. Apud Imperatorem gratia & fauore plurimùm ualuit, ut Bruschius habet. Obijt anno 974. In tumulo eius hanc inscriptionem uidere licet:

*Anno uir iustus, primo dilectus Othoni,*
*Ergo uirum multa concumulauit ope.*
*Anno magis regi summi sed amatus Olympi,*
*Quocirca cœli regna beata colit.*

SVB OTTHONE II, ET III.

HILDEBOLDVS.

HIldeboldus, frater germanus prædicti Annonis, Otthonis II cancellarius (ut historia Quedlinburgensis habet) uir magnæ apud omnes regni proceres autoritatis & existimationis fuit. Et quia pietatis quoq; & eruditionis laudē, qua fratre uix inferior esse putabatur, apud omnes merebatur, ab Otthone in defuncti fratris locum magno cùm populi tum cleri applausu surrogatur: munere illo, quod in aula prius gesserat, sal

uo sibi permanẽte. Nã Hildeboldus episcopus cancellarius subscripsit decreto Otthonis II, quo priuilegia monasterij S. Vincẽtij extra muros Metenses confirmantur: ut ex Metensiũ põtificũ Actis uidere licẽt. Solẽni etiã & splendidæ illi dedicationi maioris ecclesię Halberstadensis interfuisse, in historia Quedlinburgẽsi scribitur, anno Christi 993. Cũ ecclesiam Spirensem rexisset annis decem & octo, ex hac uita decessit. Exuuię eius in Newhusen delatæ, ad S. Petri altare in summa æde hac tumuli inscriptione reconditæ sunt:

*Hildeboldus amat fratri succedere charo,*
*Sicut & officio relligione pari.*
*Hassio prior natus fuerat, fuit alter & Hassio,*
*Cultores ueri firmiter ambo Dei.*

FRANCO.

Franco natione Hessus, & generis & uirtutum gloria illustris, ac Otthoni III à consilijs, Hildeboldo Spirensi, Imperatoris iudicio, ea sede non indignus succedit. Imperator autem, quòd sæpius felici eius cõsilio usus fuerat, gratitudinis & beneuolentiæ erga hunc præsulem declarandę gratia, amplissimam Lorsheimensem abbatiam, sub Spirensis episcopi iurisdictione, ab eo tempore perpetuò uoluit esse.

Cum aliquando Romæ ad Imperatorẽ, quem eò usq; secutus fuerat episcopus, in familiari colloquio diceret, animũ sibi certo mortem intra paucos dies obeundã prę sagire: quæsiuit Imperator, quem sibi successorem ea sede dignum dari expeteret. Ille, ut fratri suo Burchardo ij honores deferantur, rogauit. Quod Imperator se facturũ data fide promisit. Paulo pòst Franco, nondum tertio sui præsulatus completo anno, Romæ uita fungitur, anno 996. ibiq; cadauer eius magno omnium luctu terræ mandatur, referente Bruschio. Eius tumulo tale Epitaphium affixum est:

*Romam Franco pater cum rege meauit Otthone*
*Tertio, ubi soluit iura suprema neci.*
*Germanus sancti Burchardi qui fuit: ambo*
*Pontifices plebis Vangionensis erant.*

ERPHO.

Peractis Romæ exequijs Franconis, Otthо Imperator, ut Romano pontifici morẽ gereret, neglecto Burchardo, quẽ se substituturum fratri sanctè promiserat, Erphonẽ Spirensem episcopum cõstituit: qui die ab electione tertio, subitanea morte concidit. Corpus eius iuxta Franconem depositũ est hoc Epitaphio:

*Præsulis Erpho capit fastigia summa probati,*
*Officium moriens liquit & illud onus.*
*Tres uix ipse dies gauisus munere tali,*
*Cœlestis patriæ munera læta subit.*

RAZO.

Razo illustri familia natus, amicorum quos sue profectionis comites habebat Imperator, non postremus, cuius singularis fides ipsi sæpius probata fuerat, Roma post Erphonis obitũ Vuormaciã ab Imperatore mittitur episcopus. At hic quoq; cũ in itinere ad Curiẽsem urbẽ, die ab electione facta decimoquarto diuertisset, graui morbo prę ter omnium opinionem corripitur, quo & paulo pòst expirauit: ut Bruschius indicat. cuius in sepulchro apud Curienses tale uidere est Epitaphium:

*Pontificis baculum portauit Vuormaciani,*
*Bis septem uiuens non nisi Razo dies.*
*Razo sequẽs ternum Romam properantem Otthonẽ,*
*Qui tunc diues erat, uix modò pauper eget.*

## AVGVSTANI.

### SVB LVDOVICO III, ET Conrado Primo.

ADELBERTVS.

ADelbertus comes à Dillingẽ, monachus omni doctrinarũ genere exercitus, Musices quoq; & artis canendi scientia insignis, anno 904. Elbangensis fit abbas: post annos uerò decẽ & septem, Augustę episcopus cõsecratur. Dũ in monasterio adhuc esset, Arnulphi filium Ludouicum, qui post patrem Imperatoria dignitate potitus est, baptizauit: ac cum iam adoleuisset, in pietatis & bonarum artiũ studijs, patris iussu imbuit. Sanctus quoq; Vdalricus, huius Adelberti domestica consuetudine & institutione usus est. Cum autem totidẽ annis & episcopi munus gessisset, morte obijt, anno Christi 922: ut Bruschius autor est.

HILTINVS.

Hiltino, quem Adelbertus ob negociorum molem, ante sextum quàm ex hac uita decederet, annum sibi collegam adiunxerat, à clero totũ gubernationis onus, Adelberto mortuo, imponitur. Verùm decimo quinto mense pòst & ipse uita functus est, anno 923, ut Bruschius annotauit.

### SVB HENRICO AVCVPE.

S. HVLDRICHVS.

HVldrichus ex primaria Sueuorum nobilitate de Kiburg & Dillingẽ natus, à primis annis in cœnobio S. Galli educatus, Vuanigo monacho haud uulgariter docto, præceptore usus est: à quo, cum Grammatices & Latinæ linguæ studio, Sacrarum literarum non mediocrem intellectũ percepit. Adeò autem monachorum conuersatione delectabatur, ut nisi ab amicis prohibitus fuisset, monasticum habitũ assumere non fuisset reluctaturus: ut Schedelius scribit. A' cõsanguineis postea Adelberto Augustano, ut domestica eius cõsuetudine & cõuersatione

ne frueretur, cõmittitur: qui perspectis ingenii uiribus, ac prudentia singulari, in grauioribus negocijs obeundis eius opera usus est. Missus igitur ab eo Romam, papæ adeò suam fidem & solertiam, quam in præsenti negocio, quod sui episcopi nomine gerebat, probauit, ut in Augustana sede post Adelbertum, eum non immeritò substitui posse censeret pontifex: ut Sigeberti autor est. At Huldrichus ad suum episcopum reuersus, ne ambitionis fortè suspicionem, ob Romani de se põtificis iudicium incurreret, relicta Augusta, se ad patrios lares, ocio & tranquillitati se daturus, recepit. Anno uerò 923 defuncto Hiltino, Heinricus Imperator cognomento Auceps, ad occupandum Augustanum episcopatum eum reuocauit: ut Bruschius refert.

Cum Arnoldus Boioariæ dux dominandi libidine adductus, Heinrico Imperatori rebellaret, S. Huldricho per somnum duo gladij oblati sunt, quorum alter capulo caruit: quo significabatur Arnoldi conatus, qui contra Dei uoluntatem regnum appetebat, irritos & infelices fore: ut Nauclerus testatur.

Vngaris quoque sub Otthone Magno totam Bauariam igni ferroque uastantibus, ipsemet Huldrichus, Imperatoris castra contra hostes secutus est: qui coniunctis uiribus non tam armis, quàm ratione & consilio, hostes conciderunt: ut Phrysingensis & Nauclerus habent.

Architectum etiã egit. nam Augustanam urbẽ, quæ initiò angustis cõtinebatur limitibus, extedit: ipsumq; S. Afræ templũ, quod Vngari solo æquauerant, intra mœnia conclusit: suoq; de nomine, priori mutato, dicauit. Monasteriũ etiã uirginũ in eo loco, ubi Ottho Magnus Vngarorum fuderat exercitũ, in perpetuã rei memoriã extruxit, quod Stephani nomine dixit: eo quòd Vngarorũ rex in bello ab Otthone captus, & ab Vdalrico baptisatus, idem nomẽ accepe rit: ut Schedelius & Bruschius annotant.

Cum ad annum ætatis octogesimumtertium peruenisset, annis in episcopatu transactis quinquaginta, mortem obijt, anno noningentesimo septuagesimotertio. Funus eius Vuolffgangus Ratisponensis episcopus curauit: ut Hermannus Contractus & Bruschius testantur.

## SVB OTTHONE II.

### HEINRICVS.

HEinricus, patre Burchardo comite de Geisenhusen, matre uerò Adelheide, Otthonis ex Heinrico fratre, nepte natus, eodẽ anno quo S. Hulderichus obijt, ab Ottone Magno in episcopatu Augustano surrogatur. Sequẽti uerò anno, cũ Otto filius patri in regno succesisset, episcopus & officij, ac beneficij ab Imperatoris patre in se collati immemor, cum Henrico Bauariæ duce imperij dignitatem ambiente, contra nouum Imperatorem coniurat: qui coniunctis suis uiribus, contra eum arma capiunt. sed bello uicti, utrique in exilium abire iubentur. In gratiam postea receptus episcopus, in pristinum dignitatis locum restituitur. Secutus autem Otthonis secundi contra Saracenos castra, in Calabria inter præliandum occubuit cum pluribus alijs episcopis, & Vuernero Fuldensi abbate, ubi & Imperator ægrè hostium manibus elapsus est, anno 982: ut Hermannus Contractus & Schafnaburgensis testantur.

## SVB OTTONE III.

### ETTICHO.

POst Heinricum Ettricho comes de Altorf, illustri Guelphonum prosapia oriundus, episcopatum regendum suscepit: quẽ cum annis quinque ac sex mensibus administrasset, uita functus successori locum dedit, anno noningentesimo octuagesimo octauo: ut Bruschius refert.

### LVPOLDVS.

Lupoldus Augustanæ sedis dignitate post Ettichonem potitus, S. Huldrichum, ossibus eius autoritate Iohannis Romani pontificis è terra erutis, in deorum numerum, Ethnica prorsus & uana superstitione retulit. Templum quoque Augustanum biennio antequam ex hac uita decederet collapsum, Adelheidis Otthonis Magni relictæ uiduæ liberalitate reparauit, ac denuò in D. Virginis honorem cõsecrauit. Solenni Halberstadensis ecclesiæ dedicationi interfuisse, scribitur in historia Quedlinburgensi: obijt autem anno 996, ut Bruschius refert.

### GEBHARDVS.

Gebhardus Huldrichi temporibus in Augustana ecclesia diaconi munere funge batur: uerùm propter literarum scientiam, ad Elbangensis monasterij gubernationẽ inde auocatur. Cui cum annis octo feliciter præfuisset, ad ecclesiam Augustanam, ut episcopi loco sedeat, reuocatur: ut Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, & Bruschius annotarunt.

Vitam S. Huldrichi eum scripsisse, Bruschius testis est: sexto autem ministerij sui anno mortem obijt, Christi 1002.

## VVIRCIBVRGENSES.

### THIETO.

Post Rudolphum episcopatum Herbipolensem Thieto, monachus doctrina & prudentia insignis, suscepit, anno Christi 908: quem omniũ cum admiratione & laude, Bruschio teste, annis 24. administrauit.

Nihil tamen rerum ipsius præclarè gestarum in literas relatum est, nisi quòd summam ædem suo tempore igne crematam reparauerit. Obijt anno Christi 932, die 15 Nouembris.

BVRCHARDVS.

Burchardus Hirsfeldensis cœnobij abbas, Heinrici Aucupis consilio & uoluntate post Rudolphum duodecimus Herbipoli constituitur episcopus. Charus Otthoni quoque Imperatori fuit. Summi templi reparationem, à Thietone cœptam, strenuè perfecit. Episcopatum tenuit annis nouẽ, mensibus tribus, diebus uerò uigintitribus. Obijt anno Christi 941, ut Trithemius, Schafnaburgẽsis & Bruschius annotãt.

POPPO.

Poppo, patre natus Vuirziburgẽsi burggrauio, ab Otthone, cui sanguinis ratione iunctus erat, in locum Burchardi defuncti, in sede Herbipolensi decimustertius surrogatur episcopus. Cæteris autem beneficijs, quæ Ecclesiæ præstitit episcopus, hoc quoque annumerari debet, quòd priuilegium ab Otthone impetrauit: ut ab eo tempore clerus Herbipolensis, defuncto episcopo, ex suo cœtu successorem eligeret. Cum eidem ecclesiæ annis 19, mensibus 10 præfuisset, in comitijs Ratisponẽsibus mortẽ obijt, anno 961. Cadauer eius Herbipolin delatum, magno cleri ac populi fletu sepulturæ traditum est: ut Reginonis Continuator & Bruschius indicant.

POPPO IVNIOR.

Clerus Herbipolensis, libertate noua ab Imperatore precibus Popponis concessa, usus, Popponem iuniorem (ut eum Vrspergensis appellat) Otthonis primi ex sorore nepotem, Herbipolensem burggrauiũ, episcopum sibi elegit. Romanæ is Synodo cum plurimis alijs Germaniæ episcopis interfuit: ac Iohannis XIII deiectionem, Leonisq; successionem, suo suffragio iuuit: ut Bruschius testatur.

Otthoni II ad Imperij Romani fastigiũ euecto, Heinricus Boiorum dux dominandi cupiditate adductus rebellat, seque regem appellat: & ab Abraham Fruxinensi episcopo Reginoburgij, in D. Heimerani æde, publico & solenni ritu inungitur. Verùm Ottho procerum consilio Popponem episcopum Herbipolensem, & Gebhardũ magistrum equitum in Bauariam mittit, qui postularent ut Heinricus accepta fide publica, quàm celerrimè se ad Cæsarem conferret: ut Schafnaburgensis & Auentinus libro 5 Annalium Boiorum referunt.

Cum annis 13, mensibus 4. fideliter suam functionem administrasset, mortẽ obijt, anno Domini 984, die 24 Iulij: teste Bruschio.

HVGO.

Poppo iunior Hugonem quendam ex aula Otthonis secundi, cui à consilijs aliquandiu fuerat, successorem habuit. Pontificiæ hic religioni prorsus addictus fuit. Nam monasterium S. Andreæ à Burchardo ædificari cœptum perfecit, ac monachis Benedictis inhabitandum concessit: quin & à Benedicto V, Romanæ sedis præsule, sancti Burchardi ossa de terra effodiendi, ipsumque in diuorum catalogum referendi potestatem accepit. Ossa ad nouum monasteriũ delata, suum ei nomen, Burchardi uidelicet, mutato priori, dederunt. Anno pregulatus quinto, mense septimo, uita functus est: Christi uerò 989, die 29 Augusti: ut Bruschius scribit. Extant de eo uersiculi:

*Hic præsul sapiens, cunctis fuerat benè gratus:*
*Singula prospiciens, constans, prudens, oculatus.*
*Tunc desolatum claustrum sub monte locatum,*
*Rebus & orbatum, disciplina uiduatum*
*Ipse reformauit, multisq; bonis releuauit:*
*Censum ditauit, cultumq; Dei renouauit.*
*Sacrum corpus cò tulit à tellure leuatum,*
*Auxiliante Deo, Burchardi clarificatum:*
*Festaq; translati iubet omnia concelebrari,*
*Claustri præfati loculumq; perrenne uocari.*
*Illic constituit tunc fratres sub monachatu,*
*Et sic instituit ut uiuant absq; reatu.*

BERNHARDVS.

Bernhardus, quem alij & Beronowum dum uocant, comes à Rotenburga ad Duberum, decimusseptimus Herbipoli episcopus, post Hugonem designatus est. Venerat is ex Parisiensi schola sub Lupoldo abbate, circa annum Domini 983, ad cœnobium Hirsaugiense, in monachorũ catalogũ se scribi petẽs. ibi cũ aliquãdiu cõmoratus esset, ac monachicas artes imbibisset, à Lupoldo Herbipolin ad S. Burchardi monasteriũ, nuper ab Hugone extructũ, & nũc monachis replendũ mittitur. in eo uitæ genere tum doctrina, tũ uitæ sanctitate adeò excelluit, ut sede episcopali, omnium sanorum iudicio non indignus, defuncto iam Hugone censeretur: cui & succedere, ac Frãcorum simul ducatum administrare (ut Lazius annotat) iussus est. Intra mœnia Herbipolis sacellum quoddam S. Chiliani, suis & fratris Einhardi comitis sumptibus, in magnificum extruxit templum, amplissimisque reditibus ditauit: quod in hodiernum usque diem à nouitate retinuit nomen, ut Bruschius habet. Anno 995 ab Ottone II Constãtinopolin missus, pro Theophania coniuge, in itinere in insula Eubœa defecit. ac in monasterio, quod Policarpa dicitur, sepulturæ traditus est: ut Marianus Scotus, Historia Quedlinburgensis & Lazius testantur.

## SVB HEINRICO I.

### VVIGFRIDVS.

HErmanno defuncto, Vuigfridus Colonienſi præficitur ſedi: quã cũ annis uiginti nouem, iuxta uitas Colonienſium, adminiſtraſſet, uita functus eſt.

## SVB OTTHONE I.

### BRVNO.

BRuno, Otthonis Magni frater germanus, quarto ætatis anno, Baldrico Traiectẽſium epiſcopo erudiendus traditur: ubi cũ primæ Grãmatices rudimenta mediocriter percepiſſet, Prudentium legere à præceptore iuſſus eſt: cuius carmen adeò ei arriſit, ut autoris lectione exaturari non poſſet. Reliquorum præterea poetarum, hiſtoricorũ, philoſophorum, ac ſacrarum literarum lectione non minus delectabatur. Nullũ denique erat liberaliũ ſtudiorum genus, uel in Latina uel Græca lingua, quod ipſius ingenij captũ excederet. Ob tam felices ſtudiorum progreſſus, & prudentię opinionẽ, quę in eo eximia erat, ab Otthone Magno adhuc adoleſcens è ſcholis in aulam uocatus, tantum pietatis, ſapientiæ & iuſticiæ ſpecimen edidit, ut quaſi uiuum illarum uirtutũ exemplar in ipſo intueri liceret.

Defuncto uerò Vuigfrido, plebs Colonię ſuis ſolatio deſtituta (omnia enim in Occidentis partibus tum bello ardebant) Brunonem magnatum & cleri conſilio ſibi deligit epiſcopum. Mittuntur itaq; ad aulam Imperatoris, ex ſanctiſsimo ſenatu quatuor ſummi uiri, totidemque laici, quorũ dexteritas & fides plebi perſpecta erat, poſtulatum ſibi Brunonẽ epiſcopum dari. Imperator precibus eorum annuens, cum Colonienſi ſede, Lotharingię quoq; ducatum eius fidei & curæ ſuæ autoritate cõceſſit: quam à latronum tyrannide liberatam, adeo legibus conſtrinxit, ut ſumma ratio, ſummaque pax illis in partibus locum tenerent: eumq; pontificis (inquit Vuitichindus) ſummi, ac ducis magni uidimus officium gerentem. ac ne quis eum culpabilem ſuper hoc dixerit: cum Samuelem ſanctum, & alios plures, ſacerdotes pariter legamus, & iudices. Vuitichindus lib. 1 & 2. geſtorum Saxoniæ.

Synodicam ſuam epiſtolã per Hadamarum Fuldenſem abbatẽ Romã miſit ad Agapetũ papã, in qua & fidei & electionis rediditionẽ: appellatusq; eſt in Romana curia, Conſors & cõciuis Apoſtolorũ, principeps ac propagator Domini præceptorum. Hadamarus Roma diſcedens, pallium Bruno ni offerendum à pontifice accipit: ut Rogerius in uita eius ſcribit.

Diuini cultus, qualis hoc quidem ſeculo in uſu fuit, & diſciplinæ ſtrenuus fuit propagator & exactor. Plurimos enim Normannorum in ipſius prouincia paſsim uagantium, Holſatos, Danos, Nortalbingos, & Dithmarſos, Chriſtianæ religionis & imperij iugo colla ſubmittere coegit: ut Cranzius in Saxonia libri tertij capite duodecimo, & Heinricus de Erfordia, teſtantur.

Diuerſitatem quoq; ſacra peragendi, in tota ſua prouincia correxit, ac ut eadem ubique eſſet ratio conſtituit. Luxum quoque ueſtium, tam apud clerum quàm plebem cohercuit, ſuo exemplo eis pręeundo. Nam molles & delicatiores ueſtes, quibus pro regia dignitate ab ineunte quidem ætate uſus fuerat, mutauit: ac inter ſatellites auro gemmisq; nitentes, ipſe uiliori ueſte indutus inceſsit.

Monaſteriorum præterea & reliquiarũ curã nõ poſtrema ipſi fuit. Morum enim in cœnobijs degentium cenſor extitit acris, acignauum fucos pecus à præſepibus (ut loqui ſolebat) abigi præcepit. Ipſa etiam ædificia uetuſtate ruinam minitantia, repararuit: nouaq; templa & monaſteria extruxit, inter quæ Pantaleonis maximè inſigne fuit: eaq; ampliſsimis donis ac putridis ſanctorum oſsibus, ſuo ſtudio Roma Coloniã uſq; translatis, ornauit: ut Sigebertus & Rogerius in uita eius ſcribunt. O præclara in tanto uiro pietatis teſtimonia.

Porrò Ragineriũ comitem Montenſem, eo quòd bellorum tuba exiſteret, apud Valentianas captum, & perpetuo exilio damnatum à Brunone Agrippinẽſi archiepiſcopo, ac Lotharingiæ duce, Sigebertus refert.

Nec prętereundum nobis hoc in loco eſt, quod Auentinus annotat: hunc Brunonem archiepiſcopum, fratris Auguſti fretũ autoritate, inter primos fuiſſe, qui Reipublicæ munia obierint: cum hactenus epiſcoporũ ſtudium fuiſſet, ſacras docere literas.

Anno autem pontificatus ſui duodecimo, qui fuit Chriſti 961, cum in Franciam contenderet, diſſentientes animos ſuorum nepotum, Lotharij regis & filiorum Hugonis, reconciliandi gratia, Compendij febre corripitur. inde regreſſus Remos redit: ibique cum ſibi moriendum eſſe animaduerteret, omnia quæ habebat bona, teſtamento Colonienſi legat eccleſiæ. paulo pòſt morbi uehementia expirat. Corpus eius per Theodoricum Remorum epiſcopum Coloniam delatum, in templo Pantaleoni ſacro terræ mandatur. Epitaphiũ eius tale uidere eſt circa ſepulchrum, ut Rogerius indicat:

*Fundite corda preces, lachrymoſas mittite uoces,*

*Ecce pater patriæ conditus in filice.*
*Regi progenies terras memoranda per omnes,*
*Bruno pacificus, uir bonus atq; pius.*
*Archos antistes cui clara Colonia sedes*
*Visus erat, cunctis charus ubiq; fuit.*
*Offendit tenebras lux uiuacissima tetras,*
*Inuida lingua tacet, laus modò uera placet.*
*Non fuit hic mundus tam raro munere dignus,*
*Raptus ab hoc æuo iam fruitur Domino.*
*Idus Octobris quinto, præsul duodenus*
*Vitæ concessit, spes comes alma fuit.*

VOLCMARVS.

Brunonẽ secutus est Volcmarus, qui post quartum annum mortem obijt: ut Trithemius & Schafnaburgensis scribunt.

GERO.

Gero Volcmari successor, illustri quadã comitum familia apud Saxones natus, cũ Dithmaro fratre duo cœnobia: alterũ Munchennuenburg, alterum uerò in Gladbach extruxit. Trithemius de rebus Hirsaugiensium, & Saxonię Chronicon.

SVB OTTHONE II.

VVARINVS.

De Vuarino, quem Cranzius Vualramũ uocat, scribitur, quòd Geronem suum antecessorem ectasi correptum, uiuum sepelierit. Eius facti postea pœnitens Romam adijt, papalem satisfactionem expetitum. Cui, ut monasterium aliquod collapsum reficiat, iniũgitur. Reuersus itaq; domum, S. Martini cœnobium reparauit, ac Scotis perpetuò inhabitandum dedit. Coloniensem sedem tenuit annis 9. Obijt anno Christi 985. ut Cranzius in Metropoli libro 3, capite 45: & Trithemius in Hirsaugiensi Chronico testantur.

SVB OTTHONE III.

EVERGERVS.

VVarini locum sortius est Euergerus, seditq; annis 15: ut uitæ episcoporum Coloniensium testantur.

## *SAXONIAE DOctores.*

## BREMENSES, SEV Hamburgenses.

SVB LVDOVICO.

HOGERVS.

ADelgarius Hamburgensium archiepiscopus, cum iam ætatis ratione tantã negociorũ in suo regimine sibi incũbentiũ molẽ, aduersariorumq; impetus sustinere non posset: Hogerum Corbeiensem monachum, laborum sibi socium adsciscit: quo huius ministerio suffultus, ipse magis tolerabilem agere senectutem posset. Sed Adelgario anno 909 mortuo, totum regiminis onus Hogero incubuit. Qui mox ordinationem tanquam suffraganeus Bremensis, per contentionem à Colonienſi archiepiſcopo ſuſcipere coactus fuit: qui Formoſi papæ conſtitutioni inſiſtens, Bremenſem eccleſiam ab Hamburgenſis archiepiſcopi iurisdictione auulſam, exploſis militorum principum & Imperatorum, Stephani quoq; & Sergij Romanorum põtificum ipſi conceſsis priuilegijs, in Triburienſi Synodo (ut ex ſuperiori ſeculo uidere eſt) ſuo iugo ſubeſſe per fas & nefas obtinuerat. Potentia enim Colonienſis prævalebat: ac tanta erat rerum in Italia & Germania perturbatio, cum utrinque de Imperatoria dignitate diſceptaretur, ut cauſam pro ſuo iure agere non poſſet Hogerus. Pallium tamen, ne prorſus de ſuo iure deceſsiſſe uideretur, à Sergio Romano impetrat: ferula autem paſtorali, à Ludouico imperatore Arnolphi filio donatur.

Diſciplinæ Eccleſiaſticæ in ſua functione ſeueriſsimus ac diligentiſsimus fuit exactor, quemuis paterno complectens affectu. Monaſteria ſuæ fidei commiſſa, ſæpe intempeſta nocte iter faciendo, fratribusque minimè attẽdentibus, inuiſit, ne quid à uera pietate alienum, per incuriam monachorum obreperet: ſuæ autem Eccleſiæ præfuit annis ſeptem, ut Cranzius in Metropoli lib. 2. capite 24: & libro 3, capite 1. indicat.

SVB CONRADO I.

REGINVVARDVS.

CAtalogo Hamburgenſium epiſcoporum poſt Hogerum, Reginuuardus quidã inſeritur: quis autem ille fuerit, qua uel ratione ad illum dignitatis gradum aſcenderit, nuſquam extat. Nec annum integrum in eo tranſegiſſe, inde facilè colligi poteſt, quòd comitijs anno quinto Conradi regis, quo & Hogerius mortem obijt, celebratis, interfuit Vnno Hamburgenſis epiſcopus: ut Cranzius in Metropoli libro 3. cap. 4 ſcribit.

VNNO.

Mortuo Reginuuardo, de conſenſu omnium, tum cleri tum populi, in locum eius Ledradus Bremenſis chori præpoſitus ſurrogatur. cum autem ad Imperatorem Conradum, ferulam paſtoralem petitum contenderet, itineris cõmitem ſibi adiũgit Vnnonem, eiuſdem eccleſię diaconum. Ledradus in conſpectum Regis admiſſus, Vnnone quoq; adſtãte, negocium ſuum, ac quid petat, exponit. Imperator ſine ſua autoritate electionem factam moleſtè ferens (ſibi enim id iuris reges hoc ſeculo ſaluum eſſe uolebãt) poſthabito Ledrado, adſtanti diacono Vnnoni ferulam paſtoralem, quam manu tenebat, offert, eũq; epiſcopi munus ſua autoritate gerere uoluit. Sicq; Ledradus

dijs pe ſua deiectus, nec non multo rubore ſuffuſus, inde diſceſsit.

Fuit Vnno ob corporis deformẽ habitũ omnibus initio contemptui: uerùm poſtquam ad tantos honorũ gradus præter ſuã aliorumq; opinionem diuina uoluntate cõſcendiſſet, fide, mãſuetudine & dexteritate, qua in ſua functione erga quoſuis utebatur, omnium amorẽ, fauorem & beneuolẽtiam ſibi non modò conciliauit, ſed & penitus deuinxit. Ipſis etiam ſub quibus uixit Imperatoribus, Conrado & Heinrico charus fuit, qui debito honore & reuerentia eum proſecuti ſunt: ut Cranzius teſtis eſt in Metropoli libro tertio, capite quinto: qui eundem ſolenni Principum conuentui quinto anno Conradi Imperatoris habito interfuiſſe indicat.

Guormoni Daniæ regi impio, qui Sanctorum ſines religionis cauſa acrius infeſtarat, Heinricus primo impetu tantũ terrorem incuſsit, ut abiectis armis pacem peteret. Hac occaſione Dania pacata, Vnno Hamburgenſis ſuæ uocationis memor, multisque alijs religionis & ueræ pietatis ſtudio præſtantibus uiris ſtipatus, Danos adijt, ac in ijs conuertendis plurimùm laborauit. Regem quoq; Guormonem, crudelitate in uiros religioſos inſignem, magnó animo aggreſſus eſt ſua prædicatione: uerùm laterem in ipſo conuertendo lauit. Filium tamen Haroldum Chriſto lucratus eſt, qui & liberam ipſis prædicandi, Daniſq; fidem Chriſtianam recipiendi poteſtatem dedit. Huius præſidio munitus Vnno, omnes Danorum inſulas peruagatus, uerbum Dei euangelizauit: & quos fideles captiuos illic offendit, in fide corroborauit.

Porrò conſtitutis in Dania rebus Eccleſijs, ordinatisque ſacerdotibus, apud Heroldum, ne ſuo eos patrocinio unquam deſereret, multis precibus & monitionibus inſtabat. Tandem commoda oblata nauigatione, mare Balticum traijciens, ad portum primariæ regni Suetici urbis Byrcæ appulit, ibique plurimos fideles Chriſto reddidit. Rebus ibi quoque feliciter & ex uoto Deo benedicente peractis, ad ſuos redire epiſcopus animo uoluit: ſed ægritudine corporis prohibitus, mortem ibidem obijt. cuius corpus in Byrca oppido terræ mandatum eſt: ut Helmoldus in Chronico Slauorum libro primo, capite octauo: & Saxo Grammaticus libro decimo Danicæ hiſtoriæ ſcribunt. Cranzius in Metropoli libro tertio, capite ſexto, indicat, diſcipulos eius corpore defuncti Vnnonis Byrcæ relicto, ſolum caput ipſi reſectum, ac Bremam delatum, in eccleſia ſancti Petri ſepelijſſe. Obijt anno incarnationis Domini nongenteſimo trigeſimoſexto, cum in pontificatu exegiſſet annos ſedecim: ut ijdem teſtantur.

ADELDAGVS.

Adeldagus nobili familia ortus, conſanguineus & diſcipulus Adaluardi Verdenſis epiſcopi fuit. Ex Hildeſemenſi autem eccleſia, ubi officiolum quoddam geſſerat, ob ſingularem prudentiam, uitæque integritatem, quæ in iuuenili ætate eminebant, in aulam ab Imperatore Otthone Adaluardi conſilio accerſitur, & à ſecretis, ſeu (ut nos hodie uocamus) cancellarius eſſe iubetur. Porrò tam grata & iucunda Imperatori erat Adeldagi conuerſatio, ut rariſsimè à ſuo latere eum diſcedere pateretur: ipſiusque præ cæteris, in rebus maximè arduis, quibus ſemper adhibebatur, conſilium ſæpiſsime præualuit.

Mortuo autem Vnnone Hamburgenſi epiſcopo in Suecia, quò propagandi ſtudio doctrinam cœleſtem (ut diximus) abierat, Otthonis primi autoritate eidem præficitur epiſcopatui. Ferulam itaque paſtoralem ab Otthone Magno, pallium à Leone VII: manus uerò impoſitionem à Moguntino archiepræſule accepit. Idem tamen munus, quod prius in aula Otthonis primi ſuſtinuerat, etiam deinceps, cum iam epiſcopum ageret, ac duorum ſequentium Otthonum temporibus ipſi incubuit: eiusque ſolius conſilio, tantorum Imperatorum aulæ regebantur. Magna enim felicitate domi foriſque in negocijs peragendis ornatus erat: ut Cranzius in Metropoli libro tertio, capite decimoſexto, de eo ſcribit.

In primis Agapeto Romano pontifici charus fuit, ob propagandæ religionis ſtudium ad uarias gentes. Is enim huius archi præſulis tempore omnia priuilegia Hãburgenſi eccleſiæ à Romanis pontificibus Gregorio, Nicolao, Sergio olim conceſſa, ſua autoritate rata eſſe nunc etiam uoluit: ac Adeldago liberam poteſtatem ad omnes Septentrionis partes, Pontificia autoritate epiſcopos conſtituendi, dedit. Metropolis Cranzij lib. 3, cap. 17.

Fidelis autem paſtoris officia in Eccleſiaſtico munere animo ſuo uoluens, non tantum de ijs qui in Hamburgenſi eccleſia ſuę fidei erant commiſsi, curam egit: ſed & exterarum gentium non minorem rationem habendam cenſuit. Victo itaque Haraldo Daniæ rege ab Otthone, circiter annũ Domini 948, & ad ſuſcipiendũ baptiſma, Chriſtianęque religionis ſtudium coacto, Adel-

acto, Adeldagus anno pontificatus sui duo decimo, plurimos in Daniâ episcopos misit, Haroldum Slesuicum, Lesdagum Ripâ, Rembrandum Arusiam: quibus & insulares commendauit ecclesias in Fionia, Selandia, Scania, & Sueonia. Haricũ, Stercolphum, Folchbertum, Adelbertũ, Merha, & plures alios, quibus nullæ tum temporis certæ sedes, ob rei nouitatem, concessæ leguntur. Cranzius in Metrop. lib. 3. cap. 38.

Et Francofordiæ, quò cum Imperatore ob natalis Domini festiuitatem commigrârat, anno 960, Libutio cuidâ S. Albani monacho episcopi munus ad Rugos demandauit: ut Continuator Reginonis annotat.

Omnem etiâ mouit lapidem, ut sua ecclesia præ reliquis emineret. quare ut uicini aliquot episcopi (quos Suffraganeos uocant) ei subessent, ab Imperatore obtinuit. Dania enim cismarina, quæ & Iulia dicitur, in tres diuisa episcopatus, Hamburgensi, studio Adeldagi, subijcitur. In Metropoli lib. 3, cap. 17.

Romam usq; Imperatorem ad Berengarij tyrannidem reprimendam, ac Iohannis pontificis uitam scelestam corrigendã, ex Germania euocatũ secutus est: ibiq; Synodo, in qua pontifex damnatur, interest: ut Continuator Reginonis & Crantzius testantur.

Otthone autem in Italia ob negociorum molem diutius commorante, Adeldagus, cuius cõsilio cuncta gerebantur, integrum quinquennium à sua abfuit ecclesia. Ouiculæ igitur sui pastoris solatio destitutæ, crebrò per nuncios & literas eius reditum expetunt. Is ab Imperatore, quamuis difficilem admodum se prius præbuisset, tandem redeundi ad suos facultatem impetrat. Abeũti Imperator Benedictum, quem Romani sine suo consensu pontificem summum per tumultum creârât, commendat: eumq; ut secum in Saxoniam deferat exulatum, iubet. Hunc Adeldagus honorificè quidem & splendidè, usque ad uitæ finem apud se Hamburgi retinuit: ut Crantzius in Metropoli libro tertio, capite uigesimo indicat.

Falsorum numinum cultorem, & fidelem Baalismi propagatorem egit. Nam magna reliquiarum copia, quas Romæ acceperat, onustus Saxoniam ingressus est: quas in omnes ecclesias suas distribuit, & coli præcepit.

Monasteria duo ociosorum hominũ fundauit, alterum uirginum in Heslinge, alterum uerò uirorum in Phrysia: quibus non tantũ de necessaria, sed etiam superflua uitæ sustentatione prospexit.

Pauperum, quo sanè laudem aliquã præ suis antecessoribus meretur, magnam curam habuit. Bremense enim xenodochiũ adeò facultatibus & reditibus auxit, ut præter quotidianos hospites, adhuc uiginti quatuor in eo possent ali pauperes. Crantzius in Metropoli libro tertio, capite uigesimotertio.

Ipsam quoq; ciuitatem Bremensem, duro iudiciariæ potestatis iugo pressam, immunitate & libertate, cuiulmodi reliquæ finitimæ fruebantur ciuitates, donari, ab Imperatore impetrauit. Crantzius lib. tertio, capite 16.

Certamen ei fuit cum Brunone Coloniensis ecclesiæ præside: qui Otthonis Imperatoris fratris germani autoritate fretus, Bremensem ecclesiam sui esse iuris asserebat, eamq; ab Hamburgensi auellere conabatur. Verùm Adeldagus in tanto apud Imperatorem & pontificem Romanum erat precio, ut Bruno quantũuis acer & uehemens, in eo negocio operam & oleum perderet.

Quin & Otthoni, Aldenburgum episcopatui Magdeburgensi propter gentium illarum cognationẽ adijcere conanti, Adeldagus restitit: ac pro suo, in medium de ea re antiquis Imperatorum prolatis testimonijs, fortiter defendit & obtinuit, eoq; loci pro suo arbitrio episcopum constituit: ut Crantzius in Vandalia libro 2, capite 30 & 34 narrat.

Obijt Adeldagus anno pontificatus sui quinquagesimo quarto, Christi 988, sub Otthone III. testis est Crantzius in Metropoli lib. 3, capite 39.

LIBENTIVS.

Libentius, natione Italus, Adeldagum Roma ad suos redeuntem secutus est, quẽ animâ agens sibi succedere dari anxiè petebat. Erat enim Libentius omni doctrinarũ genere excultus: castitate præterea, temperantia & humilitate insignis: ac in omni uitæ cursu Adeldagi sui antecessoris uestigijs insistere, omnibus uiribus contendebat. Archiepiscopus igitur factus, ab Otthone III uirga, à Ioanne Romano pontifice pallio, ordinatione uerò à suffraganeis suscepta, totum se religionis studio dedit: ac si plurimos Christo in suo ministerio lucrifacere contingeret, gloriosum sibi fore duxit. Vandalos itaq; sæpius inuisit, ac ueram salutis uiam eos edocuit. Cæterùm cum malicia temporum ipse tantas obire nõ posset molestias, maiorum exemplo, legatos, uerbi dũini propagandi gratia non solùm admisit. Acmas, sed ad exteras quoq; gentes misit. Accùm Sueno Daniæ rex tum in suos subditos, Christianam doctrinam amplectentes, tum alias uicinas gentes ferro & igni sæuiret, ma-

ret, magnasque de ijs prædas ageret, nec precibus aut muneribus placari posset, sui quod erat officij Libentius fecit. Nam glaciem eius uastationis, per annos septuaginta fuit integer in sepulchro repertus: donec Adeluardi ministerio, quem Albertus Hamburgensis archiepiscopus misit, solueretur à uinculis. solutione facta, in cineres redactus est: ut Cranzius libro tertio, capite 42 & 48 in Metropoli refert.

Pauperibus etiam & infirmis sua opera & liberalitate nunquam deesse uoluit: quorum curam suo ex fratre nepoti Libentio commendauit, ut ijsdem necessaria suppeditaret: quod officium & ipse olim nomine Adeldagi in urbe Bremensi gesserat, teste Cranzio in Metropoli libro tertio, capite 23 & 42.

Certamen ei fuit cum Bernario Verdensi præsule, de Ramsola prædio, quod Verdensis episcopatus includebatur limitibus: eaq; de causa id sub sua potestate uolebat esse episcopus. Misso igitur ad Romanum pontificem, ut is litem dirimat, de utriusque consensu, Oddone legato: pontifex Hamburgensis episcopi iurisdictioni id subesse sua autoritate cõfirmauit, eo quòd Ansgarius quondam episcopus ex incendio urbis Hamburgæ elapsus, ibi substituerit, oratoriũ extruxerit, plurimasq; sanctorum reliquias eò reposuerit. Anno autem Christi 1013 in uiuis esse desijt Libentius. Cranzius in Metropoli libro 3, cap. 48.

## ALDENBVRGENSES.

### MARCO.

Otho Magnus deuictis, & ad fidem Christianam conuersis Danis, omnes belli uires in Slauos sibi rebelles, & ueræ religionis hostes conuertit: quos uno prælio in tantas angustias redegit, ut & tributum pendere, fidemq; recipere sponderent. Aldenburgũ igitur episcopalem constituit sedem, cui primum Episcopum præfecit Marconem, uirum uenerabilem, omnẽ Obotritorũ terram usq; ad Panim fluuiũ, & urbem Deminũ ei subijciens. Slesuicũ quoq; subeodem pontifice esse iussit. Verũ post Marconis obitũ, proprio episcopo hanc ciuitatem donauit. Marco suę sibi functionis conscius, nullos non labores subijt, ac uerbi prędicatione apud concreditam sibi gentẽ indefesso studio institit, eamq; sacro baptismatis fonte abluit: ut Helmoldus de Slauis cap. 12 testatur. Obijt põtificatus sui anno decimonono: ut Holsatiẽse Chronicon habet.

### EOVVARDVS.

Eouuardus, ordinatione prius ab Adeldago Hamburgensis ecclesiæ archiepiscopo susceptа, Marconis antecessoris sui uestigijs insistens, plurimos Slauorum ad fidẽ Christianam suscipiendam perduxit. Ac multa huius pontificis temporibus, in terra Vuagirorũ templa extructa sunt. Episcopatui præfuit annis decem & quatuor: ut ijdem testantur.

## SVB OTTHONE III.

### VVAGO.

VVagonem tertium Aldenburgensiũ præsulem, non infimæ sortis hominem fuisse, inde constat, quòd Billug Obotritorum regulus, sororis eius, ob formæ præstantiam, nuptias ambierit. Quam episcopus, multis licet reclamantibus, uiro inculto & agresti uirginem speciosissimæ formæ copulari indignũ fore, spe disseminãdi Euangelium Christi per omnem illam ditionem, ei matrimonio iunxit. Ex ijsdem postea natam Hodicam monialibus, quæ Mechelburgæ degebant, adhuc iuuenculam Vuago præfecit abbatissam. Inde frater uirginis, odio religionis & nouercæ, occasione arrepta, patrem de repudianda coniuge, pontificis sorore, ne uidelicet hoc exemplo peregrinus ille mos in ijs terris inolesceret, sollicitauit. Parens intempestiuo filij cõsilio motus, & coniugem & religionem abijcit. Quę res deinde occasionem inimicitiarum inter pontificem & Regulum præbuit. Billug enim bonis ecclesię inhians, religionis plantationem retardauit, ac Slauis, ut suo exemplo fidem abijciant, autor fuit: & nisi Bennonis Saxonię ducis autoritas obstitisset, ad pugnam peruentum esset: ut Helmoldus in Chronico Slauorum cap. 13 & 14 scribit.

### EZICO.

Quartus Aldenburgensium episcopus, ab Adeldago Hamburgensi in extrema senectute constituto, post Vuagonis obitum, consecratur Ezico. Horum quatuor pontificum Aldenburgensium temporibus, Slaui in fide perstiterunt, ecclesiæ in Slauania ubique erectæ, monasteria uirorum & mulierum Deo seruientium constructa sunt plurima. Testis est magister Adam, qui gesta Hamburgensis ecclesiæ pontificum conscripsit: qui cum commemoret, Slauaniam in duodeuiginti pagos dispertitam, affirmat, præter tres, omnes ad fidem Christi conuersos: Helmoldo teste in Chronico Slauorum, capite 14.

### MARCVS EPISCOPVS *in Vallersleue.*

Heinricus Imperator canonicorum examen ex Angaria Vuestphaliæ, in Vallersleue Saxoniæ oppidum transtulit: quibus

bus Marcum eruditione & pietate insigné, episcopum dedit. ac fuit is primus & ultimus eius ecclesiæ antistes. Post huius enim obitum, Ottho Imperator episcopalem sedē Magdeburgum transtulit: ut Saxoniæ Chronicon habet.

## MAGDEBVRGENSES.

### ADELBERTVS.

Magdeburgensem urbem Ottho Magnus, suo & Christi iugo belli uirtute Vuandalis & Slauis subiectis, consilio Editthæ religionis studiosæ fœminæ metropolim constituit: eiusque loci episcopo hos quinque episcopatus subesse uoluit, Merseburgensem, Cicensem, Misnensem, Brandenburgensem, & Hauelbergensem. Aldenburgensem uerò, qui etiam Imperatoris iudicio superioribus accenseri debebat, Adeldagus, cuius autoritas apud Imperatorem summa erat, sui ut maneret iuris, obtinuit.

Magdeburgensi igitur sede Albertum monachum sanctitatis nomine celebrem, ex Treuirensi cœnobio S. Maximini accersitum (ut Trithemius in Chronico Hirsaugiensi scribit) primum dedit archiepiscopū, anno Christi 971. Qui cum fideliter annos circiter tredecim suo munere perfunctus esset, multosque Slauorum salutari prædicatione, de uera salutis uia instruxisset, calculi doloribus expirauit: ut Helmoldus, & Cranzius in Metropoli lib. 3, cap. 28, & 37 testantur.

### OTHRICVS.

Successit Adelberto Othricus, suo seculo ob eximiam eruditionem celeberrimus, cuius laus etiam auditoribus suis, ad summos honorum gradus aspirandi magna occasio fuit. Hoc enim qui præceptore usus fuerat, cæteros rerum scientia præcellere omniū opinione iudicabatur. Verùm post electionem, Romam confirmationis gratia contendens, in itinere defecit: ut Saxoniæ Chronicon, Cranzius in Metropoli lib. 3, capite 37, & Trithemius in Hirsaugiensi Chronico annotant.

### GISELERVS.

Giselerus, uel Hisillarius iuxta Schafnaburgensem, uir facūdus, prudens, & aulicorū morū peritus, ope Annonis Vuormacien sis episcopi, pietatem, candorem & industriam eius coram Imperatore Otthone magno summis euehentis laudibus, in aulam uocatur, ac diaconi munus subire iubetur. Quam prouinciam cum probè administrasset, Mersburgensem episcopatum post Bosonem sortitus est, anno 974, ordinatione à suo archiepiscopo Adelberto Magdeburgēsi accepta: ut Cranzius in Metropoli testatur.

Ad episcopalem dignitatem à secundo Otthone euectus, ambitionis & auaritiæ studium insatiabile, quæ hactenus in sinu clàm fouerat uitia, detexit. Viuo enim ipso adhuc Adelberto, sua sorte minimè contentus, ad archiepiscoparum aspirabat: quem ut assequi posset, mala admodum fide suo functus est munere. Immunitates enim & bona suæ ecclesiæ uicinis episcopis, Cicensi, Misnensi & Halberstadensi, quibus cum magna ipsi necessitudo intercesserat, uel diuendidit, uel pignori opposuit. Argentum itaque undecunque per fas & nefas corrasum, & in suos aliquando usus conuertendum sibi reposuit: quædam uerò sibi, Magdeburgensi scilicet ecclesiæ, si res ex uoto succederet, donaturus, bona reseruauit. Denique suum episcopatum ad tantam omnium rerum inopiam redegit, ut reditus, qualescunque adhuc supererant, episcopo alendo non supperetrent. Post Othrici itaque obitum, rem, ambitionis stimulo incitatus, integris aggreditur uiribus, ac cardinalium prius grege sibi magna auri ui conciliato, ad archiepiscopatum Magdeburgensem conscendit, circa annum Domini 982. Cæterùm Mersburgensem sedem, cui annis præfuerat undecim, diebus 20, in monachorum collegium mutatam, in sua potestate retinuit, cui Adericum Bergensem monachum præfecit abbatem: ut habet Chronicon Mersburgense.

Verùm tertius Ottho cum huic pontifici minus faueret, ad Romanum pontificem Syluestrum simoniæ eum accusat, quòd & largitionibus ad archiepiscopatum peruenisset, & præter consuetudinem toti Germaniæ incognitam, duobus simul præesset episcopatibus. Giselerus in Romana curia comparere iussus, suæ cum diffideret causæ, morbum simulabat. Interim Syluester uita fungitur.

Completis in Magdeburgensi cathedra annis nouendecim, ex hac uita Giselerus quoque decessit, anno Christi 1004. cuius cadauer in summa æde ibidem tertiæ mandatum est.

### BOZO MERSBVRgensis.

Bozo illustri familia in Bauaria natus, ab ineunte ætate monasticis studijs in cœnobio S. Emerani apud Ratisbonenses deditus fuit: sed ob religionis studium, & ingenij præstantiam, Otthonis magni diaconus factus est. Data postea ab eodem Imperatore optione, ut inter tres episcopatus, Mersburgensem, Cicensem & Misnensem, quem mallet, sibi eligeret, Mersburgēsem petijt: sicque eius ecclesiæ omnium primus factus est episcopus.

Sorabis,

Sorabis, quorum magna adhuc multitudo in sua diœcœsi, loca illa circa Muldam, Elsterum, & Neisis fluuios incolebat, uerbũ salutis Bozo per interpretes (ipse enim eius linguæ ignarus erat) prędicasse dicitur: sed parum gratiæ ab incultis & pertinacibus reportauit populis.

Imperator uerò, qui plurimum ipsi tribuebat, regia eum arce, nobili Romanorũ Claudij, Drusi, & Neronis Germanici opere, cui à Marte nomen inditũ erat, donauit. Postremò, cum in pontificatu biennium ferè compleuisset, suorum desiderio ductus, in patriam commeauit: sed morbo in reditu correptus, antequam ad suos rediret, expirauit. Corpus eius Mersburgũ delatum, honorificè in templo S. Laurentij reconditum est: ut in Mersburgensi Chronico scribitur.

HVGO CICENSIS.

Hugo primus autoritate Otthonis Magni, Cicensis ecclesiæ episcopus, & ab Adelberto Magdeburgensi (iuxta idem Chronicon) consecratus, celeberrimæ Halberstadensis ecclesiæ, cum plurimis alijs archiepiscopis, episcopis & abbatibus, interest dedicationi, anno 992. ut historia Quedlinburgensis habet.

BVRCHARDVS *Misnensis.*

Primus Misnensium episcopus Burchardus, Adelberto Magdeburgensi parêre iubetur ab Otthone magno: ut ex Chronico Saxoniæ constat.

## HAVELBERGENSES.

DVDO.

Primus Hauelbergensis ecclesiæ episcopus Dudo, archiepiscopo Magdeburgensi ab Otthone fundatore subijcitur: ut habet idem Chronicon.

HILDERICVS.

Hildericus eiusdem sedis episcopus, dedicationem maioris ecclesię Halberstadensis iuuit, anno Christi 992. ut in historia Quedlinburgensi annotatur.

DVDOLINVS *Brandenburgensis,*

IORDANVS *Borenensis.*

Hi duo primi suarum ecclesiarum episcopi per Otthonem cõstituti, Adelberti Magdeburgẽsis imperio subesse cogũtur. Chronicon Saxoniæ.

## HILDESHEIMENSES.

### SVB LVDOVICO III. *& Conrado I.*

DETHARDVS.

Dethardus abbas Hirsueldensis, nonus Hildesheimensis ecclesiæ præsul, post Sehardũ, qui eam annos circiter 40 rexerat, factus est: ut Trithemius in Chronico Hirsaugiensi refert. Nihil autem memoriæ dignum gessit, cum tamẽ satis longo tempore, annis nimirũ uiginti duobus, iuxta Trithemium, suæ ecclesiæ præfuerit, præterquam quòd aureã tabulam in summa æde, munus sanè pontifice dignum (ut Crantzius ait) diuæ uirgini consecrauit: lib. 3, cap. 11 Metropoleos. Bruschius annos uiginti quinq; ei adscribit. obijt anno 956.

### SVB OTTHONE I, & II.

OCHVVINVS.

Ochuuinus, abbas cœnobij Magdeburgensis, in regimine ecclesiæ Hildesheimensis, Dethardo succedit: ut Trithemius & Crantzius in Metrop. lib. 3, cap. 34. testãtur.

Superstitioni & auariciæ deditus fuit. Nam Romam gratia salutandi pontificem profectus est: ac in reditu ossa S. Epiphanij, quæ Papię colebrantur, ad suam ecclesiam transtulit, ijsq; propriũ iuxta summã ędem extruxit sacellum. Geisenheimense oppidum suæ diœcesi subiecit: Bruschio teste.

Canonicorum etiam luxui ne quid deesset, constituit, ut certis diebus, quorum se decim singulis annis definierat, uinum eis exhiberetur: ut idem annotat. Præfuit ecclesiæ suæ annis triginta, ut Crantzius & Bruschius habent. Obijt anno 986.

### SVB OTTHONE III.

OSDACHVS.

Osdachus Augiẽsis monachus, Ochuuino in abbatia Magdeburgensi, & postea etiam in Hildesheimensi functione successit: sed cum quartum in pontificatu ageret annum, qui erat Christi 990, uita perfunctus est: iuxta Bruschium, & Saxoniæ Chronicon. Verùm Trithemius & Crantzius, eum annis 29, tum uerbo tum exemplo, strenuè commissam sibi ecclesiam rexisse scribunt.

GERHARDVS.

Osdachum secutus est Gerhardus, qui post quartum suæ electionis annum, mortem obijt: ut Saxoniæ Chronicon habet. Hunc orationis gratia Romam iuisse, & in reditu apud Longobardos mortẽ obijsse: historia Quedlinburgensis testatur.

SVIDEBOLDVS *presbyter,*

BODO *diaconus.*

Gerhardo Romam euntí, itineris comites fuêre Suideboldus presbyter, & Bodo diaconus: ut eadem habet historia.

## HALBERSTADENSES.

### SVB LVDOVICO *& Conrado.*

SIGISMVNDVS.

Sigismũdus in Hirsaugiensi cœnobio, monasticis studijs aliquandiu imbutus, ad Halberstadensis ecclesiæ gubernacula ob eximiam & prudentiam & eruditionem uocatur, temporibus Arnulphi Imperatoris: ut Trithemius in Hirsaugiẽsi Chron. testatur.

Huius episcopi consilio, Heinricus Auceps Imperator Hatburgin ex Vitikindi stemmate natam, cui sanguine iunctus erat: & quia eam uirginem monialem sibi matrimonio iunxisset, repudiauit, quasi matrimonium hoc legibus contrariũ esset, ut episcopus dictitabat: ut ex Mersburgẽsi Chronico uidere est. Obijt Sigismundus anno pontificatus sui trigesimo, qui fuit Christi noningentesimus uigesimus sextus.

## SVB OTTHONE I.

### BERNHARDVS.

SIgismundo successit Bernhardus septimus eius loci episcopus, natione Saxo, ex nobili burggrauiorum Magdeburgensium familia, teste Cranzio, natus.

Diuturnum & uehemens ipsi cum Imperatore Otthone certamen fuit. Nam cum Ottho precibus & consilio coniugis suæ Editthæ, quæ Albis flumine admodũ delectabatur, urbẽ Magdeburgensem (quæ in eum usque diem piscatorijs casis, ac uili quadam arce burggrauiorum sede constabat) splendidioribus ædificijs exornasset, nundinis eam, quò mercatoribus eò commeandi facultas esset, donauit. Ac uidens Imperator locum negociationibus esse per commodum, de religione ibi non tantum plantanda, sed eam urbem metropolin designandam, animo uoluit. Vandali præterea non tantum finitima, sed & longius dissita incolentes loca, religionis gratia cæteruatim eò confluebant, ita ut terra illa uix eos sustinere posse uideretur (ager enim Halberstadensis ad ipsa urbis Magdeburgicæ mœnia se extendebat.) Imperator itaque amicè cum Bernhardo Halberstadensi præsule egit, ut de suo agro portiunculã aliquam nouo cederet episcopatui. Ille episcopatum sibi, non ut quicquam ei detrahatur, sed ut eius cõmodis fideliter prospiciatur, concreditum asserens, precibus Imperatoris locũ non dedit. At Imperator, cũ nec precibus nec placida actione quicquã posset, regia autoritate agendũ statuit. Episcopũ itaq; capi, ac Quedlinburgę in uinculis detineri iussit, ea ratione eius animũ nõnihil frãgi posse autumans. Sed episcopus quiduis ferre potius, quàm de suo decedere iure, paratus erat. Nec hac ratione Imperator, qui captiuitatis diuturnitate episcopũ ęquiorẽ sibi futurũ sperabat, quic quã profecit. Aderat fortè dies Dominicæ cœnę sacra. ibi episcopus ornatũ, cuius in sacris peragẽdis usus erat, in cacerem sibi afferri iussit. Quo cum indutus esset, Imperatorẽ etiã uocari præcepit. Qui cũ aliud respõsi ab episcopo iã nõnihil emollito se reportaturum speraret, statim comparuit. Ibi episcopus in hæc uerba prorupit: (quod & suprà recitauimus, uerùm hic propter historiæ ordinem repetendum est) In nomine supremæ Trinitatis, anathematizo te Rex, omnesq; tuarum partium, quòd manũ inie ceris, & captiuũ detineas Christũ Domini. Ac p omnẽ diœcesin regi sacris interdictũ ab episcopo, Crãzius in Saxonia lib. 4. cap. 7. & in Metropoli lib. 3. cap. 10, indicat.

Imperator initio quidẽ hoc episcopi fulmen ludibrio & risui habuit: uerùm postea rem altius perpendens, ad se reuersus est: ac dimisso ex custodia præsule, ueniã ab eo petere non erubuit, nec deinceps ei molestus fuit. Hoc uerò pontifice mortuo, omnia Imperatori ex uotis successerunt. Cranzius in Metropoli lib. 3, cap. 10. De suo patrimonio monialium uirginũ congregationẽ in Hadmersheim fundauit episcopus, quibus primo loco germanam sororem præfecit: ut Bruschius autor est.

Obijt anno pontificatus 48, Christi 974. ac in S. Stephani æde, quã splendidioribus exornauerat ędificijs, sepultus est: Cranzio & Bruschio testantibus.

### HILDEVVARDVS.

Ab Hermanno filij Otthonis prœceptore, cui Imperator Saxonię gubernationem, cũ ipse Italiam ad compescendos ibidem motus petere cogeretur, demandarat, Bernhardi defuncti locũ tenere iubetur Hildewardus comes de Vuerle, ac Halberstadẽsis ecclesiæ, sub Bernhardo antecessore præpositus. Ottho ab Italia, altero ab Hildewardi electione anno, reuersus, Hermãni consilium probauit: ac episcopi successionẽ ratã habere uoluit: ut in Saxoniæ scribitur Chronicorum.

Habetur Hildewardi epistola ad Albertum Metensium episcopum, qua petit sibi communicari partem de sanguine B. Stephani, ac portiunculam de olsibus sanctæ Glodesindis.

Ab hoc episcopo Imperator, id quod à Bernhardo huius antecessore nec minis nec precibus (ut dictum est) extorquere potuit, facilimè impetrauit: ut Crãzius in Metropoli lib. 3, cap. 31 scribit.

Adelheidem Otthonis tertij sororem, cœlibem inter uirgines Vestales experteneé uitam, Hildewardus sacro uelamine, pluribus episcopis astantibus, cinxit.

Hoc etiam episcopo pręsidente, celebris illa Halberstadensis ecclesiæ dedicatio, à duodecim episcopis, ut Apostolorũ numerus repræsentaretur, facta est.

Vltimo pontificatus sui anno, uirginum cœlibum monasterium in Stitterlingeborg extrui fecit: ut in Historia Quedlinburgensi uidere est.

Anno Christi 996, pontificatus uerò sui 24, Hildewardus peste, quæ tum erat sæuissi-

sæuissima, extinctus: in Saxoniæ Chronico scribitur.

## VVESTPHALIAE Doctores.

### MIMIGARDEVORDENSES, siue Monasterienses.

VVILHELMVS.

VVilhelmus, uir simplex & religiosus, pastor plebanus in Catzenhusen, hac ratione ad episcopalem dignitatē ecclesia Monasterienſi conscendit: Imperatorū aliquis uel Ludouicus uel Conradus, ceruum in uenatione insecutus, longius à suis satellitibus receſſerat: & dum in densissima sylua, locorum ignarus, in multam noctem oberraret, fortè in hunc pastorem incidit, ibiq; hospitium petit. Qui cum magni nominis uirum esse facile animaduerteret, perbenignè eum recepit, & pro sua tenuitate tractauit. Iussus aūt ab hospite splendido aliquid petere pastor, corrigiam de ceruina pelle, qua cinguli loco uti posset, sibi dari petijt. Annuit petitioni stolidæ Imperator. Sed breui interiecto tēporis spacio, Bertoldo Monasteriēsi episcopo mortuo, in locū ipsius hunc pastorē substituit. Nihil præterea de eo memoria dignū, aut quanto tēpore ecclesiæ præfuerit, in Annales relatū est: teste Crantzio in Metrop. lib. 2, cap. 29.

RICHARDVS.

Richardus præter regium stemma, quod ex Anglis ducebat, etiam sacrarū literarum scientia & morū integritate insignis, Vuilhelmi defuncti locum in Osnaburgēsi sede accepit. Lis ei fuit cū præpotenti quadā in sua diœcesi familia, cui Meinhouele cognomen erat, quæ superbè & contumaciter ipsi resistebat, dum episcopi dominium auerte à se conaretur: addebatq; hoc episcopi aduersarijs animū, quod ipsum Imperatorio ope, qui bello uel Bohemico uel Vandalico occupatus longius tunc aberat, destitutum sciebāt. Verūm Richardus modestia & mansuetudine, quàm armis eos frangēdos magis consultū fore iudicans, amicè eā litē composuit. Crantz. in Metrop. lib. 3. cap. 15.

RVMOLDVS.

Rumoldus, qui Richardum secutus est, Iosephi Aegyptij exemplo, Vuestphalia ob rei frumentariæ penuriam grauiter laborante, suo subsidio plurimos iuuit. Crantzius ibidem.

HILDEBOLDVS. Dodo.

Nonus hunc à ordine Monasterienſium præsulū secutus est Hildeboldus, cui Dodō successit. Quorū uterq; in sua gubernatione in id sedulò incubuisse dicitur, ut domi forisq; perpetuæ laudis memoriā mereretur. Crantzius ibidem.

SVB OTTHONE I.

SVEDERVS.

MOnasterienſi ecclesiæ post Dodonem, Suederus Halberstadensis ecclesiæ cœnobita, ut Quedlinburgensis historia habet, tanta fide, industria & pia conuersatione præfuit, ut omniū iudicio, qui sanctorū catalogo inseratur, dignus sit habitus. Idem libro 3, cap. 35.

THEODORICVS.

Vt suam ecclesiam, cui post Suederū præerat, diuitijs & reditibus amplis auctiorem redderet, manibus pedibusque laborauit Theodoricus: teste Cranzio in Metropoli lib. 3, cap. 46.

### MINDENSES.

SVB LVDOVICO.

ADELBERTVS.

DE laude Adelberti sexti Mindensiū episcopi, pauciſsimi extant uersiculi, apud Crāzium in Metropoli lib. 3, cap. 13.

*Liberat Ecclesiæ depulsis uulpibus agrum,*
*Nec iam schismaticus uorat ouile lupus.*
*Non dubitat forti pater obuius ire leoni,*
*Maxillisq; graues inseruisse manus.*

BERNHARDVS. LIDARIVS.

EVERGISVS.

Bernhardi, qui Adelberto in Mindensi sede succesſit, breue quidem, sed admodū insigne extat encomium apud eundē Cranzium in Metropoli lib. 3, cap. 18.

*Sanctus & electus Bernhard fit septimus heros,*
*Herculis exemplo, mundi ne corruat axis*
*Hic habet, atq; humeris grande retentut opus.*

Quid ad hanc laudē, si uera est, addi posſet, cum sanctus & electus fuerit, & Ecclesiam iamiam minantē ruinam suis humeris fulcitam sustinuerit? Huic Lidarius quidā temporibus Conradi Cæsaris succesſit, cui Euergisus: de quibus nihil præter sola nomina extant, Cranzio teste cap. 24, & 27 libri 3 Metropoleos.

SVB OTTHONE.

HELINVVARDVS.

DEcimus Mindensium præsulum Helinvuardus, uitę puritate & doctrina pręstans, Euergisum secutus est. Is ut maiori pompa res perageretur, ad suæ Ecclesiæ dedicationem, Dudonem Padebornensem, & Drogonem Osnaburgæ episcopum, Mindam accersiuit: qui ut hominis superstitionem, ipsi quoque superstitioſi alerent, præstò ei fuēre, ac in honorem Gorgonij, Laurentij & Alexandri, maximo cleri & populi concursu ecclesiam consecrarunt. Sexto autem post dedicationem anno, qui erat Christi 958, ex hac uita decesſit. Extāt de eo uersiculi apud Cranzium in Metropoli libro 3,

cap.32.qui teſtimonium perferunt, qua exiſtimatione apud omnes fuerit, præſertim apud populum ſui paſtoris amantem:

*Hic ſublimatus in ordine pontificatus,*
*Moribus ornatus, doctus, uitaq; beatus.*

LANDOVVARDVS.

Landovuardus, undecimus Mindenſis eccleſiæ præſul, omnium primus ab Imperatore Otthone Magno regalia ſuſcepit: cui & precioſam de ligno hebeni ferulam Imperator obtulit, anno 961. Crantz. teſte.

Interfuit epiſcopus Romanæ Synodo, ubi eximium illud Antichriſtianæ ſedis (ſi uitijs laudem Romanorum pontificũ exiſtimare uelis) decus deponitur, ac Leo ipſius locum tenere iubetur: ut Trithemius in Hirſaugienſi Chronico annotat.

Extat quoddam eius encomium, uerſibus ineptis ſcriptum: ſed quia qualecunq; de eo teſtimonium ferunt, libuit huc adſcribere ex Crantzij Metrop. lib.3, cap.33.

*Præſul Landuuardus, moribus redolens quaſi nardus:*
*Gregem non tardus ſeruat uigilans quaſi pardus.*
*Carnem caſtrauit, hoſtem mundum ſuperauit:*
*His bene peractis, conſcendit ad agmina lucis.*
*Famelicos pauit, ſitibundis pocula lauit.*

SVB OTTHONE III.

MILO.

MIlo, Landovuardi ſucceſſor, ab Otthone III, anno 992, poteſtatem in quodã ſuo oppido Vuedegenborg monachorum collegium extruendi accepit: anno uerò Chriſti 999 ex hac uita deceſsit.

Huius quoq; pontificis eximiũ duobus uerſiculis extat encomium apud Crantziũ lib.3 Metropoleos, cap.47.

*Hoc mundi commune iubar, ſidus generale,*
*Omnibus in media nube reuelat iter.*

## OSNABVRGENSES.

SVB HEINRICO I.

DODO.

POſt Engelmarũ Oſnaburgenſem, qui anno 918 mortem obijt, præſedit Dodo, ſeptimus eius eccleſiæ præſul. Is ab Otthone primo inſigne ſuæ Eccleſiæ priuilegium impetrauit, quo ipſa ab omni onere, quod à præfectis aut dominicis nuncijs imponi poterat, eximitur. Eiuſmodi uerò libertate hæc eccleſia inter minores prima donata eſt. Nam ſuperioribus ſeculis hoc iuris metropolitanis tantum ab Imperatoribus concedebatur. Idq; priuilegium rex proprię manus ſubſcriptione & ſigillo ſuo, epiſcopo petente, confirmauit, anno 938. Crantzius in Metrop. lib.3, cap.14.

SVB OTTHONE I.

DROGO.

DOdoni uir optimus Drogo ſucceſsit, cuius fauore Ottho Magnus Oſnaburgenſis eccleſiæ priuilegia, à primo fundatore Carolo Magno cõceſſa, renouauit. Quibus inſuper publicum mercatũ in Vuiddenbrugge, ubi uectigalia exigere liceret, adiecit. Hic quoque epiſcopus cum Dudone Padebornenſi, eccleſiæ Mindenſis dedicationẽ iuuit. Anno 969, menſe Aprili diem clauſit extremum: ut Crantzius in Metropoli lib.3.cap.25 & 32 indicat.

SVB OTTHONE II.

LVDOLPHVS.

OSnaburgenſi eccleſiæ Ottho ſecundus, coniugis ſuæ, & Ludolphi epiſcopi, qui ei præerat eccleſiæ, precibus aliquot conceſsit prædia, ita ut ſi uideretur epiſcopo, quem in literis confirmationis ſuum cõlan guineum appellat, illa pro ſuo arbitrio alienare liberum ei foret. Hæc donatio facta eſt anno 975. Præfuit ſuæ eccleſiæ cum laude Ludolphus annis 14. Obijt anno 983, ut Crantzius in Metrop. lib.3, cap.37 refert.

SVB OTTHONE III.

DODO *ſecundus.*

DOdo eius nominis ſecundus, ordine pontificum Oſnaburgenſiũ decimus, poſt Ludolphum ſedit annis 13. nec de eo quod uel laudem uel uituperationem mereatur, quicquam in literas relatũ eſt. Obijt anno 996, menſe Aprili: ut Crantzius in Metropoli lib.3, cap.45 annotat.

## PADEBORNENSES.

SVB LVDOVICO III.

THEODORICVS. VNVVANVS.

IN eccleſia Padebornenſi poſt Biſonem, Theodoricus ordine quintus ſurrogatur epiſcopus, qui annis nouem uerbi diuini prædicatione commiſſo ſibi gregi fideliter præfuit. Hoc deficiente, ſuccedit Vnvuanus, qui annis decem & nouem eam dignitatem tenuiſſe ſcribitur. Quid autẽ hic pontifex in ſuo miniſterio fecerit, in faſtos non eſt relatũ, nec nos etiam diuinare poſſumus, ut Crantzij uerbis utamur lib.2. Metropol. cap.31. Vnvuanus obijt anno 930, iuxta Bruſchium.

SVB OTTHONE I.

DVDO.

DVdo pontificio honore, Crantzij iudicio, non indignus, Vnvuano ſubſtituitur, ac ſolenni Mindẽſis eccleſiæ dedicationi, Helinvuardo eius epiſcopo petente, cum Drogone Oſnaburgenſi intereſt. Eam dignitatem annis uigintiquinq; tenuit, ut Crantzius lib.2, cap.31. & lib.3, cap.32 in Metropoli annotat.

SVB OTTHONE II.

VOLCKMARVS.

VOlckmarus, uir pius, & nullo non honoris

noris gradu dignissimus, post Dudonem pontificia dignitate apud Padebornenses potitus est, anno 955. ut Crãzius refert. Hius pontificis fauore Ottho secundus ecclesiam illam imagine Christi crucifixi ex auro purissimo confecta donauit, quæ sexagies mille florenis empta fuerat. Eam uero pecuniæ summam Imperator ex tributo, quod Longobardi quotannis pendebant, comparserat. Obijt anno 981, cum præfuisset annis sex & uiginti: Bruschio teste.

RETHARIVS.

Volckmari defuncti loco potitus est Retharius, pietatis erga Deum & homines studiosissimus. Huius pontificis anno decimonono, urbs & ecclesia Padebornensis incendio conflagrauit: simulque liberi, literæ & priuilegia ab Imperatoribus ei concessa, & uniuersus templi ornatus in cineres redacta sunt. Retharius itaque Romam ad pontificem Syluestrum, & Imperatorem Otthonem tertium, ibidem tum commorãtem, legatos mittit: qui multis lachrymis utrique tantam cladem exponunt, petentes ut priuilegia antiquitùs suæ ecclesiæ ab Imperatoribus & pontificibus consessa, sua autoritate restituant. Quod illi non modò facilimè ab utroque impetrant, uerùm etiam suis sumptibus Imperator in restaurando templo pontificem strenuè iuuit: ut Cranz. in Metro. lib. 3, ca. 40 indicat. Solenni Halberstadensis ecclesiæ dedicationi interfuisse scribitur Retharius, in Quedlinburgensi historia.

Anno pontificatus sui 28, qui erat Christi 1009, uiuere desijt.

## VERDENSES.

BERNARIVS.

BErnarius Verdensis episcopus decimus tertius, triũ Imperatorũ, Ludouici nimirũ tertij, Conradi primi, & Heinrici Aucupis amicus haud uulgaris fuit, à quibus suæ ecclesiæ amplissimas impetrauit immunitates. His & põtificales prouisiones, sancto rõq; eleemosynæ accessêre: ut Cranzius in Metropoli lib. 2, cap. 30 indicat.

SVB OTTHONE I.

ADOLVARDVS.

IN eiusdem ecclesiæ gubernatione, Bernatium sequitur Adoluardus, non tam generis splendore, quàm literarum scientia & uitæ probitate insignis: cuius etiam fides Imperatori Otthoni Magno probata fuit, à quo pastoralem accepit ferulã. Vsus est hoc episcopo præceptore Adeldagus, postea Hamburgensium præsul, eiusque commendatione Imperatoris fauorem primum meruit. Cranz. in Metrop. lib. 3, ca. 16. Veri pastoris officio bona fide perfunctus est. Ad Vandalos enim excurrit, eosq; ueram salutis uiam sua prædicatione edocuit. Quamdiu autem prouinciam in Verdensi ecclesia administrarit, ignoratur: teste eodem Cranzio in Metropoli libro 3, capite 12.

AMELVNGVS.

Amelungus, frater germanus Hermanni, illius quem Ottho Magnus ducẽ Saxoniæ constituit, post Adeluardum ad Verdẽsem sedem euehitur: estq; ordine decimus quintus.

BRVNO.

Bruno, Otthonis Magni ex Ludolpho filio nepos, qui post Amelungum sede Verdensi potitus est, liberalis in suam ecclesiam fuit Postquam enim pontificatum ingressus est, patrimonium suum sacris rebus dicauit, indeq; in honorem B. Virginis & Iohannis Baptistę, collegium cœlibem uitã agentium uirginũ extruxit, ac plurima ecclesię ornamenta de suo comparauit. Diuo Mariano quoque sarcophagum excindi fecit, quod de superstitione episcopi fert testimoniũ. Crãzius in Metropoli lib. 3, cap. 36.

SVB OTTHONE II & III.

ERPO.

COlonienſi & Hamburgenſi, duobus Germaniæ primarijs epiſcopis, de Bremẽſi ſede coram Imperatore Otthone Magno, cum uterq; eam ſui eſſe iuris diceret, contendentibus: Erpo Adeldagi Hamburgenſis diaconus, homo ingenij acutiſsimi, tantã fide & induſtria ſuo epiſcopo in ea contentione ſuam operam præſtitit, ut Imperator coram omnibus teſtaretur, fore eũ eius eccleſiæ intra Germaniæ fines epiſcopum, quæ prima ſuo paſtore deſtitueretur. Mortuo itaq; Brunone Verdenſi, in ipſius locum Imperatoris autoritate ſurrogatur: quẽ per ſecundi & tertij Otthonum tempora, ſumma omnium laude adminiſtauit. Ottho tertius ei libertatẽ argentũ cudendi cõceſsit, ac ut ſolennes nundinas ubicũq; locorũ intra ſui epiſcopatus limites indiceret. Maiorum ferarum uenationem, quæ ſolis principibus olim cõpetebat, eidem Imperator, omnibusque eius ſucceſſoribus liberam eſſe uoluit. Qua de re literas anno 985 ſcriptas extare, Cranzius in Metropoli libro 3, capite 36 indicat.

Anno 992, celebri Halberſtadenſis dedicationi, cum plurimis alijs epiſcopis Erpo interfuit: ut in hiſtoria Quedlinburgenſi ſcribitur.

METHODIVS MORAVORVM *epiſcopus.*

Morauorũ rex Suatocopij filius, uenatũ aliquãdo iturus, archiepiſcopo ſuo Metho-

dio mandauit,ne ante ſuum reditum ſacra perageret.Expectauit Methodius uſque ad meridiem: tandem rem diuinam negligi ueritus,Deo ſacrificium offerre cœpit. Interea reuerſus princeps, ubi nullam ſui habitam eſſe rationem animaduertit, ſacram ingreſſus ædem,canum uenaticorum multitudinem intromiſit: tubasque clangere iubens,ad altare progreſſus,multis epiſcopum conuicijs petijt, ac uix cruentas continuit manus.Eam ob rem Methodius, cũ prius regem excommunicationis ferijſſet fulmine,uniuerſoque regno ſacris interdixiſſet,in Bohemiã fugit: ut Æneas Syluius in Bohemica hiſtoria capite decimotertio ſcribit.Ibi Vuortziuoum (quem Nauclerus Borſinoum uocat) Bohemiæ ducem,eiusque coniugem Ludimillam baptiſmi ſacris initiauit,anno 905. ut Schedelius habet. Nauclerus uerò uolumine 2 Chronographię,Generatione 32,ſub Stephano ſeptimo, circiter annũ Domini 931, id factũ aſſerit.In Bohemia uerò cũ aliquãdiu ſubſtitiſſet Methodius,Romã abijt,ibique in fratrẽ ſuum Cyrillum incidit.Æneas Syluius.

CYRILLVS.

Cyrillus Methodij frater,cum Morauos Chriſtiana religione imbuiſſet, ad Slauos ſe conuertit,ac magnam ibi quoque Chriſto lucratus eſt multitudinem. Poſtea Romam abijt pontifici ſupplicatum, ut apud Slauorum gentem à ſe baptizatam, uernacula lingua in ſacris peragendis uti ſibi liceret.De qua re dum in ſacro diſceptaretur ſenatu (aderant enim non pauci qui contradicerent) hæc uox tanquam de cœlo prolata in medio confeſſu ſonuit: Omnis ſpiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei. Sicque Cyrillus uoti ſui compos factus, diſceſſit:ut idem in Bohemica hiſtoria, capite 13 indicat.

## PRAGENSES.

THEODOMARVS.

SVb Otthone ſecundo Boiemis, quorum ſacris ad hæc uſque tempora præfuerat Reginoburgenſis epiſcopus, proprius datur antiſtes, Theodomarus genere Saxo, uir eruditione inſignis: ut Syluius capite 16 de Bohemis, & Auent.lib.5 Annaliũ ſcribunt.

ADELBERTVS.

Secundus Bohemorum epiſcopus Voiecechus,ut Cromerus habet:ſeu Vuictech, ut Sigebertus: Adelbertus,ſeu Albertus,iuxta Sabellicũ,ab exteris gentib.dictus fuit.

Ampliſsima aũt familia Boiemorũ hunc Adelbertũ natũ,ex Bonfinij narratione cõſtat,qui patrẽ eius Slauicũ nomine Lubeco imperaſſe,ſuumq; regnũ in Boiemiã,ad Suinam & Niſam uſque fluuium, & ad Herciniam ſyluam apud Teuthones, & in Poloniam ad Glaſtum uſque agrum extendiſſe,ſcribit.Cæterùm graui in iuuenili ætate morbo correptus Adelbertus, à ſuperſtitioſa matre Streſilaua,ad D. uirginis quandã ædem defertur: quæ cum uotum ibi reddidiſſet, perpetuò hũc ſuũ filiolũ religioni addictũ fore,ſanitatẽ ipſi impetrauit.Liberaliter igitur & ingenuè tenellus puer à parẽtibus educatus, literas feliciter didicit & apud Fuldẽſes,quorũ cõuerſatio hoc ſeculo toto orbe prædicabatur (ut Trithemius annotat) uitę monaſticę habitũ,ut uoto matris ſe exolueret, aſſumpſit.

Boiemis autẽ epiſcopo deſtitutis, ipſe ad ſacerdotale munus uocatur,ac in metropoli eorũ Praga reſidere(ut Marianus Scotus habet) iuſſus eſt.Verùm cũ ob gentis in idololatria ethnica & feritate pertinaciam extremã fruſtra aliquãdiu apud ſuos docuiſſet,Romã,ſanctos ut cõſulat patres,abijt ibiq; monaſticę uitę habitũ denuò aſſumpſit.Bohemi eius abitu indignati,in parentẽ & fratres impetu facto,eos trucidarunt. Roma deinde per Boleslaũ ducem reuocatus,in patriã redijt, ac ſacerdotis munia,ut antè, alacri animo obire non eſt grauatus. Bohemi uerò antiquũ obtinẽtes, eadẽ qua prius,in eũ uſi ſunt ſæuitia & inhumanitate:ut Bõfinius lib.1.Decadis 2 ſcribit. Horũ pertinacię pertęſus, & plãtandę religionis gratia alias inuiſere gẽtes magis cõſultũ ſore ratus,Vngaros adijt, Gaudẽtio fratre aliisq; religioſis uiris eum comitãtibus.Apud quos ultra annũ cõmoratus, copioſum ſuę prędicationis fructũ, rege fauẽte religioni, fecit:cuius & filium Stephanum ſacro baptiſmate initiauit. Inde ad Polonos contẽdit, à quibus honorificè ſuſceptus, ducẽ eorum Miecislao ſingulari eum fauore cõplectente, eandem ipſis, quam Vngaris, nauauit operam.Mortuo uerò ijſdem diebus Roberto primo,Gneſnenſi archiepiſcopo,Polonorum ducem Adelbertum reluctantem,magna cõtentione in locũ eius ſubſtituiſſe, Bohemorũ annales teſtantur. Sed breui interiecto temporis ſpacio, nocturna uiſione admonitus, ſuſceptam religionis ergò peregrinationẽ perſequi tentat. Relicto itaq; ibi itineris comite, & fratre Gaudẽtio archiepiſcopo (cui & Raſino nomẽ erat) ipſe ad Boruſſos abijt. Verùm magna non ſolum difficultate ſuo munere ibi functus eſt, ſed quotidie truculentæ mors ei ob oculos uerſabatur. Tandem prope oppidum Fiſshauſen, Ethnicorum flaminum inſtinctu, à Barbaris trucidatus ſcribitur, anno Chriſti 995: iuxta Marianũ Scotũ. Schafnaburgenſis habet annũ 997.Cuius corpus Boleslaus dux tanto

auri pondere, quantum cadaueri responderet à Barbaris redemit: & ad Gnesnensem delatũ ecclesiam, terræ ibi mandari magna solennitate curauit. Non multo pòst, monumentum eius plurimis inclarescere cœpit miraculis: ut Bonfinius lib. 1 Decadis 2 rerum Vngaricarũ: Cromerus lib. 3 de rebus Polonorum scribũt. Diuorũ catalogo Adalbertum inscriptum, eiq; festum agi diem 9 Calend. Maij, Trithemius indicat.

THEODAGVS.

Pragensibus per legatum petentibus, Otho tertius Theodagum, monachum Corbeiẽsem (ut in Hirsaugiensi Chronico Trithemius testatur) uirum tanto munere non indignum, & ab archiepiscopo Mogũtinó consecratum, dedit antistitem: ut Cuspinianus in uita Otthonis indicat.

LAMPERTVS
*Cracouiensis.*

Miecislaus Polonorum dux, Lambertũ Cracouiensem episcopum, ad Romanum pontificẽ Benedictum, eius nominis septimum, ablegat, regium diadema duci Polonorum & omnibus eius posteris petitum: uerùm repulsam passus est, ut Cromerus lib. 3. de rebus Polonorum refert.

## *BRITANNICAE DOctores.*

### CANTVARIENSES.

ATHELREDVS.

Athelredus uirtute & autoritate summus, post Celnotũ seu Chelutum, ex Vintoniensi episcopo, Cantuariensis archipræsul factus, Edouardo XXIII Angliæ regi, promore maiorũ, regiũ imposuit diadema, anno Christi 901. Archiepiscopatum annis circiter decem & octo administrauit: iuxta Polydorum Vergilium lib. 6 Anglicæ historiç.

PLEIMVNDVS.

Athelredo mortuo, Pleimũdus, uir & doctrina, uitæq; integritate illustris, sede eadẽ potitus est. Magna autẽ ex parte Edouardi regis incuria apud occidẽtales Anglos religio interciderat. Rex enim dum bellicarũ magis rerũ quàm religionis studiosus esset, sacerdotes suo officio inter arma parũ fideliter fungi poterãt. Ioannes itaq; Romanus pontifex, eius nominis undecimus, per legatos & literas regẽ uehementer obiurgauit: eumq; hostẽ religionis publicè se denunciaturũ, nisi ad saniorẽ redierit mentem, minatus est. Hoc fulmine excitus Rex, apud Pleimũdũ, ut Synodũ cogat, instat. In ea plures uno die à Pleimũdo ordinãtur episcopi: Firthestanus ad ecclesiã Vintoniẽsem, Adelstanus ad Schireburnensem, Adelmus ad Vuallensem, Gindulphus ad Cridẽsem. Australibus Saxonib. Berneſus, Mercijs Cenulphus præficitur. Hoc facto archiepiscopus sui purgãdi causa Romam profectus, pontificem, oblatis amplissimis ei muneribus, iterum placauit: ut Polydorus lib. 6. Anglicæ historiæ, & Vuilhelmus Malmesburiensis lib. 2, cap. 22 testantur.

ATHELMVS.

Athelmus uigesimus Cantuariensiũ episcopus, qui Pleimũdo successit, anno Christi 926, Adelstanum XXIIII Angliæ regem, Edouardi ex cõcubina filiũ, ad Kingstonũ oppidum, circiter decem milia passuũ Londino distans, regia corona insigniuit. Polydorus lib. 6 Anglicæ historiæ.

VVILFEMVS.

Defuncto Athelmo, Vuilfemus, seu Vuilfelmus ex Vuellẽsi episcopatu, tẽpore Adelstani regis, Cantuariensem cathedram conscendit: quam cum annis tenuisset decẽ, uita functus est: ut ex eodẽ uidere est autore.

ODO.

Odo cognomento Seuerus, homo uafer & callidus, ex Danis orientalẽ Angliæ partem incolentibus oriundus, Græcæ & Latinæ linguæ peritissimus fuit, ut uel soluta uel ligata oratione, quicquid uellet, ex tempore & expeditè proferre posset. Tanta ingenij felicitate celebris factus, sub Eadmũdo uigesimo quinto Anglorũ rege, Saresburiensis episcopus cõstituitur. Postea defuncto Vuilfemo, ad Cantuariensis ecclesię gubernationẽ accersitur: ad quam tamẽ prius nolebat accedere, quàm à Floriacensi abbate monasticis initiatus esset sacris. Omnes enim antecessores suos ex monachorũ collegijs ad eam dignitatem conscendisse audierat. præterea clericorum ordinem ob cõiugium apud uulgus, fœtidorum monachorum impia de cœlibatu doctrina infectum, cõtemptui & ludibrio esse norat: ut Ranulphus lib. 6, cap. 10 testis est.

Ex uafro ingenio hæc pauca & impura produxit scripta. Ad Floriacẽses monachos:

Pro nepote Osuualdo, lib. 1.
Defensionem Eucharistiæ, lib. 1.
Vitam Vuilfridi archiepiscopi, lib. 1.
Ad suos suffraganeos, Epistolam 1.

Poemata quoq; plura edidit, epistolas ac statuta synodalia.

Accepto autem monachorum Floriacensium ordine, & pallio ab Agapeto Romano pontifice impetrato, suę gubernationis munia animo forti, Sodomiticarum turpitudinum patronus haud segnis, aggressus est. Clericorũ enim pias & legitimas nuptias in gratiã monachorũ damnauit, quo ipsorũ uitæ genus, omnis generis libidinib. fœdis exũdãs, apud ignobile uulgus, ipse magnæ autoritatis & eruditionis uir, efferret. Nec regis quidẽ Eduuini cõcubinæ, ab ipsius se

ueritate immunes fuêre. Earũ enim facies in regis contumeliam cauterio notauit, & ad Hybernos exulatum misit, suas interim in monachorum cellis delitescere permittebat: ut Balæus scribit.

Huius Odonis temporibus (fortè non sine ipsius cõsilio & autoritate) putrida mortuorum ossa apud Anglos ex terra effodi, & religiosè, seu (ut uerius dicam) superstitiosè in aureas capsulas reponi cœpta sunt. Ac ipse archiepiscopus, Vuilfridi Riponensis episcopi, & Andoeni monachi cadauera, honorificè Cantuariã transferri curauit, anno 956. ut occasione miraculorum, mendacium per eos ibidem edendorum, clericos cum coniugibus ab illa ecclesia Seruatoris eijceret, ac monachis inhabitandã cõcederet. Ac successit nõ multo pòst ex uoto sententia, ut Balæus scribit.

Duos Anglorum reges sub quibus uixit, Eldredum nimirum, anno Salutis 946, & post eum Eduinum filium successorem, anno 955, ad Kingstonum, sacro diademate, maiorum more consecratos, ornauit: teste Polydoro Vergilio lib. 6 Anglicæ historiæ.

Lis ei fuit cum Cantuariensi clero, circa materiam cœnæ Dominicę: quorum aliqui asserebant, manere panis substantiam, & tãtum esse figuram corporis Domini, ac uinũ sanguinis eius. Quod Odo cum solida Scripturæ sacræ fundamenta, quæ aduersarijs opponeret, sibi deesse uideret, præstigijs quibusdã, ac mendacibus Sathanæ miraculis diluere conabatur. factaq; hęc sunt circa Domini annum 950, ut Balæus indicat.

Fatali morte tandẽ absumptus est, anno Christi 959, archiepiscopatus sui 13: uel ut alij uolunt, 19. ut Polydorus lib. 6. Anglicæ historiæ, & Balæus de Scriptoribus Anglię testantur.

DVNSTANVS.

Dunstanus amplissimo Anglorũ genere natus, homo mira ingenij industria & sagacitate excellens, Hybernis monachis apud Anglos erudiẽdus traditur, inter quos ipse quoq; adhuc puer monasticũ induit habitum. Pręter linguarum autẽ & artiũ studia, in primis Musica instrumenta magna cũ felicitate tractare didicit. Manũ etiã ad imagines in omni metallo effingẽdas & excudendas habuit promptissimã: nec magicæ artis (ut Vincẽtius indicat) quæ monasticæ professioni uicina est, ignarus fuit. Cæterũ per omnes dignitatum gradus, ad archiepiscopatus fastigium tandem conscendit.

Scripsit ad Alphiraldum:

| | |
|---|---|
| Benedictionariũ archiepiscopale, | lib. 1. |
| Regulam uitæ monasticæ, | lib. 1. |
| Ordinationes cleri, | lib. 1. |
| Super regulam Benedicti, | lib. 1. |
| De occulta philosophia, | lib. 1. |
| Leges decimarum, | lib. 1 |
| Contra sacerdotes ad papam, | lib. 1. |
| Solutiones dubiorũ Eucharistiæ, | lib. 1. |

Epistolas ad diuersos, lib. 1. & alia quędã suo ingenio & uafricie digna.

Sub Edmundo XXV Anglorum rege, abbas Glasconiensis factus, diabolorum consortio sępius in monasterio usus, ac per eos de rebus futuris edoctus scribitur. Nã cũ ex scurrilibus dæmonis cuiusdam ante se saltantis gesticulationibus, Edmũdi regis obitũ cognouisset, mox equo conscendens, ad aulam regiam incitato cursu contendit: sed in medio itinere de obitu regis certior factus est, ut Vincentius lib. 24, cap. 71 narrat.

Cuius exequijs peractis, Eduinus patri in regno successit. Qui pro iuuenili temeritate quid uis sibi licere existimans, eo ipso die quo primùm Rex salutatus est, incæstũ cum nobili quadã coniuge, per uim in publico loco committere non est ueritus, ita uc tantum scelus per omnem Angliæ regionẽ diuulgaretur. Dunstanus igitur, qui paucis antè diebus abbas factus fuerat, amicis uerbis ob commissum scelus iuuenem Regẽ arguebat. Rex admonitionis impatiẽs, scelus sceleri adiecit: ac Dunstanum dignitate sua exutum, in Flandriam exulatum misit. Sed quarto sui regiminis anno, Eduinus animi mœrore extinctus est. Northumbri enim, & Mercij eius uitia detestantes, ab eo defecerunt, ac Edgarum fratrem eius Regem salutarunt: ut Polydorus lib. 6 Anglicę historiæ testatur.

Edgarus rerum summa apud Anglos potitus, Dunstanum ab exilio reuocatum, duplici honore ornat. Vigorniẽsem enim post Osualdum, & Londinensem simul eum creat episcopũ: qui utriq; prouinciæ administrandę, ut in populi commodum cuncta cederent, sedulò suam nauauit operã. Nam id temporis episcopi (ut Polydorus ait) nõ plus opum, at plus doctrinæ, plus sanctitatis, plus prudentiæ quàm alij habebant. Ranulphus lib. 6, cap. 9 in Polychronico.

Eadem seueritate & in Edgarum regem usus est, qui defuncta Elfreda sua coniuge, Alfredam Etheluoldi cuiusdam principis uiri adhuc superstitis uxorem, deperire cœpit. Venandi itaque gratia ad Etheluoldi uillam accedenti, regi obuiam facta Alfreda, ultrò castum resoluit pudorem. Turpẽ ea res ignominiæ notam apud plurimos regio inusit nomini. Dũstanus sui officij memor, & hunc de peccati atrocitate monuit: ac licet conscientia uictus de eo nonnihil doleret, tamẽ pellicis libidini, ipsa nimirũ instigante, nõ potuit nõ indulgere. Ac licet graue Alfredæ irã, quòd regem de illicitis moneret

moneret nuptijs, incurrerit archiepiscopus: apud regem tamen ipsum suæ autoritatis locum semper obtinuit. Genuit autẽ ex ea Ethelredũ: qui cũ baptizaretur, alui excrementa in sacram immisit aquam: unde Dũstanus prædixisse fertur, eum magni patriæ suæ mali dedecoris que causam futurum: ut Polydorus Vergilius lib. 6 Anglicæ historiæ scribit.

Mortuo uero Odone Cantuariensi archiepiscopo, Dunstanus ordine eius antisti tum uigesimustertius, cõmuni consensu ei succedit: ut idem testatur.

Porro à Iohanne XII Romanæ ecclesiæ præsule, quo uix flagitiosior homo unquã fuit, confirmationẽ & pallium impetrauit. A quo simul magno auri pondere, magnæ autoritatis diploma redemit, quo clericorũ coniugia damnare, & ut cœlibẽ agant uitã cogere, aut hanc conditionẽ respuentes & honore & facultatibus suis exuere posset. Quã truculẽter uerò & tyrãnicè persecutionẽ in sacerdotes honesto matrimonio iunctos exercuerit, suprà est expositum. Polydor. lib. 6 Ang. historiæ.

Claruit ijsdem temporibus Scotorũ qui dã episcopus anonymus (quem alij tamen Fothadũ, alij Ethelredum dici autumãt) ingenij acumine, doctrinæ & eloquentiæ laude uix ulli suo seculo inferior. Hunc Alphenæ precibus motus, in Angliã comitãtibus eũ aliquot eruditis uiris misit, pro defensione coniugij sacerdotũ, contra impiã monachorum opinionẽ & tyrannidẽ. Qui cũ Dũstano in Caluensi Synodo, argumentis solidis & Scripturis congressus, ita in augustũ eius coegit copias, ut contrà mutire nõ fuerit ausus. Tandem Dunstanus & senio & laborũ mole, quos in gubernatione multos iã annos sustinuisset, adeò ingenij sui uires esse fractas queritur, ut disputationibus amplius uacare non possit, nec uelle se eiusmodi colloquijs deinceps à quoquam molesta ri. Et quamuis (furiose inquit) penes uos uictoria esse uidetur: parum tamen inde refertis laudis, nec felices uestri consilij successus experiemini. Vnde malis artibus perbant euersa, uita priuatos esse, haud obscure Antoninus, Capgrauus & Fabianus in suis Chronicis indicare uidentur: ut ait Balæus.

Duobus Angliæ regibus Edouuardo atque Ethelredo regium diadema imposuit. Dono insuper futura prædicẽdi ornatus fuit. Nam cum Etheldredum, qui infans olim baptizandus alui excrementis (ut modò diximus) baptismũ fœdauerat, Edouuardi nouercæ suę iussu trucidati, successorem regem inũgere Dunstanus archiepiscopus, licet diu repugnasset, tandem coactus fuisset, prædixisse fertur, Deum à totius Angliæ populo, ob necem Edouardi pij regis, multis calamitatibus pœnas repetiturum. Ac respõdit paulo pòst euentus. Daci enim irruentes in Angliam, felici bellorum successu cuncta in suam potestatem redegerunt: adeò ut Rex ignauus & mollis, multo auro pacem ab eis redimere compulsus fuerit. Quæ tamen & ipsa diuturna non fuit. Secuta est insuper pestis & fames sæuissima, ut Polydorus libro sexto & septimo Anglicæ historiæ: & Vuilhelmus Malmesburiensis libro 2, capite 53 scribunt.

Aliquot monasteriorum tum uirorum tum uirginum architectus fuit, quæ non solum necessarijs, sed superfluis quoque bonis & reditibus ditauit: ut ex Balęo & Fasciculo temporum constat.

Multis eum, dum in uiuis fuit, miraculis claruisse, Polydorus indicat: uerùm nulla eorum recenset.

Paulo ante obitum, cum in lecto decumberet, Seraphin uidit, & ab angelo antiphonam didicit: O rex gentiũ, dominator omnium, propter sedem maiestatis tuæ da nobis indulgentiam, rex Christe, peccatorũ: ut ex Chronico, quod Epitome mundi inscribitur, uidere est.

Obijt autẽ anno sui in ecclesia Cantuariensi præsulatus uigesimooctauo, ætatis uerò septuagesimonono, qui fuit Christi 988, ac mox in diuorum numerum ob uitæ sanctimoniam relatus est: ut Polydorus Vergilius libro 7 Anglicæ historiæ, & Balæus Centuria secunda Scriptorum Britanniæ, cap. 38 annotant.

ALFRICVS.

Alfricus, Grammaticus & monachus, Etheluoldo præceptori suo in Abindonensi substituitur abbatia. Fuit & Vuellẽsis episcopus: uerùm cũ strenuã in propagando apud Anglos papismo nauaret operã, ad Cantuariẽsem archipræsulatum accitur. In florenti ætate scripsit,

| | |
|---|---|
| Grammaticã quandã Latino Saxonicã, | li. 1. |
| Dictionarium Latinum, | lib. 1. |
| Super Gregorij dialogos, | lib. 4. |
| Sermones 180, | lib. 2. |
| Donatum uertit, | lib. 1. |
| Genesin transtulit, | lib. 1. |

Obijt anno Christi 1006, archiepiscopatus sui 13. Cadauer eius Cãtuariæ terræ mãdatũ est: ut Balęus Cẽturia secũda Scriptorum Britanniæ, cap. 41, ex Lelando refert.

## EBORACENSES.

VVLSTANVS.

VVlstanus decimussextus Eboracẽsium episcopus,

epiſcopus, apud Adelſtanum Anglorum regem, ob ſingularem animi uirtutem & uitę ſplendorem, in magno fuit precio: ipſiusq; fauore rex Eboracenſem eccleſiam plurimis bonis auxit. Ab Eldredo leui de cauſa, quę tamen reticetur, in exilium eiectus eſt. Vnde anno altero reuocatus, priſtinę dignitatis locum recuperat. In carcere eum diu à rege detentum fuiſſe, Vuilhelmus Malmesburienſis lib. 2, cap. 38 de geſtis Anglorum teſtatur. Biennio poſt exilium tranſacto, rebus humanis exemptus eſt. Vixit ſub tribus Anglorum regibus, Adelſtano, Edmundo & Eldredo: ut Polydori Vergilij hiſtoria de Anglis lib. 6 teſtatur.

OSCITELLVS. ADELVALDVS.

Vulſtanũ ſecutus eſt Oſcitellus, cui poſt obitum Adelualdus Vigornienſis præſul ſucceſsit, utriuſq; eccleſiæ gubernationem ſimul ſuſtinens. Monachorum ſingularis fuit hic fautor & patronus. Nouum enim ijs in Vigornienſi ciuitate domicilium extruxit: ut Ranulphus lib. 6, cap. 10. in Polychronico, & Polydorus annotat lib. 6 Anglicæ hiſtoriæ.

OSVVALDVS.

Oſvualdus monachus Floriacẽſis, Odonis Cantuarienſis archiepiſcopi patruelis, ut Ranulphus habet, Edgari Anglorum regis & Dunſtani beneficio, Vigornienſi ſede, ac deinde eiuſdem opera Eboracenſi archiepiſcopatu potitus eſt.

Scripſit ad Albonem, Epiſt. 1.
Ad Sanctos, dum eſſet Floriaci, lib. 1.
Statuta Synodalia, lib. 1.

Et alia quædam, ut Balæus teſtatur.

Tantæ autem apud Edgarũ (quem cum Cantuarienſi archiepiſcopo, regio ornarat diademate, ob uitæ ſanctitatem, quam miro artificio interdum ſimulare norat) autoritatis erat, ut nihil non perficere ualeret. Strenuè igitur Dunſtano, ſacerdotes maritos, Papalium literarum fulmine, & regis conſenſu, è ſuis ſedibus eijcienti, ſuam nauauit operam: teſte Polydoro lib. 6 Anglicæ hiſtoriæ.

Pietatis ſuæ ſpecimen editurus, cœnobium ordinis diui Benedicti in pago quodã Lincolnienſis diœceſis extruxit.

Obijt Oſvualdus circiter Salutis annum 979, poſt annum adminiſtratæ apud Eboracenſes prouinciæ uigeſimum tertium. Ob uitæ autem puritatem, diuorum conſortio dignus eſt habitus: ut Polydorus Vergilius lib. 7 Anglicæ hiſtoriæ refert.

ADVLPHVS.

Adulphus uigeſimus Eboracenſium epiſcopus, poſt Oſvualdum factus eſt: ut idem annotat.



## VINTONIENSES.

FIRTHESTANVS. BIRSTANVS.

INter uiros doctos, qui Adelſtani uigeſimi quarti Anglorum regis temporibus floruêre, haud poſtremi fuerunt Firtheſtanus, qui in Synodo à Pleimundo ordinatus eſt Vintonienſis epiſcopus, & ſucceſſor eius Birſtanus: ut Polydorus lib. 6 Anglicæ hiſtoriæ, & Malmesburienſis lib. 2, cap. 12 annotant.

ETHELVOLDVS.

Etheluuoldus, Albę gallinę filius dictus, & ex occidentalium Anglorum progenie natus, ſub Dunſtano abbate in Glaſconienſi cœnobio monachum induit. Ob literarũ autem ſcientiam, Abindoniæ abbas, deinde Vintoniẽſis epiſcopus, Edgari regis iuſſu factus eſt.

Scripſit contrà presbyteros fornicarios, lib. 1.
De ſuis uiſionibus, lib. 1.
De planetis & climatibus mundi, lib. 1.

Fuit homo præceps, uafer, nouarum rerum & auræ popularis cupidiſſimus. Vtigitur ſuæ conſuleret gloriolæ, ſacerdotũ nuptias, eadem cum Dũſtano arte & zelo peruerſo ſtrenuè damnauit. In huius etiam gratiam Edgarus rex, nouum Vintonienſe collegiũ, ac Schireburnenſe, eiectis inde preſbyteris, monachis inhabitandum cõceſsit.

Vitæ monaſticæ adeò fauit, ut monialiũ (haud ſtultè ſapis) monachorũq; peruigil dictus fuerit patronus. Ac duo extruxit monaſteria (inſignia pietatis, ſeu, ut uerius dicamus, hypocriſis opera) alterũ uirginum, alterum uerò monachorum: quod Burgũ Petri, cuius tutelę commiſſum fuit, dicitur.

Acriter contra hunc à multis in Anglia, præſertim à Scoto illo, cuius paulo antè facta eſt mentio, de ſacerdotum negocio, qui matrimonio contrahendo uel prohibebantur, aut ut mariti coniuges ſuas deſererent urgebantur, diſputatum eſt.

Dum adhuc in uiuis fuit, plurimis eum claruiſſe miraculis, Polydorus Vergilius quidem indicat, at nullum eorũ exprimit: & ob id poſt mortem diuorum quòs Antichriſtus colit, catalogo inſcriptum eſſe.

Anno Salutis 984, epiſcopatus uerò ſui 24, è uiuis ſublatus eſt: ut idem lib. 7 Anglicæ hiſtoriæ: & Balęus Centuria 2 Scriptorũ Britanniæ, cap. 36. annotant.

ALPHREDVS Exceſtrienſis.

Alphredus Malmesburienſiũ monachorum abbas, ſacrarum prophanarũq; literarum ſcientia præſtans, Cridiodunenſis ecclеſiæ, quæ nunc Exceſtrienſis dicitur, factus eſt epiſcopus, ſub Ethelredo Anglorum rege. Lib. 1.

Scripſit de naturis rerum, De rebus

De rebus sui cœnobij, Familiarissimus fuit Dunstano Glasconiẽ- sabbati: ut Balæus indicat Centuria 2 Scriptorum Britanniæ, cap. 39. Lib. 1.

PLEGMVNDVS *Dorouernensis.*

Plegmundus genere Mercius, Dorouernensium archipræsul, Alphredo regi in primis charus & familiaris fuit: ut ex Lelando refert Balæus. Plura posteritati monumenta eum reliquisse, idem annotat: nullum tamen eorum exprimit. Obijt anno sui pontificatus trigesimo tertio, qui fuit Christi 926. ut idem Centuria decima Scriptorum Britanniæ, cap. 32 scribit.

## ALII ANGLIAE doctores.

BLEGABRIDVS *archidiaconus.*

Blegabridus Languaridus ex Cambria oriundus, ob singularem ingenij præstantiam, & eruditionis opinionem utriusq; Iuris doctor effectus, mox in Landauensi ecclesia archidiaconi locũ accepit. In magna autem apud principes uiros fuit existimatione, qui eius amicitiam & colloquia sæpius expetebant.

Houeli Cambrorum regis uarias leges collegit, easq; Latinas fecit: quibus titulũ indidit,

Leges Houueli regis, lib. 1.

Dicitur & alia quędã, ex eruditorũ scriptis selecta, in locos cõmunes distribuisse. Claruit anno 914, sub Eduardo Anglorũ rege: ut Balæus scribit.

VNVONVS *presbyter.*

Vnwonus presbyter, Britannus natione, multarum linguarum peritia excellens, ab Eodmaro S. Albani abbate, ut ueteres alios quot codices Anglico sermone scriptos in Latinam linguam trãsfunderet, accersitur. inter quos præcipui fuêre:

Vita Albani Verolamij. Alius item de Verolamensium placitis, antiquis Romanorũ ritibus & sacrificijs eorum dijs patrijs exhibitis, differens. Magnam autem Vnwoni laborum partem iniquus abbas igni concremandam tradidit: ut Balæus Centuria secunda Scriptorum Britãniæ, cap. 33, ex Matthæo Parisio & Lelando annotat. Claruit circa annum Domini 970. sub Edgaro XXVII Anglorum rege.

GISELBERTVS.

Extat liber quidam sine expressa autoris mentione, cui titulus est, Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ: quem nos, autoritate Trithemij in Hirsaugiensi Chronico, Giselberto quidem Benedictinæ professionis monacho adscribimus: quem Anselmi, de quo sequenti Seculo Deo dante nobis dicendũ erit, apud Anglos fuisse ait discipulũ, Attamen aliũ hic nobis uicissim inijcit scrupulum ipse Altercationis autor, Ioannem Scotum, quem Caroli Magni uixisse temporibus Trithemius autor est, tanquã sibi coætaneum allegãs, cum ait: Theologus apud Græcos Linus fuit, apud Latinos Varro, & nostris temporibus Ioannes Scotus de decem categorijs in Deũ. Extat præterea Caroli (quẽ diximus) epistola, cuius tale exordium est: Caussa scribendi hãc epistolã est, altercatio Iudæorũ contra Christianos. Cæterùm quisquis tandem sit autor, nos Giselberti nomen retinentes, præsenti Seculo hoc inseruimus scriptum, cum alioqui non modò pręstantioribus, sed etiam mediocribus destituatur Ecclesiæ doctoribus: imò ut uerum fateamur, doctum ferè nullũ, de cuius liquidò cõstet monumentis, habeat.

Apparet autem & alium quendam libellũ ab eodem scriptũ. nam in Altercationis procœmio ait: Videamus nunc quid in superiorib. studijs nostris de statu geminę senectutis & adolescentiæ cõfecerimus, & quo modo præcedentia sequentibus coaptẽtur & compẽdeant studeamus. Quia enim profastidio remouẽdo, hoc Opus ab isto distinximus: consequenter subsequens opus ad sensum præcedentis opusculi flectere ualebimus. Contulimus illic nõnulla de iuuentutis & senectutis proprietate: conferamus & hic de iuuenis & senioris collocutione.

Physices ignarus nõ fuit Giselbertus. Iridis enim hãc reddit rationem: Radius solis nubem imbriferam ingressus, & spissam, cũ densitatẽ ipsarũ nubium splendori suo oppositã non ualet traijcere sua uirtute, arcuatur quadam circũflexione: nec ulla ratione uideri potest, nec apparet cœli serenitate. Item, epar cũctis uenis sanguinem ministrare ait cap. 20. At Dialecticam, diaboli gladium appellat: quod de abusu accipiendũ, haud obscurè in sequentibus innuit.

Veras de Christianæ doctrinæ capitibus sententias, pluribus obfuscat næuis. Nã tum originale tũ actuale peccatũ post baptismũ non remanere ait. Patrocinatur satisfactionibus papistarũ. Septẽ ait peccatorũ esse remissiones, ca. 12. Mariã prorsus ab omni peccato liberã, ac nostrã deprecatricẽ pronunciat, cap. 16 & 20. Vellus, inquit, Gedeonis sacratissimæ uirginis corpus est, sine omni carnis macula. Cũ enim uellus sit in corpore, corporis nescit passiones: sic rore Spiritus S. uellus, hoc est corpus uirginale cõplutũ, nullũ carnalis uitij sensit contagiũ. cap. 14. Purgatoriũ præterea & transsubstantiationem in sacra cœna adstruit. Verùm de his studiosus Lector Quartũ caput cõsulat.

Opinionibus etiam interdũ lusit. Nam alios diluuij iudicio purgatos, alios uerò p

hoc prædamnatos credit. Commune habet cum multis alijs doctoribus, quòd tam sacrorum quam prophanorum autorum dictis suam plus iustò muniat sententiam.

Cæterùm de Antichristi tẽporibus unũ atq; alterum apud eundem extat uaticinium: Septem, inquit, anni inopiæ uenient Antichristi temporibus, quando uerbi diuini cara erit annona: quia faciem Antichristi præcedet egestas. cap. 7. Item: Multi in fine mundi Christum sola professione sequentur, sed opere Antichristum.

De uitæ curriculo, eiusq; obitu, in literas nihil relatum est.

## FLANDRI.

### VVIGFRIDVS.

ANno 959, uenerabilis Morinorum episcopus Vuigfridus, diem clausit extremum: ut Iacobus Meyr in Chronico Flandriæ indicat.

### TRANSMARVS.

Transmarus episcopus Gãdaui templũ Iohanni baptistæ sacrum dedicauit, anno 941: ut Meyerus in suo Chronico annotat.

## DANI.

### POPPO.

Clericus quidã Poppo nomine, in conuiuio cum Danis disputat de cultu ueri Dei: quòd nimirum unus esset Deus uerus in essentia, trinus uerò in personis. Dani contrà asserebãt, Christum quidem esse Deũ: suos tamẽ deos & potẽtia & antiquitate ipsum antecellere. Res tandem ad Haraldum regem defertur, ut is litem eorum dirimat. Poppo gestatione candentis ferri suam fidem probare iubetur: quod in cõspectu ingentis multitudinis illæsus præstitit. Quo miraculo & Rex ipse, ac infinita Danorum multitudo moti, relictis suis idolis, Christianam fidem amplectuntur. Poppo uerò pontifex ab Adaldago Bremensi cõsecratur: ut testantur Vuitichindus, Sigebertus & Saxo Grammaticus: qui temporibus Suenonis, Haraldi successoris, hæc accidisse scribit. Cranzius præterea lib. 3. cap. 43 Metropoleos, & huius miraculi meminit: Cum iã ob celebritatem prioris miraculi, ad episcopatum Slesuicensem euectus esset Poppo, iterum ad Danos excurrit, ibiq; denuò suam fidem nouo quodam miraculo probare coactus fuit: ueste cera copiosa prius illita indutus, in medio populi circo eam incẽdit: ipse uerò nullum se ignis calorem sentiscere testatus est, licet ipsa uestis corpori circũdata in fauillas redacta esset. Quo miraculo multa milia ex Danis Christo se addixerunt, & Popponis nomen in hunc usq; diẽ apud eos celebre habetur.

### HARICVS, HARALDVS, GERBRANDVS. RIMBRANDVS. MARCVS.

Cũ Dania Christianę religioni se adiũxisset, Adeldagus Hãburgẽsis ecclesiæ præsul, plures eò misit episcopos. Cuius autem ubis ecclesiam quisq; administrandam susceperit, nusquam inuenimus, cum in ipsis initijs non fuerint distributæ sedes episcoporum. Harico tamen Seuiscus, Haraldo Slesuicum, Gerbrando Roschildia cesserunt, Popponi in Arusiana ecclesia Rimbrándus, Harico Marcus successit. Quibus & Insularium ecclesiarum inspectio in Fionia, Seländia, Scania atq; Sueonia commissa est: ut Saxo lib. 10 Danicæ historię, & Cranzius in Metropoli lib. 3, cap. 17. annotant. Et cap. 38. Stercolphus, Adelbertus, Mhera Daniæ quoq; episcopis annumerantur.

### LEFDAGVS. FVLBERTVS.

Lefdago Ripiensis ecclesia ab Adeldago commissa fuit, qui miraculorum dono excelluit, ac Trãsmarinos Sueones & Normannos Christianam fidem docuit: cui postea Fulbertus successit. Cranzius in Metropoli lib. 3, cap. 38.

### OTHINCARVS ALBVS.

Othincarus Albus, natione Danus, illustri familia natus, uir doctrina & sanctitate insignis, Fulberti Ripensis episcopi locum accepit. Is patrimonium suum, quod habuit ampliss imum, necessarijs Ecclesiæ usibus erogauit. Pauperibus etiam in Xenodochijs degentibus, liberalissimè agros distribuit, eosq; locupletes effecit. Bonus pastor bona sua erogasse in Dei honorem non cõtentus, rebus diuinis totum se addixit: ac Fioniam, Sueoniam, Scaniam, Selandiamq; peruagatus, prædicatione uerbi diuini illustrauit. Saxo Grammaticus libro 10 Historiæ Danicæ: Cranzius in Metropoli libro 3, cap. 38.

## GOTHORVM

### *Episcopi.*

### ADALVARDVS. STEPHANVS.

ERicus, qui & Strenchillus, Gothorum Sueonumq; rex, per legatos à Bremensium episcopo uiros doctos, qui religionis uerę plantationem in suo territorio tentarent, si bi mitti petit. Mox igitur Adeluardus & Stephanus eò proficisci iubentur. Horum ministerio tota ferè Birchensis ciuitas, quæ populosissima est, sacris baptismi prõptissimè initiatur. Non tamen defuêre mali quidam homines, non uirtutem, sed generis nobilitatem tumido ore iactitantes: qui à diabolo, uerę religionis & animarum salutis hoste instigati, cum horum uirorum prædicationem suo palato non sapere animad uerte-

uerterent, ac turpissimæ suæ uitæ, quam ipsi pro arbitrio agebant, minimè conuenire, non tantum hos diuinorum cultuum propagatores, sed ipsum quoq; regem carnem non destiterunt. Vulgus ignobile aulico lumnijs in uulgus sparsis, apertaq; ui peterum Thrasonum autoritate munitum, uirosillos comprehensos uirgis cædit: ipse quoq; rex eorum sæuitiam, nunc huc nũc illuc fugiendo, latebras quærere cogitur: ut Iohannes Magnus Gothicę historiæ autor lib. 17, cap. 15 annotat.

## NORVVEGIANI.

### BERNHARDVS.

BErnhardi Angli cuiusdã prædicatione, Norvuegia fidem Christianam didicit. Ipse etiam rex Olaus ab eo baptismum accepit, ac mutato priori nomine, Iacobus dici uoluit: Saxone Grammatico lib. 10 Danicę historiæ, & Iohanne Magno lib. 17, cap. 17 de rebus Gothorum testantibus. Iohannes Magnus cap. 19 eiusdem libri, Sigfridum quendam Eboracensem episcopum (cuius tamen nulla hoc seculo apud probatos rerum Angliæ scriptores mentio fit) ab Eldredo Anglorum rege, precibus Olaui regis in Norvuegiam missum esse scribit, qui regem, plurimamq; subditorum multitudinem, sacris baptismi initiârit. At Balæus Centuria 13 Scriptorum Britanniæ, cap. 68, meminit cuiusdam Sigvuardi, Bergensis episcopi in Norvuegia: quem ad Fontanum Angliæ monasterium uenisse, ibique monachorum conuentum, cum Ranulpho abbate in Noruuegiam trãsferendum impetrauisse, circiter annum Domini 1145. ex Hugone Kirchostallensi refert. Errore igitur lapsus Iohannes Magnus, hoc secundum cum posteriori confundit: cum diuerses illis seculis, eorundem ferè nominum reges Daniæ & Suetiæ regnum administrarint, ut ex Chronologijs constat.

# DE MONACHIS.

## MONACHI EVropæi.

## ITALI.

### CASSINENSES.

#### LEO.

LEo uigesimus Casinensis abbas, suorum antecessorum uestigijs insistens, ut mendicando sui monasterij bona auctiora redderet, præcipuè operam dedit. A Sergio III Romanorum præsule, privilegium accepit. Monasterium suum in cineres superiori seculo redactum, hic reædificare cœpit. Præfuit annis 15, teste Leone Hostiensi lib. 1, cap. 54.

#### IOHANNES.

Defuncto Leone, cum ob monachorum in eo collegio ruditatem, nullus tanto munere dignus reperiretur, Landulphi & Atenulphi Capuanorũ principum autoritate, Iohanni Capuanæ ecclesiæ archidiacono, familiæ splendore & hypocriticæ pietatis laude præclaro, unanimi fratrum consensu abbatis partes delegantur, & à Iohanne Romanæ sedis præsule pro more consecratur. Huius consilio monachi Teano relicto, Capuam, quæ erat primaria ciuitas, ac principum sedes, commigrarunt. Ibiq; Iohannes auxilio amicorum monasticis artibus fascinatorum, magnificum ex imis fundamentis in honorem D. Benedicti extruxit monasterium: ad cuius cultum ut bona sua profunderent, hominibus persuasit.

Auro, argento, ac horrendis boatibus suum Benedictum strenuè coluit. Missalem enim (ut uocant) codicem, Euangeliorumque, auro & gemmis ornauit. Altare argento obduxit, crucem (cuius circumgestatione usus erat) artificiosè fecit exculpi: candelabra duo, urceolumq; ex auro fabricari curauit. Vestes etiam plurimas, quæ inter sacra peragenda usui esse poterant, parauit. Ac nihil non, quod ad sui Benedicti superstitiosum cultum facere uidebatur, magno ære, non suo quidẽ, sed ab alijs emendicato, præstitit.

Præfuit monasterio annis 19. ut Leo Hostiensis lib. 1, cap. 56 scribit.

#### ADELPERTVS.

Successit Iohanni paribus fratrum suffragijs Adelpertus uigesimus quartus Casinensium abbas, anno Domini 934. Huius temporibus iusto Dei contra monasticas idololatrias, quibus totus erat mundus repletus, iudicio, Vngari Capuanum territorium, ac finitima loca igni & ferro deuastarunt: ingentemque hominum multitudinem pecorum more abegerunt: pro quibus redimendis Capuani monachi, prẽciosiora sui cœnobij κειμήλια expendere coacti fuêre: ut Hostiensis libro primo, capite 58 indicat.

In bonis etiam suo monasterio acquirendis non postremam adhibuit curam. Plurimos enim principes uiros suis uillis ac prædijs, fraude monastica exuit: ut ibidem uidere est.

Præfuit annis nouem, temporibus Stephani VII, & Iohannis, Sergij papæ ex pellice filij.

BALDOINVS.

Baldoinus, natione Frãcus, qui Adelberto succeſſerat, à Martino tertio Romanę eccleſiæ pontifice confirmationem accepit: ut Leo Hoſtienſis libro primo, capite 60 narrat.

Beneuentanum cœnobium, quod Principum quorundam ui, ex Caſsinenſium monachorum faucibus ereptum erat, hic Baldoinus Romanorum pontificum, aliorumque regum prolatis priuilegijs recuperauit. Sed non multo pòſt defuncto Martino Romano, ijdem principes monaſterium illud denuò in ſuam poteſtatem redigunt. Baldoinus itaque de iniuria apud Agapetum, qui Martino ſucceſſerat, conqueſtus, impetrat literas, quibus raptores illi anathematis fulmine ablata reſtituere iubentur.

Martino Romano ob eximiam prudentiæ opinionem charus fuit, plurimumque apud ipſum potuit: qui & S. Pauli monaſterium, extra urbis Romanæ mœnia, ipſius fidei ac gubernationi ſimul commiſit: ut idem libro 1, capite 61 indicat.

MAIELPOTVS.

Maielpotus præpoſitus Caſsinenſis monaſterij, poſt Baldoinum abbatis munus accepit, ac fidelem bonorum ſui cœtus annis ſex tutorem egit, temporibus Nicephorii in Oriente Imperatoris: ut Leo libro primo, capite ſexageſimo tertio teſtatur.

ALIGERNVS.

Aligernus, patria Neapolitanus, ac cœnobij S. Pauli monachus, unde Baldoino abbate ſuadente (ſacrarum enim prophanarumque literarum ſcientia, uitæque puritate cæteris præſtabat) ad Caſsinenſes commigrauit, ubi paulo pòſt præpoſiti munus accepit. Poſt Maielpoti uerò obitum, Adelberti & Arderici epiſcoporum, ac nobiliſsimorum Capuanæ urbis iudicium, ac Athenulphi principis electione, reliquis quoq; fratribus annuentibus, eius locum ſortitus eſt, anno noningenteſimo quadrageſimo nono: ut Hoſtienſis libro 1, cap. 63 & 64 narrat.

Statim autem, ut rerum monaſterij ſumma potitus eſſet Aligernus, non tantum ædificia olim à Leone ac Iohanne cœpta perfecit: uerùm & alia his adiecit. Ianulam enim arcem, eique contiguam S. Germani eccleſiam ædificauit. Extra portam quoque S. Angeli, ancillarum non Deo, ſed uicinis monachis miniſtrantium conſtruxit cœnobium. Templi ornamenta, quorum in ſacris peragendis uſus erat, plurima in D. Benedicti honorem parauit, & ab omnibus ferè pontificibus, ſub quibus uixit, confirmationem ſuorum priuilegiorũ extorſit.

De bonis ſui cœnobij, quæ bellicis tumultibus abalienata fuerant, diligenter inquirebat: eaque ut ueris dominis reſtituerentur, apud poſſeſſores inſtabat. Verùm cum nec ſuis precibus, nec Romanorum pontificũ, Imperatorumq; literis, locũ dari uideret, Landulphi Capuani principis opem implorat. Aduerſarij cognito abbatis conſilio, quod ſe principis muniret præſidio, de capiendo eo conſilium inière. Ex improuiſo igitur Adenulphus Aquinenſium princeps, qui non minimam bonorum Caſsinenſium portiunculam tenebat, in abbatem Ianulæ arcis extructione occupatum, armata manu impetum facit eumq; captum, Aquinum deducit, ac paulo pòſt urſina inſutum pelle in loco publico canibus uenaticis exponit, atque aliis cum maximo dedecore coniunctis malis abbatem affligit.

Landulphus de tantis abbati illatis iniurijs certior factus, mandat Adenulpho, ut Capuam uenire, ibique ſuorum factorum rationem reddere non grauetur. Verùm Adenulphus ſuæ cauſæ diffidens, ac munitæ arcis præſidio fretus, non comparuit. Capuanus igitur princeps, & ſibi & abbati illatam ulturus iniuriam, armato milite Aquinum contendit: admotisque æneis muro machinis, ſceleſtum hominem, cum tantam uim ipſe ſuſtinere non poſſet, ut ſe dederet, coegit. A' propria igitur coniuge (ſic enim fieri uolucerat Adenulphus) fune in collum iecto, uinctus Capuano principi traditur. Quem ſtatim princeps uinctum abbati, ut pro ſuo de ipſo ſtatuat arbitrio, conceſsit. Adenulphus ſe abbatis, quem principi perpendens, multa interpoſita mora, cuncta quæ rapuerat bona, monaſterio Caſsinenſi reſtituit, datis ea de re literis abbati: ſicque dimiſſus eſt. Huius Adenulphi malo edocti alij, quibus monaſteriorum bona in delicijs erant, ablata reſtituere non ſunt cunctati.

Idem abbas à Mariano Imperiali patricio ac Calabriæ duce, plenam monaſterij ſui poſſeſsiones ubique locorum & inquirendi ac recuperandi accepit poteſtatem.

Præfuit ſuo muneri annis 37, temporibus Otthonis Magni, eiusque filij in Imperio ſucceſſoris: ut Hoſtienſis libro ſecundo, capite primo & ſequentibus aliquot refert.

MANSO.

Manſo Caſsinenſis abbas, cum magia ſecula-

secularibus quàm Ecclesiasticis rebus studeret, pluresq; satellites uitæ splendori & luxui deditos aleret: ac ipse quoq; posthabitis sui cœnobij negocijs, aulam Imperatoris frequentius quàm par erat sectaretur, omnium, præsertim Capuanorum, incurrit odia. Albericus uerò Marsorum episcopus, qui tradito ex pellice sibi nato filio episcopatu, Casinēsis cœnobij dominium ambiebat, frigidam suffudit: & oblata ingenti pecuniæ ui, Capuanis persuasit, ut abbati oculos exculperent. ea enim ratione se Casinensi abbatia potiri posse, Albericus existimabat. Arrisit pecunia Capuanis: & ut episcopo gratificentur, in omnes occasiones intenti fuêre. Blanda igitur oratione ex Casinensi cœnobio Capuam, ut ibi ius dicat, alliciūt abbatem, interposito iuramento, salutem & incolumem se ipsum Capuā, & ad S. Benedicti monasterium reductu-ros. Credit abbas, ac cum ijs Capuam abit. Quem cum ad S. Benedicti cœnobiū, quod Capuæ erat, saluū deduxissent (sic enim data fide satisfactum putabant, cum & Casinense & Capuanū monasterium Benedicto dicatum esset) statim uinciunt, eiq; oculos eruunt. Leo Hostiensis libro secundo, cap. 16.

Manso, Casinus abbas, solenni Halberstadensis ecclesiæ dedicationi interfuisse, scribitur in historia Quedlinburgensi.

IOHANNES.

Iohannes XXIX, Casinensis abbas, Mansonis successor, cum ob senium imparem se esse tanto oneri uideret, post unum administratæ abbatiæ annum, in eremum secessit: ut in Chronico Casinensi libro secundo, capite uigesimo annotatur.

LEO.

Leo monachus, Aligerni abbatis Casinensis frater, de ligno crucis Dominicę pertiunculam, auro gemmisq; ornatam, Hierosolymis secum detulit, ac Capuano donauit monasterio. ibidem lib. secundo, capite undecimo.

OLIBANVS.

Olibanus, ditissimus Galliarum comes, Romualdi cuiusdam superstitiosi hominis suasu, monachus apud Capuanos factus est. Leo Hostiensis libro secundo, capite decimooctauo.

IOHANNES.

Iohannes monachus quidam, patria Capuanus, obtulit patriæ suæ monasterio ecclesiam S. Viti in monte S. Agathæ, Capuæ uicino. Leo Hostiensis libro primo, capite sexagesimotertio.

## DE ALIIS ITALIAE *monachis.*

LEO.

Leo abbas, iussu & autoritate Romani pontificis, Synodum in Remensi ciuitate cogit, ubi Arnulphus pristinæ dignitati restituitur: ut suo loco diximus.

LEO.

Leo uenerabilis S. Vincentij abbas, iuuat cum alijs episcopis, Aligerni Casinensis abbatis electionem: ut habet Chronic. Casin. lib. 1, cap. 63.

NILVS.

Nilus, uir sanctissimus, qui apud uallem Luci cum Græcis aliquot fratribus religiosissimè uiuebat, Adelbertum Slauorum episcopum in suum cœtum recipere detrectat: eo quòd rogantibus monachis, apud Casinenses manere noluerit. Chronicon Casinense lib. 2, cap. 17.

# *MONACHI*
## *Galliæ.*

### S. GERMANI.

HVGO.

HVgo Magnus, post Roberti patris sui obitum, abbatiæ administrationem apud S. Germanum suscepit: Lothario autem Ludouici regis filio in regē uncto, & ipse Francorum dux designatus est.

Sub hoc Hugone, duce simul & abbate S. Germani, decani fuêre, Armarus, Gosbertus, Abbo, Herricus, Hubertus, Galterius & Albertus: ut Ammonius lib. 5 de gestis Francorum, cap. 42 & 43 scribit.

GVALO.

Hugone regni negocijs nimium obruto, Gualo fit S. Germani abbas: qui suum monasterium à regum aliorumq; hominū molestijs liberum reddidit: ut Annonius lib. 5, cap. 45 annotat. Hunc Albericus & Morardus secuti sunt. Ibidem.

### CLVNIACENSES.

ODO.

ODo, quem Martinus in suo Chronico Otthonem uocat, studiosus Remigij Antisiodorensis monachi auditor fuit: à quo, ut Schedelius testatur, Dialecticam & Musicam didicit: ac cum Musices esset peritissimus, Turonensis ecclesiæ archicantor factus est. Bernonis uerò Gigniacensis abbatis celebri nomine excitus, eò se contulit, ibiq; monasticen professus est. Berno perspecta hominis pietate & eruditione, qua cæteros facilè uincebat monachos, Cluniaco nuper extructo, primum eum præfecit abbatem, anno 912. ut Sigebertus habet.

Scripsit uitam S. Gerhardi, lib.1.
Laudes S. Martini, lib.1.
Chronicon breue & succinctum.
Hymnos ac uarios cantus in honorem Sanctorum.

Prolixos etiam B. Gregorij papæ commentarios in prophetam Iob, arctiori uolumine, fratrum precibus, constrinxit.

Abbas factus, & pietate, & accurata suæ regulæ obseruatione, commisso sibi gregi ut fidelem decuit pastorem præiuit: ut Trithemius de Scriptoribus Ecclesiastici is annotat.

Anno 937 obijt primus Cluniacensium abbas Odo, multorum monachorum pater: ut Fasciculus quidam temporũ habet.

ADAMARVS.

Adamarus, qui & Haymarus ab Antonino appellatur, morum simplicitate & feruido monasticæ regulæ studio clarus, Odoni successit. Cuius præcipua in locupletando suo monasterio cura fuit. Visum tandem amisit: ut Vincentius libro 24., capite sexagesimo octauo narrat. in catalogum Sanctorum post mortem relatus esse, scribitur in Hirsaugiensi Chronico.

MAIOLVS.

Maiolus Maticensis ecclesię archidiaconus, totius Cluniacensis collegij consensu, defuncto Haymaro substituitur. Erat enim, Antonino teste, morum grauitate & honestate, religionis pietatisq; monasticæ zelo, ac omni literarum studio, nemine suo seculo inferior.

Collapsam superioribus annis monachorum disciplinam, in integrum restituere in primis annitebatur: ut Martinus Polonus in suo Chronico annotat.

Infirmis eum sanitatem, cæcis uisum restituisse, dæmones, qui homines obsederant, eiecisse: serpentum, canum ac luporũ uenenato morsu uulneratos sanasse, Antoninus titulo decimoquinto, capite 16 de eo nugatur.

Anno autem noningentesimo nonagesimoquinto è rebus humanis exemptus est Maiolus, ut Schafnaburgensis refert, cum suo apud Cluniacũ gregi (teste Antonino, loco paulo antè citato) præfuisset annis quinquaginta sex. Cui Odilo successit.

DOMACELVS.

Domacelus, Odonis Cluniacensis abbatis auditor, plurimum operæ in restituenda monastica disciplina nauauit: teste Sabellico libro 2 Enneadis nonæ.

## FLORIACENSES.

ABBO.

ABbo, seu Albo iuxta Trithemium, monachus, patria Aurelianensis, cum Odonis Cantuariensis archiepiscopi nepote Osual do, qui postea Eboraci episcopatũ administrandũ suscepit, ex Aureliana schola in Anglia uenit, ibique plurimas & ipse schollas per monasteria aperuit. Fuit autem uir facundus, & in omnibus philosophorum studijs suo quo uixit seculo, nemine inferior. Ob eximiam itaque eruditionis opinionem Floriacensis factus est abbas. Hos autẽ libros sua de eruditione tẽpore, Dunstano tunc Cantuariensi archiepiscopo rogante, scripsisse dicitur:

Vitam Eadmundi martyris, lib.1.
Apologeticon ad Francorũ reges, lib.1.
Homelias in Euangelia, epist.1.
Ad Gregorium v, epist.1.
Ad regem Robertum, epist.2.
Ad Bernhardum Bellilocum, epist.1.
Ad Imperatorem Otthonem, epist.1.
Ad Odilonem Cluniacensem, lib.1.
Super calculo Victorij, lib.1.
Additiones in eundem, lib.1.
De motibus stellarum, lib.1.
De planetarum cursu, lib.1.
Contra episcopũ Aurelianensem, lib.1.
Rudimenta puerilia, lib.1.
Categoriarum spiritualium, lib.1.
De computo, lib.1.
De Euangelijs, lib.1.
De cœna Domini, lib.1.

Et alia adhuc plura scripsit. De S. Stephano protomartyre, sequentiam unam, ac responsoria quædam edidit. Item, circulos annorum incarnationis Dominicæ, à Christo ad sua tempora correxit: teste Balæo Centuria decimatertia Scriptorum Britanniæ, cap.11.

In Synodo autem Remensi acerrimum egit Arnulphi defensorẽ, ut ex 19 cap. Actorum Synodi uidere licet.

A monachis suis lancea cõfossus est, anno 1004, ut Balęus annotat: Bergomensis uerò & Trithemius eum in Vasconia, dum uerbum diuinum prædicaret, martyrio affectum scribunt.

AMMONIVS.

Ammonius, poesi & prosa insignis, Abbonis temporibus in Floriacensi cœnobio claruit.

Scripsit sui abbatis iussu, de origine & gestis Francorum historiam, ad Renaldum uolumen unum.

De miraculis librum 1: ut Trithemius annotat.

HERIGERVS LOBIENSIS.

Herigerus (quem Sabellicus libro secundo Enneadis nonæ, & Platina, Heinricum uocant) Lobiensis abbas, diuinarum humanarumq; literarum peritissimus, carmine

mine & prosa excellens, scripsit Dialogum insignem sub persona sui & Adelboldi clerici & monachi, tunc Romæ existentis.

De dissonantia Ecclesiæ, lib.1.
Ad Hugonem de quæstionibus, lib.1.
Gesta episcoporum Lobiensium, lib.1.
Vitam S. Vrsmari, carmine, lib.1.
De diuinis officijs, lib.1.
De corpore & sanguine Domini, lib.1.

Obijt autem Herigerus anno 990. ut Trithemius & Bergomensis indicant.

ODILBERTVS GORZIENSIS.

Ecclesiæ S. Vincentij construendæ curam Theodoricus Metensium episcopus Romam, ad secundi Otthonis nuptias abiens, Odilberto Gorziensi abbati, uiro doctissimo, demandauit: ut ex uita Theodorici uidere est.

ROMOALDVS CAMALDVLENSIS.

Romoaldus, patria Rauennas, in cœnobio Classensi, ubi monachũ agebat, prima Camaldulensiũ religionis rudimẽta inuenit. Inde Venetias se contulit, ibiq; multos sanctitate & seculi splẽdore uiros illustres in suam perduxit sententiã: inter quos fuêre Petrus Vrseolus Venetiarum dux, Bonifacius & Tarianus Otthoni Imperatori familiarissimi.

Cæterùm condidit Romoaldus suæ seruitæ monachorum cœnobia in Piceno, Flaminia, Venetia, Histria: ac mira sermonis suauitate & sanctitatis opinione, hominũ animos alliciebat, ut totum orbem suæ religioni addictum reddere potuerit: ut Petrus Candianus (Sabellico teste) de eo scribit.

## GEMETENSES.

BALDVINVS. GVNDVINVS.

DVo monachi Balduinus & Gũduinus, qui ex Aspera Cameracensis agri uico prodierant, Gemeticum cœnobium, ante triginta annos à Danis solo æquatum, restauratũ, circa tempora Ludouici, Caroli Simplicis filij: ut Robertus Ganguinus lib. 5 de gestis Francorum indicat.

FLAVALDVS REMENSIS.

Flaualdus Remensis monachus, in sacris & prophanis literis eximiè doctus, scripsit insigne opus Remensium pontificũ, quod tribus distinxit libris, ab initio ipsius ciuitatis exorsus, quibus plurimorum sanctorũ uitas inseruit. Trithemius.

AMBROSIVS ANSBERTVS.

Ambrosius Ansbertus ex Galliarum provincijs ortus, intra Samnij regionem, apud monasterium martyris Christi Vincentij, maxima ex parte diuinis rebus imbutus, & sacrosanctis altaribus ad immolanda Christi munera traditus est: ut de se ipso loquitur. Cuius hæc à Trithemio annotantur opera:

In Cantica canticorum, lib.1.
In Psalterium, lib.1.
In Apocalypsin, lib.10.
De cupiditate, lib.1.
Epistolarum ad diuersos, lib.1.

In Apocalypsin opus propter intelligendi facilitatem, Speculum paruulorum inscripsit, lib.7, cap.15. in eoq; se usum apertè fatetur Victorini, Hieronymi, Ticonij Donatistæ, Primasij Africani cuiusdam antistitis, Augustini, & in primis Gregorij Romani commentarijs: Cuius, inquit, uerba non solum in his quæ de hac Apocalypsi sensit, uerùm etiam in alijs quę pro confirmando operis mei dogmate occurrunt, proprium in illis expositionis laborem refugiens, adnecto. Ad cuius me locutionis instar, etsi minus sapiens, ita confirmare studeo, ut à rarissimis intelligi possit, qua sibi concatenatione illius uerba misceantur & mea.

Et quidem supra modum humiliter de suis sentit laboribus Ansbertus: Tanta, inquiens, est mea scientia, Augustini & Hieronymi comparata scientiæ: quanta est gutta ex digito pendens, ad magnitudinem maris.

Pietatem porrò eius commendat oratio, qua initio suarum Commentationum in Apocalypsin utitur, qua à Trinitate gressus suos dirigi petit, ne erroris præcipitium incurrat. Tres primarias linguas ipsum calluisse indicio est, quòd ex Latinis, Græcis & Hebraicis uocibus numeros quosdã elicit, referens eos ad Antichristum. lib.6, cap. 13. & lib.9, cap.20.

Omissis autem hoc loco, ne odiosa sit Lectori repetitio crebra, quos uel illustrauit uel corrupit, fidei Christianæ articulis, incõmodas aliquot saltem eius opiniones subijciemus. Nos sola Christi humanitate redẽptos, innuere uidetur lib.3.cap.4. Iudæorum etiam in fine seculi conuersionem per Enoch & Eliam, eximios prædicatores, somniat lib.2, cap.3. lib.5.cap.10 & 11.

In hæreticorum ueterum blasphemijs redarguendis acer & uehemens est. Arium mentiri ait, Christum in natura diuinitatis initium habere docentem: lib.1, cap.2. Sabellium, latronem detegendum: Photinũ, garrulum coruum: & Arium, uespertinum uocat lupũ: lib.2, cap.2. Pelagium & Celestinum, hominem sine gratia Dei posse salutem suam operari docentes, refellit, opponendo

nendo eis cõtraria ſacræ Scripturæ teſtimonia:lib.4,cap.7.& Marcioniſtas duplũ Deum,& bonũ & malum fingentes:lib.5, cap. 10. Damnat idem & imaginum cultum & adorationem.Et Ticonium ait imprudenti temeritate ex dicto Iohannis, Ex nobis exierunt,ſed nõ erant ex nobis: finxiſſe,Eccleſiam ab Eccleſia exiere.lib.7,cap.15.

Iudicij extremi tempus rimantes, dicto Chriſti retũdit:Nõ eſt ueſtrũ noſſe tẽpora uel momẽta,quæ pater poſuit in ſua poteſtate.Hinc,inquiens,perpendant, hinc erubeſcant,qui ſex mundi ætates ſexies ſenis millibus cõputantes,nouiſsimũ tẽpus ſua temeritate ſe ſcire iactant,ſi etiam in ipſo fine poſitis hæc cognitio denegatur. Non enim ſex millia annorum Scriptura nos computare docet:ſed ex mundi ætatibus, omne tempus uitæ præſentis concludi.Prima enim ſeculi ætas, duorum milium & quadraginta duorum annorum curriculis euoluta cognoſcitur.Sexta autẽ & nouiſsima eſt,quæ nũc agitur:quæ quanto temporis ſpacio proteletur, ignoramus. Et quidẽ ſigna quæ à Domino in Euangelio de fine ſeculi prædicta ſunt,completa iam cernimus:ſed quantũ adhuc ipſius tẽporis finis in longum protrahatur,ignoramus. At contrà, qui dicunt: Cum finiti fuerint ſex milium anni,tunc erit conſummatio:quid aliud agunt, quàm contra Dominum interdicta tempora ſe ſcire iactant? Sed abſit à fideliũ cordibus, ut hoc ſe ſcire aut dicãt, aut cupiant, quod Dominus etiam angelos latẽre uoluit.Libro ſexto, capite decimotertio.

De cæteris quæ ad Ansberti uitam pertinere uidebantur, ſcriptores muti ſunt.

## SENONENSES.

### ARIGANDVS.

FLoruit Ottonis Magni tẽporibus, apud Senonẽſes in cœnobio S.Petri,Arigandus quidã monachus,monaſtices zelo flagrantiſsimus.Chron.Hirſaug.

### ROMVLPHVS.

Senonum abbas Romulphus,eruditione & facundia excellens,in Synodo Remenſi ſtrenuè Arnulpho patrocinatus eſt: ut ex Actis patet.

## GERMANIAE Monachi.

## FVLDENSES.

### HELINFREDVS.

Anno Domini 900, defuncto Hoigero, Fuldẽſem abbatiã Helinfredus adminiſtrãdam ſuſcepit,Hic monaſterium ſuũ primus muro cinxit, aliaq; uetuſtate ruinam minantia reparauit ædificia. Præfuit annis 16: ut Bruſchius & Valentinus Munzerus annotârunt.

### HAICHO.

Poſt Helinfredum Haicho annis ſeptem eidem prouinciæ præfuit:ut ijdem habent. Obijt anno Salutis 923. teſte Reginonis Continuatore,lib.2.

### HADAMARIVS.

Cum Hildebrandus, Haichonis ſucceſſor,Moguntina ſede potitus eſſet,Fuldenſis conuentus curam ſuſcepit Hadamarius, uir magnæ prudentiæ & induſtriæ, Vuitichindo teſte: quique Pij cognomen uirtute ſua meruit, ut Bruſchius annotat.

Orta inter Heroldum Salisburgenſem & Gerhardum Bathauenſem epiſcopos, de primaria Eccleſiarum ſuarum dignitate, contentione: Gerhardus rem perhunc Hadamarium ad Agapetum Romanum pontificem refert, poſcitque ſuæ dignitatis confirmationem. Cuius precibus Romanus præſul etiam annuit, ut Auentinus lib. 5 Annalium ſcribit.

Magna huius abbatis temporibus monachorum perſecutio, Friderici (ut uulgò credebatur) Moguntini epiſcopi filio, qui odio erga Hadamarium abbatem flagrabat, oborta eſt. Plurimi enim epiſcopi uociferabantur, magis conſultum fore, pauciores in monaſterijs uiros doctrina & pietate inſignes, quàm ignauum fucos pecus, fruges conſumere natum, quibus omnia cœnobia eſſent refertiſsima, magnis alere ſumptibus. Multi itaque ſuæ ſibi inſcitiæ conſcij,habitu monaſtico depoſito è monaſterijs exiêre. Verùm Hadamarij Fuldenſis autoritas, qua plurimùm apud Imperatorem poterat,obſtitit, quo minus eiuſmodi epiſcoporum inuentum felicem ſortiretur ſucceſſum. Odij autem cauſa erga Hadamarium hæc erat: quòd Fridericum olim ab Imperatore ad Fuldenſis monaſterij carcerem miſſum,durius aliquanto conſtrinxiſſet abbas: ut Vuitichindus lib. 2 geſtorum Saxonicorum indicat.

Fuldenſe templum, quod ex fulminis ictu conflagrârat, magnis reparauit ſumptibus:ut idem ſcribit.

Sub eodem abbate pleroſq; fratrum Fuldenſium legitima contraxiſſe matrimonia, Bruſchius refert: uerùm eius rei euentum nuſquam reperiri ait.

Anno 956,peſte obijt Hadamarus, teſte Reginonis Continuatore.Schafnaburgenſis idem tempus quidẽ annotat, ſed peſtis non

non meminit. Præfuit suæ prouinciæ annis uiginti & octo, iuxta Bruschium.

VVERNERVS.

Vuernerus, siue Vuerinharius, ut in Imperatoris diplomate habetur, Huldrichi Augustani episcopi materteræ filius, post Hatonem, qui Moguntina cathedra potitus erat, monachorum collegio apud Fuldenses præficitur, anno 969. Hic pietatis suę monasticæ specimen editurus, paradisum circumiacentibus ædificijs ornauit, sacellũq; D. Ioannis ampliauit. Vndecimo autem sui regiminis anno, secundi Otthonis castra contra Saracenos bella gerentis secutus est: in ea expeditione cum Heinrico Augustano, alijsq; uiris fortiter in prælio pugnanti occubuit: ut Bruschius & Valentinus Muntzer annotant.

RADVLPHVS.

Hoc uixisse seculo Radulphum, patria Flauiacensem sub Benedicti regula, quem suum ipse legislatorem appellat: argumento nobis est, quod lib. 20, cap. 1. in Leuiticum, prophetæ dicto: Vrbes uestras redigã in solitudinem, &c. subijcit: Manifestè hic pronunciatur, quod iam per mille annos uidemus impletum.

Scripsit, ut Trithemius de Illustribus uiris testatur,

In Leuiticum,
In epistolas Pauli, lib. 20.
Historiam rerum Francicarum. lib. 14.
Chronicon quoddam breue.

Græcæ linguæ ignarus non fuit, ut patet ex libro 4 in Leuiticum, cap. 5, ubi Græcas appellationes, quibus delictum in sacris denotatur, recẽset. Nec à physicis alienus fuit studijs. cõplurium enim animantium, auiumq; naturas commemorat, lib. 8, cap. 3.

De doctrinæ uerò Christianæ capitibus, quid uel piè uel incommodè senserit, ex superioribus constat. Opiniones saltem eius singulares, hic breuibus perstringere uisum fuit. Antiquos patres, ait, usque ad Domini aduentum, quamlibet iustè uixerint, ductos ad regnum non esse: nisi ille descenderet, qui paradisi claustra hominibus, interpositione suæ mortis, aperiret. libro 2, capite 4 in Leuiticum. ubi lymbum patrũ destruere uidetur. Item, ante Christũ passum adorabantur angeli à patribus, & tacebant: post passionis uerò eius completa mysteria, B. Ioannes cum angelo loquens, & ab eo secreta cœlestia audiens: Cecidi, inquit, ad pedes eius, ut adorarem eum. Et dixit mihi: Vide ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentiũ testimonium Iesv. Tetigerat ergo ipsum sanguis Christi: quia reuerentia illius motus, naturam illam sibi prosterni non patiebatur: quam apud Dominum suum tanti esse cernebat, ut morte propria ab eo redimeretur. Radulphus lib. 2, cap. 4 in Leuiticum. Et sanctos asserit à nobis rogari, non ut ipsi nos saluent, sed ut nobis salutem impetrent.

Iudicium liberum sua scripta legenti permittit, cum inquit: Admoneo Lectorem, ut ubique dictorum ueritatem rimetur: & si alicubi me à tramite deuiasse compererit, corrigat potius quàm sequatur. lib. 4, cap. 5 in Leuiticum.

Cæterùm in suis in Leuiticum Cõmentarijs, non solum sacrorum meminit autorum, sed ethnicorum quoq; testimonia & dicta creberrimè immiscuit: quod à nonnullis sibi uitio dari, ipsemet testatur libro 16, capite 3. Verùm ijs ad hunc modum respondet: Si gentilium sententias diuinis inseramus eloquijs, non incongruum uideri existimo, nimirum cum omnis sapientia à Domino Deo sit, etiam illi qui perfectam Dei cognitionem minimè habuerunt, Dei tamen munere illuminati, quod ueritatis attingere potuerunt, nobis utilius quàm sibi scriptum reliquerũt. lib. 1, cap. 6. Verùm nobis ea indicio sunt, quòd multo labore & diligentia uariorum autorum perlustrarit monumenta.

Hæreses superiorum ætatum passim perstringit. Arium, cuius blasphemijs libro decimosexto, capite tertio contradicit, in Trinitate diuisionem fecisse, & Sabellium personarum proprietates confudisse ait. Et quanta Manichæi in patriarchas, & legislatorem, in prophetas, & ipsum Dominũ præcursorem proferant, horret pietas, cum legit: nec sine dolore mens Deo dedita, tantorum uirorum tantas contumelias audit. libro nono, cap. quinto. Donatistarum & Pauli Samosateni, libro nono, capite octauo meminit. Quin & illorum opinionem, ut ineptam & puerilem reijcit, qui mille annos carnalis conuersationis post resurrectionem somniarũt. libro quinto, capite secundo.

Vbi locorum monachum egerit, incertũ est. Trithemius quidem apud Fuldenses eum uixisse, multorum opinionem esse testatur. nec de obitu eius quicquam in literas relatum est.

## SANGALLENSES.

HARTMANNVS.

HArtmannus, seu Herimannus, ut Contractus habet, pietate, sapientia ac uitæ integritate clarus, sacrarum prophanarumq; literarum, ac Musicæ in primis studiosissimus, triennium ferè Sangallensi fratrum conuentui præfuit. Obijt anno 924. ut Bruschius refert.

ENGELBERTVS.

Succesſit Hartmanno Engelbertus, confirmatione ab Heinrico primo accepta. Sub hoc Sangallenſe monaſterium ab Vngaris uaſtatum eſt. Verùm abbas bibliothecam, & quæ precioſiora, monachisq; erant chariora, in Heluetiæ alpes auehi curarat. Engelbertus ſenio confectus, Thietoni monaſterium adminiſtrandũ cõceſsit, anno 933: ut Bruſchius autor eſt.

THIETO.

Thietonis temporibus maximum Sangallenſe templum, incendio per ſcholaſticos excitato conflagrauit. Hic abbas nono ſui regiminis anno, ob decrepitam ætatem munus ſuum ſponte reſignauit: ut idem ſcribit.

CRALO. ANNO.

Cralo Thietonis frater uterinus, paribus monachorum ſuffragijs fratri ſuccedere iuſſus, ab Otthone Magno, anno 942, ultima Maij confirmatur. Accuſatus autem aliquando à monachis ſuis de nimia diſciplinæ aſperitate, & quòd Fabarienſem abbatiam Sangallenſi ſubditam, ſua incuria amiſiſſet, Ludolphi Sueuorum ducis odiũ incurrit. Quo ex Italia redeunte, abbas ſuæ ſaluti conſulturus, magnis monaſterij theſauris onuſtus, ad Imperatorem confugit. Ludolphus uerò dux, Annonem Cralonis fratrem, uirum bonum, omnibusq́ beneficum, abbatem conſtituit. Is Vngarorum metu ſuum cœnobium, adiunctasq́; ædes mœnibus, propugnaculis, foſſisq́ue amplis muniuit. Ac fuêre hæc prima Sangallenſis oppidi initia. Mortuo uerò poſt annos quinque Annone, Otthonis Magni iuſſu, priſtinam ſedem, intercedente D. Huldrico Auguſtano, recuperat Cralo: qui fortuna elatus, durior monachis, quàm prius, tyrannus fuit. Victori enim comiti cuidam, Sangallenſis cœnobij alumno, oculos exculpi fecit: qua immanitate omnium in ſe odium concitauit, factusq́ue eſt & animo & corpore infelix. Eggardo itaque, uiro nobili & erudito, eiusq́ue cœnobij decano, abbatis partes, uſque in Otthonis Magni aduentum, à fratribus delegantur. Moritur interim Cralo Heriſouij, undecimo ſui regiminis anno, pro Eggardo ſucceſſore ſubſtituendo rogans. Verùm cum is ex lapſu equi crus fregiſſet, claudusq́; factus eſſet, à monachis repudiatur: ut Bruſchius annotat.

BVRCHARDVS.

Anno 959, Burchardus comes de Lintzgovv, Buchorn, & Monteforti, uir beneficus, & liberalitate in pauperes præſtans, poſt Cralonis obitum abbas deſignatus eſt, confirmatione ab Otthone Magnò per baculum & ferulam accepta. Dictus autem fuit Ingenitus, eo quòd ex mortuæ matris aluo exectus eſſet. Sub huius abbatis gubernatione, res monaſterij tranquillum ſortitæ ſunt ſtatum.

Ab equo ferociori, cui aliquando inſidebat, in terram proſtratus, per omnem ætatem claudo pede inceſsit: cum uerò annis 13 ſeliciter ſuam prouinciam adminiſtraſſet, eã reſignauit, ac fratrum unanimi conſenſu Nodgerum ſubſtituit.

NODGERVS.

Nodgerus Cralonis ex fratre nepos, ætate iuuenis, à Burchardo ac reliquis S. Galli monachis electus, ſtatim ad Otthonem Spiræ commorantem, cum literis Burchardi commendaticijs, decemq́ue alijs fratribus canicie & ætate uenerandis ſtipatus mittitur. Imperator dum hominis ætatem conſiderat, dixiſſe fertur: Is ne unus & ſolus tantæ abbatiæ gubernatione, inter tot ueneranda canicie ſenes, dignus eſt iudicatus? Ac niſi Imperatoris filius, ac cæteri monachi qui eum comitati fuerant, interceſsiſſent apud Imperatorem, tanta dignitate procul dubio excidiſſet Nodgerus. Pluribus igitur conditionibus paſtoralem baculum ab Imperatore impetrat, ne uidelicet in rebus arduis ſine Burchardi conſilio quicquam ſtatuat, ac ut fratres ſuæ curæ commiſſos ad regulæ obſeruationem ſtrenuè urgeat. Quæ omnia, interpoſito etiam iuramento, ſe facturum promiſit: & tanta fide annis illis octo, quibus monaſterium rexit, ſui gregis curã egit, ut meritò de eo ab Erhardo quodam exclamatum ſit:

*O fortunatam Galli, te conſule, cellam.*

Obijt anno Chriſti 981, in Nouembri, uiuo adhuc Burchardo anteceſſore: qui tamẽ paulo pòſt etiam in uiuis eſſe deſijt, ut Bruſchius indicat.

HIMMO.

Nodgero Himmo traditionum monaſticarum ſtudioſiſsimus ſucceſsit. plurimum is operæ, dum eam dignitatem tenuit, ueſtibus adornandis, ac templum uarijs picturis, ingenioſisq́; imaginibus illuſtrando, tribuit. Poſt octauum ſui regiminis annum è rebus humanis exceſsit. Cuius tumulo hoc Epitaphium à fratribus affixum fuit:

*Hic bene maturo tranſit pater ille ſub æuo,*
*Ad patriæ requiem, hic obit Himmo diem.*
*Hinc meritò noſtri uigilanter habent memorari,*
*Plura loco Galli ſtant monumenta cui.*

VLRICVS.

Vlricus laude monaſticæ pietatis ac pom-

pæ Him-

pæ Himmone anteceſſore ſuo uix inferior, ſancti Galli abbas anno noningenteſimo nonageſimoprimo eligitur, tertio Otthone pro more eum confirmante. Cœperunt autẽ ſub hoc abbate, in cœnobio illo, dum uidelicet monachi ineptijs cęremoniarum excogitandis & peragendis operam nauabant, literæ frigere. Sacellum ſepulchri Domini ædificaſſe fertur Vlricus. Obijt quinto adminiſtrati muneris anno, qui erat Chriſti 996. Bruſchio teſte.

GERHARDVS.

Gerhardus, qui & Eckhenhardus, ſuperbus, temerarius, ac (ut uno dicamus uerbo) homo nihili, autoritate tertij Otthonis Vlrico ſubſtituitur, anno Chriſti noningenteſimo nonageſimoſexto. Is accepta abbatia, cum omnis honeſtatis & pietatis expers eſſet, ſtatim & pietate, honeſtate & eruditione uenerandos monachos in Sangallenſi cœnobio ſuis miniſterijs priuauit: eorũque in locum ſui ſimiles, homines nimirum iuuenes, leues & laſciuos ſubſtituit. Porrò cum bona etiam monaſterij mala fide tractaret, eaque uel uenderet, uel oppignoraret, aut alijs præter meritum largiretur, graniter apud Imperatorem à monachis accuſatus eſt. At Gerhardus Muzonem, primarium aulæ Imperatoris comitem, amplis promiſsionibus, multoque ſibi conciliârat auro, ut monachorum accuſationibus locus nullus daretur in aula. Poſt paucos deinde menſes Muzo comes de promiſsis abbatem, cui in calamitate ſubuenerat, monuit: qui nè ingratus diceretur, Præpoſituram quandam S. Alexandri prope Adorſum in Thurgouia (quam tum duodecim tenebant canonici) ei conceſsit. Canonicorum ſocietatis impatiens Muzo, ſuo eos deturbauit domicilio, acipſe ſolus rerum potitus eſt. Præfuit Gerhardus iſte annis 11. Obijt anno Salutis 1007, iuxta Bruſchium. Hermannus Contractus annum habet 1001.

noningenteſimũ ſexageſimũ primũ: ut Bruſchius habet. Eius tale apud Trithemium in Hirſaugienſi Chronico extat Epitaphium:

*Hoc recubat buſto ſemper memorabilis abbas,*
*Engelbertus ouans, ſpiritus aſtra colit.*
*Menſis Martij obijt, biſſenis ipſe calendis:*
*Conſtruxit templum, quod retinet tumulum.*

EBERVVINVS.

Ebervuinum Engelberti ſucceſſorem, uitas S. Magnerici archiepiſcopi, & Simeonis monachi cuiuſdam Treuirenſis deſcripſiſſe, à Bruſchio indicatur.

GOTHERIVS.

Gotherius ex Gaudenſi cœnobio accerſitus, ab Egberto Treuirènſium archipræſule, monachis S. Matthiæ extra muros Treuirorum abbas præficitur, anno Domini 977. Quibus cum annis præfuiſſet tredecim, uita functus eſt.

VVILLERVS.

Vuillerus Ogoni ad Leodienſem eccleſiam abeunti, in abbatia S. Maximini, extra Treuirenſes muros ſucceſsit, anno 946. Poſt annos uerò 13 uita functus eſt: ut Reginonis Continuator indicat. Cuius in ſepulchro tale Epitaphium hodie uidere licet, ut Bruſchius ſcribit:

*Hac eſt Vuillerus foſſa pius abba ſepultus,*
*Quem bonus à puero nutriuit epiſcopus Ogo,*
*Et ſucceſſorem ſibi deſignauit herilem:*
*Qui bona quæq; ſtudens, fuit omni dogmate prudens,*
*Et ſibi ſubiectis præbens documenta ſalutis:*
*Fit miſerando pater, ſed condiſcendo miniſter:*
*Nonis Octobris perſoluit debita mortis.*

VVICKHERVS.

Vuickherus, Vuilleri ſucceſſor, cum annis octo præfuiſſet, in uiuis eſſe deſijt. Quem ſecutus eſt Aſolphus, qui altero anno mortuus eſt. Poſt quem idem munus Thietfridus diaconus annis duodecim adminiſtrauit. Ogo primùm diaconus, poſtea eiuſdem cœnobij abbas, obijt anno 987. Volmarus, qui & Folcardus dicitur, eidem monaſterio circa annum Domini noningenteſimũ nonageſimũ tertium præfuit: ut ex Bruſchij Chronologia de Germanię monaſterijs uidere eſt.

REGINO PRVMIENSIS.

Reginò à primis annis in Prumienſi cœnobio Treuirenſis diœceſeos enutritus, adeò in diuinarum ac prophanarũ rerum ſcientia profecit, ut communi fratrum conſenſu, abbatis partes in eodem monaſterio ipſi demandarentur.

Scripſit hiſtoriam de rebus Francorum & Germanorũ, à primo natiuitatis Dominicæ anno, uſq; ad ſua tempora, annum uidelicet 908. eamq; Adalberoni Treuirenſium epiſcopo inſcripſit. lib. 2.

TREVIRENSES.

AVGILBERTVS.

AVgilbertus, ſeu Engelbertus, ut Trithemius habet, patria Moſellanus, cœnobij S. Eucharij, quod hodie S. Matthiæ ſacrum eſt, apud Treuirenſes monachus, in eadem urbe in S. Martini monaſterio abbatis munus fratrum electione ſubijt.

Duodecim eum Apoſtolorum uitas carmine contexuiſſe, & de Muſica, compoſitionęq; monochordi opuſculum compoſuiſſe, Trithemius in Hirſaugienſi Chronico teſtatur. Præfuit ſuo monaſterio temporibus Otthonis primi, & Benedicti VI Romanorum pontificis, circa annum Chriſti

De disciplina Ecclesiastica libros duos, iubente Rathbodo eiusdem sedis antistite: ut Trithemius annotat.

Cum munere suo aliquandiu cum laude functus esset, & ipse inuidiam suæ uirtutis comitem habuit. Nam Richarij cuiusdam dolo dignitate sua priuatur, non sine ignominiæ nota, quasi uidelicet pessima fide res sui cœnobij administrasset: ut ex Epistola quadam Reginonis libro adiecta uidere est.

HARTVICVS *Tigurinus.*

Tigurinam ædem ab Vngaris deuastatã, proceres quidam aliquot annos cum suis familijs, deficientibus monachis, incoluerant. Verùm duo Otthones Boiorũ duces, politicis inde migrare iussis, idem cœnobium cum omnibus prædijs restituêre monachis: quibus Hartuicum quendam præfecerunt abbatẽ, anno 979. teste Auentino libro 5 annalium Boiorum.

## MONACHI VVIRZburgenses.

GELIO.

OTtho Imperator abbatiæ S. Petri apud Herbipolim à se reparatæ, Gelionem uenerabilem uirũ præfecit abbatem, anno 957, qui post quartum obijt annum: ut Continuator Reginonis habet.

GERRICHVS.

Gerrichus Gelionis successor, qui Imperatoris castra in Italiam secutus fuerat, in reditu peste moritur, anno 964. teste Reginonis Continuatore.

ERCANBERTVS.

Ercanbertus fratris sui in Herbipolẽsi abbatia successor, anno 966 mortẽ obijt. Idẽ.

ADELBERTVS.

Post Libutium Adelbertus ex monacho S. Maximini (Corbeiensem monachum fuisse, Trithemius in Chronico Hirsaugiẽsi scribit) Rugis, autoritate Otthonis Imperatoris, qui eum itineri necessarijs rebus benignè instruxerat, mittitur episcopus. Apud quos cum parum proficeret, ad suos redijt. Vix autem plurimis ex comitibus desideratis, ipse cruentas eorum manus euasit: qui ab Imperatore & Vuilhelmo Arnstatensi episcopo honorificè suscipitur, & fouetur. Tandem Imperatoris iussu in abbatia Vuirzburgensi, Ercãberti defuncti locum accepit: ut idem testatur.

## AVGIENSES.

EGGEHARDVS.

POst Alenuicum, Eggehardus in Augiensis monasterij gubernatione successit, anno 958: ut Hermãnus Contractus, & Reginonis Continuator testantur.

RVTMANNVS. VVITEGOVIVS.

Rutmannus, post Eggehardum annis tredecim abbas fuit. Obijt anno 985. Cui Vuitego uius successit, qui totidem ferè annis idem munus administrauit: teste Hermanno Cõtracto. Plurima hic in sanctorum honorem sacella extruxit. Rarissimè autem apud suos erat, sed uel Romæ, uel in Ottonis tertij aula uersabatur. De cuius laude Burchardi cuiusdam monachi tales extant uersiculi, ut Bruschius annotat:

*Dicitur os regis, populorum lingua salubris,*
*Inter catholicas primas rutilando columnas:*
*Regum rectores, comitum decet atq; cohortes,*
*Rege iubente, suis parent simul omnia dictis.*
*Contra uelle suum uertit se nemo retrorsum.*
*Esse manum regis nam plebs hunc prædicat omnis.*

## CAMPIDONENSES.

BVRCHARDVS.

BVrchardus Riznerus ab Hattenhosen, nobili familia oriundus, uir multæ lectionis, Campidonensis eligitur abbas anno 910. Vidit is sui cœnobij direptionem, & conflagrationem, Hunnis circumquaque Germaniam ferro & igni uastantibus. Præfuit autem annis septẽdecim, ut Bruschius annotat.

THEOBALDVS. ADELBRECHTVS.

Theobaldus, qui Burchardo successerat, decimatertia, ab impetrata confirmatione pontificia, hebdomade, à quodam præfecto suo ueneno sublatus est, anno 928. Cui Adelbrechtus, homo obscurus, successit: ut Bruschius refert.

LVDOVICVS.

Ludouicus illustri genere natus, uir mitis & placidus, anno 940, Campidonensi præficitur cœnobio: quam prouinciam uni eo tantum anno administrauit. Tertiam sui monasterij uastationem, ab Hunnis acceptam, intueri coactus est: teste Bruschio.

ALEXANDER.

Reparato monasterio, Alexander uir generis nobilitate, iusticiæ, æquitatisque laude, & Sacrarum literarum scientia clarus, abbas constituitur, anno noningentesimo sexagesimo secundo. Magnam is sibi non tantum apud suos, sed etiam apud exteros populos, in suæ prouinciæ administratione comparabat autoritatem. Nonnim tam sui cœnobij commodis temporalibus, quàm diuini uerbi prædicationi sedulò intẽtus erat. Templum S. Mauri, muros, aliaq; ædificia, tum ipse reparauit, tum suis reparandi facultatem concessit. Ratisponæ in comitijs ab Otthone Imperatore, abalienata suo monasterio à nobilibus bona,

bona ope cuiusdam Frisingensis episcopi recuperauit. Anno 992, die sexto Augusti, è rebus humanis exemptus est: ut Bruschius habet.

## ELVVANGENSES.

GErbertus, Adelberone ad episcopatum Augustanum uocato, Elbangensis monasterij gubernationem suscepit, cui annis 22 præfuit. Obijt anno 944. Sedè eius, Herimannus potitus est, eamque annis duodecim administrauit. Cui Herdebertus successit. Quo post annos 18 mortuo, Vuinitarius eligitur: qui anno noningentesimo nonagesimo mortem obijt, cum prouinciâ suam annis 16 administrasset: ut Bruschius indicat.

## FABARIENSES.

### IOHANNES.

IOhannes uigesimus primus, Fabarij Curiensis diœceseos monasterij abbas, à Ludouico tertio Romanorum Imperatore priuilegium quoddam accepit.

Hunc secuti sunt Hatto, Guardo, Eremberchtus, qui ab Otthone Imperatore anno 949, ut diplomata testantur, electus fuit. Huic Enzellinus Sangallensis monachus, anno 958, eiusdem Otthonis autoritate successit. Post quē Maiorinus præfuit. Verùm anno 974, iussu Otthonis secundi Fabarianus abbas designatus est Alebicus, diuitis Augiæ monachus: ut Bruschius autor est.

### BERINGERVS PETERSHVSIENSIS ABBAS.

Beringerus Petershusiani cœnobij primus constituitur abbas à Gebhardo Constantiensi episcopo, anno 992: ut Bruschius indicat.

## EPTERNACENSES.

### REYNERVS.

REynerus Lotharingiæ comes & abbas, annis nouendecim Epternacensi monasterio præfuit, quod multis pagis & oppidis auctius reddidit. Obijt anno 915, ut Bruschius indicat.

### GISILBERTVS.

Gisilbertus Lotharingiæ dux, Reyneri filius, patri in regimine huius monasterij successit. Qui postea Otthoni Magno, cuius sororem duxerat uxorem, rebellis factus, cum equo in Rheno submersus est: teste Bruschio.

### HERIMANNVS.

Successit Giselberto Herimannus, Lotharingiæ dux, circa annum Domini 949: ut ex eodem constat autore.

### SIGFRIDVS.

Post Herimannū Sigfridus comes, Epternacensi abbatia potitus est. Huius consilio Ottho Imperator, canonicis inde expulsis, solis monachis cōcessit inhabitandū Epternacense monasterium, circa annum Domini 973. Idem.

### RANIGERVS.

Ranigerus ab ipso Otthone Imperatore apud Magdeburgum coram omnibus regni principibus, Epternacensis monasterij abbas designatus, cum quadraginta monachis eò missus est. Ante id enim tempus canonici annis 125 circiter, illum incoluerant locum. Piè autem & sapienter suam administrauit prouiniciam, annis 34 sub Otthonibus & Heinrico II. Obijt anno Salutis 1007. cuius tale extat Epitaphium, ut Bruschius scribit:

*Hac recubant fossa Ranningeri patris ossa,*
*Et fiunt hominis lege soluta cinis.*
*Hunc Ottho primus transmisit Cæsar opimus*
*Sifridi monitis egregij comitis.*
*Misit & hunc talem, qui uitam cœnobialem*
*Hic reparare pio sufficeret studio.*
*Nam locus iste bonis hoc tempore relligionis*
*Factus erat uacuus, rebus & exiguus.*
*Dumq; uir industris tribus annis, sex quoq; lustris*
*Præfuit, eximiam reddidit ecclesiam.*
*Septembris fiendis nonis, denisq; Calendis*
*Clauserat ipse diem, nunc habeat requiem.*

## VTHENBVRRHANI.

### BYRTHILO, ADELBERO, RVDVNGVS.

BYrthilo nobili familia natus, Vthenburrhani monasterij abbas eligitur anno 902. ac fideliter annis 39 præfuit. Cui Adalbero comes S. Vlrici Augustani ex sorore nepos successit: quem Vlricus secutus est. Rudungus ab Vlrico Augustam uocato, abbas designatus circa annum Domini 972, fideliter usque ad uitæ finem commisso præfuit gregi. Obijt anno 1000, ut Bruschius autor est.

## HIRSFELDENSES.

### THIETHARDVS.

THiethardus, qui & Theodardus, iuxta Fasciculum temporum, cum annis ferè triginta Hirsfeldēsi cœnobio præfuisset, mortem obijt, anno 930: ut Schafnaburgensis annotat.

### MEGINGVS.

Anno 933 (duo enim abbates inter hunc & Thiethardū, ad episcopatus adsciti fuerant) abbatiam Hirsfeldensem Megingus morum grauitate insignis sortitus est: ut Trithemius in Chronico Hirsaugiensi annotat. Obijt anno 956, teste Schafnaburgensi.

HAGANO. GVNTERVS.

Hagano Migingi succeſſor, paralyſi correptus, Gunthero abbatis munus demandari rogat: ut idem refert.

EGILOLPHVS.

Egilolphus poſt Guntherum, eandem abbatiam regendam ſuſcipit, anno 962. eique feliciter annis nouem præeſt: ut idem indicat.

GOTBERTVS.

Gotbertus, Egilolphi ſucceſſor, eccleſiam quandam in Ordorf Thuringiæ oppido conſtruxit, anno 980: eodem teſte.

BERNHARDVS.

Gotberto defuncto Bernhardus ſucceſſit, anno 985. ſuæ prouinciæ annis 17 præfuit, ut idem refert.

## HIRSAVGIENSES.

RODVLPHVS.

RODulphus prouectioris ætatis monachus, poſt Haderadum quintus Hirſaugienſis abbas factus eſt. Is, quia pocula & quotidiana conuiuia magis ipſi curę erant, monaſticam diſciplinam inter ſuos magna ex parte intercidere paſſus eſt. Semel atque iterum monachi ob diſſolutam uitam, ſuo eum munere priuare decreuerunt: ſed amicorum quorundam, quos uel poculis uel muneribus ſibi conciliârat abbas, minis prohibiti ſunt. Anno ſui regiminis ſeptimo, qui erat Chriſti 925, è rebus humanis exceſsit: ut Trithemius in Hirſaugienſi Chronico teſtatur.

DIETHMARVS.

Diethmarus natione Sueuus, à parentibus, infimæ ſortis hominibus, S. Galli monaſterio, puer ſeptem annorum offertur. Monaſtica enim perſuaſione falcinati erât, ſe filij ſui merito Deo futuros chariores. Ibi ſacrarum literarum ac philoſophiæ ſtudia, quæ tum in eo conuentu florebant, tâta percepit facilitate, ut miraculi loco hominis haberetur ingenium. Præter eruditionem, quæ in ipſo erat eximia, uitæ ſanctitati in primis ſtudebat. Anno itaque ætatis uigeſimo octauo ſacerdotij gradum accepit: poſt ſeptimum uerò inde annum, ad Hirſaugienſis abbatiæ clauum ut ſedeat, à monachis, Hildeberto Fuldenſi abbate ſuam inter diſſidentes de electione abbatis fratres autoritatem interponête, uocatur.

Hic collapſam monachorum diſciplinâ, prudenti gubernatione, ad priſtinum ſtatum nonnihil reuocauit. Erat enim in rebus gerendis, ac in perſuadendo mira eius felicitas, ut nemo ei unquam contradicere tentaret.

Suum etiam monaſterium multis bonis, ornamentis & Sanctorũ reliquijs (quę maxima monachorum uentris gratia tum cura erat) auctius reddidit.

Anno autem regiminis 27, ætatis ſeptuageſimo primo, Domini uerò 952, méſe Martio, in uiuis eſſe deſijt Dithmarus: ut Trithemius in Hirſaugienſi Chronico ſcribit.

SIGERVS.

Sigero eiuſdẽ cœnobij decano, patria Moguntiaco, omniq; doctrinarum genere, pietatis & prudentiæ exiſtimatione inſigni, cõcordibus fratrum ſuffragijs, eo ipſo quo mortuus eſt die Diethmarus, abbatis partes delegantur.

Diſciplinæ monaſticę ſtrenuum hic egit patrocinium: ac ut commiſſo gregi quam uuum ſe uirtutum exemplar exhiberet, omnibus contendit uiribus, toto ſuæ guberna tionis tempore, quod fuit annorum trigin ta. Anno 982, méſe Septembri, mortẽ obijt Trithemio teſte.

LVPOLDVS.

Lupoldus patria Ratiſponenſis, ſub Diethmaro abbate, Hirſaugienſis monaſterij regulam amplexus eſt, ſub qua annos ultra quadraginta omnium iudicio (quod ad externam quidem attinet uitam) piè & honeſtè uixit. Mortuo autem Sigero, fratrum electione ſucceſsit. Fuit is in cohercendis monachorũ delictis remiſsior, & adignoſcendum facilior. Præfuit annis quatuor, menſibus tribus: ut Trithemius indicat.

HARTFRIDVS.

Hartfridus, natione Sueuus, ingenij, eruditionis & facundiæ laude præſtans, nonus Hirſaugienſium abbas factus, ad ſtrictiorem regulæ ſuæ obſeruationem monachos coegit, ac in delinquẽtes grauiter animaduertit. Secundo uerò ſui regiminis anno, qui erat Chriſti 988, peſte cum alijs ſexaginta eiuſdem cœnobij monachis extinctus eſt. Idem.

CONRADVS. EVERHARDVS.

Mortuo Hartfrido cum tot, ut diximus, monachis, duodecim tantum in eo ſuperſtites manſere contubernio. Quibus in cõſtitutione noui abbatis diſſentiẽtibus, duo fuêre ſimul electi, Conradus & Euerhardus: ac utrique ſua erat factio inter monachos, licet numero pauciſsimos. Conradus tamen confirmatione à Romano accepta pontifice, ſuperior habebatur: Euerhardus uerò, precioſioribus cœnobij ornamentis clàm ſurreptis, cum alijs duobus ſuarum partium monachis, ad comitem quendam monaſterij bonis iamdudum inhiatẽ, eius in ſua cauſa petitum auxilium confugit. Hoſpes profugus, auroque onuſtus, benignè excipitur à comite: qui commodam ſe nunc occaſionem nactum eſſe ratus, mox pro iuſta (ut ipſe dictitabat) Euerhardi defenſione

fensionē prædia & uillas monasterij inuasit, aciri suam, instigante eum Euerhardo, qui se uerum monasterij abbatē & dominū prædicabat; redegit potestatem. Interim Conradus omni auxilio humano destitutus, intra sui cœnobij muros latêre cogitur, ubi ipse & socij eius magna cum fame conflictantur. Re ad extremum perducta cahardi à comite per uim restituendi aduentus, à trepidantibus monachis expectarenatur, mors eum præuenit. Quo omnium malorum capite sublato, tranquillior Conrado cum socijs fuit gubernationis monasticæ status. Obijt autem Conradus duodecimo suæ abbatiæ anno, qui fuit Christi 1002: ut Trithemius in Hirsaugiēsi Chronico scribit.

ADELHARDVS.

Adelhardus Hirsaugiensis cœnobij monachus, religiosus & doctus, ex grauissimo capitis dolore uisum amisit. Ac pòst cessantibus doloribus, annis ferè uiginti & tribus superuixit. Dono prophetiæ illustris erat cæcus. Triennio enim antè, & diem & horam sui obitus fratribus quibusdam indicauit. Hulus quoque monasterij uastationem, quæ post annos octoginta demum secuta est, uiuis coloribus, ac si eius mali spectator fuisset, depinxit. Mortuus est anno Salutis 924: ætatis uerò 78. ut Trithemius in Hirsaugiensi Chronico annotat.

VVERENBOLDVS.

Vuerenboldus Hirsaugiēsis monachus, scripsit de laude martyrum librum unum, & de clade ac patriæ desolatione librum quoq; unū. Obijt autem anno Salutis 977. ut ex Meginfredo Trithemius in Hirsaugiē si Chronico refert.

DITHARDVS.

Dithardus monasticæ apud Hirsaugienses scholæ rector annis 22 fuit. Obijt anno 943. ut Trithemius in Hirsaugiensi Chronico habet.

MEGINRADVS.

Dithardo in scholastico regimine, Meginradus discipulus eius successit. Vuitichindus Corbeiensis monachus, Saxonum historiæ autor, in libro quem de Veterum studijs scripsit, fatetur (ut Trithemius in Hirsaugiensi Chronico annotat) se Meginradi scholastici & monachi fama excitum, Hirsaugiam inuisisse: ibique præter opinionem uiros omni doctrinæ genere præstantissimos offendisse, quorum dulci per aliquot dies fuisset usus consuetudine. Ipsum uerò Meginradum præcipuis effert laudibus, scribens eum esse alterum Hieronymum, & nulli ueterum eruditione inferiorem. Obijt autem Meginradus anno 968.

REINHARDVS.

Reinhardus monachus quidem doctus, sed nulla ratione præceptori conferendus, Meginrado in scholastica functione successit: ut idem scribit.

ARNOLDVS.

Eiusdem cœnobij monachus Arnoldus, prouerbia Salomonis carmine reddidit. Claruit circa Otthonis tertij tēpora: ut Trithemius in Hirsaugiēsi Chronico annotat.

## MOGVNTINI.

VVERNERVS.

VVernerus Hirsaugiensis monachus, Meginradi scholastici auditor, Moguntiæ ad S. Albanum abbas constituitur: teste Trithemio in Hirsaugiensi Chronico.

THEODORICVS.

Theodoricus S. Albani apud Moguntiā monachus, & sacræ & prophanæ Scripturę peritia clarus, scripsit Commentarios

In Euangelium Iohannis.

In Cantica canticorum.

Gesta quoq; & successiones Moguntinorum pontificum: teste Trithemio in Hirsaugiensi Chronico.

## GEMBLACENSES.

VVIPERTVS.

VVipertus ex primaria Lotharingiæ nobilitate natus, uir dives & potens, Gemblacense fundauit monasterium. In quo, introductis monachis & abbate, ipse quoque monasticum induit habitum, circiter annum Domini 921: ut Trithemius in Hirsaugiensi Chronico, & Sigebertus annotant.

HERLVINVS.

Herluinus primus Gemblacensis abbas, moritur anno Salutis 987: Sigeberto teste.

ADELBERTVS.

Adelbertus, seu Albertus (utroque enim nomine à Trithemio appellatur) cœnobij Lobiensis monachus, & scholæ rector fuit: in qua Burchardum, qui postea ad Vuormacienſem episcopatum conscendit, & alios suæ fidei commissos, tum in sacris, tum prophanis instituit literis. Postea Gemblacensis factus est abbas, Otthonis secundi temporibus.

Plurium sanctorum uitas, ac in eorundem honorem cantus eum composuisse, Trithemius annotat in catalogo Scriptorū Ecclesiasticorum.

ADELBERO ABBAS S. Ferrucij.

Adelbero Hirsaugiensis monachus nullo non doctrinarum genere excellens, mo-

nasticæ scholæ in S. Albani cœnobio prope Moguntiam fit rector, seu scholasticus: ut usitatam hoc seculo uocem retineamus. Quam prouinciam cum laude ac maximo discentium fructu administrauit. Per Herigerum uerò Moguntinum archipræsulem, monachis S. Ferrucij (quod monasterium alio nomine Blidenstad appellatur) abbas mittitur: ut Trithemius in Hirsaugiensi scribit Chronico.

CHRISTIANVS *Colonienſis.*

Bruno Colonienſis archiepiſcopus, nouo, Pantaleoni ſacro, monaſterio, Chriſtianum quendam primum dedit abbatem: ut Trithemius in Hirſaugienſi Chronico teſtatur.

## GLADBACHENSES.

SANDERADVS.

SAnderadus religionis & diſciplinæ monaſticæ ſtudioſiſsimus, primus in Gladbachenſi monaſterio, à Gerone Colonienſi archiepiſcopo, eius cœnobij fundatore, cõſtituitur. Poſt mortem Sanctorum catalogo adſcriptus eſt. Trithemius in Hirſaugienſi Chronico.

BRVNO.

Bruno monachus S. Viti apud Gladbachenſes, ob ſingularem eruditionem temporibus Otthonis tertij celebris fuit. Ibidem.

## CORBEIENSES.

THIATINVS.

THiatinus Corbeiẽſis abbas, ſua præſentia dedicationem Halberſtadenſis eccleſiæ ornaſſe, in hiſtoria Quedlinburgenſi ſcribitur.

VVITICHINDVS.

Vuitichindus, ſeu (ut Sigebertus habet) Vuindichildus, Corbeiẽſis monachus, multis annis eiuſdem cœnobij ſcholæ magno cum auditorum fructu præfuit.

Scripſit hiſtoriã Saxonum, ac Otthonis Magni, aliorumq; ſuccedentium Imperatorum, ad Mechtildam Quedlinburgenſis cœnobij abbatiſſam, lib. 3.

De uita Pauli eremitæ libros duos: alterum ligata, alterum ſoluta oratione.

Paſsionem Teclæ uirginis, lib. 1.
Sermonum ad fratres, lib. 1.
Epiſtolarum ad diuerſos, lib. 1.

Floruit temporibus Otthonum Imperatorum: ut Trithemius adſignat.

Sancti Viti ſtudioſiſsimus fuit cultor: ipſamq; reginam Mechtildã, cui ſuam hiſtoriam inſcribit, monet, ut tantum patronũ, cuius ope Saxonia ex ſerua facta ſit libera, colere non deſinat. lib. 1. geſtorum Saxonicorum.

## LVNEBVRGENSES.

LVDERICVS.

HErmannus Saxonię dux, Luneburgenſi cœnobio à ſe extructo in S. Archangeli Michaelis honorem, Ludericum monachum, religionis ſtudio & morum integritate pręſtantem, Colonia ex S. Pantaleonis cœnobio accitum, primum præfecit abbatem: ut Saxoniæ Chronicon, & Trithemius annotant.

LVTZO.

Lutzo Luneburgenſis abbas interfuit dedicationi Halberſtadenſis eccleſiæ, anno 992: ut ex Quedlinburgenſi hiſtoria uidere eſt.

ERHARDVS.

Erhardus Luneburgẽſis monachus, ſcripſit commentariorum in Geneſin, lib. 1.
In Exodum, lib. 1.
In Leuiticum, lib. 1.
In Numeros, lib. 1.
In Deuteronomium, lib. 1.
Homiliarum,

Claruit autem circa annum Domini 980, ut Trithemius autor eſt.

ADELBERTVS *Clingenſis.*

Adelbertus familia nobili natus, presbyter & monachus in cœnobio Hirſaugienſi, ob eximiam in omni doctrinarum genere eruditionem, Clingenſi abbatiæ præficitur temporibus tertij Otthonis, quam multis annis feliciter rexit. Pluribus Germaniæ principibus & Eccleſiarum præſulibus, ob promptam conſiliorum felicitatem, charus & gratus fuit: ut Trithemius in Hirſaugienſi Chronico annotat.

ADELRICVS MERSburgenſis.

Dilapidatis à Giſilario, quem manibus pedibusque ad Magdeburgenſem epiſcopatum contendiſſe diximus, Eccleſiæ Mersburgenſis bonis, adeò ut ad epiſcopi ſuſtentationem nõ ſufficerent: ipſe, cum ex uoto ſententia ſuccederet, Odericum, ſeu Othardum, ſiue Othacarum, uel (ut hiſtoria Quedlinburgenſis eum appellat) Othardum, Bergenſem monachum, epiſcoparum Mersburgenſi in abbatiam mutato, primũ ibi conſtituit abbatem: ut ex Mersburgenſi conſtat Chronico. Othardum hunc Halberſtadenſis eccleſiæ dedicationem, cum pluribus alijs epiſcopis iuuiſſe, in hiſtoria Quedlinburgenſi ſcribitur.

## BRITANNIAE MONACHI.

BERNOLPHVS.

Bernolphus Hirſaugiẽſis monachus, Meginradi

ginradi auditor, in monasterio S.Michaelis fit abbas: ut Trithemius refert in Hirsaugiensi Chronico.

SMARAGDVS.

Smaragdus abbas S.Michaelis in Britannia (ut ipse in expositione passionis Dominicæ testatur) in sacris Scripturis insigniter doctus, strenuè monasticæ disciplinæ egit patrocinium. Multis hic libris sui nominis memoriam posteris commendauit, quos Trithemius & Honorius de scriptoribus Ecclesiasticis hoc ordine annotant:

In regulam S.Benedicti, lib.1.
Diadema monachorum, lib.1.
In totum Psalterium, lib.1.
In Epistolas & Euangelia Dominicalia, lib.2.
Sermones plures, lib.1.&
Donatum maiorem exposuit.

Deijs autem nihil prçter summaria illa Epistolarum & Euangeliorum hodie extant: quæ (ut ipse testatur) in Præfatiuncula, ex patrum, nimirum Hilarij, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, Cypriani, Cyrilli, Gregorij, Victoris, Fulgentij, Iohannis Chrysostomi, Cassiodori, Eucherij, Tichonij, Isidori, Figuli, Bedæ, Primasij: & de cautè legendis Pelagij & Origenis sermonibus, quasi de magnis fluminibus, pelagicq; gurgitibus, in modicos riuulos pariter deriuator, pariterque breuiator (sic enim de se ipso scribit) existens, collegerit: eamq; farraginem Comitis librum appellat. Verum qua de causa, non facilè est diuinare: nisi fortè, quod sit quasi Enchiridion catholicorum doctorũ, semper manibus terendum.

Suo Operi ipse hoc encomium satis arrogans præfixit:

*Quisquis amas typicos legis cognoscere sensus,*
*Vitaleisq; cupis doctorum carpere fructus,*
*Illius egregij calamum perquire libelli,*
*Discute paginulas solers & mente sagaci,*
*Quid teneat typicum sublato tegmine disce.*
*Fabula fert animæ uerbo condita salutis,*
*Pollet & in sacris nimium typicisq; figuris:*
*Scrosibus elucet, læto sermone nitescit,*
*Argenti nitidos distincto limite campos,*
*Et nimium grauidos distincto munere cunctos*
*Ordine multiuico consperso semine uatum,*
*Continet in gremio digestos iste libellus.*
*Aurea de quorum proprio sudore recisa*
*Rure fauente Deo, patres traxère metalla:*
*Et quibus eximios, nitido sermone repletos,*
*Sum proprio nisus modulo componere libros.*
*Ex quibus hunc modicum, sacro charismate plenum,*
*Inspirante Deo, uolui coniungere librum.*
*Qui mihi perspicuè diffiorans Dindyma legis*
*Quæ tenet in sacris monstret nudata figuris,*
*Abdita qui referat, nec non qui mystica pandat.*
*Profert in medium sacro cum dogmate cuncta*
*Quæ latuêre diu cæco sub tegmine clausa.*
*Qui rutilus nocuas pellat de mente latebras,*
*Vincula disrumpat, cordis eliminet umbras,*
*Irradietq; sacro mentis spiramine fibras:*
*Vt ualeat uobis diuino semine iacto*
*Rore poli madidus, doctorum uomere cultus,*
*Cordis opimus ager, centenos reddere fructus.*

Et in Præfatione inquit: Ideo ueluti ferculum uarijs delicijs plenum, hunc nos diligenti Lectori modicum apponimus librum: ut cum ambrosium palato mentis probauerit gustum, in diuinarum Scripturarum se exercens latissimo campo, sagaciter plurimum Domini perquirat eloquium, & uelut deificum uiuificumque amplectatur animæ cibum: cuius confortatu sedulo & instanti prudentior, & in futuro seculo uiuat felicior.

Eleganter uerò ibidem de fructu uerbi Dei inquit: Lectionis sacræ cognitio imbecillis baculum, neruosis arma ministrat: hostium subdolas fortiter premit insidias, & uictoribus æternas feliciter promittit coronas.

Græcè & Ebraicè linguæ non fuit ignarus. sæpe enim in suo Opere utriusq; linguæ uocibus utitur.

SERLO.

Serlo in cœnobio S. Augustini Anglorum Apostoli apud Cantuariã monachus, in maximo circiter Ethelstani regis tempora, ob singularem eruditionis opinionem, fuit precio.

Scripsit contra monachorum libidines, lib.1.
Commentarios in Pentateuchum, lib.5.
De differentijs, lib.1.
De prouerbijs, lib.1.
Homilias quoq;, lib.1.

Lis erat monachis S. Augustini fanum incolentibus, cum monachis cœnobij sancti Saluatoris, in eadem urbe Cantuarienſi existentibus. Instigatus igitur à suis Serlo, contra monachorum sancti Saluatoris ambitionem, luxuriam, & incredibilem auariciam, carmen acre & aculeatum scripsit. In quo aduersus ipsos (ut Lelandus inquit) patrocinante ipsi Odone Cantuariorum archiepiscopo, tam uehemens est, ut stigmata uulnerum maiora nulla uel serpentes ipsi quantumuis sibilantes reliquisse sent. Tam enim ingeniosè arguta sunt quę scripsit, Camarinam improborum moues, ut uel fastidioso cuiuis, uel nauseanti aures iuxtà ac oculos facilè excitent.

Claruit circiter annum Domini 960: ut Balæus Centuria 2 Scriptorum Britanniæ, cap. 31 annotat.

FRIDEGODVS.

Fridegodus, S. Saluatoris apud Cantuariam monachus, Græcè & Latinè doctus, ut Malmesburiensis testatur: rogante eiusdem urbis archiepiscopo Odone, qui putrida Vuilfridi & Andoeni monachorum ossa ex sepulchris eruta coli iusserat, Heroico carmine scripsit

Vuilfridi Riponensis uitam, lib.1.
Andoeni monachi uitam, lib.1.
De peccatrice in Euangelio, lib.1.
De Hierusalem supera, lib.1.
De uisione beatorum, lib.1.
Contemplationes uarias, lib.1.

Fuit autem coętaneus Serloni, ut Balęus refert Centuria 2 Scriptorum Britannię, capite 32.

EADMERVS.

Eadmerus abbas D. Albani, Vnuuoni presbyteri, multarum linguarum cognitione excellentis, fama excitus, eundem ad se uocauit, eiusq; opera in uetustis codicibus è Britannico in Latinum sermonem uertendis usus est: quos tamen libros postea iniquus abbas igni tradidit, ut Balæus Centuria 2 Scriptorum Britannię, cap. 33, ex Lelando annotat. Vixit circa annum Domini 970.

BRITHFERTVS.

Brithfertus Ramesiensis doctor & monachus, Mathematum studiosissimus & peritissimus, scripsit

De principijs Mathematicis, lib.1.
In Bedam de temporibus, lib.1.
In eundem de natura rerum, lib.1.
De institutione monachorum, lib.1.

Claruit circiter annum Domini 980, ut Balęus annotat Centuria eadem, cap. 35.

LAMFRIDVS.

Lamfridus ueteris apud Vuintonienses cœnobij monachus, scripsit uitam Svuithuni episcopi, ac miracula eiusdem lib. 2. Claruisse dicitur anno noningentesimo octuagesimo. Balæus.

## FLANDRI.

### BERTINICI.

ADOLOLPHVS.

ADololphus, Bertiniani cœnobij abbas & comes, diui Folquini episcopi ossa ex sepulchro à se eruta coli præcepit, anno 928: ut Iacobus Meyer in Flandriæ Chronico indicat.

HILDEBRANDVS.

Eiusdem cœnobij abbas Hildebrandus, Arnulphi Flandriæ comitis rogatu, diui Vedasti monachorum uitas correxit: eosq; à sua regula exorbitantes, ad strictiorem eius obseruationem reduxit. Ibidem.

HVCBALDVS *Elnonensis.*

Hucbaldus Elnonensis, cõuentus Amando dicati monachus, Cilinam, Remigij Remorum olim archiepiscopi matrem, uenusto carmine ornauit. Idem etiam mortuis ossibus diuinos exhibuit honores, contra Dei uerbum. Nam à Niuernensi episcopo Cirici pueri cuiusdam, sed magni martyris, ossa impetrauit, eaq; in suum cœnobium Elnonæ recondidit: eodem testante.

## GANDENSES.

GERARDVS.

GErardus ex orientali Frãcia, patre Stantio, uiro nobili, & Plectrude, Stephani Leodiensis episcopi sorore natus, Cellensis factus est monachus: ubi omnibus adeò uitam suam probauit, ut sancti nomen etiam apud exteros mereretur. Ab Arnulpho igitur comite, ut collapsam monasteriorum Flandriæ disciplinam ad pristinum reuocaret statum, uocatur: postea reparato à Magno comite Gandensi cœnobio, abbas ibidem creatur.

Monasticas superstitiones pro uirili non tam conseruare, quàm etiam auctiores reddere studuit. Bronium enim Hanoniæ monasterium extruxit, idq; Eugenij ossibus à diuo Dionysio Parisienſi emendicatis donauit. Anno 959, die Octobris tertio, diem clausit extremum: ut Meyerus in Flandriæ Chronico indicat.

VVOMARVS.

Gerardi locum in Gandensi abbatia sortitus est Vuomarus: ut idem narrat.

ERENBOLDVS.

Erenboldus monachus, & postea Gandensis abbas, anno 985 claret: eodem teste.

## *DE HEREMITIS.*

GREGORIVS. EBERHRADVS.

OTtho Imperator ab expeditione in Saracenos ex Italia reuersus, S. Menradi cellulam inuisit, ibiq; Gregorium primæ suæ coniugis Edithæ germanum fratrem, & Eberhardum, qui summi collegij Argentinensis decanus fuerat: sed eremiticæ uitæ studio relictis rebus omnibus, eremum ingressus fuerat, offendit. Ibi Imperator, hortante secunda coniuge Adelheide, ex eremitarum illorum tuguriolo, magnificam D. Benedicti fecit abbatiam Einsidelensem, quam amplissimis prouentibus annuis dotauit: eiq; Gregorium affinem suum, primum præfecit abbatem, qui uixit usque ad annum Christi 996. Chronicon Einsidlense, Eberhardum pro primo abbate habet, & Gregorium pro secundo: ut Bruschius annotat in Chronologia de monasterijs Germaniæ. DE

# DE ABBATISSIS & uirginibus Vestalibus.

## GANDERSHEIMENSES.

RODESCHVVINDA.

RODeschuuinda, religiosissima uirgo, ducali Saxonum stemmate nata, post Christum cœtui, à Vualdoberto Hildesiano episcopo præficitur, quæ anno 906 in uiuis esse desijt: ut Bruschius refert.

VVENDELGARDIS.

Vuendelgardis nobili familia nata, eodem quo Rodeschuuinda obijt anno, Gandersheimensi sede potita est, eique diutissime præfuit. Obijt sub Ochuuino decimo Hildesiano præsule: ut idem autor est.

GERBERGA.

Gerbergæ, quæ Vuendelgardi successit, Rosuuita eiusdem cœnobij monialis, omnia ingenij sui poetica & historica monumenta inscripsit. Obijt Gerberga Bernhardi Hildesiani temporibus: eodem teste.

ROSVVITA.

Rosuuita, cœnobij Gandersheimensis alumna, Latinè & Græcè docta, ac poetices non ignara, scripsit

De uita & conseruatione Mariæ, lib. 1.
De Ascensione Domini, lib. 1.
De S. Gingolfo, lib. 1.
De Martyrio S. Pelagij, istis temporibus in Corduba passi, lib. 1.
De lapsu & pœnitentia Theophili uicedomini, lib. 1.
De lapsu cuiusdam iuuenis à S. Basilio conuerti, lib. 1.
De passione S. Dionysij, lib. 1.
De passione S. Agnetæ uirginis, lib. 1.
De gestis Otthonis Imperatoris, lib. 1.
Epigrammatum, lib. 1.

Præterea ad imitationem Terentij composuit sex comœdias, quarum prima inscribitur, Conuersio Gallicani principis, continens martyrium Iohannis & Pauli. Secunda est, de passione Agapis, Chioniæ, & Hirenę uirginum. Tertia, de resuscitatione Calymachi & Drusianæ per S. Iohannem. Quarta, de lapsu & conuersatione Mariæ, neptis Abrahæ eremitæ. Quinta, de conuersione Thaydis meretricis. Sexta, recitat passionem uirginum Fidei, Spei, & Charitatis. item alia. Trithemius, de Illustribus uiris Germaniæ. Celtes poeta totum opus edidit, teste Bruschio de Monasterijs.

VVILITRVDIS

*Pergensis.*

Vuilitrudis, Bertholdi ultimi Bauarorum ducis coniux, cui ob singulare religionis studium à pietate nomen inditum fuit: cum prole destitueretur, omnes dotales prouincias, quibus post mariti sui obitum imperitabat, Deo dicauit: seque iam senio confectam, religioni totam dedidit. Collecto igitur piarum uirginum cœtu, Pergense cœnobium, in honorem Christi, eiusq; Sanctæ genitricis, S. Iohannis & Sanctæ crucis, in Eistetensi episcopatu constituxit, anno 976: idq; de consilio Otthonis secundi, ac coniugis ipsius, omni suo dotali territorio liberalissimè dotauit. Ipsa uerò prima eius loci abbatissa facta est. Suę fundationis confirmationem & priuilegia ab Otthone II, ac Iohanne XV Romano pontifice impetrauit: ut Bruschius in Chronologia monasteriorum Germaniæ scribit.

## AVGVSTANAE.

ELEVSINIA. AGNES.

VLricus Augustanus episcopus, extructo in eo loco, ubi Hungari ab Otthone Magno cæsi fuêre, S. Stephani cœnobio, Eleusiniam, germanam sororẽ, eidem primam præfecit abbatissam, circiter annum Christi 966. cui Agnes successit: ut idem refert.

HODICA MECHELburgensis.

Vuago Aldenburgensis episcopus, suam ex sorore & Billugo Obotritorũ regulo neptẽ, monialibus Mechelburgæ degentibus adhuc iuuenculam præfecit abbatissam: ut Helmold. in Slauorũ Chron. cap. 13 scribit.

VVIBERADIS SANgallensis.

Vuiberadis apud S. Gallum die noctuq; orationibus & ieiunijs, religionis ergò, corpus affligens, prophetiæ dono illustris fuit. Vdalricum enim tum Sangallensis cœnobij alumnum, Augustano episcopatu potiturum prædixit. Huius uaticinium rei euẽtus postea comprobauit: Trithemio teste, in Hirsaugiensi Chronico.

TVEDVVIF.

Mindensium præsul ab Otthone III, potestate extruendi cœnobium monialium in Vuedegenborg accepta, primam eo cœtui Tueduuif quandam præfecit abbatissam. Crantzius lib. 3, cap. 74 in Metropoli.

VVILFREDA.

Edgarus Anglorum rex in Vuilfredam quandam uirginem monialem deperit, uel (ut alijs placet) monasterio eam nullis initiatam sacris, ne uidelicet uulgus regis libidines cognosceret, ad suos tantum usus incluſit, ex qua Editham filiam suscepit: ut Polydorus Vergilius libro 6 Anglicæ historiæ scribit.

MECHTILDIS QVEDLINburgensis.

Mechtildis, Heinrici Aucupis Romano-

rum Imperatoris filia natu maxima, prima à parentibus in Quedlinburgensi monaste rio, à se in Seruatij quondam Tungrorum episcopi (teste Trithemio) honorem extructo, constituitur abbatissa: ut in Mersburgensi Chronico uidere est.

## DE PHILOSOPHIS.

### ALPHARABIVS.

ALpharabius Arabs philosopus, & Astronomus suo seculo excellentissimus, Otthonis tertij temporibus in precio fuit: ut Bergomensis & Sabellicus testantur. Alpharabij cuiusdã liber de compositione Astrolabij extare fertur, teste Gesneri Bibliotheca.

### AVEDADIS.

Auedadis Alpharabio coætaneus (ut Sabellicus autor est) philosophus & medicus, multos in Aristotelis libros edidit commentarios: ut Bergomensis annotat.

## CAPVT XI.

## DE HAERETICIS.

MAgna fuit hoc seculo ignauia in cognoscendis & dijudicandis falsis dogmatibus, quæ passim à fascinatis ac prophanis Ecclesiæ præpositis rudi populo tradebantur. Omnes totis uiribus laborabant, ut summos gradus, atque cum ipsis honores & uoluptates carnales consequerentur. Inde est, quòd pauci hæretici sint annotati. Regnabant enim atræ tenebræ errorum & superstitionum super totam Christi Ecclesiam, ac uerè fortis ille suum atrium (ut Christus prædixit) in pace possidebat. Nam quo uigilantiores & alacriores, sunt Ecclesiæ Dei inspectores & doctores in plantanda atque propaganda sincera Dei doctrina: eo manifestius & uehementius sese opponit Satan per falsos doctores. Hinc samis & fidis Ecclesiæ Christi doctoribus, planè ἀσπονδος πόλεμος est cum hæreticis. Est igitur hæc ipsa res, quòd hoc Seculo tam parum est contra hæreticos pugnatum, argumento, Ecclesiam Dei ueram in hac ætate supra modum fuisse exiguam. Sciat igitur Lector, omnes hæreticos ex hoc Capite fugisse, atque in prælatos ac monachos pontificios sese abdidisse.

## CAPVT XII.

## DE MARTYRIBVS.

### VVIBORADA.

ANno 925, Vuiborada sanctitate insignis, ab Vngaris Germaniam uastantib. martyrio coronatur: Hermanno Contracto teste.

### BONIFACIVS.

Bonifacius, quidam Otthonis tertij consanguineus, cuius castra multos secutus fuerat annos, apud Russos tandem martyrsactus est: ut habet Chronicon Casinense lib. 2, cap. 18

### BENEDICTVS, NATHANAEL, IOHANNES, ISAAC, CHRISTIANUS.

Fuêre hi B. Adelberti Pragensis episcopi comites & discipuli: & religionis quam à suo præceptore didicerant, seduli ad Vngaros, Borussos & Polonos propagatores. Tandem in Polonia pro suo labore martyrij laudem reportarunt: ut scribit Trithemius in Hirsaugiensi Chronico.

### VINAMANNVS, VNAMANNVS, SUNAMANNUS.

Horum trium Sigfridi nepotum, cladẽ, quam ob religionis plantationem apud Vuestgothos ab impijs quibusdam proceribus acceperunt, suprà Capite tertio annotauimus.

Plurium martyrum, in descriptione personarum, suprà fit mentio.

## CAPVT XIII.

## DE MIRACVLIS & prodigijs,

### DE REBVS ADMIRABILIBUS SUB LUDOVICO TERTIO.

ANno 904, mẽse Maio, cometa uisus est, qui cladem illam Italicam, quę mox subsecuta est, portendisse credebatur. Ludouicus enim Longobardorum rex, Berengarium Itaha hic superior factus, Ludouicum catuna expulit: sed paulo pòst mutata belli fortuna Veronæ oculis priuauit: ut Regino annotat lib 2.

Anno 912, alius apparuit cometa, ut habet Contractus, & præter morem rutilantior: quem maxima apud, Saxones in primis, aquarum exundatio insecuta est: teste Schedelio. Ac circa idem etiam tempus, à Francis regnum ad Saxones translatum est: quod sine magnis motibus, multoque sanguine fieri non potuit: ut Honorius scribit in suo Chronico.

Eodem ferrè tempore igneæ facies, stellæ mi-

læmicantes, ac hinc inde oberrantes, magno hominum stupore uisæ sunt. Quæres Vngarorum in Italiam incursiones, deuastationesque notauit: ut Schedelius æta te sexta, Nauclerus Generat. 31 referunt. Sabellicus uerò Enneadis nonæ lib. 1, extremis Sergij pontificis Romani id factum ait temporibus.

In Ludouici Imperatoris conspectũ, mõstrum quoddam canino capite, cætera uerò hominis formam referebant membra, delatum est: ut Fasciculus temporum habet.

SVB CONRADO primo.

ANno 913, acutissimum hyemis fuit frigus. Continuator Reginonis.

Hatto Moguntinus archiepiscopus, cuius dolo Adelbertus Bambergensis marchio capitis olim damnatus fuerat, cũ iam Conradi Imperatoris instinctu Heinrico Saxoni duci quoq; necem intentaret, fulmine ictus interijt: eiusq; corpus in Ætnæ montis uoragines à diabolo præcipitatum esse, apud Honorium in Chronico, & in Floribus temporum scribitur: hac uoce in aere resonante:

*Sic peccata lues, sicq; ruendo rues.*

DE PRODIGIIS ET REBVS *admirabilibus sub Heinrico* I.

ANno 929 asperrimæ frigiditatis hyes fuit, teste Reginonis Continuatore.

Secundo anno Ludouici Francorum regis, Caroli Simplicis filij, qui fuit anno Christi 930, decimo sexto Calend. Martij, circa gallorum cantum usq; ad diem illuscescentem, in æthere hominum flagrantiũ, ac in se mutuis cædibus sæuientium acies, se conspiciendas præbuerunt: teste Annonio libro 5 de gestis Francorum, capite 42. ac clangores exercitus, hominumque clamores auditi sunt: ut Robertus Gaguinus scribit. Quæ prodigia plurimarum in Franciæ regno calamitatum fuêre indicia. Nam tertio anno pòst, Franciæ proceres à Ludouico deficiunt, qui inito cum Heinrico Imperatore fœdere, Nordmanni ducis auxilio tandem ad officium eos ui & armis iterum compulit. Tanta prætereà fuit per totam Franciam fames, annonæque caritas, ut una frumenti mensura, cui Sestarius nomen est, quatuor & uiginti ueniret libris: utij dẽ testantur. Nec multo pòst sanguine pluit, ut Annonius li. 5 de gestis Francorum, cap. 43 indicat.

Anno 934, ecclesia S. Maximini apud Treuirenses turbine corruit: ut Reginonis habet Continuator.

Anno 935, in Genuensi urbe, inter Alpes Coccios ad Africanum mare sita, fons sanguinis ubertim fluxit, quo imminens urbi denotabatur clades. Sarraceni enim instructissima ex Africa classe profecti, Italiam maiori quàm antea factum fuerat unquam, uiolentia inuadunt, igni & ferro obuia quæque prosternentes. Genuam urbem ui expugnant, omnes trucidant ciues, bona diripiunt: mares uerò impuberes, puellas, ac matronas nauibus impositas, cum triumpho secum ad patrios lares auehunt: ut Luitprandus libro quarto, capite 2. Sigebertus, Nauclerus & alij referunt.

Circa idem tempus, quo Normãni à Rudolpho Burgundiæ duce cæsi fuêre, terræ motus circa cœnobium S. Columbæ uirginis accidit, mense Ianuario: ut Annonius lib. 5, cap. 41 indicat.

Anno 936, S. Bonifacij ecclesia apud Hirsfeldenses, iusto Dei iudicio contra monasticas idololatrias, incendio corruit: ut Schafnaburgensis autor est.

Anno 937, sol sereno cœlo obscuratus, & quasi sanguineus factus est, adeò ut ipsi etiam radij solares per fenestras transmissi, eundem colorem præ se ferrent. Sigebertus & Bergomensis. Ex Masseo refert Balæus, uisum esse sanguinẽ per aliquot dies ex sole quasi effluere. Magna autem pestilentiæ subsecuta est sæuitia, ac maximè subitanei hominum interitus: ut ijdem produnt.

Ineptum est miraculum, quod eodem anno Sigebertus & Vuitichindus accidisse scribunt: quòd homini cuidam manus ferro præsecta, pòst annum dormienti restituta sit. ac ut rei fides adhiberetur, locus coniunctionis sanguinea notatus conspiciatur linea. Fuerunt autem præstigiæ.

Miraculi loco ab ijsdẽ annotatur, quòd mons ille, ubi Heinrici Imperatoris exuuię positę fuêre, mult. : in locis flãmas eiecerit.

Ziemomislo Poloniæ duci filius natus est cæcus, ac deinceps uxor párere desijt. Septimo autem anno, cum filius sacris initiaretur, splendido regni proceribus à duce conuiuio apparato, filius uisum recipit, magno discumbentium stupore ac lætitia, & sibi & duci de tanta fœlicitate gratulantium. Cromerus libro secundo de gestis Polonorum.

Simeone Bulgarorum duce, & Romano Lacapeno Orientis Imperatore, ad Cosmidij littus de pace tractantibus, duæ super eos aquilę dicuntur uolitasse, & cũ clangore inter sese congressæ: sed statim segregatas esse, altera uersus urbẽ, altera in Thraciã tendẽte. Ea autẽ res indicio fuit, frustrà inter ipsos de pace tractari: id quod euẽtus declarauit. Re enim infecta, colloquiũ eorã

fuit ruptum. Zonaras tomo 3, sub imperio Romani Lacapeni.

Paulo pòst Symeon, homo sanguinarius, & quietis impatiens, Crobatis bellum intulit, ubi uictus est. Interea uerò imperatori Romano nunciatur, statuam in summo fornice Xerolophi uersus Occasum positam, in Symeonis Bulgari formam conuersam esse: cuius statuæ caput si amputetur, Symeonis interitū haud procul abfuturum. Eo igitur facto, eadem hora Symeonem ex stomachi dolore expirasse, Imperatori nunciatum est.

## SVB OTTHONE PRIMO.

HEinrico duce, contra fatrem Otthonem Imperatorem pugnante (imperij enim dignitatem ipse quoq; ambibat Heinricus) stella perlucida, in ipso partium conflictu, medio cœli axe, media præter morem die apparuit: ut in historia Quedlinburgensi scribitur.

Anno 942, cometa à decimo quinto Calendarum Nouemb. usq; ad ipsas Calendas apparuit: qui exundationes (Vuitichindo lib. 2 testante) & animalium denotauit interitus, ut euētus comprobauit. Saxoniæ Chronicon, Reginonis Continuator, Hermannus Contractus.

Anno 944, terræmotus factus est 16 Cal. Maij. Eodem etiam anno sol hora diei tertia horribilem eclipsin passa est. Qua die Abdaram Saracenorum rex, à Gallitiæ rege Radimiro, bello uictus est. In Italia quoq; miræ magnitudinis ac proceritatis, continuis noctibus, cometes apparuit, igneos diffundens radios. Qui imminentem significauit famem, qua paulo pòst duriter premebatur uniuersa Italia: ut Luitprandus libro 5, cap. 1. & Sigebertus annotant. Vrspergensis cometam ad annum 945 refert, quo bella & famem Galliam denuò afflixisse, quidam prodidêre.

Acrem & niuosam hyemem, à Nouembris initio usq; ad æquinoctium uernum in Polonia perduravisse, anno 947, ex Dugloſſo Cromerus libro 3 de rebus Polonorum annotat.

In Italia stupendæ magnitudinis lapis ignitus, quasi candentis ferri massa, ab Occidente uolitans (ut Hermannus Contractus habet) inter tonitrua & tempestatem turbulentam, è nubibus in terram magno cum uidentium stupore cecidit, anno 951. ut Vuitichindus libro tertio, Sigebertus & Sabellicus lib. 2 Enneadis nonæ indicant. Simul & draco uisus, ut Contractus & Marianus Scotus annotant.

Sub idem tempus in plurimis Galliæ Germaniæque locis, terræmotus accide- runt: ut ijdem autores referunt. Templa etiam in plerisque locis tempestatum ui concussa, utriusque sexus sacerdotes de cœlo tacti interierunt, ac innumera ferè, dictuque horrenda monstrata sunt portenta: ut Vuitichindus libro tertio gestorum Saxonicorum scribit. Sigebertus & Erfordiensis ad annum Otthonis decimum nonum, qui est Christi 956, referunt. Quo & innumera hominum multitudo pestis sæuitia interijt: teste Reginonis Continuatore. Quam hyems asperrima, eam uerò immanissima fames subsecuta est: ut scribit Vuitichindus libro secundo. Fames autem Galliam & Burgundiam adeò pressit, ut homines cibo suis corporibus conuenienti, uix ali potuerint. Bergomensis libro undecimo.

Anno 957, duo simul soles cōspecti sunt. Et salsæ maris aquæ, à Neapoli Cumas usque, per biduum dulces factæ sunt: si Leo Hostiensis libro secundo, capite quinto, fidem meretur.

Anno 959, uel sequenti, iuxta Marianum Scotum, cruces in hominum uestibus apparuerunt: quarum nonnullæ cruentæ fuerunt, multorumq; uestes ut lepra sordueruntut Vuitichindus, Sigebertus, & Nauclerus produnt.

Signum quoddam in sole conspectum anno 961, Hermannus Contractus quidem annotat: uerùm quale id fuerit, non expromit. Eclipsin solis fuisse, quæ 16 Calend. Iulij acciderit, Continuator Reginonis testis est.

Temporibus Romani Lacapeni Imperatoris Constantinopoleos, sæuissima hyems, fames maxima, horrendumque fuit incendium. Sub eodem quoque duo ex Armenia adolescentes concreti uenere Constantinopolin: quorum altero mortuo, cum medici nexum resecuissent, nihil emolumenti accessit alteri, nec diu superstes fuit. Zonaras tomo 3 Annalium.

Anno 964, grauiter in exercitu Otthonis peste laboratum est: ut ait Reginonis Continuator.

Anno 968, terræmotus factus, & cometa apparuit. Anno sequenti, undecimo Calendar. Decembris, sol eclipsin passus est: quam maxima in terris fames secuta est. Hatto autem Moguntinus archiepiscopus, magna pauperes fame premi uidens, ingentem eorum cœtum in horreo conclusit. cateruatim enim spe eleemosynæ cuiusdam confluebant famelici. Pontifex obseratis horrei foribus, ignem subiecit, ac miseros homines concremauit. Ac cum quiritantes eos inter flammas audiret, mures esse dixit. Sed comitabatur tandem hanc immani-

immanitatem diuina ultio. Mures enim magnis agminibus in episcopum irruêtes, die noctuque eum afflixêre, eiusque carne exaturari cupierunt. Ille uerò ad turrim quandam (cui postea ab hoc euentu nomẽ fuit inditum) in medio Rheni aluo consistentem confugit, ibi nimirum à murium morsibus liberum se fore ratus: sed uanam operam suscepit episcopus. Diuina enim ultione urgente, mures (mirabile dictu) Rhenum transnatantes, turrim conscendêrunt: sicque tandem inter mures miserè interijt episcopus, anno 969. ut suo loco diximus.

Sub Nicephoro Phoca Orientis Imperatore, horrenda terræ concussio facta est: qua Constantinopoli quidem illæsa, plurimæ ciuitates in uicinis locis quassatæ sunt. Maio sequenti, fruges uenti urentes peremerunt: quam quidem calamitatem fames comitabatur sequissima, eamque Nicephorus in summum conuertit lucrum, magno frumentum uendens precio. Zonaras tomo tertio.

Anno 971, signum quoddam ignei coloris in cœlo se conspiciendum præbuit: teste Vrspergensi & Hermanno Contracto. Eodem anno celebre Thuringiæ quoddam templum Dornburgi exustum est. Fertur, aliquot diebus ante Cõstantini Imperatoris Constantinopolitani obitum, noctu multos lapides cum magno stridore ad eius thalamum esse delatos. Quod cum pluribus fieret noctibus, ab hominibus eos iaci, Imperatorẽ credidisse. sed cum ab obseruatoribus circa regiam collocatis, nemo uisus sit qui mitteret, non fieri illud humanitùs creditum est. Zonaras tom. 3.

Poppo gestatione ferri candentis, sine manuum offensione, ueritatem suæ doctrinæ comprobat apud Danos: ut Vuitichindus libro tertio, Sigebertus & Saxo Gramaticus libro decimo historiæ Danicę tradunt: quibus Cranzius adstipulatur, & aliud addidit miraculum, quo suam Danis religionem probârit: quòd uidelicet tunica copiosa cera tunctam (qua indutus erat Poppo) iusserit accendi, quæ in fauillas redacta sit, ipse uerò nullam omnino corporis sui senserit offensionem. libro 3, capite 42 Metropoleos.

## DE PRODIGIIS ET REBUS admirabilibus sub Otthone secundo.

ANno secũdo Ottonis II, uehemẽtissimũ factũ est gelu, quod à Calẽdis Novembris, ad æquinoctiũ uernum usq; durauit: ut Sigebertus autor est. Eodẽ anno & cometes uisus est, Lycosthene teste, de Prodigijs.

Anno eiusdem sexto, qui fuit Christi 979, quinto Calendar. Nouemb. flagrantes per totam noctem in cœlo uisæ sunt acies, ac mutuis se uulneribus conficientes: iuxta Sigebertum & Vrspergensem. Annonius libro quinto de gestis Francorum, cap. 41, & diem annotat, Calẽdas nimirum Februarij. Quæ res infœlix illud Imperatoris cum Græcorum exercitu significauit bellum, ubi ipse cæsis copijs, fuga suæ saluti consulere coactus fuit.

Anno 983, ubique locorum grauiter laboratum est fame: ut Sabellicus libro 2 Enneadis 9 scribit: & Platina in uita Iohannis decimi sexti (ubi, præter alia horum temporum prodigia, & cometæ meminit) Hæc mala, ait, ob Romani pontificis, quem diximus, superbiam, rapacitatem, contemptumq; Dei ac hominum, accidisse, cõmunem omnium fuisse opinionem.

Capuæ quoq; eodem tempore multæ domus, Beneuẽti quindecim turres, simulque centum & quinquaginta homines: magna item Ariani & Frecenti, ac dimidia Companæ ciuitatis pars, Ronsaq; ferè tota cum habitatoribus, subterraneo concidêre motu: ut Leo Hostiensis lib. secundo, cap. 11 scribit.

Miræ magnitudinis ædificium Magdeburgi corruisse, anno 982, Schafnaburgensis indicat.

Conradus Constantiensis episcopus, in Acronio lacu siccis ambulasse dicitur pedibus: teste Nauclero Generat. 32, uolumine secundo.

## DE REBVS ADMIRABILIbus & prodigijs sub Otthone III.

SExto huius Imperatoris anno, Christi uerò 989, frequens aquarum fuit hyberno tempore exundatio, ac plurima ingenti uentorũ impetu prostrata sunt ædificia: ut in Quedlinburgẽsi historia scribitur.

Post hæc magna terræ siccitas in uere, qua satio impediebatur, totiusque æstatis feruor intensissimus (ut Schafnaburgensis ait) secuta sunt. Fames dehinc grauissima, duriter homines afflixit: teste Contracto. Niues præterea intempestiuæ, ac continui imbres, denuò autũnalem prorsus impedierunt sationem. Circa idẽ tempus annona in Albania, & pisciculis in Saxonia (quorum tamen, iuxta Trithemium, ob fœtorem nullus fuit usus) de cœlo pluisse: præter Quedlinburg. historiam, Sigebertus, Erphordiensis & Saxoniæ Chronicon attestantur.

Anno 990, eclipsin sol passus est, 12 Calendarum Nouemb. hora diei quinta. historia Quedlinburgensis.

Ignem

Ignem è Rheno ascendisse, quo uicinæ conflagrarint uillæ, anno 991, Schaffnaburgensis annotat.

Sequenti anno, 12 Calendarũ Nouemb. noctu tribus uicibus cœlum apparuit sanguineum. Hist. Quedlinburgensis.

Anno 993, septimo Calend. Ianuarij, sub primum gallicinium noctu, subitanea ex Aquilone lux (ut medium diei tempus esse crederes) effulsit: quæ quidem uniùs horæ spacio perdurauit, tandem uerò rubente aliquantulum cœlo nox redijt: ut in eadem historia, & Saxoniæ Chronico uidere licet.

Anno 994, hyems sæuissima ab initio Nouembris ad Maium usque, rarissimis diebus æstiuis interiectis, durauit, frigidis pe iferisq; simul flantibus uentis. Circa finem uerò Iulij, in tantam duriciem præ glaciei rigore stagna ac flumina sunt concreta, ut pisces in ijs extinguerentur, & aqua ad usus humanos non suppeteret. Arbores, fruges ac pascua quasi igni subiecto exarue rũt penitùs. Deniq; fames & pestilentia atrox tam in homines, quàm omnis generis animalia, immanissimè sæuijt, ut multæ domus suis habitatoribus destituerentur. Porrò sequenti anno nouum accessit malum, superioribus adhuc durantibus, Slauorum nimirum hostiles in orientales Saxones incursiones ac uastationes: ut in Quedlinburgensi annotatur historia. Saxoniæ Chronicon annum habet 991.

Eodem anno in Halberstadensi agro infans quidam partu editus est sine cruribus ac genitali membro, posteriora in modum auiculæ deplumatæ acuminata habens, cuius auris & oculus in dextro latere magnitudine excedebant lateris sinistri membra. In sinistra manu tantum pollex erat, reliquis uerò digitis & dextro brachio penitùs carebat. Dentes crocei erant coloris. uisus eius ante baptismum truculentus: at post baptismum nunquam oculos habuit apertos. Quarto natiuitatis die monstrum hoc uiuere desijt: ut eadem perhibet historia.

Anno 996, cometes uisus est: teste Bergomensi lib. 12.

Vuilderolphus Argentinensium episcopus, occulto Dei iudicio à muribus absumptus dicitur, anno 997. Lycosthenes de Prodigijs.

Anno Otthonis decimosexto, qui fuit Christi 999, multa prodigia uisa sunt. terræ motus factus est quammaximus: horribilis cometa apparuit. decimonono Calendar. Ianuarij, circa horam nonam, aperto cœlo quasi facula ardẽs cũ longo tractu, fulguris instar splendens super terrã: & adeò quidẽ, ut non modò qui in agris, sed intra domos erant, irrupto quasi fulmine ferirentur. Hac cœli scissura sensim euanescente, interim uisa est figura quasi serpentis, capite quidem crescente cum cæruleis pedibus. Vincentius libro 24, capite 107. Duos ex cœlo igneos delapsos esse globos, quorum alterum Magdeburgum exceperit, alter uerò trans Albim ceciderit: in Saxoniæ Chronico, & historia Quedlinburgensi scribitur: ubi præterea & subterranei in Saxonia motus fit mentio.

Miraculis & hoc accenseri poterit, si uera est narratio: Cum Otthonis tertij comitem quendam (ut dixi alibi) de stupro sollicitasset, ipse uerò hoc scelus suo genere indignum, ac Imperatori cõtumelioſum, cõmiterre renuisset: Imperatrix ira excanduit, ac comitem apud Imperatorem, quasi ab ipso eius concubitus petitus esset, detulit. Qui mox capitali adiudicatus est supplicio. cum uerò secuti percuteretur, pro sanguine lac è rictu effluxit: ut Saxonię Chronicon habet. Vxor comitis paulo pòst coram ipso Imperatore pro tribunali sedente, gestatione ferri candentis sine ullo suarum manuum offendiculo, innocentiã comprobauit uiri: ut Cranzius in Saxonia lib. 3, cap. 26 scribit.

## DE MIRACVLIS SVPERSTItiosis & fabulosis.

### SIGNA MENDACIA, PRO *stabiliendo errore de Sanctorum intercessione.*

In bello Romanorum contra Pœnos, Petrus & Paulus apparuerunt, quorum patrocinio Romani se uictoria potitos esse credebant. Luitprandus lib. 2, cap. 44.

Per S. Hilarij, Pictauiensis ciuitatis patroni, intercessionem, Hugonem Magnum ab eius obsidione diuinitùs tonitru & turbine propulsatum esse, Annonius lib. 5 de gestis Francorum cap. 43 nugatur.

### IMPOSTVRAE PRO STABI*liendo errore, quòd Sancti appareant, & hominibus, quid facere debeant, iniungant.*

Sub Erico Aorsel Sueonum rege, non parua religio Christi, diuina palàm & mirabiliter cooperante clementia, accepit incrementa. Dum enim rege, totaq; populi multitudine præsente, sacerdos quidam idolis suis sacrificia offerret, repentina percussus cæcitate in terram corruit: ac diu multumq; à suis dijs uisus, restitutionem, sed frustrà, postulauit. In ædes deductus sacerdos cæcus, quieti se dedit: ibi misericors Dei mater miserum illum inuisere, consolari, & de Christiana fide instruere non est dedignata. Et quia,

quia, inquit, lumine & ratione ad idolorum cultum es abusus, iusto Dei iudicio in tantam incidisti calamitatem. Igitur si oculos tuos recipere uolueris, crede in filium meum IESVM CHRISTVM, qui est Deus Christianorum: eiusque fidem firmiter Credidit ille, atque confestim uisum recepit, statimque Christianæ religionis prædicator effectus est diligentissimus: ut Iohannes Magnus in Gothica historia lib. 17, cap. 15 fabulatur.

Floriacensis cœnobij monachi, de Normannorum in Galliam expeditione certiores facti, S. Benedicti corpus Aureliam deferunt, ubi tutius ipsi contra hostes erat receptaculum. Normanni autem aduenientes, Floriacense monasterium deuastarunt, igneque subiecto concremârunt. Nocte insequenti D. Benedictus comiti Sigilloso, cui monasterij illius cura & defensio erat commissa, in somnis apparuit: eumq; grauiter, quòd nimirum sua ope defuisset cœnobio, contra Normannorum incursiones obiurgat. Comes somno excusso, statim arma capit: paruaq; manu coacta hostē præda onustum, concitato insecutus est cursu: ac impetu in eos facto, D. Benedicti ope ad internecionem usq; omnes cecîdit: ficq; præda & captiui suis sunt redditi locis. Robertus Gâguinus lib. 5 de gestis Francorū.

Saroltheæ, Vngarorū ducis Geissæ cōiugi, dormienti, cū uterū gereret, Stephanus protomartyr apparet, eamq; his uerbis affatur: Cōfide in Domino IESV CHRISTO, mulier, & ex te diuino mādato sic habeto, te propediem scitum fortunatumq; puerū editurā, cui Pannonici regni debetur diadema. Ac talis is uir erit, qualē nunquā deinceps uisura est Pānonia. Demum inter dum ipsi locus erit. Et cū ego Stephanus sim (inquit phantasma) protomartyr, qui nunquā nō ei adero, meum filio nomen impono. His dictis euanuit. Saroltha somnio confirmata, protomartyri ad omnes aras sacra fieri præcepit: ut Bonfinius libro 1 Decadis primæ fabulatur. Fuit enim sine dubio spectrum diabolicum, quod contra uerbū Dei postulauit idololatricos cultus institui.

Dunstanus, postquā diu reluctatus esset obire Vintonienſis ecclesiæ munia, in somnis tres ei apparent Apostoli, Petrus, Paulus, & Andreas: qui cum reuerenter eum salutassent, Andreas mox angelica uoce canit: Tollite iugum meum super uos, & discite quia mitis sum. A Petro autem læuā manum extendere iussus est, qui mox feruentius eā uerberat, dicens: Hæc tibi sit & pœna abiecti, & signum ulterius nō abijciēdi pō-tificatus. Hoc oraculo monitus, oblatam ecclesiam regendam suscepit. Paulo pòst, cum Eldredus Angliæ rex grauiter decumberet, Dunstanum ad se accersit: qui cum properè ad aulam contenderet, è cœlo uocē audiuit: Ecce rex Eldredus obdormiuit in Domino. Qua uoce equus quo uehebatur Dunstanus, concidit: ut Vincentius habet lib. 24, ca. 76. Fuit aūt Dūstanus insignis nigromanticus, ut suo loco indicauimus. Nihil igitur fuit mirum, quòd diabolus cū hoc suo mancipio ita pueriliter lusit.

Idem in agone mortis Seraphin uidit, antiphonā, O rex gentiū, dominator omniū, &c. tum didicit: & Maria uirgo cum socijs se ei conspiciendam præbuit: ut in Epitome mundi narratur.

Vt autem uideas impudens mendacium esse, de antiphona illa non consentiunt nugatores. Vincentius enim sic refert: Quadam nocte dum dormiret Dunstanus, per uisum raptus est in superna, & uidere sibi uisus est matrem suam cuidam potentissimo regi in coniugio copulatam, sub immensa magnatum lætitiā, resonantibus undique hymnis & laudibus in gloriam illius regis, & diuersis organis concrepantibus. Quibus dum ipse magnificè delectatus intenderet, accessit ad eum quidam iuuenis candidissimo tectus amictu, dicens: Quare omnibus alijs gaudentibus & cantantibus, tu solus taces in nuptijs matris tuæ? Qui respondit, se nescire quid in laudem tanti regis cātaret. cui ille: Vis, inquit, instrui quid debeas cantare? respondit: Cupio. & ille: Canta, O rex gentium, dominator omnium: propter sedem maiestatis tuæ, da nobis indulgentiam rex Christe peccatorum, Alleluia. Quam sæpius ille cantans, & repetens, miro modo delectabatur. expergefactus, statim illā antiphonā iussit scribi. lib. 24, cap. 79.

## SIGNA MENDACIA, PRO *confirmando errore de Sanctorum cultu, conficta.*

HVgo Capetes, animo & rebus potēs, cum nemo se ei obijcere auderet, ui atq; armis Regem se salutari obtinuit: iactitās præterea, in somnis Vualericū & Richarium sibi eius rei fuisse autores, eo quòd corpora ipsorum à Normannorum incursionibus uindicasset, magnaque animi deuotione coluisset: ut Ganguinus lib. 5 de gestis Francorum nugatur.

Cū diu ancipiti Marte inter Romanos (q Ioāni Zimiscæ Cōstātinopoleos Imperatori auxilio uenerāt) & Rossos pugnaretur, diuinitùs Romani adiuti ferūtur. Procella enim barbarorū facies ferijt: prēterea à multis eximi⁹ uisus est eques, q Romanos tuere

tur,

tur, hostiumque phalanges turbaret. Theodorum autem fuisse, ex eo constat. Muliercula enim quædam Byzantia, religiosa, pridie illius pugnæ in somnis sanctam Deiparam procedere cum magno comitatu uidit, quæ dixerit: Domine Theodore, meus & tuus Iohannes grauia certamina sustinet, properè igitur opem illi ferto. Id somnium illa quibusdam aperuit: qui die notato, compererunt id pridie postremæ pugnæ contigisse: ut Zonaras tomo tertio Annalium indicat.

PRAESTIGIAE PRO CONfirmando errore, reliquias Sanctorum habere uim conferendi malè habentibus sanitatem.

ALisa Magni Flandriæ comitis uxor, incurabili diu uexata morbo, ad D. Bertini aram sanitati restituitur, unde postea eius cultus maxima accepit incrementa, anno 938. ut Iacobus Meyer in Flandriæ Chronico nugatur. Nec illud silentio prætereundum (idem ait) quòd Gandaui anno 982 factum referunt miraculum. Nam cum Ludolphus episcopus Nouiomagensis iterum in eo loco corpus Landoaldi leuaret, mutus quidam adolescens Theodardus Ostburgo oriundus, primùm ibi loqui cœpit.

Quidam Otthonis secundi præfectus à diabolo obsessus, catena qua S. Petrus uinctus dicebatur, collo circumdatus, mox liberatur, anno 983: ut Chronicon Saxoniæ habet. Vincentius libro 24, capite octuagesimo octauo, Ottonis primi temporibus accidisse refert.

Presbyter quidam paralyticus ad Dunstani tumbam delatus, statim sanitati restitutus est. At cum inter pocula id beneficij soli Dunstano adscribere nollet, pristino morbo correptus concidit, & horrendo boatu spiritum emisit. Ad eiusdem sepulchrum, obsessus quidam multo cum sanguine dæmonem euomuit. Virgo à natiuitate cæca, & puer claudus, ibidem sanantur: si Vincentio libro 24, cap. 95 fides adhibenda est.

SIGNVM MENDAX, PRO stabiliendo Romanorum pontificum primatu.

FOrmosi corpus, quod è sepulchro erutum Sergius in Tyberim præcipitari iusserat, cum à piscatoribus inuentum, ad ecclesiam S. Petri, ut ibi sepeliretur, deferretur: ab imaginibus quibusdam sanctorum, in ingressu templi magna reuerentia adoratum & salutatũ esse; Vincentius lib. 24, capite 58 scribit. Verùm iusto Dei sit iudicio, ut spectris decipiantur, qui manifesto Dei uerbo credere nolunt.

PRO CONFIRMANDA AUtoritate pontificum, Antichristi membrorum.

DVnstanus, instante die Ascensionis Domini, dum solus orationi esset intentus, à Cherubin & Seraphin salutatur, & his uerbis ad æternæ uitæ consuetudinem auocatur: Mandat tibi, quem piè desideras, filius Dei, ut si paratus es, uenias: & diem hanc, ad cuius gaudium nunc suspiras, nobiscum celebres. At ille: Iam dies solenissimus est; quo mei muneris erit, pane uerbi Dei plebem reficere, & quomodo ad hoc gaudium perueniatur docere. Et quia frequens tum conuenire solet cœtus, tanta occasio minimè negligenda est. Quare hodie ut compaream, heri non potest. Cui illi respondêre: Die igitur Sabbati, ut nobiscum hinc discedas, paratus esto. Annuit Dunstanus: sicque illi discesserunt. Sub Missa igitur grauiter eum docentem audierunt, ita ut non hominis alicuius, sed ipsius angeli uocẽ esse dicerent: ubi & mortem sibi instare prædixit. Peracto autem prandio solus oratorium petijt, & locum ubi suum corpus recõdi uelit notauit, pol hæc morbo corripitur: & cum in lecto decumberet, tribus uicibus in sublime usque ad laquearia fertur, & leniter ad terram iterum dimittitur. Denique cum astantibus benedixisset, & ab omnibus responsum esset Amen: ad suos, qui eum dudum uocauerant, transijt: ut Heinricus de Erphordia, & Vincentius libro 24, cap. 94 ex Osberno annotant.

Diabolus ursi forma assumpta, dum pastoralem baculum, quem manu tenebat Dunstanus, eripere ipsi conatur, malè ab eo tractatur, suumque in ipsius tergore baculum comminuit episcopus: ut Vincentius scribit libro uigesimo quarto, cap. 77. Osum diabolicum.

PRO STABILIENDO ERrore de sacrificio Missæ.

CVm primò Dunstanus Cantuariensis archiepiscopus factus, in sua eccle sia sacra peragere, repentè sacra ædes nube obtegitur, & Spiritus sanctus columbæ specie (imò erat ater coruus) descendit, ac super eo usque dum sacris occupatur, manet: ut idem lib. eodem, cap. 78 nugatur. Quod in ferijs Pentecostes denuò accidisse, sequenti refertur Capite.

Edgarus Angliæ rex, uenatum iturus, Dunstanum, ut Missam usque ad suum diferat reditum, orat. Imminente autem sacra peragendi tempore, episcopus sancto indutus ornatu, & innixus altari, dũ Regẽ præstolatur, obdormijt: & in ecstasi constitutus, audit angelos canẽtes: Kirieeleison, Christe

Christe eleison, Kyrie eleison. Ad se reuersus episcopus, regem non dum redijsse ex astantibus cognoscit. Iterum igitur inter preces cum obdormijsset, denuò in cœlũ rapitur, ubi alta uoce edi hæc audit uerba: Ite, Missa est. Interim regij satellites accurrunt, Domini aduentum nunciantes. Quibus Missam peractam nunc esse, respondit. Episcopus ille somnolentus, ac regi, ne dictioni, prohibuit: ut idẽ nugatur li. 24, ca. 85.

PRO STABILIENDO ERRORE *de templorum dedicatione.*

Dedicabat aliquando Dunstanus ecclesiam quandam: & cum aqua ibi deficeret, baculo terram ferijt: moxq; largissimè effluxit aqua: quæ hodie usq; manans, nomẽ eius celebre facit. Aliá quandam ecclesiam dedicaturus, cum ad Orientẽ eam non specture animaduerteret, humeros parieti admouit: ficque ad orientem conuersa est, ut Vincentius nugatur.

PRO CONFIRMATIONE ERRORIS *de dignitate uitæ Monasticæ.*

Dunstanus (ut & suprà indicatum est) ex Cantuariensibus collegijs sacerdotes maritos, autoritate literarum Romani pontificis eiecerat, eaq; monachis referserat impuris. Sacerdotes uerò omnem mouebant lapidẽ, quo suas recuperare possent facultates. Habito itaq; Cantuariæ sacerdotũ cõuentu à Dunstano, ad res religionis rectè constituendas: sacerdotes facultatibus ac dignitatibus simul ob coniugium exuti, etiam suam in mediũ protulêre causam cõtra monachos. Et cũ maior pars (in frequenti enim consessu, in quodã monachorũ cõcilio res agebatur) presbyteros ad pristinos honores restituendos censeret: monachi ad suas tanquã ad sacram anchoram confugêre artes, quibus & superiores extitêre. Nam subitò hæc uox audita est: Non bene sentiunt, qui presbyteris fauent. Et quia imago Christi de cruce pendentis, quæ ibi proftabat, eam uisa est reddidisse uocem: fides habita est oraculo. Sicq; presbyteri monachorum præstigijs causa cecidêre, omnisq; turba sedata est. Polydorus lib. 6 Anglicæ historiæ, & Vincẽtius lib. 24, cap. 80.

Monachus quidam arctioris disciplinæ pertæsus, cũ ex monasterio fugere uellet, à Dunstano (qui iamdudum in uiuis esse desierat) in monachi forma fugienti apparente, duriter uirgis cæditur. Londinensi præterea cuidam matronæ iamiam (ut cunctis astantes opinabantur) moriturę Dunstanus apparuit, eamq; an conualescere cuperet, interrogauit. Quæ cum omnino se hoc uelle annueret, ait ei Dunstanus: Tolle auriphrigium quod est in arca tua, & pone illud in casula quæ est apud Vuestita monasterium, & conualesces. Et factum est ita: & quod mirabile fuit, auriphrigiũ illud nec minus nec maius est inuentum, quàm casulæ ornatus exigebat.

Quidam Gotfredus monachus, noctu orationi intentus, furem quẽdam equum abigere uidit: sed tamen cum potius equũ abducendum, quàm preces & silentium rumpendum esse duceret, furem prohibere noluit. At die redeunte, fur uni loco affixus cum equo repertus est: ut Vincentius lib. 24, cap. 60 narrat.

Duo monachi ex Cluniacensi cœnobio Turonum missi, à Normannis uicina loca uastantibus, noctu intercipiuntur, qui nec uinculis nec minis quantumuis atrocibus silentium ijs excutere potuêre. In conspectum igitur ducis sui adducti monachi à satellibus, statim equus cui dux insidebat, resilit, sessoremq; in terram prostrauit: quẽ mox acutissima corripuit febris. Porrò cũ sortes à barbaris mitterentur, uter captiuorum sui ducis salute cædi & offerri deberet, neutrum sors tangere potuit. Tandem cum frustra eis sæpissimè mors intentata fuisset, uinculis solutis, pro duce ut preces facere dignarentur, obnixè per interpretes rogant Normanni, & sic iterum conualuit: ut idem scribit.

Equus in nauicula, qua Odo Cluniacensis cum pluribus alijs uehebatur, uiolento calcis ictu foramen fecerat, ita ut ad summum aqua repleretur, ac præsentissima mors omnium oculis obuersaretur: sed Odonis beneficio nauis ad littus delata est. Omnium postremò egresso Odone, nauis fundum petijt: ut idem testatur.

PRÆSTIGIAE ET ILLVSIONES *diaboli ad confirmandos errores de Purgatorio, de Operum meritis, de Inferno, &c.*

DVnstanus ob reprehẽsas Edvuini Anglorum regis libidines, in exilium ire iussus, in templi area diabolũ alta ridentem uoce audiuit. cui magno ipse animo respondit: Nihil super exilio meo gratuleris: quia plus est quòd me redeunte doleas, quàm quicquid me exulante lętari ualeas: sicq; diabolus discesit. Porrò non multo pòst dignitate sua Edvuino exuto, à fratre reuocatus, ad suam ecclesiam redijt Dunstanus: & cum in templo precibus aliquando intentus esset, diabolorum cœtum choreas ducentem sibi ob oculos oberrare uidet. Cumq; de tanta dæmonum lætitiá diligentius inquireret, Edvuinum expirasse, eiusq; animam iamiam gehennæ tradẽdam ex ijsdem cognoscit: sed tamen prius hoc Dunstano ex Dei mandato nuncian-

dum. Is uerò mox in terram prostratus, largas pro rege dãnato effudit lachrymas: nec prius ab oratione destitit, quàm eius animam liberatam esse certior fieret. Redit itaque diabolorum agmen magno ululatu in Dunstani conspectum, in hos clamores erũpens: O hominem fidei alienum, & nostris semper beneficijs minus gratũ: ad ulciscendas iniurias tuas uenimus, ecce aduersis increpationibus tuis confusi redimus. Cumq; ille mãdaret dæmonibus, ut ueritatem dicerent: cognoscit ex diabolis (ô ueraces testes) animã regis angelica uirtute illis ereptam esse, eamq; in sortem pœnitentiũ collocatam. Tunc exultans, furores illorũ tali ratiocinatione compescuit: Si peccauit, inquit, homo iste in Christum, peccauit & in me. Quod ergo Christus & ego dignati sumus indulgere, uos qua temeritate audetis improbè reprehẽdere? Hac sententia tetri spiritus quasi sagitta percussi, muscarũ à uento dissipatarum instar dissiliunt. Vincent. lib. 24. cap. 77.

## MIRACVLA ALIA *Fabulosa.*

EX maiori Cassinensis tẽpli altari, tantum aquę ab hora diei tertia ad mediũ usq; noctis exudasse, ut cuncta eius ornamenta madefierent, Leo Hostiensis lib. 1, cap. 56 fabulatur.

Inter metamorphoses Ouidij referri posset, quod Saxo Grammaticus de urso nugatur: quem ait in agro Suetico uirginẽ quandam rapuisse, & in suis latebris eius concubitu usum esse. Tandẽ à uicinis pastoribus, quorum gregibus molestus fuerat, captum & interemptũ esse: uirginem uerò, quæ ex urso grauida fuerat facta, filium enixam esse, cui à parente Vrsi nomen sit impositum. Qui tandem postquam adoleuisset, agnita suæ propaginis ueritate, à patris interfectoribus funesta exegit supplicia. lib. 10 historiæ Danicæ. Fuit autem hic Vrsus latro aliquis nobilis, qui id facinus perpetrauit: postea hoc scelus poetę tali modo pinxerunt, cum autorem potentem apertè non liceret reprehendere.

# CAPVT XIIII.

## DE REBVS IVDAICIS *externis.*

HOc etiam Seculo miseram Iudæorum fecem reliquã fuisse, satis ex historia patet. Narrat Saxoniæ Chronicon hanc de ipsis historiã: quòd cũ in imaginem Christi de cruce pendentis aliquando Iudęi quidã incidissent, contumelię gratia clauis & lanceis eam transfoderint, statimq; sanguis mixtus aqua effluxerit, Hoc uiso miraculo, Iudæos in terram se prouoluisse, ueniamq; à Christo petijsse: sanguinem quoq; illum studiosè exceptũ, atq; in Augiense cœnobium delatum esse: idq; factum Heinrici primi tẽporibus. Bruschius uerò in Chronologia monasteriorum Germanię (ut hoc obiter moneamus) delati ad Augienses sanguinis Dominici quidẽ meminit: sed longè alia tum occasione, tum tẽporis annotatione factum narrat, cuius uerba adscribimus: Sanguis Dominicus scribitur ex Hierosolymis transmissus esse in Augiam diuitem à rege Aza, qui concupiuit uidere faciem Caroli Magni, incitatus rerum ab ipso gestarum magnitudine.

Sed ut hæcres sese habeat, de Iudæorum in ueram Christi religionem odio, saltẽ ex libro qui Altercatio Synagogæ inscribitur, satis cognosci potest: præsertim uerò cap. 20, & Ansberti lib. 4. in septimum cap. Apocalypseos: ubi septem blasphemas eorũ recenset hypotheses, quas suo loco recensebimus. Et Radulphus inquit: De Iudæorum cæcitate temporibus nostris, quicunq; dubitat, Scripturas sacras aut non legit, aut legens nequaquã intelligit. In Præfatione in Leuiticum.

Vagati itaq; sunt & hoc Seculo passim in orbe terrarum Iudæi sine certa sede, sine regno, sine honore, tanquam mundi piacula seu catharmata: manifestissima testimonia irę diuinę, tanquã reatus signa gestãtes.

# CAPVT XV.

## DE ALIIS RELIGIONIBVS extra Ecclesiam.

### DE IVDAISMO.

CApita doctrinæ Iudaicæ, hæc terè apud autores huius Seculi extãt. Deũ quidẽ cœli & terræ esse factorẽ sentiunt Iudæi, sed filium eum habere negãt. Ansber. lib. 2, in tertiũ caput Apocalypseos.

Messiam adhuc sibi mittendũ expectãt. Ansbertus lib. 6, in 13 cap. Apoc.

Iesum Christum negant de pura natum uirgine: quia contra naturam esset uirginẽ párere. Liber Altercationis Synagogæ, cap. 20. Ac eundem purum hominem, & fabrilium fuisse, ij dem asserunt. Ansbertus lib. 4, in septimum caput Apocalypsis.

### A QVIBVS, ET QVOMODO *laboratum sit in Iudæorum blasphemijs refutandis.*

CAeterùm doctores, quamuis pauci, simorum extent monumenta, prout rili Iudæorũ delirijs ex uerbo Dei cõtradixerunt, eaq; studiosè exposuerunt. In libro enim qui Altercatio Synagogæ inscribitur, inter alia dicitur: Perfidi Iudęi caulan-

tur,

tur contra naturam uirginē párere. Inueni-
mus in Scripturis, Alma pro uirgine nimia
diligentia custodita, positū. Vnde ostendat
perinde Iudæus, in Scripturis alicubi posi-
tam Almā, ubi tantum adolescentulam, nō
uirginē sonet: & cōcedimus eis illud quod
in Esaia legitur, Ecce uirgo concipiet, & pa
riet filiū: non abscónditam uirginē, sed ado
lescentulam uirginem significare, iam nu-
ptam. cap. 20. Et: Expectatione suspensa,
tolerat nunc Iudæos blasphemantes Eccle
sia, quos ab ipso Redemptoris aduētu ami-
sisse se dolet. O si nunc pacis tempore aut
uellent, aut possent ad unitatē fidei redire,
quàm amplo dilectionis sinu reciperentur?
Quod quia facere nec uolunt, nec possunt,
Synagoga sathanę fiunt: quię; Iudęos se es-
se dicunt, & non sunt, sed mentiuntur: quia
nomen quod exterius secundū literam ge-
runt, intus secundū spiritū amiserunt. Hinc
Paulus dicit: Non qui in manifesto Iudęus,
neq; in carne circumcisio: sed qui in abscon
dito Iudæus, & circumcisio non carnis, sed
spiritus. Iudæus namq; interpretatur, confi
tens. Et Dominus in Euangelio ait: Qui me
confessus fuerit coram hominibus, confite
bor & ego eum corā patre meo, & corā an-
gelis eius: & qui me negauerit coram homi
nibus, negabo & ego eum corā patre meo
qui est in cœlis. Iudæorū ergo nominis ex-
pressio, Christi est confessio. Quòd contrà
dicunt se Iudæi nominis sui proprietatē in
eo habere, quòd Deum factorē cœli & terrę
uidētur adorare: sed quia incarnatū Dei uer
bum, per quod facta sunt omnia, non reci-
piunt, mentiri probantur. Qui enim habet
filium, & patrē habet: qui non habet filium,
nec patrem habet. Qui tamē (secundū Apo
stolū) etsi inimici propter cōuersas gentes,
charissimi tamen habentur propter patres.
Item: Iudæi Christi fidem abnegantes, Anti
christū expectant pro eo suscipiendū, ipso
Domino dicente: Ego ueni in nomine pa-
tris mei, & nō suscepistis me: alius autē ue-
nerit in nomine suo, & hunc suscipietis. Idē
lib. 6. in Apocalypsin, cap. 13. Et Radulphus
suos Commentarios in Leuiticū ijsdem op
posuit, ut ipsemet in Præfatione testatur:
Cum aduersus Iudęorū subsannationes ar-
mari uellemus, ad sacræ legis consideratio
nem apposuimus animū, cui subditi ipsi ui
dęri uolunt: sed eius intentionē nequaquā
intelligunt. Itē: Quid igitur succenset mi-
hi Iudæus, si dicā Mosaicas traditiones um
braticas esse, & solū ueritatis imaginē con-
tinere? Item: Suis autoribus cōuincuntur
Iudæi: quia cum signa pro rebus accipiunt,
legislatoris sententiam ignorant, nec quid
per eadē signa docere uelit intelligunt. Ad
hæc autē signa discutienda dedimus ani-
mum, & ad Leuiticū cōtulimus nos, qui in
Mosi libris obscurior habetur, quię; legen-
tibus fastidium potius quàm ædificationē
solet adferre, quòd eorū à se acumē crassio
re quadam umbra repellere uideatur.

Blasphemas aliquot Iudæorū cōtra Chri
stum sententias refutat Ansbertus lib. 4, cap.
7 in Apocalypsin, in hunc modum: Ecce ete
nim, dicūt illi, Christus uester quem colitis,
purus homo, filius fabri extitit: & quia Deū
se esse uoluit, omnino mēdax fuit. Nos ecō
trà respondemus: Nec purus homo, nec mē
dax homo: sed Deus & homo, una ueritas
Deus & homo, quod sonat Amen. Ipsi di-
cunt: Maledictio cōgruit Christo crucifixo,
quia scriptū est: Maledictus omnis qui pen
det in ligno. Nos econtrà: Nulli potius con
uenit benedictio, quàm illi qui maledictū
legis auferens, factus est pro nobis maledi-
ctū, ut in gentibus benedictionē Abrahæ di
gnaretur effundere. Ipsi dicunt: Non conue
nit homini mortuo claritas, sed soli Deo ui
uo. Nos econtrà: Nemini magis quàm illi
ascribitur claritas, qui & in diuinitate sem-
per uiuens, candor est lucis æternę: & in hu
manitate ad horam mortuus, post paululū
resurrexit per gloriam patris: & est illi clari
tati cōparticeps homo assumptus, & uiuit
ac sedet in dextera patris, unus Christus &
Deus homo, cuncta per secula. Ipsi dicunt:
Non est Christus uester illa sapiētia, quæ at-
tingit à fine usq; ad finem fortiter, & dispo
nit omnia suauiter: qui tātillus ex nostra so-
rore paruulus natus, per incremēta tempo-
rum sapientia profecit ut homo. Nos econ
trà: Non est detrimentū passa in homine as-
sumpto illa sapientia, cū idem secundū ho-
minem per uicissitudinem temporū profe
cit sapiētia: sed magis hæc ab illa assumpta,
manst una sapientia: quæ sapientia mūdus
est factus, qua sapientia mūdus est restaura-
tus, qua sapientia homo de terra ad cœlum
est eleuatus. Ipsi dicunt: Nulla debetur gra-
tiarum actio pro animarū salute, qui animā
suam liberare à morte minimè potuit. Nos
ecōtrà: Nulli cōgruentius quàm illi, qui ut
salutem animarū nostrarum afferret, sic uo-
luit ex potestate animam ponere: qui si nol
let, nunquā posset animā effundere. Ipsi di-
cunt: Nulla admittit ratio illi Dei honorem
ascribi, qui exprobratus, irrisus, illusus, spu
tatus, contemptui dignus habitus est. Nos
econtrà: Inde dignius à nobis honorandus
est, unde & indigna pro nobis sustinuit: nec
minuit honorē eius quē cū patre possidet,
irrisio atq; illusio uestra, quā in homine su-
stinuit. Ipsi dicunt: Non fuit Christus æter-
na uirtus uel fortitudo, qui lassari potuit
ex itinere. Nos ecōtrà respondemus: Quia
quod infirmum est Dei, fortius est homini-

bus. Illa enim infirmitate totam mundi uirtem ac fortitudinem proſtrauit.

DE GENTILISMO.

VAna gentilium religio, quę ſuperioribus ſeculis altas paſsim egerat radices: nunc quoq; multis in locis, quos breuiter annotabimus, perſtitit.

Roſsi, Bulgari & Vngari, ſuæ religionis tenaces fuêre: ut ex Zonaræ tomo tertio colligere licet.

Adrianopoli manſit Ethniciſmus. Fame enim ad deditionem urbe coacta per Symeonem Bulgarorum ducem, ut Zonaras tomo 3 ſcribit: impiæ religionis ibi iacta eſſe fundamenta, non eſt dubium.

Liuonios, Polonos, Slauos, Danos & Bohemos à religione Chriſtiana circa huius Seculi initium alienos fuiſſe, ex Heinrici Imperatoris oratione conſtat, qua milites ſuos ut fortiter pugnent hortatur, cum ſe Chriſtianos eſſe ſciant, illos uerò gentiles & idololatras: ut Chronicõ Saxoniæ habet. Idem & ex Helmoldo, cap. 8 & 9. Cranzio & Cromero lib. 3 conſtat.

In Boruſsia quoque eadem uiguit religio. Adelbertus enim apud Boruſſos Chriſtianum ſe eſſe profitens, ab omnibus ludibrio habetur: teſte Bonfinio lib. 1. Decad. 1.

Apud Gothos idolorum cultum in uſu fuiſſe, ex Iohanne magno conſtat. Sacerdos enim dum ad aram ſacrificia idolis offert, cæcitate percutitur. lib. 17 Gothicæ hiſtoriæ, cap. 15.

Iulinum Vandalicę oppidum hoc quoq; tempore idolis deditum fuiſſe, Crãzius in Vandalia lib. 2, cap. 32 ſcribit.

CAPITA OPINIONVM *gentilium.*

Sancto Vito ſuus deitatis primatus, apud Rugianos mãſit inuiolatus: teſte Cranzio.

Noruegij humanis hoſtijs numina placari opinabãtur. Idem lib. 4, cap. 2 hiſtoriæ Danicæ.

Credebant Vngari (qui & Scythæ uocantur) quoſcunque in hac cęderent uita, eorum in altera ſeruitio ſe potituros. Bonfinius lib. 10 Decadis primæ.

*De regimine ſacro.*

Sacra ſacerdotes adminiſtrarũt, ut ex Crãzio colligi poteſt lib. 2, cap. 25 Vandaliæ: & ex Gothica hiſtoria Iohannis magni, lib. 17, cap. 15. Et ex diuinis ariolis q; Ziemomislus Polonorum dux quærit, quid de ſuo filio, qui cæcus natus, ſeptimo ætatis anno uiſu fuerat donatus, ſit futurum? qui Poloniam ſuo principatu illuſtratam iri reſpondent. Cromerus lib. 3.

*De ceremonijs & ritibus eorum.*

Dijs ſuis ſacrificia offerebant: teſte Gothica hiſtoria.

Et Haquinus Noruegiæ rex, ſuis uiribus contra Haraldum Danorum regem diffidens, ſuperos inuſitato piaculo propitiandos curauit. Duos ſiquidẽ præſtantiſsimæ indolis filios, hoſtiarum more aris admotos, potiendæ uictoriæ cauſa nefaria litatione mactauit. Saxo Grammaticus lib. 10 hiſtoriæ Danicæ: & Cranzius lib. 3, cap. 3, in Noruegia.

Virgines quæ caſtitatis uotum dijs ſuis faciebant, ſi id uiolaſſent, uiuæ tumulabantur, aut alio genere ſupplicij afficiebantur. Liber de Altercatione Synagogæ, cap. 20.

Iulinũ præclarum erat hac ætate Vandalorum emporium, tantis opibus, mercatorumq; negotijs frequens, quale uix tota habuit Europa, ſola Conſtantinopoli excepta. Ibi Ruſsi, Dani, Sembi, Saxones, & ipſi Vandali ſuas incoluêre plateas: eratq; illa, terra mariq; uenientium lex, in quam iurare cogebantur, nullam ſe ullius nouæ religionis facturos mentionem, quo minus ethnicus illorum cultus turbaretur: & ſic tandem commune municipij ius aduenis erat, cum eius oppidi ciuibus. Crãzius in Vandalia lib. 2, cap. 33 & 34.

Apud Polonos pueris ſeptimo ætatis anno prima coma attonderi, & nomina imponi moris erat, apparato ſimul conuiuio, quod concentibus & choreis ornabatur. teſte Cromero lib. 2 de Polonis.

Gentili more Miecislaus Poloniæ dux, ſeptem duxit uxores. Cromerus lib. 3.

Hungari diem prælij auidiſsimè expectant: & ut magis hoſtibus terriculamẽto ſint, interfectorum ſanguinem bibunt. Et matres pueris in lucem editis, ſtatim acutiſsimo ferro genas ſecant, ut antequam lactis nutrimenta percipiant, uulnerum tolerantiam ſubire diſcant: ut Luitprandus lib. 2. cap. 1, ex lib. de Vngarorũ origine refert.

SATVRNVS.

Gero Slauorum dux, expugnta Vuaarorum munitione, inter urbis ſpolia Saturni ex ęre fuſum idolum reperit. Vuitichindus lib. 3 geſtorum Saxonicorum.

S. VITVS.

Apud Rugianos Viti cultus manſit integer hoc ſeculo: teſte Cranzio in Vandalia.

PROPVGNATORES GENTILISMI.

¶ Indefeſſo ſtudio gẽtilis idololatrię patrocinium egerunt ſacerdotes & magi: ut ex ſuperioribus uidere eſt.

Et magiſtratus. Zuenotto enim abiecta religione uera, Haraldum patrem grauiter ea de cauſa affligit, & regno pellit. Iulinenſes quoq; idololatræ, omnibus terra mariq; ad ſe uenientibus, ne religionis nouæ (ut ipſi eam uocabant, ſuam interim antiquiorem & ueriorem æſtimantes) faciant mentio-

mentionem interdicunt: teste Crantzio.

A QVIBVS ET QVOMODO *pugnatum sit contra illos.*

POppo non solum sermone, sed & cantorum superstitione retudit, suamq; dentis ferri gestatione, gentilem Daprobauit: ut Vuitichindus lib. 3 indicat. Et magistratus suo etiam iure usi sunt. Nam Conradus Imperator, Guormone Daniæ regem adeò bellis attriuit, ut & pacem supplex peteret, & Christo nomen dare ultro promitteret. Helmoldus in Chron. Slauorum, cap. 8. Idem & Ottho apud Danos datæ fidei immemores, & Slauos sedulò egit: ut idem testatur cap. 9.

DE MAHOMETISMO.

LOngè lateq; pestilens Mahometicæ religionis malum hactenus serpserat, magnasq; cum Agarenorū imperio (quod omnibus uiribus ampliare ipsi contenderunt) simul uires acquisierat. Præterilla autem loca quæ in superiori seculo à nobis annotata sunt, & hæc apud autores tam noxio ueneno infecta leguntur.

IN ASIA.

In Berrhœa ciuitate, quam Agareni tenebant, multi Christiani captiui erant: ut Zonaras tom. 3 Annalium, sub imperio Romani pueri indicat.

Anabarzã, Rosum, Adanã, Tarsum, Mopsthestiã, aliasq; Ciliciæ urbes ac castella, & Antiochiã ipsam, ijsdé paruisse, idé testatur.

IN APHRICA.

Ex Africa Saraceni Romanos nauali prælio oppugnãt: sed magna accepta clade, tandé barbari recesserũt, Anno 983. Sax. Chrõ.

IN INSVLIS.

Superiori diximus libro, in plurimis insulis bello deuictis, suos instituisse cultus Saracenos: quæ loca etiã nunc ui & armis nõ solũ tutati sunt, uerumetiam maritimã Romanorum oram inde crebris infestarũt bellis, & Sicilienses Agareni à Romanis tributum exegerunt: ut scribit Zonaras tom. 3.

Erroneæ aũt Mahometistarũ opiniones nusquã apud autores huius Seculi reperiũtur: sed antiquum eos obtinuisse uerisimile certè est. Cõtinuis enim bellis, alijs diuersæ religionis gentib. molesti fuêre, & captiuos Christianos abduxerũt: ut modò dictũ est.

A QVIBVS ET QVOMODO *propugnatus.*

Saraceni non tantum intra suos se termi nos cõtinebant, sed & longius dissita loca hostili infestabant animo. Ac in primis Italiam, Calabriam & Apuliam Ioannis unde cimi tempore, ferro & igni adeò uastarunt, ut & de regno & religione Italica actũ nũc esse uisum fuerit: ut Luitprandus indicat. Nec dubium est, Christianorum apostasia Saracenos confidentiores esse factos. Nicolaus enim quidã publicanus, grandi ærè alieno Reipub. Constãtinopolitanæ obstrictus, abiurata religione, ad Ismaelitas se cõtulerat, & astrologiã tractabat. Zon. tom. 3.

A QVIBVS ET QVOMODO *repugnatum.*

Hic quoq; detestanda doctorũ Ecclesiæ, Romanorũ præsertim pontificum, socordia uituperationé meretur, qui ne uno quidẽ uerbulo (quod certè officij ratione ipsis incũbebat) tantæ impietati contradixerunt: præsertim cum tãta immanitate (ut modò diximus) Italiã oppugnarint. Sed ipsi pontifices potius suam curabant cuticulam, luxui & omnis generis turpitudinibus indulgentes: ut ex uitis eorũ cõstat. Ioannes quidem Constantinũ, Græcorũ Imperatorem, contra Saracenorũ incursiones in auxiliũ uocasse, sicq; coniunctis copijs se hostibus opposuisse, scribitur apud Luitprãdũ: sed alterũ spiritualé, qué se quoq; gerere iactitãt Romani põtifices, gladiũ stringere noluit.

At Christiani magistratus barbarorũ incursionibus suo neruo fortiter restiterunt: sed (ut facile credi potest) nõ tam ueræ religionis, quàm mũdanæ suæ potentię & gloriæ tuendæ gratia. Ad Lemnũ insulam, Romanæ triremes Agarenorũ naues demerserunt: ut idem refert. Nicephorus Phocas cũ iustis copijs cõtra Cretenses Agarenos missus, septẽ mensibus sæpissimè cum ijs conflixit: eorumq; oppida expugnata in suam recepit potestatem, ac Candacem eorum metropolim solo æquauit. Rebus in Creta feliciter gestis, in Syriam abijt: & capta Berrhœa, multos Christianos, qui ibi tenebantur uincti, redemit. Zonaras tom. 3. Sed hęc in sequenti Capite latius.

# CAPVT XVI.

## DE MVTATIONIBVS ET motibus politicis.

SVB LVDOVICO III.

LVdouicus III, seu quartus (ut alij numerant) iuuenis adhuc in patris Arnolphi locum designatur Imperator, in oppido Forcheim, Anno mundi 90c. Marianus Scotus, Cõtinuator Reginonis. Vincentius uerò ponit 903 annum. præfuit autẽ imperio annos 12. ut Marianus Scotus annotat. Henricus de Erfordia, 11 ei annos adsignat: alij 10 ei tribuũt. Coronam à pontifice Romano non accepit, propter incendium bellorum, quibus uniuersa ardebat Italia: & propter plurima pericula, quæ ipsi Germaniæ ingruebant: ut Henricus de Erfordia scribit. Vxorem habuit Luidgarden, sororem Ottonis Saxoniæ ducis.

Statim autem primo Ludouici anno, Vngari in Morauiam & Bauariã impetum faciunt, tantũ prædandi cupiditate accensi. Ludouicus Cæsar pugnã cũ ipsis cõmittit ad Lycum amnem, uel (ut Auẽtinus scribit) ad Danubiũ, prope oppidũ Ansburg. ubi, licet primo conflictu ultra mille hostes strauisset Imperator, tamẽ cũ ptraheretur pręliũ usq; ad horam septimã: tandem simulata fuga, in insidias pertractæ sunt copiæ Cæsaris, ac uictoriam Hungari obtinuerũt. Hoc fœlici succesſu elati, Bauariam, Sueuiã, Franciã, Saxoniã peruagantur, cædibus, rapinis atq; incendijs diris omnia uastantes. Luitprandus, Vsperg. Henricus de Erford. Tritenhemius in Chronico Hirsaugiẽsi narrat, id factũ esse anno Domini 900: uerùm id nõ ponimus in magno discrimine. Nam patre huius Imperatoris regnante, Hungari iam cœperunt bellum mouere.

Tertio Ludouici anno, Saraceni ex Africa traijcientes, Italiam inuadunt: & uastata Calabria atq; Apulia, Galerianũ montẽ occupãt: munitionẽq; ibi extructa, urbes Italiæ affligũt atq; expugnant. Exciti aũt sunt petitionibus Romani Constãtinopolitani Imperatoris: qui cũ uarijs bellis implicitus esset, rogauit Aphricanũ regẽ, ut Calabriã atq; Apuliã sibi rebellãtes, cogeret ad obedientiã debitã. Verùm hac re perfecta (ut fieri solet) latius sunt ꝓgressi. Tandẽ uerò hoc modo attriti atq; deleti sunt Pœni. Profugit ad papã Romanũ, iniurijs quibusdã irritatus, iuuenis Pœnus: ac mox cõsiliũ suggessit, quò in angustijs ad prędã excurrẽtes Africani trucidarẽtur, prębuitq; semetipsum ducẽ huic stratagemati. Multis uerò occisis, qui passim agebãt prędas, Ioãnes põtifex Ladulfum ducẽ creat, ac simul Constãtinopolitani Imperatoris auxilia impetrat: qui latrones illos Pœnos omnes multis prę lijs superãt, atq; ad internecionẽ usq; sternũt, Italiãq; suę pristinę libertati restituũt. Luitp. l. 2. c. 12. 13. 14. Hẽricus de Erfordia. Verùm Sigeb. ista in 10 Ludouici annũ refert.

Quarto anno Imperatoris, Zuendeboldus rex, Arnulphi filius, à Lotharingensib. perimitur, eo quòd rapinis & cædibus omnia turbaret. Ludouicus igitur eius regno potitus est. Hẽricus de Erford. Otto Phrys.

Eodẽ anno Albertus comes Bãbergensis, bellũ intulit Cũrado oriẽtalis Fráconiæ duci. Causa est, quòd cædẽ sui fratris à Cunrado occisi, uindicare statuisset. Confosso aũt in prælio Cũrado, Albertus integro triduo regionẽ circa Vuirtzeburgũ uastauit, atq; ingenti pręda onustus domũ reuertitur. Verũ cũ ab Imperatore ad iudiciũ legitimũ uocaretur, seq; sistere nollet, sententia in eũ lata, bellũq; indictũ est: præsertim cũ ad septeniũ rebellis existeret, multaq; licenter fecerat. Cum autem persuasione Hattonis, Moguntini præsulis, in fidem Imperatoris sese dedidisset, capitali supplicio est affectus. Continuator Reginonis, Vrspergen.

Hoc tẽpore Berengarius Foroiulianorũ dux, cęteriq; Longobardorũ principes, ad Galliã inuadendã animũ induxerũt: uerùm cũ spe sua frustrarentur, Berẽgarius ad occupandã Italiã se cõuertit, prętendés sese auitũ regnũ reposcere. Occasionẽ uerò sibi obtatã esse statuebat, eo quòd Cęsar esset iuuenis, ac res Impij Romani plurimis in locis miserè essent quassatæ. Singulari aũt industria atq; succesſu Berẽgarius res suas administrauit. Habuit porrò plures aduersarios, quos partim astu, partim ui fregit atq; permit. pleriq; scriptorũ narrat, Ludouicũ Imperatorẽ contra ipsum bella gerentẽ, captũ prope Veronã, oculis & genitalibus priuatum esse. Verùm alij affirmant, errorem in nomine esse. Nam Ludouicũ, filiũ Bosonis, regis prouinciæ, accersitũ esse in Italiã: quẽ Berengarius tanta crudelitate deformarit.

Rodolphus Burgũdorũ rex ab Italis, qui tyrannidẽ Berẽgarij oderãt, accersitur, utregnũ capiat. Hic ueniẽs in Italiã, iusto exercitu stipatus, Berengarium pellit, ac triennio regno præest. Luitprandus lib. 2.

Interea dũ Rodolphus in Burgundia abest, quò redierat, pacatis rebus Italiæ, ac Berengarius à Flãberto quodã confossus fuerat: Vngari apertã ianuã in uacuã domũ irrũpendi nactos se esse rati, in Italiã duce Salardo irruũt. Namistã uiã à Berengario dicerant, qui eos Veronã acciuerat, ut Odelricum comitẽ, suum aduersariũ reprimerent. Vngari Papia capta & accẽsa, opimisq; spolijs ex tota Italia ditati, domũ reuertuntur. Ista occasione Itali, Hugonẽ Arelatẽsem comitẽ ad regnũ inuitant. Rodolphus aũt hac perfidia territus, ultrò in Burgundiam deserta Italia redijt. Luitpr. Blondus.

Postea Arnoldus Bauarorũ dux, ab Italis est excitatus: uerùm Hugo eum prope Veronam deuicit. Blondus lib. 2. Decad. 2.

Anno Christi 907, Bauari cũ Vngaris dimicantes, iterum sunt uicti: sequenti uerò biennio rursum uastarunt Saxoniam, Thuringiam, & alias partes Alemaniæ.

Anno 910, Fráci infeliciter cum Vngaris, in finibus Bauariæ & Franciæ dimicarunt, amisso Gebhardo comite Franciæ.

Anno 911, Imperator moritur sine liberis, sepultus est Ratisponæ in æde S. Emerani. Mox igitur sequẽti anno Vngari, neminẽ resistẽte, Franciã & Thuringiã depopulãtur.

## DE ALEXANDRO CONstantinopolitano.

ORientis imperium Alexander administrauit

nistrauit annos duos, annō Domini 904, ut Sigebertus scribit. Ignauus fuit, luxui & magiæ deditus. Percontatus à præstigiatore, si apro æneo in theatro dētes & pudēda ademisset. quo dicto significabāt, eū guæ & libidinib. deditū: à quibus nisi abstineret, eum sibi mortem acceleraturum esse. id quod euenit. Nam post balneum epulis & lusibus deditus, rupta uena sanguinis effusione susista interijt. Zonaras. Variat autē in annis Volaterranus.

## DE CONSTANTINO.

ANno Domini 905, Constantinus Alexādro succedit: annos imperat 39, ut Sigebertus refert. Is autē cū esset puer septennis, uariā fortunæ aleā expertus est. Nam tutores ad regiū culmen insidijs & seditionibus aspirarunt. In primis uerò ferox ille Romanus, qui Leonē interfecerat, dux classis, audacia & tyrannide emergēs, Helenam filiā Constantino despondet: & cristas erigens, nō modò tutoris uices agit, uerùm etiā Imperatoris potestatē & autoritatē sibi uēdicat, multaq; licēter agit. Nā filios suos creauit Augustos, ac Constantino prætulit: adeoq; prælit Cōstantinū, ut is arte pingēdi coactus fuerit sibi uictū acqrere: ut Sigebertus narrat. Verùm nihil uiolentum ac superbū diuturnū est. Cū iā 26 annos pro libidine imperitasset Romanus, suosq; quantū potuit in sublime euexisset, ecce ultio diuina ingruit. proprius filius Stephanus, ueluti cuculus suam matrē, arripit patrē, eumq; detonsum in insulā Proten ablegat, atq; includit. Hisce patratis, Stephanus cū suo fratre multa supercilioſe moliuntur. At Constantinus germanus regni hæres, iā animo suo uoluebat cogitationes, quomodo paternū regnū posset recuperare. Inuitatis igitur Stephano atq; eiusdē fratre Cōstantino ad prandiū, altercantes de prærogatiua sessionis, iubet per subordinatos utroſq; sellis dejici, tonderi atq; relegari: Stephanū quidem in Mitylenen, Constantinū uerò in Samothraciā, perinde ut ipsi patrē suū tractauerāt. Qui igitur hactenus pressus à Romano uix umbram regni retinuerat, nunc soras, Sigebertus, Volaterranus.

Constantinus postea, licet esset literis tinctus, easq; promoueret: tamen & ignauus fuit, & uini appetens. Romanū filiū, mox regno potitus, Augustū creari uoluit. Zonar.

## SVB CVNRADO I.

LVdouico rebus humanis exēpto, Otto dux Saxoniæ, pater Heinrici primi, ad imperij gubernationē, propter sapientiā & omniū uirtutū prestantiā deposcitur: uerùm ætatē suam iā prouectā, & penè fractam prætendens, hortatur omnes, ut Cunrado Francorum duci, uiro strenuo, & multis bellis exercitato id muneris imponatur: ac persuadet. Vuitichindus & alij. Idq; factū esse traditur anno Domini 913. Atq; in hoc desijsse Caroli Magni posteritatē, pleriq; cēsent: ut Tritēhemius, Cōtractus, & alij. præfuit regno annos septē: coronationē pontificiam nō accepit, Vngaricis incursionib. & domesticis seditionibus impeditus.

Cum autem imperium uarijs modis turbatum & conquassatum acciperet, multæ eum curæ, multaq; pericula exceperunt.

Ac primùm quidē Vngari Alemaniā inuadētes, à Bauaris & Alemanis ad Oenū fluium cædūtur, anno Dñi 913. post bienniū autē reuertētes, cupiditate uindicādi acceptā iniuriā accensi, Alemania horribiliter uastata, Thuringiā atq; Saxoniā peruagantur, ac Fuldā usq; procedūt. Contin. Regin. Crant.

Interea uerò funesta exoritur seditio cōtra Imperatorē à principib. quorū alij alias habebant causas. primùm autē Arnulphus Bauariæ dux (quē Luitprādus Arnoldū nominat) Giselbertus Lotharingię, & Burcardus Sueuię, ex Gallia Anticęsarē accersunt. Idq; factū secūdo anno Imperij Cūradi: ut Luitpr. annotat. Hisce cōiungit se Hēricus, post obitū patris Ottonis iniurijs irritatus. Nā Cęsar metuēs, ne Henricus uirtute atq; autoritate excellens, nimiū uirib. crescēret, ea quę parēti fuerāt cōcessa, huic uoluit eripere: quā qdē rē indignissimè Hēricus tulit.

Interea uerò Hūgari anno Domini 917, ad ipsa loca suorū latrociniorū redeūt, Alemaniā atq; Alsatiā depopulātes ac spoliantes, usq; ad fines Lotharingiæ: minusq; eis resistitur, propter intestina principum dissidia. Cont. Regin. Hoc tempore etiam Basileam uastant. Contractus.

Porrò aliquomodo redēpta pace ab Vngaris, Imperator in comitijs hostes suos proscribit. Arnulphū Bauaria pellit: is ilicò ad Vngaros cū uxore & liberis fugā capessit: neq; reuertitur, dum in uiuis est Cunradus. Luitprādus. Eringerū & Bertholdū, Giselberti ducis Lotharingię fratres, obtruncat. Henric. Erford. Restat aūt grauior illis omnib. hostis Hēricus, qui summa sapiētia, industria & fœlicitate, bellū cōtra Imperatorē gerebat. Timēs igitur tā præstantē principē Cūradus, insidijs eū de medio tollere conatur: quā ad rē suā operā callidus atq; perjurus Hatto, Mogūtiæ episcopus, audacter promittit. Curat igitur iste sicarius & proditor Hatto torquē aureā fieri, qua & caperetur & interficeretur optimus princeps. Quid fit? Effundit latro iste gemebūdus apud aurifabrū paulò imprudētius quędam uerba, istū torquē exitiosum fore Henrico. Cū igitur aditurus

tur aditurus esset Hēricus episcopū, q pacis gratia cum eo acturus uidebatur, aurifaber dolū clàm aperit Henrico.is eā perfidiā indignissimè ferens,iubet renunciari suo insidiatori,suū collū nō esse durius Alberti collo, seq; domi suæ expectaturū tractationes istarū rerū.Protinus etiā omnia quę in Hassia atq; Thuringia ad episcopū spectabant, occupat. Inde bellū cruentū nascitur.Sicarius Hatto, fortè hausto ueneno sibi pessimè cōscius,animā efflat.alij eū fulmine ictū esse dixêre,ut Vuitichindus annotat.Imperator ab Ecclesiasticis instigatus,cum fratre Eberhardo exercitū in Saxoniam ducit.Verùm ppe Heresburg (Hartzburg rectius)tā graui prælio cæsi sunt Franci à Saxonibus, ut à mimis etiā sit proclamatū:Vbi tātus esset infernus,qui tātam interfectorum multitudinem capere posset? Vuitichindus.

Tandē hac accepta clade,Cunradus morbo correptus,suā in Henricū uolūtatē prorsus immutat:spōteq; ac liberè accersito fratre Eberhardo, cæterisq; regni proceribus hortatus est omnes,ut summā sapiētiā,grauitatē,& in reb.maximis conficiendis consiliū & fœlicitatē Henrici agnoscerēt, & statuerēt hūc unicū uirū Imperio Romano tot modis afflicto & quasi eneruato succurrere posse.Nō modò igitur sese suadere, ut pacē cū hoc tāto uiro ineāt & colāt, sed se quoq; eū creare atq; designare Imperij successorē: atq; mādare & orare,ut ipse frater Eberhardus Imperij insignia,sceptrū,coronam,lanceam sacrā, gladiū ueterū regū,armillas ac chlamydē ad ipsum Henricū perferat.Hanc postremā Cūradi uocē frater & reliqui omnes unanimi suffragatione exceperūt: atq; Eberhardus nulli ambitioni priuatæ locū præbēs,ipsemet post obitū fratris,ista omnia fide insigni efficit, atq; Henricū per omnem suam uitam debitis officijs colit. Vuitichindus,Luitprandus.

Berēgario primo è uiuis sublato,secūdus Berēgarius regnāte Cunrado succesit,atq; Italiæ regnū usurpauit.Hoc tēpore Ludouicus Bosonis filius, qui Prouinciæ ac Burgū dię prefuerat,per Taurinos ingressus Italiā, regnū inuasit.Verùm captus à Berēgario,ea conditione dimittitur,ne in Italiā reuertatur.paulo pòst autē oblitus iuramēti,rediēs cū exercitu,Veronā capit:sed captus à Berēgario,oculis priuatur.Pacē cū Vngaris quoque sancit eo fine, ut tranquillā possideret Italiā:eaq; est occasio,ut Vngari ad alias gētes turbandas sese cōuerterent. Bonfinius.

## SVB HENRICO I. AVCVPE.

HEnricus audita narratione Eberhardi,& oblatis imperij insignib. agnouit sese diuinitùs ad fastigiū tanti regni pertrahi,ac passus est Frisiarię sese à procerib.regni confirmari. A' pōtifice autē Romano coronatus nō est, quia cōstitutione Germanicarū rerū fuit occupatissimus: ac tandē cū iter Romā suscepturus esset,ętate & laboribus fractus expirauit. Regno præfuit annos 17. ut Crantzius in Saxonia narrat:alij 18 numerāt. Auceps cognominatus est, quia Eberhardus afferens Imperij ornamēta,inuenit eū aucupio occupatum, quo mirificè delectabatur.Chron.Mersb.Cæpit autem fasces imperij Anno Domini 920.ac reliquerat ipsi Cunradus statū uniuersi Imperij ualde turbatū & afflictū. Existimauit igitur sapientissimus Cæsar, intestinis malis primùm omnium salutarem medicinā esse adhibendam, neq; defuit bonis cœptis benedictio diuina.

Erat Burchardus Alemaniæ dux, grauis Hērici hostis: is autoritateac potētia Hērici territus, se in ipsius potestatē tradit. Vuitic. Dum ista geruntur, Arnulphus Bauariæ dux ex Vngaria reuertitur, atq; extimulatur à nonnullis,ut sceptra Imperij affectet. Henricus principijs obstandū ratus,ualidū exercitū cōtra Arnulphū ducit,qui Ratisponæ se incluserat.Cū autē singulari prudētia & uirtute excelleret, colloquio potius quàm armis diremptionē istius dissidij tentare statuit.Vocato igitur Arnulpho ad colloquiū, exponit Hēricus graui oratione, se nō sponte aut ui rapuisse Imperiū: sed obtū & traditū ab Eberhardo iussu Cunradi, detractare non potuisse:atq; accessisse omnium procerū cōsensum,ac scriptū esse,Per me reges regnant.Iam si proceres regni Arnulphū designarēt Imperatorē,se spōte ipsi obtemperaturū esse. Hac tā modesta & grauioratione Arnulphus motus,cōfestim promittit Henrico fidē atq; obedientiam.Hoc exemplū uirtutis in Henrico dignū memoria est,ac testatur,nequaquā istos excellētes uiros barbaros fuisse:ut barbari quidā scriptores blaterāt.Luitp.li.2.c.7. Memorię tradita est uisio S. Vlrico episcopo Augustano hoc tēpore oblata. uidit enim duos gladios,quorum alter capulo destitueretur,alter uerò integer existeret: eā significationē Arnulpho ipsemet indicauit: & monuit,Deū ipsi nō cōcessurū esse Imperatoriā dignitatē, sed Hērico.Nō igitur uolūtati diuinę reluctandū esse. Anno 921, Vngari Saxoniā rapinis atq; incēdijs uastant. Cōtigit autē, ut princeps q̄dā ex Vngaris caperetur, quē ipsi magna ui pecuniæ cupiebāt redimere: uerùm Henricus nullā aliā admittebat cōditionem, quàm ut in nouem usq; annos pax constitueretur. Hoc pacto plus ocij ad pacandā Germaniā cōsequitur Luitp.lib.1.

Dum hæc gerūtur,in Gallijs bellū flagrabat inter Ratbertū & Carolum. Verū Ratberq

berto regni inuasore deuicto, cum iá in Lotharingiá ducturus esset exercitũ Héricus, anno Domini 922, sponte sua Carolus, potentiá Cæsaris extimescés, obuiã ei mittit, se ac Franciá Hérico subijcit: atq; in eius rei euidẽs pignus, dono exhibet manú S. Dionysij Parisiẽsis martyris, auro atq; gemmis artificiosè inclusam. Ista humiliatione, & tã sancto dono Cæsar motus, nihil hostile in Carolũ suscipit, cũ tutũ sibi iá esse Lothariensiũ regnũ intelligeret. Luitp. lib. 1. Sigeb.

Anno 923, Carolus oblitus suę promissionis, Alsatiá ac partes Franciæ prope Rhenũ inuadit, ac progreditur usq; Vuormaciá. Verũ collectis copijs à præfectis Henrici ac fortiter repulsus Carolus, terga cũ turpitudine summa dat. Cæsar Metensem urbem obsidione cingit, atq; cogit Vuitgerum imperata facere. Contin. Reginonis.

Anno 924, Vngari in Italiam irrumpunt, Papiam incẽdunt. Luitprandus lib. 3, cap. 1.

Bonnę cõueniunt Cęsar Henricus & Carolus: & pax sancitur, ne posthac unquã Carolus sibi ius ullũ in Lotharingiá usurpet.

Eodẽ anno Carolus Galliæ rex, ab Heriberto comite, propter necem Ratberti captus, in carcere Parone truditur, qui in eo sequẽti anno moritur. Sigebertus eius obitum in 926 annum refert.

Anno 926, Vngari Franciã, Alsatiá, Galliã & Alemaniã depopulãtur: à Saxonia uerò propter fœdus pacis abstinẽt. Cont. Regin.

Interea cõtra Sclauos arma capit Cæsar, q; subinde limites excedẽtes, rapinis operã dabãt. Obsidet aũt ipsorũ arcẽ & asylũ Brãdeburgũ, asperrima hyeme castris super glacię positis: atq; frigore ac fame, deniq; etiã ferro eos deuincit. Vrbe potitus, etiam uicinas undiq; suo impio subijcit: ac postea in Dalmatiá castra mouens, Gronã urbem occupat. Vuitichindus. Marchias q; constituit passim ducibus præpositis, ne facilè Sclauis amplius recalcitrare liceret.

Anno 928, in Bohemiá, pfectus Cęsar, Pragã cingit obsidione: ac tãdẽ urbẽ cũ rege in suã potestatẽ redigit, atq; uniuersum regnũ sibi tributariũ efficit. Vuitich. Cont. Regin.

Gana urbem Dalmatiæ quoq; capit, ac Dalmatis tributum imponit. Sigebertus.

Anno 933, bellũ illud celebre cũ Vngaris prope Mersburgũ Imperator cõmittit. Nã pacatis passim hostibus, constituit patriã à muneribus, quæ pẽdebat Vngaris, ex pacto nouẽnali liberare. Negabat igitur legatis, q eo nomine aderãt, solita munera. Hac re offensi Vngari, mox ira æstuãtes ad arma clamãt, & biparito exercitu Saxoniã ingrediũtur. Ac primùm quidẽ Thuringiã peruolitãtes, incẽdijs atq; cædib. metũ incutiunt. deinde ipsam quoq; Saxoniã horribilibus minis inuadũt. Vuitichin. Hac fama percepta, Henricus, licet aduersa ualetudine nõnihil laboraret, tamẽ ilicò exercitũ conuocat: ac prius in cõspectũ Vngarorũ uenit, quàm id ex quoquã exploratorũ cognouissent. Votũ aũt ante pugnã Henricus facit, si Dominus Deus sibi uictoriã cõcessurus esset, se ex uniuerso regno suo Simoniacã hæresim profligaturũ esse, quã antecessores tolerauerant. Fusis igitur ad Deũ precib. & graui oratione excitatis militũ animis, præliũ cõmittit, idq; stratagemate præclaro. Mãdat eqtib. ut pari cursu ad hostẽ pperẽt, seseq; mutuis clypeis in altũ leuatis cõtegant, ut primum impetũ telorũ sustineãt: postea uerò citato cursu uelocius ad hostes ueniant, quàm denuò sagittarũ nimbũ immittere queãt. Obtẽperantes eqtes huic cõsilio, illæsi in ipsos irruũt. Vngari sese mutuò cohortãtur uoce tyrãnica: Hui hui. At Hérici copiæ uociferabantur, Κύριε, κύριε. Luitprandus.

Etsi aũt primę impressioni fortiter Vngari resisterẽt, tamen sustinere alacritatẽ exercitus diu nõ poterãt: quia Deus ultionẽ de Vngaris expetebat. Terga igitur dantes, fugaq; salutẽ quęritãtes, Imperator insequitur, atq; ad internecionem usq; cædit, ingẽtiq; præda potitur. Vuitichindus, Luitpr. Sunt qui referant, ultra quadraginta millia Vngarorum in eo prælio occubuisse.

Restabat aũt altera pars Vngarorũ in Thuringia, ea in parte quę im Ried Germanicè appellatur: ad eos celerrimè cõtendit Impator, ne accepta fama de suorũ sociorũ strage, fugã arriperẽt. Disponit etiã milites, qui fugiẽtes cohercerẽt. Tali stratagemate hosce quoq; pręter expectationẽ adoritur, ac sternit. Multi tamẽ, quã potuerũt, effugẽre. Vuitich. Historiã istã Mersburgi in arce depingi curauit Imperator, ut memoria eius extaret: ut Luitpr. refert, & Phrisin. Hac uictoria & libertatẽ patrię restituit, & summã autoritatẽ nõ in Imperio solũmodo, uerùm etiam apud exteras gentes sibi cõparauit.

Danos incursantes Phrysios, nõ modò cohercuit: sed uicit quoq;, atq; sibi tributarios fecit. Marchias quoq; passim, seu limitaneas pręfecturas, sapiẽti cõsilio cõstituit, ut in officio regiones populosissimę cõtinerẽtur: utin Cymbrica Chersoneso, Slesuicensem marchiã, Brãdeburgensem marchiã cõtra Henetos, cõtra Bohemos Misnẽsem, cõtra Polonos & Silesios Lusaticã marchiã.

Tandẽ uerò in Italiã iter instituens, morbò correptus, mortẽ obijt in castello Himeleuna, anno ætatis suę sexagesimo: ac sepultus est Quedlinburgi, anno Salutis 937.

## IN ORIENTE.

Bardas Phocas legionũ domesticus, Agarenos oriẽtales repressit, eiq; multas urbes

ademit. Zonaras tom. 3. sub Constantino.

DE ROMANO PVERO.

Romanus Constãtini filius, Puer dictus, luxui & ueneri deditus, ueneno extinctus est, cum uix triennium sceptra tenuisset. Zonaras. Matrem & sorores aula exegit: quæ postea impatientia doloris quæstum prostitutione corporis quæsierunt.

Hoc imperãte, Nicephorus Phocas domesticus legionum, Cretẽses Agarenos uincit: ac Leo Phocas eius frater, Oriẽtales Agarenos uel necat, uel ꝑfligat, passim grassãtes.

Nicephorus deinde in Syria potitus uictoria, Berrœam etiam capit. Zonaras.

SVB OTTONE I.

MOrtẽ suã anima duertens Henricus, Ottonẽ filiũ Imperij successorẽ designat: neq; discrepat postea procerũ sententia. Nam consentientibus suffragijs, Aquisgrani solenni ritu ab Hildeberto Moguntinẽsi pontifice, cui sponte sua iura Treuerẽsis & Colonien sis tũ permittebãt, coronatur. Vuitichin. Anno mũdi 4900, Christi 938. Impio cũ laude prẽfuit annos 36. Sigeb.

Primùm autẽ domesticis excipitur motibus. Nã liberi Arnulphi, eo quòd Otto Bertoldo fratri ducatũ attribuisset, & comitũ prouincialiũ titulũ ipsis solũmodo reliquisset, arma capiunt. Eã dissensionẽ primùm sedare conatur Imperator recõciliationibus quibusdã: uerùm cũ pertinaces animos regnãdi libidine accẽsos frãgere non posset, deinde ui eos cõpescit. Cõt. Regin. Vuitich.

Interea Tanquardus, frater Ottonis, ex cõcubina Brandeburgensem marchiã, quã Imperator Gereoni concesserat, ui eripit. Huic se iũgit Eberhardus Frãconiæ dux, aliquas iniurias ulturus: & Henricus Ottonis frater ab hisce captus, in societatẽ belli trahitur: hac persuasione accẽsus, quasi ipsum essent adiuturi, ut Imperij dignitatẽ acciperet. iure enim ipsi, nõ fratri cõpetere. Accedit & Giselbertus Lotharingiæ dux, spe recuperãdi regni: uerùm Tanquardus Heresburgi (ut narrat Vuitichindus) à militibus Imperatoris, quibus ciuitas erat dedita, in ipso templo ad aram est transfossus: eaque fuit seditionis ultio.

Congressi postea sunt Henricus cũ suis cõsortibus Saluel dij, ibiq; in pernicié Imperatoris coniurarũt. unde locus ille funestus cõsilijs dictus est, ac moles belli in Lotharingiã trãslata fuit. Imperator ad Rhenũ cũ exercitu accedens, iuxta Biertanã in prelio uincit: atq; cõiuratos dissipat. nã Henricus sibi fuga cõsulit. Vuitichind. Cont. Regin.

Dum hæc geruntur, aliæ turbæ ingruũt. Rex Galliæ Ludouicus, quo facilius Lotharingiam recuperaret, in Alsatiam impetum facit. Otto protinus ei occurrens, Gallicos conatus forti manu repulit.

Imperatore absente, Eberhardus & Giselbertus occasiones suas minimè negligunt. Verùm ab Vdone & Cũrado comitibus, ne Rhenũ transirẽt, prohibẽtur: atq; prelio cõmisso ad Andernacũ Eberhard. occiditur. Giselbertus uerò in Rheni alueo cũ multis alijs submergitur: ut manifestũ fieret, Deũ pro legitimo magistratu bellũ gerere, ac pœnas sumere de seditiosis. Sigebertus, & alij.

Cũ aũt Henricus Mersburgũ se recepisset, Imperator eò adducit militẽ: atq; urbe obsessa, adigit Henricũ, ut ad Imperatorẽ egressus, supplex ueniã deprecaretur: quã tali pacto impetrauit, ut aliquãdiu tamen, ne motus noui cõcitarẽtur, Ingelheimij in custodia detineretur. Cont. Regin. Vuitich. Alij dicũt, anno 941, Henricum denuò cum alijs cõtra regem conspirasse: ac cæteris supplicio affectis, Henricum aliquandiu captũ in Ingelheim detentum esse.

Inter hosce motus, & bellum Bohemicũ enascitur. Nã Bolislaũ ob interfectũ fratrẽ Vuenceslaũ regni gratia, & quòd in uicinos etiã moliretur crudelia, Imperator per suos duces reprimere & cohercere cogitur. Verùm dũ Impator uarijs bellis, diuersis in locis, est occupatissimus, trahitur Bohemicũ illud bellum ad annos quatuordecim: ut Vuitich. & Sigeb. annotant. Tandẽ uerò Bolislaus in fidem Ottonis se dedit.

Vngari Imperatore occupato, & in hostes suos intento, Austrasiã & Alemaniã uastãt: Vuormaciæ Rheno usq; ad Oceanũ trãsito, Gallias & Burgundiã uastãt, ac per Italiã reuertũtur: ut Sigebert. & Hericus de Etfordia annotãt. Ac Sigeb. inquit, Anno Domini 939, Vngaros à Saxonib. grauiter esse cẽsos: atq; idẽ Continuator Regin. asseuerat.

Hoc anno Magdeburgum ciuitatem extruit Otto. Sigebertus.

In Gallijs Hugo, comes Parisiẽsis, regnũ adoritur. Nã Ludouicus rex à suis profligatus, & à Normãnis astu captus, Hugonis cõsilio Lugdunũ mittitur, atq; custodiæ tradẽtur. Sigebertus. Molitur insuper imperiũ ad se retrahere Hugo, isto prætextu, quod ex Carolino genere linea transuersa è sexu masculino, Otto uero è fœminino natus esset. Adhæserunt Hugoni tũ Argẽtina aliæq; ciuitates, tum principes ac nobiles uiri non pauci. Imperator huic incendio tempestiuè occurrendũ ratus, implorãte suum auxiliũ Ludouico, Argentinã occupat: & cũ prius Silberthal appellaretur, Strasburg nomina ri uoluit: ut liber de ducib. Bauariæ refert. Ita progressus ad Parrisiorũ urbem, cum in summas angustias Hugo redactus esset, pacem petiuit Ludouicus, sororem Ottonis habens coniugem: regnoq; restituitur.

Circa

Circa hæc tempora Vngari in Italiã ruũt, Capuam, Beneuentum, Nolam peruagantes, ingẽtiq; præda grauati, pedẽ referũt. Verũm Marsorum fines ingressi, Marsi ac Peligni iũctis exercitib. ex insidijs ipsos adoriuntur, cædunt ac fugant, atq; collecta per latrones præda potiũtur. Chron. Casinen. lib. 1, cap. 58. licet anni indicatio parum uideatur conuenire.

Anno 945, Ottho Lotharingiam sibi itẽ subiecit, licet Metensiũ episcopus Adelberto ipsi resisteret. Sigebertus.

In Hispania Abdarã à Radimiro Galicię rege bello superatus est. Luitpran. li. 5, ca. 1.

In Italia Hugo multa tyrannicè perpetrat: Alberto rege excusso, ciuitates omnes sibi subijciebat. Berengarius Alberti, Eporegiæ marchionis filius, cognitis insidijs atq; minis Hugonis, quòd nimirum oculos sibi effossurus esset, eo quòd potentiã suam metueret Hugo: ad Imperatorẽ profugit, eiusque auxiliũ implorauit atq; impetrauit, intercessione Hermani Sueuorum ducis.

Rusi, duce Ingero, mille nauib. ingressi mare, Constantinopolin petierunt: hos Romanus Imperator Constãtinopolitanus nõ multis nauibus instructus, arte uicit. Nã aliquot expeditis nauib. obuiã hostibus procedit. Isti conspicati tã paucas naues, uiuos putãt se homines cõprehẽsuros esse, ac prompti accurrũt agminatim: uerùm Græco igne in naues Russorũ iniecto, periêre flãmis miserimè, & plurimi capiti sunt. Luitpran.

Saraceni interim Italiã adoriuntur, atq; Fraxinetũ occupant: Hugo autẽ igni Græco in naues ipsorum immisso (quem quidẽ ab Imperatore Constantinopolitano accepe-rat) Fraxinetũ capit: cumq; eos delere potuisset, tamẽ audito reditu Berengarij in Italiam cũ Saracenis fœdus init, ut sibi auxilio aduersus Berengarium adessent.

Vngaros quoq; magna pecuniæ ui, & amplissimis pollicitationibus, quòd in Hispaniam ipsos ducturus esset, flectit, modò Italia excederent, quò regnũ suum contra Berengarium ualidius tutaretur.

Cum Berẽgarius in Italiã reuersus esset, magna procerum defectio ad ipsum cœpit, omnibus sibi aureũ seculũ nunc pollicitantibus. Hugo præsentẽ rerũ inclinationẽ expendens, promisit se sua sponte regiæ potestati renunciaturũ, modò filius Lotharius pariter cũ Berengario potestate uteretur. Ipse igitur in Burgundiã discedit, neq; diu manet superstes. Solus igitur regni fasces Berẽgarius suscipit. Luitprandus. Sigebertus.

Berengarius regno accepto, tyrannide cuncta replet, omnem iusticiam (ut Vuitichindus refert) pecunia uendit, neq; parcit Ecclesiæ bonis: atq; episcopatus quib. uult, distribuit. quib. de causis põtifex Imperatorẽ rogat, ut subueniat tũ sibi, tũ reliquæ Italiæ toti. Accedebant & alij proceres Italiæ, eadem efflagitantes. Imperator ad preces istius præsulis facilis, & cõsiderans coniugium Adelheidæ, uiduæ Lotharij, quã Berengarius captiuã detinebat, Ludolphũ filiũ & Cunradũ Sapientẽ dictũ, generũ suũ, iusto exercitu præmittit. Subsequitur paulo pòst Imperator, armisq; Adelheidam liberat, atq; uxorem ducit. Luitprandus. Continuator Reginon. Contractus.

Berẽgarius, & Albertus ipsius filius, Augustã usq; Cæsarem sequuntur: idq; cõsilio Cunradi factũ esse, Reginonis Contin. scribit. Cõciliata autẽ uolũtate Otthonis, Berẽgarius cõsequitur potestatẽ redeũdi in Italiã, atq; Lõgobardiã administrãdi: ut Heinricus de Erphordia narrat. Id factũ Cunrado Sapienti, qui Papiæ relictus fuerat, tantopere displicuit, ut animũ suũ erga Imperatorẽ socerũ auerterit: eiq; se adiungit Ludouicus filius Imperatoris, qui secũdis nuptijs offensus fuerat. Hinc igitur bellorum funestissimorum seminarium extitit.

Initio autem Moguntiæ congregati, eo quòd episcopus eius loci partes Ludolphi cõtra patrẽ defenderet, ab Imperatore obsessi sunt, tãq; arctè cõstricti, ut de pace institueretur tractatio: uerùm sine fructu. Ludolphus itaq; Ratisbonã occupat, quanta potest celeritate: oblitusq; omnis pietatis, Vngaros quoq; in societatẽ receptos, in Frãciã ablegat, ut patriã depopulãdo, plus negotij paréti facesserẽt. Verùm Imperator cõtractis undiq; auxilijs Ratisbonã obsidet, donec cõmeatu, imò etiã omni successu destitutũ, necessitas extrema adigeret filium, pacẽ atq; recõciliationẽ expetere. Is uerò nudis pedibus in conspectũ patris prodiẽs, & sese ad genua ipsius prouoluens, lachrymisq; ueniã rogãs, in gratiã est receptus. Et Bauaria fratri Imperatoris tradita est: ut Vuitichindus commemorat.

Hinc in Vngaros arma mouet Imperator, quorũ innumerabilis penè multitudo se effuderat in regiones Imperatoris. pręliũ initur ad Lycũ amnẽ haud procul ab Augusta: ac tãta strage Vngari superãtur atq; delẽtur, ut uix maiori clade affecti uideãtur. Cũradus ictu sagittę interemptus est. Sueuorũ dux Burchardus quoq; interijt. Frater Ottonis morbo è reb. humanis sublatus est. Vuitichind. Cont. Sax. Idq; accidit anno Domini 955. Otto Phrysingẽsis ait, uix decẽ ex Vngaris fuga euasisse, reliquos omnes in acie perijsse, & in potestatẽ Imperatoris uenisse.

In hisce tumultibus nequaquam Sclaui quiescunt: uerùm subinde libertatẽ spirãt, uicinosque uellicant. Ducit igitur in hosce omnem

omnem uim exercitus Imperator, licet perpetuum contra Sclauos militem aleret, ac Theodoricus (cui defensionem limitum Saxoniæ commiserat) præclara fortitudine conatus istius populi retunderet. præsente Imperatore, Sclaui graui prælio cæduntur. Vuitichindus. Continuat. Reginonis.

Inde profectionem in Daniam instituit. nam Haraldus rex defecerat, ac legatos Imperatoris trucidauerat: quem bello superatũ, cogit imperata facere. Locus pugnę adhuc nomẽ obtinet, Ottẽsund. Helmoldus.

Sclaui aũt iterum uarijs in locis recalcitrant: ad quos reprimendos Otto multum operæ sumit. Nam annis 957, & 959, & 960. contra eos Imperatorem exercitus duxisse, Reginonis cont. annotat. Et Vuitichindus uarios Sclauorum populos narrat esse superatos. Meminit etiam Misicæ, quem nominat amicum Imperatoris, cuius uirtute rebelles Sclaui sint repressi. Est autem is Misicas, Misilaus, 27 Herulorum & Vandalorũ rex, à quo descendunt illustriss. Megapolenses principes. Sigebertus quoque annotat, Vuigmánum diu contra Ottonem fuisse rebellem: qui à Misaca Sclauorum regulo, Imperatoris amico & milite, sit peremptus.

Vndiq; sopitis hostibus, Italia ardens factionibus, & in primis tyrannide Berengarij pressa, Ottonis auxilium implorat. Nam Ioan. 12, & proceres regni, legatos ad Ottonem mittũt petitum, ut extremè periclitanti Italiæ succurrat. Nõ enim parcebat ecclesijs, non politijs Berengarius. Ratione igitur Imperij sui excitus Otto, prius Ratisbonæ habito conuentu, Ottonẽ filium septennem designat Cæsarem, qui mox Aquisgrani sõlenni ritu inunctus & confirmatus est. Prospiciebat enim pro sua sapientia Imperator, quàm periculosæ profectioni sese cõmitteret, nõ tantum propter Berengarij potentiam: sed omnium maximè propter inconstantem & uariabilem gentis Italicæ fidem. uoluit igitur relicto certo successore Cæsare, trãquillitati Germaniæ prudenter consulere. Veniens igitur in Italiam, ualida manu Ticinum ui expugnat: cæteræ ciuitates partim pertęsæ tyrannidis Berengarij, partim metu fractæ, ultrò se dedunt. Berengarius cũ filijs fugam arripiunt, atq; munitissimis sese locis includunt. Romã ueniẽs Otto, summa omniũ cõgratulatione & honore excipitur, atq; à pont. Ioãne 12 proclamatur atq; confirmatur Augustus. Scribit Luitprãdus, pontificẽ iuramẽto sõlẽni promisisse Imperatori, quòd partibus Berengarij fauere nollet unquã: id quod postea nõ seruauit. Narrat Reginonis cont. Imperatorem primùm uxorem Berengarij, turbulentam fœminam (quæ se in lacum maiorem in insula ad S. Iulium incluserat) cępisse: nerùm eam ex clementia dimissam, quæ mox marito suo hortatrix fuerit ne Imperatori se dederet. Hæc anno 962 facta sunt.

Anno 963, Imperator Berengarium intra montem S. Leonis se continentẽ, obsidet. Verùm pontifex fœdifragus, Albertũ Bẽten garij filium Romam uocat, atq; ei regnũ tradit. Denuò igitur Romã abducit exercitũ Imperator, eamq; deditione capit. Põtifex & Albertus fuga dilabuntur. Hac perfidia præsulis motus Imperator, alium cõstituit pontificem Leonem VIII, & obstringit Romanos iuramento, ne pontificem ablq; cõsensu Imperatoris creent.

Anno 964, Berengarius lõga obsidione pressus, sese in potestatem Imperatoris cũ coniuge tradit: qui hominibus perfidis & turbulentis nõ amplius fidẽ habens, ablegauit eos Bambergã, ubi in exilio expirarunt.

Dum Roma abest Imperator, Romani ab Alberto Berengarij filio ad defectionem sollicitati, Leonem VIII in exiliũ pellunt: re uocato scelestissimo homine Ioãne, eoq; in Plutonis regnũ abrepto, Benedictũ inconsulto Imperatore substituunt. Hac defectione & tantis machinationibus contra fidẽ datã susceptis, grauissimè offensus Imperator, exercitũ urbi admouet: quę defensionẽ moliens, tã arctè est obsessa, ut fame ad humanas propemodũ carnes uorãdas adacti fuerint. Dedita urbe, in autores defectionis animaduertit: ciuib. parcit, Benedictũ uerò Hãburgum in exiliũ ablegat. Centũ obsides accipit, quos intercedẽte Leone VIII reddit. Deinde Spoletinũ & Camerinum ducatus constituit, atq; in Germaniam reuertitur.

Anno 965, Longobardi ab Imperatore in fidijs Alberti deficiunt, quos Burchardus dux Germanorum prælio uicit, Albertus fuga elapsus est.

Interea Leo VIII uita fungitur. Romani ab Imperatore successorem flagitant: is Iohannẽ XIII substituit. Verùm Romani isto præsule in carcerem coniecto, alium pro sua uoluntate & commodo subrogãt. Imperator istis seditionibus in ipsis initijs obuiam iturus, Romam proficiscitur. percepta autẽ fama de Cęsaris aduẽtu, Ioãnes restituitur: uerùm nihilominus Romã cõtendit Cęsar, ac tredecim istiꝰ seditionis autores laqueo publicè suspendit, cæteris concessa uenia.

Dum autẽ Romæ imperij corroborandi gratia subsistit, Otthonẽ filium ad se uocat, quem pontifex pronunciat Augustũ: idq; Marianus Scotus scribit esse factum Anno Domini 966. & pater ipsi filio ambit Nicephori Constãtinopolitani Imperatoris puignam Theophaniã. Græci eam rem indignè ferentes, exercitũ Otthonis, missum ad sponsam

sponsam adducendã, adoriuntur, cædunt, & captos Constantinopolin ducunt. Eã ue rò iniuriã Otto indignissimè tulit, ac mox Othoni filio exercitũ committit: qui Apuliam atq; Calabriã ingressi, longè lateq; populatur omnia, atq; tributũ ipsis imponũt. Hac potentia Otthonis moti Græci, spõsam ultrò adducunt & tradunt. Nuptijs celebratis, reuertuntur Augusti in Germaniam. Luitprand. Vuitichind. Sigebertus, Cont. Reginonis, & alij.

Circa annũ Domini 968, uenæ metallicę prope Goslariam in Saxonia repertæ sunt.

Anno Domini 971, templũ celebre Dornbergæ in Thuringia exustũ. Schafnaburg.

Postremò, imperio Romano iterum prõbè constituto, & rebus plurimis feliciter gestis, Imperator inter sacra, quæ Mimileuæ haud procul à Merseburgo colebat, morbo correptus, uita functus, & Magdeburgã in summũ templũ repositus est, anno Domini 974, Nonis Maij. Marianus 975 annotat. Henricus de Erfordia inquit, eũ Quedlinburgi ægrotasse, & rebus humanis cessisse, atq; funus Parthenopolin deductum.

## DE NICEPHORO PHOCA.

A militibus in Oriẽte Imperator proclamatur Nicephorus, propter uirtutẽ & gloriam bellicam: ac Constantinopoli à patriarcha Polyeucto coronatur. Etsi autẽ mox initiò Theophaniã Romani coniugem auxerit, tamen paulo pòst eam in uxorem ducit, reluctante patriarcha. Fuit autẽ militaris homo, magis armis tractãdis, quàm legibus & pacis artibus deditus: incredibili auaricia arsit, & aucupia pecuniarum inuenit: neq; erubuit uitiare monetã. si quando ipsi erogandum aliquid esset, exactionibus omnia exhausit. Milites pari cũ martyribus honore coli uoluit, quia pro publica reipublicæ salute sanguinem profunderent.

## IN ASIA.

Multas res in Asia præclarè contra Agarenos seu Turcas gessit. Nam duce Iohanne Zimisce, ex Adana Ciliciæ ciuitate Turcas pellit: ac deinde Nicephorus ipse in Ciliciã uenit, capit Anabarzan, Rosum, Tarsum, Mopsuestiam: classem quoq; Ægyptiacam, quę in auxilium Agarenis uenerat, superat. Cyprum quoq; recuperat. Deinde in Syria prope Libanũ ciuitates uincit, & usq; ad Antiochiam exercitum mouet. Verũm cum ab ea discedere cogeretur, Burzę inclusa postea capta est.

Tandem uerò cum Nicephorus annos 6, totidemq; menses, uel (ut alij scribunt) annos 10 imperio suo præsisset subditos, propriæ coniugis Theophaniæ proditione & scelere, à Zimisce trucidatus est. Sigebertus.

## SVB OTTHONE II.

Otthone Magno defuncto, Ottho secundus, eius filius, sceptra imperij solus accepit, anno Domini 974. præfuit annos 10, ut Helmoldus annotat. Contractus tantum 9 ei adscribit. Etsi aũt præclarus esset Cæsar, tamen uirtute ac rebus gestis patri non fuit par. Bigamum fuisse, Strada affirmat: ut qui præter Theophaniam, aliam uxorem è familia marchionum Austriæ duxerit.

Initio imperij, Heinricus patruelis, Bauariæ dux, arrogãtia extimulatus, Imperatoris titulũ sibi usurpauit, suis usus adstipulatoribus & instigatoribus. Nã Abrahã episcopus, Boleslaus Bohemiæ, Mesico Poloniæ & Haroldus Daniæ reges, cũ Henrico cõsurrabant, ut ea occasione unusquisq; suis commodis studeret. Verùm Ottho primùm postulat, ut iure secũ agat Henricus, atq; conuentũ indicit. Expositа igitur historia, quãnam ratione à parente, à procerib. regni, & à pontifice sit electus atq; cõfirmatus Augustus, omniũ suffragijs euincit, se legitimè & ritè uocatũ. Hac cẽsura nonnihil repressus Henricus domũ reuertitur, ac premit altũ corde dolorẽ: quẽ facilè postea iterũ exuscirant, qui rebus nouãdis studebãt. Iusta igitur arma Imperator induit: atq; in Bauariã ducto exercitu, patruelem seditiosum expellit: eãq; ditionẽ Ottoni duci Sueuorũ tradit, anno Domini 976. Schaffnab.

Deinde & confœderatos ad obedientiã facilè redigit. Nam Henrico sopito, cæteri potentiam Cæsaris experiri nolebant, seseque ipsi subijciebant.

In Gallijs tumultus concitant Regnerus & Lambertus, filij Regneri Lõgicolli, cum Garnero & Ranoldo, qui comitatum suũ parentis occupauerant prope Peronam, & inde Lotharingiam infestant. Sigebertus.

Anno Domini 978, ut Schafnab. scribit, aliud bellũ nascitur. Nam Lotharius Galliæ rex, Lotharingiã inuadit & occupat, dũ Bauarico bello implicitus est Imperator. Verùm Bauaria sibi subiecta, & profligato Henrico, euestigiò in Lotharingiã mouet. Imperator Lotharius percepto aduẽtu Cæsaris, retrocedit in Galliam. Recuperata igitur prouincia, Aquisgrani aliquanto securior quàm debebat, Ottho degebat: præter spẽ igitur, per proditores occasionẽ opprimẽdi Ottonẽ cognita, accurrit Lotharius: estq; in tãto discrimine Ottho, ut saluti suæ fuga cogeretur consulere. Hanc iniuriam indignissimè ferens Imperator, contracto exercitu ualido, Lothariũ magna ui eijcit, cuncta recuperat: eumq; Parisios usque insequitur, ac ferro igniq; multa Galliæ lo-

ci uastat. Schafnab. Pace autem inita, reducens copias, maxima clade affectus est in Axona fluuio. Nam fluminis impetus quia pluuijs creuerat, multi interierũt, & nõnulli extremũ agmen uellicabãt prædæ gratia.

Tertiò, Græcum bellum exoritur. Nam Basilius & Cõstantinus, Cõstantinopolitani Imperatores, filij Romani, successu rerũ insolentiores facti, animũ adijciunt ad Italiæ partem, sibi ereptam, recuperandam. In Syria enim potiti uictoria, & in Creta Saracenis profligatis, existimarunt sibi occasiones rei bene gerendę ultrò offerri: primùm, quòd Otto affinis (cuius quidẽ nullã habẽt rationem) bello domestico districtus esset. Deinde, quòd Saracenos sibi in auxiliũ iungere possent. Nec fefellit eos animus. nam iunctis copijs Barũ capiunt, Macherã diruunt, Apuliã atq; Calabriã metu perculsam deditione accipiũt. Imperator hisce cognitis, in Italiã expeditionẽ suscipit (ut Schafnaburgensis indicat) anno Domini 980, ducta secũ Theophania. Eductis autem copijs Beneuentum usq;, hostem habuêre aduersum, infestisq; armis cõcurrêre. Etsi aũt Imperatoris exercitus fortiter impressionem faceret in Græcos & Saracenos: tamẽ multitudine Saracenorũ, ac turpi defectione & desertione suorũ, uicti ac fusi sunt. Nam Romani atq; Beneuẽtani, ex acie sceleratè profugerũt. Occubuêre in isto prælio (ut Schafnaburgensis scribit) Vdo, Gebhardus, Guntherus, Bertholdus, uiri illustres, & Henricus Augustensis episcopus, & Vuernerus abbas Fuldẽsis. ipse uerò Imperator ægrè euasit. Nam ad sinũ Tarentinũ, Rosanamq; fugiens, eo quòd ibi cum subsidijs Theophania uxor & Theodoricus Mediomatricum episcopus substitissent, & uijs obsessis ad urbẽ accedere non posset, in undas sese cõiecit, ut natãdo elaberetur. Verùm à nautis interceptus, cum se gregariũ militem profiteretur, pecunia se redemit, atq; ad coniugem reuersus est.

Recollecto porrò exercitu, in Beneuentanos perfidos animaduertit, urbe incensa: Romanos quoq; fugæ autores debitis supplicijs afficit. Flores Honorij indicãt, eũ Romæ in cõuiuio aliquot perfidos cõprehensos decollasse: qua de causa ab aliquib. sanguinarius uocatus sit, & Rubeus Otto. Cuspinianus. Postea cũ Saracenis cõgressus, tã graui pugna eos cædit, ut Ottonẽ, mortẽ Sarracenorum appellarint. Auentinus. Verùm hac in parte historici uariant. Hæc facta sunt intra biennium.

Romæ tandem, non diu post hæc prælia superstes fuit. Nam profluuio uentris moritur, atq; in æde S. Petri more regio sepelitur. Auentinus, Otto Phrising. Bonfinius. Anno Domini 983. Marianus.

Anno 981, Hala ciuitas ad Salis fontes, in Saxonia est ædificata.

DE IOANNE ZIMISCE.

Succedit igitur per lanienam Ioannes Zimisce: actaq; Nicephori (qui, ut Volaterranus scribit, magister scholarũ in Oriẽte fuerat, & à Nicephoro cõtra Saracenos in Sicliã missus) rescindit. Cum autem patriarcha eũ propter cędẽ neq; coronare, neq; in templum admittere uellet, regina parricidij incentrice & proditrice mariti ex aula electa, tandẽ ueniã accipit, & Theodorã Cõstantini Porphyrogeniti filiam ducit uxorẽ. Eius tempore Rossi Bulgariã uastantes, bello superantur, atq; inde expelluntur.

IN ASIA.

Turcæ Antiochiã infestãtes, repelluntur. Et cũ multæ urbes in Oriente defecissent, ipse redactis plerisq; ad obedientiam, domum redijt: atq; in itinere, uisis præclaris prædijs quę eunuchus tenebat, cũ dixisset, Dolendũ esse, spadonẽ tãta bona possidere, quę multorũ præstantiũ uirorum sanguine parta essent: odiũ eunuchi Basilij sibi cõciliauit, qui uenenum ei per pincernam dedit, quo lenta tabe expirauit, cum imperiũ gubernasset annos sex. Zonaras, Sigebert.

SVB OTTONE III.

Ottone II defuncto, sententiæ de persona, cui fasces imperij Romani tradendi essent, uariarũt. Otto III mortui Cæsaris filius, erat adhuc puer, annos uix natus undecim. Hẽricus Bauariæ dux, nepos ex fratre Ottonis I, sibi deberi hoc fastigiũ existimabat: utq; facilius uoti cõpos fieret, ratione tutoris Ottonẽ puerũ ad se recipiebat. Romani dignitatẽ Imperij ad se retrahere moliebãtur, atq; Crescentiũ cõsulẽ crearũt, qui Imperio præesset. Verùm procerũ Germaniæ sententia obtinuit, ut Ottoni III Imperij autoritas cõfirmaretur. Estq; solẽni ritu inuntiatus & unctus Aquisgrani, anno Domini 984. Sigeber. Otto, Bõfinius, Blõdus, & alij. Præfuit imperio annos 19, Honorius: 18 uerò Sigebertus ei tribuit, & Otto tantũ 17. uerùm pleriq; cum Honorio consentiunt. Appellatus est, ob insignem sapientiam, quæ ipsam ætatem superaret, Mirabilia mundi.

Anno Domini 986, Bohemiam Otto bello petit, & pleraq; uastans discedit: subsequenti autem anno uniuersam sibi regionem subiecit. Schafnaburgensis.

Anno Domini 989, in Italiam copias ducit Imperator, ut Romanorũ consilia in eundo Crescentio retunderet. Romam igitur ueniens, humanius initio egit: atq; Crescentio simulante cessionẽ, ignouit. Schafnaburgensis indicat, Theophaniam Imperatoris matrẽ, cum exercitu Romã petijsse, omnemq;

omnemq; Italiam subiecisse,ac pacasse.

Anno Domini 992, Brandeburgum obsi
det,& capit.Schafnaburgensis.

Interea Romani ambitione flagrates,ite
rum Crescetium instigant,ut animos altos
sumat,atq; Imperatoriâ maiestatẽ susci-
at;ut dignitas gubernationis ad Italiã retra
hatur.Hęc necessitas cogit Otthonẽ,ut de
nuò cum exercitu in Italiã recurrat. Roma
autẽ occupata, hac etiã uice lenius in Cre-
scentium agit: qua uerò de causa id accide
rit,non est literis traditũ.In hac profectio-
ne priusquam Romã ueniret, audita mor-
te põtificis, Brunonẽ consanguineũ suum,
Otthonis Sueuiæ ducis filium creat pontifi
cem, qui postea Gregorius v appellatus
est;isq; Romę Otthonem solennibus cere-
monijs pronunciauit Augustum.

Reuerso autem Otthone in Saxoniam
(ut Strada scribit) Romani cum suo Cre-
scentio redeũt ad uomitum,atq; Gregori-
um pontificẽ urbe exturbant,ac Iohannem
Placentinum proprio arbitrio substituunt.

Ea autẽ iniuria comperta, Ottho in Itali
am tertiò proficiscitur ualida ui:& capta ur
be,in autores seditionis pro grauitate ani-
maduertit: Crescentiũ uili iumento auer-
sa facie impositũ,per ciuitatẽ iussit circũdu
ci,probris affici,& membris mutilari,ac tã-
dẽ cũ duodecim socijs ante urbẽ suspendi.
Schafnaburgẽsis ait decollatũ,& postea su-
spẽsum tamẽ.Blõdus affirmat,eũ à militib.
cõfossum.Ioannẽ uerò pseudoepiscopũ,na
so truncatũ, & oculis effossis de Capitolio
deturbauit: Gregoriũ uerò restituit.Anno
Dñi 998.Cuspinianus,Bonfinius, & cęteri.

Porrò,ut machinationes tã mobiliũ Ro-
manorum impediret, imperiumq; suũ con
firmaret,existimauit sibi aliquandiu in Ita
lia subsistendũ.Neq; uerò tantùm de Italiæ
pace, uerùm de uniuerso Imperio Roma-
no rectius constituendo , sapienter & diu
deliberauit:in primis uerò, quia electio Im
peratoris semper turbas plurimas gigne-
ret:quia Itali liuore & ambitione flagrates,
subinde ad antiquũ imperij decus respecta
rent:& Galli similiter ob stirpẽ Carolinam,
animos superbos remitterẽt: insuper quia
in Germania cognatione, potentia & au-
toritate excellẽtes,cohercendi essent: gra-
ui ac maturo cõsilio censuit pro autoritate
Imperatoria, qua in præsentia fungebatur,
& iure belli,ius ac potestatẽ creãdi Impera
torẽ ad solos Germanos deriuare:idq; pri-
uilegiũ, cõmunis cõcordiæ gratia,omnib.
cõcessis rationibus confirmare.Hoc igitur
decretum absq; omni dubitatione, omniũ
procerũ Germaniæ consilio & suffragatio
ne factum,Romę tandem reuelat & pronũ
ciat, episcopo Romano consentiẽte & ap-
probante: ut soli Germani, ex Germanico
sanguine natũ, deinceps semper deligant,
cõstituant atq; inungãt Imperatorẽ Roma
nũ, cui cæteri status iuxta leges obtempe-
rent.Blondus, Martinus Polonus, Bergo-
mensis,Scheddel,Nauclerus,& alij.

In decretis Leonis 8 manu scriptis habe
tur:Nos quoq; Leo seruus seruorũ Dei,epi
scopi, similiter,cũ cuncto clero & uniuerso
populo Romano,omnibusq; ordinib. hu-
ius almæ urbis(sicut in ipsis conscriptis ap-
paret)cõstituimus,cõfirmamus,corrobora
mus,& per nostrã Apostolicã autoritatẽ cõ
cedimus atq; largimur Domino Ottoni pri
mo Teutonico,regi dilectissimo, spirituali
in Christo filio nostro, eiusq; successoribus
huius regni Italiæ in perpetuũ,tã sibi facul-
tatẽ successorũ eligẽdi,quàm summæ sedis
Apostolicæ pontificẽ ordinandi:ac per hoc
& archiepiscopos,seu episcopos,ut ipsi tan
tum ab eo inuestiturã suscipiant, & cõsecra
tionẽ recipiant,undecunq; pertinuerit,ex-
ceptis his quos Imperator põtifici & archi-
episcopis concesserit. Ita demum asserimus,
ut nemo deinceps cuiuscunq; gradus uel
cõditionis aut dignitatis,uel religiositatis,
eligẽdi regẽ uel patriciũ, siue pontificẽ sum
mæ sedis Apostolicæ,aut quẽcunq; episco-
pum,uel ordinandi habeat facultatẽ:sed so
li regi Romani Imperij hanc reuerentiã tri-
buimus, & facultatẽ, absq; omni pecunia,
hæc omnia superius disponendi: & ut ipse
sit rex,& patricius.

Vtrum autem mox Septemuiris ea pote
stas deligendi & designandi Imperatorem
Romanũ sit distributa, nõ satis ex historijs
uetustis, propter scriptorũ negligentiã,est
perspicuum.Hoc sanè liquet,quòd Germa
nis cõcessa est & confirmata potestas, è sua
gente Imperatorẽ creandi: uerùm quòd tã
tum penes septem Electores, ex omni pro
cerum Germaniæ numero,ea potestas esse
deberet,id non est annotatum.ac fit primũ
mentio Septemuirorum post Fridericũ se-
cundum,ut Auentinus indicat lib.5 Annal.
Boior.Blondi uerba hucinseremus : Paulo
enim pòst quàm redierat,eã fecit de Im-
peratoris electione sanctionẽ, quã hucusq;
annos supra quadringentos seruatam uide
mus, solis licere Germanis, qui inde Ele-
ctores sunt dicti,principẽ deligere:qui Cæ-
sar tunc & Romanorũ rex dictus, si à Roma
no põtifice coronabitur,impator Augustus
appelletur. Sũtq; hi Electores:Mogũtinus,
Treuerẽsis & Colonienſis,archiepiscopi:&
marchio Brãdenburgẽsis,Palatinus comes,
dux Saxonię, rex Bohemiæ. Distincta sunt
autẽ inter eos officia,ut tres primi sint cãcel
larij:Germanię primus,secũdus Gallię,Ita
lię tertius:& Brandenburg.marchio came-

rarius,

rarius, comes Palatinus dapifer, dux Saxonũ ensis portator, rex Bohemiæ sit pincerna. Annum in quo hæc sanctio à pontifice Gregorio facta est, secũdũ supra millesimũ Christianæ salutis fuisse inuenimus. Quanquam solus inter multos Ptolemæus Lucẽsis, undeuiginti annos addidit: & ita multorum pontificum ipse, sicut & multi alij, tempora confudit: ut ueritatem, si etiam id nostri esset propositi, à nobis inueniri potuisse addubitemus. lib. 3. Decad. 2.

Cromerus lib. 3 de rebus Polonorũ ait: Bohemiæ regem septimũ à Rudolpho Imperatore adiũctum, qui paribus illorũ suffragijs controuersiam dirimeret.

Iacobus de Strada simpliciter affirmat, septem principibus ius eligendi traditum: idq; nunc ultra quingentos annos durasse.

Martinus Polonus uersus recitat, licet ualde rudes, quos etiã alij historici recitãt:

*Moguntinensis, Treuerensis, Colonienſis,*
*Quilibet imperij sit cancellarius horum.*
*Et Palatinus dapifer, Sax portitor ensis,*
*Marchio præpositus Cameræ, pincerna Bohemus,*
*Hi statuunt dominum cunctis per secula summum.*

Coniugem habuit Mariam de Aragonia, sterilem quidem, sed uirorum appetentissimam. Habebat iuuenẽ, quẽ induerat ueſtibus muliebribus, cũ quo turpitudinẽ quotidie perpetrabat. Deprehensus autem, ac uestibus nudatus, uiuus combustus est: Marię uerò pepercit Imperator. Strada. Verùm impudica mulier illicitas suę libidinis flãmas cohercere non potuit. Accensa amore comitis circa Mutinam, solicitauit eum de adulterio: cum uerò honestissimus uir isti bestię nollet gratificari, accusauit eum corã Imperatore, quasi eo mes uoluerit ipsi uim inferre. qua delatione Imperator accẽsus, nõ facta diligentiori inquisitione, iussit eũ decollari. Comitissa lugens innocẽtis mariti supplicium, obseruat commodũ iudicij tẽpus, ubi Cæsar coràm erat: atq; scisitatur quali pœna is dignus foret, qui indicta causa innocentẽ capitali supplicio afficeret. Cæsar simpliciter sententiã profert, eum simili ratione capitis pœnam subiturũ. Tunc comitissa: Tu es, inquit, Cęsar ille iudex, qui meũ maritũ, indicta causa, & insontẽ iussisti interfici, idq; candẽtis ferri gestatione sese demõstraturã pollicetur: ut Honorius refert. Eo facto, Cæsar attonitus, rẽ iubet diligentius inquiri: & patefactis Mariæ technis, eã flammis comburendam publicè iubet, ut illustre exemplum aduersus adulteras statueretur: uiduam uerò comitis, multis muneribus prosecutus est.

Cœpit quoq; Romę palatiũ extruere: quę res inuidiã plurimorũ excitabat, & insidias, ut sępe ficarij puniendi essent. Dum autẽ ira regni & Ecclesiæ in pristinũ statum reduc cere moliretur, maiores cõspirationes exoriuntur: adeò ut uix simulato pacto, Roma egredi posset. Vxor Crescentij, quæ in sui amorẽ illexerat Imperatorẽ, uidens sese spe coniugij ac regni frustrari, chirotecas uenemo infectas ei misit: quibus indutis, intra Italiã expirat immatura morte. Hericus de Erfordia. Arte Italica eũ sublatũ esse, Cranzius inquit. Intestina autẽ Augustæ, reliquũ uerò corpus Aquisgrani sepultum est. Matorĩ lõgissima uita. nã sapiẽtia & uirtute excellebat, & disciplinas honestas singulari amore cõplectebatur & promouebat. Cuſp.

## DE BASILIO PORPHYROGENITO, & eius fratre Constantino.

Nicephorus imperio potitus, mox socios imperij asciuit, Romani filios, Basilium & Constantinum. Sublato igitur Nicephoro, ad istos redijt imperij summa. Primùm autem Basilius pręest imperio, idq; aliquãdiu per cubicularium Basiliũ, uirum industriũ & strenuum, administrat: fratrem uerò Constantinum uoluptatibus deditum, finit suo indulgere genio. Schlerum mouentẽ seditionem, & adspirantem ad culmen imperatoriũ, cohercet & uincit. Aduersum Bulgaros infœliciter pugnat: quia arte eũ dux abisto bello, ne uictoria potiretur, & ipsos duces paruifaceret, abstrahit: nunciato pericolo, quòd domi regnũ nonnulli affectarent. Phocas etiam regni inuasor, in prælio occũbit. Tranquillitate constituta, Basilius insolescit: & auariciæ, quæ cum multis iniurijs coniuncta est, sese dedit: doctos uiros fastidit, imperitis munera committit.

### IN ASIA.

Expeditionẽ in Asiam suscipit: atq; Iberiæ partem, quam palatij curator Dauid ei legauerat, occupat: & in Phœnica motus exortos sedat, acceptisq; obsidib. discedit.

Huius tẽpore & Ægypti princeps rupto fœdere quod cũ Basilio habebat, Hierolymitanum templum ac monasterium prope quinquennium uastat & spoliat.

Moritur Basilius, cum annos quinquaginta solus regnasset. Zonaras.

Constantinus frater succedens, callũ in delicijs & uoluptatib. obduxerat, ut ad gubernationis onerã ignauus & ineptus esset. Alijs igitur traditis officijs plerisq;, ipse ut tato more uentrẽ curat. Cũ autẽ & ætate & molliori uita fractus, sentiret exitum suum haud procul abesse: cuidã nobili, cui Romano nomẽ erat, & filiã tradit in matrimoniũ, & imperij successionẽ committit. Tertio post fratrem anno è uiuis excedit. Zonaras.

# LOCORVM SCRIPTVRAE SVI IN DECIMA ECCLESIASTICAE HISTORIAE Centuria explicantur, INDEX.


Genes. 1. Spiritus Dei ferebatur super aquas. 102.32
2 Immisit igitur Dominus Deus soporem in Adam, &c. 89.8
Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ
3 Pectore & uentre repes 150.54
Terra es, & in terram reuertêris 119.22
6 Et facies ostium in latere arcæ 51.1
7 Et periit omnis caro aquis diluuij, præter Noa, & qui cum eo in arca erant 202.39
8 Et emisit Noe columbam, quæ non inueniens ubi pedem poneret, reuersa est ad Noa, folium oliuæ in ore habens 209.32
17 Factóq; uespere irruit sopor super Abraam, & ecce horror magnus & tenebrosus, &c. 102.18
18 Ecce tres uiri stabant iuxta eum 229.38
Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis. 70.18
19 Et dedit Iosepho Dominus eius omnia in manus ipsius 44.31
21 Isaac autem portauit ligna. Item: Et retrospiciens Abraham uidit arietem cornibus uepribus inhærentem, &c. eumq; in sacrificium Deo obtulit 49.44
24 Dixitq; Abraham ad seruum suum, Pone manum tuam, &c. sed petas terram meam, & isthinc uxorem filio meo Isaac adducas 93.5
30 Et luxerunt Iacob Aegyptij septuaginta diebus. 204.32
244.40
¶ Exod. 3. Apparuit Deus Mosi in rubo 209.41
9 Ego indurabo cor eius 181.52
19 Extende manum tuam super mare 233.44
21 Et præcedebat eos Dominus interdiu per columnam nubis, noctu uerò per columnam ignis 38.58
14 Moses quid clamas ad me 174.54
27 Et uenerunt filij Israel in Elim, & fuerunt illic duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ. 60.38
¶ Leuit. 1. Et incendet sacerdos omnia in altari holocausti, sacrificium hoc igne confectũ odor suaueolens Deo 170.41
Spargentq; sanguinem super aram per ambitum 193.38
4 Et omnem adipem iuuenci, qui est sacrificiũ, &c. & incendet ea sacerdos in ara holocausti 93.50
Et cunctum sanguinem iuuenci fundet ad basin aræ holocausti 157.20
6 Et omnis hostia peccati, de cuius sanguine inferetur in tentorium constitutionis, ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed igne cremabitur. 131.46
9 Tolle tibi uitulum iuuenem ex armento ad hostiam pro peccato 139.26
¶ Iudic. 9. Ibant aliquando arbores ut regem super se inungerent. dixerunt ergo ad oleam, Imperita nobis, &c. 231.11
¶ 3. Regum. 2. Iam tu nosti quid Ioab filius Zeruia mihi fecerit, &c. 252.26
¶ 1. Paralipom. 16. Ne tangatis unctos meos 62.54
¶ Psalm. 1. Impij non resurgent in iudicio 254.32
9 Dum superbit impius, incenditur pauper 63.24
22 Foderunt manus meas & pedes meos 58.58
Longè à salute mea, uerba delictorum meorum 90.27
48 Confitebitur tibi, quando ei benefeceris 65.8
51 Libera me de sanguinibus, Deus 48.29
101 Principio tu Domine terram fundasti 57.60
128 Videas filios filiorum tuorum, pax super Israel. 49.39
¶ Isa. 1. Lauamini, mundi estote 192.16
53 Domine quis credit auditui nostro 58.29 & 62.47
61 Spiritus Domini unxit me, &c. 60.10
¶ Ezechiel. 1. Quocunq; ibat Spiritus, illuc pariter & rotæ gradiebantur 40.12
¶ Hoseæ 2. Desponsabo te mihi in fide 160.7
Et reddam ei deinde uineas suas, &c. 147.39
4 Vinum siue temulentia eripit cor 143.41
Ligauit spiritum in alis suis, & pudefient à sacrificijs suis 127.47
6 Et sciemus, sectabimurq; ad cognoscendum Dominum 202.44
Venite reuertamur ad Dominum, quoniam ipse discerpsit, & sanabit nos: percussit, & obligabit nos. 184.29
¶ Ionæ 2. Inuocaui ipsum ut esset adiutor meus 224.23
3 Adhuc intra 40 dies Niniue subuertetur 68.57
Ad hoc quoq; publicè edicto proclamarunt, ut neq; homines, neq; iumenta, neq; armẽta, neq; greges quicquam gustarent, &c. 236.40
4 Aitq; Dominus ad Ionã, Tu parci cupis Kikaion, &c. 225.8
¶ Nahum 1. Expectantibus Dominum in die tribulationis 221.15
Terra se proripit ex illius conspectu, aut facie 75.30
3 Propter multa probra meretricis, uenustæ & gratæ, &c. 127.40
¶ Habacuk 1. Cuncta hamo trahuntur, colligitq; in sagenam suam, & in rete suum cõuertit, & ob id gaudet & exultat 120.21
2 Ecce arrogantis & fastuosi animus non est in sese rectus, iustus autem, &c. 110.44
Hanc ob causam lapis ex pariete clamabit, &c. 58.42
Væ ei qui potum præbet proximo suo, qui adhibes furorem ut inebries eum 136.59
Iustus ex fide sua uiuet 159.48
3 In lumine iacula tua ibunt, in splendore fulgoris armorum tuorum 228.19
¶ Micheæ 6. Indicabo tibi ô homo, quid sit bonũ, aut quid requirat Dominus à te: facere iudicium, &c. 197.24
¶ Malachiæ 2. Labia sacerdotis custodiunt scientiã, & legem requirunt de ore eius 211.47

¶ Matthæi 1. Hic est liber, &c. Iesu Christi 75.35
Priusquam enim congrederentur, inuenta est uterum habens, &c. 59.15
Ibidem: Et non cognouit eam, donec, &c. ibid.22
Ipse enim saluabit populum suum à peccatis 75.50
Donec peperit filium suum primogenitum 75.47
2 Ex te enim proditurus est mihi dux, qui pascet populum meum Israel 97.37
3 Et multi baptizabantur ab eo, scilicet Iohanne 277.3
Et facite fructus pœnitentia dignos 166.12
Et repurgabit aream suam 200.25
Et descendens Spiritus S. in specie columbæ, &c. 106.1
4 Quoniam angelis suis mandauit de te, &c. 556.12
5 Non ueni soluere legem, sed implere 148.56
Si scandalizat te oculus tuus dexter, &c. 237.17
6 Nesciat sinistra tua quid faciat dextra 64.17
Orantes ne sitis multiloqui 175.15
Panem nostrum quotidianum, &c. 172.13
Lucerna corporis tui est oculus tuus 55.28
7 Omnia ergo quæcunq; uolueritis ut homines uobis faciant, &c. 166.18
Hic similis est uiro sapienti, qui ædificat domum suam super petram, &c. 171.44.
8 Sequere me, & sine ut mortui sepeliant mortuos 171.3
10 Ne formidetis illos qui tantum corpus occidere possunt: sed magis metuite illum qui potest, &c. 257.10
Quisquis confitebitur coram hominibus, &c. 194.47 & inde
12 Cum autem immundus spiritus egressus est ex homine, &c. 121.55
Omne peccatum & conuicium remittetur hominibus, at cõuicium in spiritum non remittetur eis 133.36 & 143.1
13 Exijt seminator ad seminandum semen, &c. 201.54
At quod in spinas cecidit semen, hic est qui audit sermonem, & cura seculi huius, &c. 166.22
Multi enim reges & prophetæ cupiuerunt uidere, quæ uos uidetis, & audire quæ uos auditis, & non potuerunt 62.58
14 Et indoluit rex, attamen propter iusiurandum, &c. iussit dari caput Ioan. 174.24
15 Omnis plantatio quam non plantauit pater meus, eradicabitur 151.35
16 Et dabo tibi claues regni cœlorum 193.31
Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam 204.12 & 208.49
Et sequatur me 219.24
Donec uiderint filium hominis uenientem in gloria sua 254.10
17 Et assumptis tribus discipulis, &c. transformatus est coram illis 95.43
Qui habet fidem, potest dicere monti huic, Demigra hinc, &c. 161.1
18 Qui scandalizauerit unum de pusillis istis, &c. 237.9
Dico enim uobis, quòd angeli eorum in cœlis semper uident faciem patris mei qui est in cœlis 116.36
Oportet uenire scandala 237.42
Si fuerint alicui homini centum oues, & amiserit unã, nónne, &c. 202.9
Amen amen dico uobis, quæcunq; alligaueritis super terram, &c. 194.24 227.34
20 Calicem quidem meum bibetis
22 Ligatis manibus & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores, ubi est fletus & stridor dentium 171.27 & 254.2
Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob. 59.43
Date Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt 242.31
Dilige Dominũ, &c. hoc est primum & summũ mandatum, &c. 169.27
23 Vsq; ad Zachariam filium Barrachiæ, &c. 533.36
24 Cum ergo uideritis abominationem desolationis, quæ prædicta est à Daniele 229.54 171.52
25 Non noui uos
26 Cum autem Iesus esset in Bethania, in domo Symonis leprosi 166.28 196.15
Hoc est corpus meum
Percutiet Dominus pastorem, & dispergentur oues 66.56 59.50
Reconde gladium
28 Omnia mihi tradita sunt à patre, &c. 98.7 & 100.48
Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. 216.4 & 187.32 & 188.1
¶ Marci 1. Et descendit super illum Spiritus in specie columbæ 189.14 59.59
Resipiscite, & credite Euangelio
Et obstupuerunt omnes, ita ut conquirerent inter se, &c. 214.16 35.59
4 Aliud quidem cecidit in uiam, &c.
5 Egressoq; ei de naui statim occurrit homo spiritu obnoxius immundo, &c. 118.18
6 Et congregantur apostoli ad Iesum, & renunciarum ei omnia 214.4 214.10
9 Habete in uobis ipsis salem
Hoc genus nulla re potest exire, nisi per orationem & ieiunium 175.52 251.26
Tunc uidebunt filium hominis, &c.
10 Nam omnia possibilia sunt apud Deum 134.22
Primi erunt ultimi, & utimi primi 224.3
Et assumptis Iesus iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ ei euentura essent 95.51
Sinite paruulos uenire ad me: talium enim est regnum cœlorum 188.28

11 Quicquid petieritis in oratione uestra, credite quòd accipietis,& dabitur uobis 161.10
12. Cum enim à mortuis resurrexerint, neq; matrimonium contrahent, neq; nuptum dabuntur 245.34.
Hoc est primum & magnum mandatum, secundum ue rò simile huic,&c. 168.48
13 Et tunc mittet angelos suos,&c. 75.58
14 Et cùm hymnũ dixissent, seu gratias egissent,&c. 219.27
Sedete hic paululum, donec digressus orauero. 177.7
At Petrus cœpit execrari, ac deierare, non noui istum de quo mihi dicitis 133.24
¶ Lucæ 1. Vinum & siceram non bibet 66.58
Ipse conuertet corda patrum in filios 67.8
Benedicta tu in mulieribus,& benedictus,&c. 56.57
2 Et pastores erant in regione eadem uigilantes, & excubias agentes nocte super gregem suum,&c. 212.24
4 Tunc ductus est Iesus in desertum, ut tentaretur à diabolo 192.9
5 Præceptor per totam noctem laborantes nihil cæpimus 35.50
Ne metuas, quia posthac homines capies 213.47
6 Factum est autem illis diebus,& exijt in montem ad orandum 175.57
7 Et factum est deinceps, ut iret in ciuitatem quæ uocatur Naim 214.35
Vade in pace 60.26
8 Quid mihi tecum rei est Iesu fili Dei altissimi? Obsecro te,&c. 113.27
Et tetigit fimbriam uestimenti eius, & confestim sistebatur fluxus sanguinis eius 161.22
9 Domine, permitte mihi patrem sepelire meum 60.28
Egressi autem (discipuli) per castella circuibant, euangelizantes & curantes 217.53
10 Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem 118.6
Homo quidam descendebat de Hierusalem in Hiericho 156.28
Recte dixisti, tu ergo fac simile 172.30
11 Et ne inducas nos in tentationem 219.21
Quis ex uobis pater, à quo si filius petierit panem, nũ lapidem dabit ipsi? &c. 177.7
Quòd si per digitum Dei eijcio dæmonia,&c. 102.40
Beatus uenter qui te portauit,& ubera quæ suxisti. 82.32
12 Quisquis confitebitur in me,&c. 132.42
Nónne duo passeres minuto asse ueneunt? &c. 225.14
Nihil occultum, quod non reuelabitur 254.15
Cauete uobis à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis 143.37
Cui datum est multum, ab eo requiretur multum,&c. 214.41
Quòd si dixerit seruus ille in corde suo, Differt dominus reditum, cœperitq;,&c. 256.6
Cùm enim uadis cum aduersario tuo,&c. ne fortè pertrahat te ad iudicem,&c. 256.9 & 257.17
13 Ecce anni tres sunt, ex quo uenio quærens fructum in ficu hac,& non inuenio 144.38
Regnum Dei simile est grano sinapis 153.24.
Verumtamen oportet me hodie & cras & proximo die ambulare,&c. 97.57
Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis,&c. eratq; contracta,&c. 119.35
14 Homo quidam apparauerat cœnam magnam 201.44
Exi citò in plateas & uicos ciuitatis,&c. ibid.47
Et hora cœnæ misit seruum suum,&c. 81.29
Ite in uias & sepes 134.30
Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest esse discipulus meus 67.33
Qui habet aures ad audiendum, audiat 60.56
15 Et inuentam ouem in humeros recipit,&c. 92.21
Quæ mulier habens decem drachmas,&c. 137.13
Et cupiebat implere uentrem suum de siliquis,&c. 134.43
Proferte stolam primam, & induite illum 115.54
Et date annulum in manum eius 189.50
Et adducite uitulum illum saginatum,& mactate 189.54 & 78.19
16 Erat diues quidam qui habebat dispensatorem iniquum,&c. 57.27 & 128.18
Erat diues qui induebatur purpura & bysso,&c. 523.51
Et portatus est ab angelis in sinum Abrahæ 257.56
17 Nam sicut fulgur corruscans è regione quæ sub cœlo est, ita erit filius hominis in die suo 254.19
18 Nemo bonus, nisi solus Deus 68.54
Veruntamen filius hominis cum uenerit, an reperturus est fidem in terra? 176.22
19 Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus,& si quid aliquem fraudaui,&c. 166.46
Amen dico uobis, si conticuerint, lapides clamabunt. 58.42
Vocatis autem seruis suis decem, dedit eis decem minas,& ait ad illos: Negociemini,&c. 127.4
20 Date igitur Cæsari quæ sunt Cæsaris,&c. 124.31
22 In hac nocte uos omnes scandalum in me patiemini 65.12
Tu ergo cum conuersus fueris, confirma fratres 166.51
Quod pro uobis datur,& effunditur 197.
Abba pater, si possibile est,&c. 66.30
23 Et cum abducerent illum, inuenerunt Symonem quendam,&c. & imposuerunt illi crucẽ 214.54

Amen dico tibi, hodie eris mecum in paradiso 260.50

Pater, in manus tuos commendo spiritum meum 123.49

24 Qui potēs fuit in sermone & opere, & omni populo 166.58

Comedit Christus post resurrectionem 100.21 & ibid. 33

¶ Iohannis 1. In principio erat, &c. 61.1 & 76.11

Et uerbum erat apud Deum 57.47 & 61.5

Omnia per ipsum facta sunt 57.56

In ipso uita erat 111.50

Illuminans omnem hominem, &c. 124.50 & 146.9

In sua uenit, & sui ipsum non receperunt 69.49

Mundus per eum factus est, & ipse non cognouit eum. 61.14

Deum nemo uidit unquam 61.21

Et uerbum caro factum est, habitauitq; inter nos, &c. 81.40

Et uidimus gloriam eius 94.46

Velut unigeniti à patre 79.27

Per Christum autem gratia & ueritas contigit 37.48

Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi 76.31

Cui non sum dignus calceamenti corrigia soluere. ibid. 38

Dedit potestatem filios Dei fieri, omnibus qui credide runt in nomine eius 162.47

Qui non ex sanguinibus, &c. sed ex Deo nati sunt. 186.33

2 Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ 177.27

Et reperit in templo eos qui uendunt boues & oues, &c. 218.8

Ipse enim sciebat quid esset in homine 69.19

3 Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, &c. 99.8 & 122.37 & 185.30. 44

Quicquid ex spiritu natum est, spiritus est 191.39

Vt filium suum unigenitum daret 92.59

Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam 161.42

Qui credit in filium, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est 61.54 & 165.38

Qui credit in eum, habet uitam æternam 154.6

Quamuis Iesus non ipse baptisaret, sed discipuli eius 186.4

Non enim ad mensuram huic dat Deus spiritum 103.19

5 Ne posthac pecces 125.30

Pater usq; modò operatur 108.17

Non potest filius à seipso facere aliquid, &c. 98.21

Scrutamini Scripturas 64.10

6 Operemini cibum qui non perit, sed qui permanet in uitam æternam 62.13

Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, &c. 161.46

Hunc enim pater consignauit, &c. 80.22

Et resuscitem illum in nouissimo die 246.49 & 250.6

Qui edit & bibit carnem & sanguinem meum, in me manet, & ego in ipso 195.9

Nisi comederitis carnem filij hominis, non habebitis uitam 196.30 272.43

Nemo uenit ad me, nisi, &c. 164.54

7 Qui credit in me, sicut dicit Scriptura 101.23

Nunquam sic locutus est homo, ut hic 93.1

8 Cum exaltaueritis filium hominis 97.1

Nónne rectè dicimus, quòd Samaritanus es, & dæmonium habes? Respondet Iesus: Ego dæmonium non habeo, &c. 97.43 221.

Iesus autem abscondit se, & exiuit è templo 222.22

Deus enim peccatores non exaudit 62.42

10 Qui intrat per ostium, pastor est ouium 42.9

Ego sum pastor bonus 180.24

Mercenarius autem, qui non est pastor, & cuius oues non sunt propriæ 218.31. & inde. 117.10

Et lupus rapit, & dispergit oues 242.

11 Lazarus noster frater obdormiuit, &c. 241.36 49

Domine, iam fœtet 177.32

13 Exemplum dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, &c. 169.3

In hoc omnes scient, quòd uos estis discipuli mei, &c.

14 Amen amen dico uobis, si quis credit in me, opera quæ ego facio, faciet, & his maiora, &c. 179.35

Et ueniemus ad ipsum, & mansionem apud eum faciemus 108.43

Quodcũq; petieritis in nomine meo, hoc faciam 176.52

Et alium paracletum mittet uobis 102.34

Pacem do uobis, &c. non quomodo mundus dat, &c. 95.24 121.18

Venit princeps huius mundi 201.59

15 Ego sum uitis, uos estis palmites 112.16

Non uos me elegistis, sed ego elegi uos 133.5

Cum autem uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre, &c. 105.5 & 105.56

Spiritus ueritatis, &c. 102.55 & 103.7

Qui procedit à patre

16 Quia de meo accipiet, et annunciabit uobis. 102.44

Nec dico uobis quòd rogaturus sim patrem pro uobis, &c. 96.16

Et iam uos mundi estis propter sermonem quem locutus sum uobis 186.69

17 Et pro eis sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati 198.12 91.6

Volo ut ubi ego sum, &c.

20 Accipite spiritum. S. Quorum remiseritis peccata, &c. 105.38 201.5

21 Pasce oues meas

Mittite in dexteram partem nauigij rete, & inuenietis 204.5

Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, &c. 269.38

¶ Acts

¶ Act.1. Hic Iesus qui assumptus est à uobis in cœlũ, sic ueniet, &c. 251.46
¶ Roman. 1. Segregatus in Euangelium Dei 152.
47
Quod antè promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis 38.8
Per quem accepimus gratiam & apostolatum, &c. 63.4
Gratias ago Deo meo pro omnibus uobis, quòd fides uestra, &c. 179.40
Licet præpeditus sim ad hunc usque diem 178.
33
Quantum enim in me est, paratus sum & uobis, qui Romæ estis, euangelizare 217.58
In Euangelio patefit iustitia Dei, quæ est ex fide in fidem 154.55
Aduersus omnem impietatem & iniusticiam 142.
51
Si quidem inuisibilia illius, &c. 69.37
Superbi, alieni à charitatis affectu 143.48
2 Secundum duriciam autem tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram, &c. 182.4
3 Quæcunq; lex dicit, ijs qui in lege sunt dicit 144.
14
Vbi igitur nunc gloriatio tua 148.27
Quid igitur irritam facimus legem 159.57
5 In Adam omnes peccauerunt 136.33
Imò regnauit mors ab Adam usq; ad Mosen, in eos quoque, &c. 244.11
Peccatum regnabat tantisper, dum lex Mosæ daretur 149.41
Qui (Adam scilicet) typum gerit futuri, subaudi Christi 501.21
6 Et deinceps non moritur amplius 247.9
Nam finis illorum mors 138.16
7 Porrò ueniente mandato, &c. 151.3
Nam citra legem peccatum est mortuum 145.
51
Quid igitur dicemus, Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per legem 147.2
Sed uideo in membris meis, &c. & captiuum me reddentem legi peccati 126.34 & 134.32
Non enim quod uolo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum 122.44
Gratias ago Deo per Iesum Christum 149.12
8 Christus missus est à patre in similitudinem carnis peccati 82.8
Vos autem non estis in carne, sed in spiritu 190.
13
Quotquot spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei 192.
31
Vt destruat corpus peccati, &c. 55.28
Quòd si spiritus eius, &c. habitat in uobis, &c. uiuificabit & mortalia corpora uestra 247.53
Siquidem reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis ad gloriam, &c. 226.35 & 261.
21
Quos præde finierat, eosdem & uocauit: & quos uocauit, eosdem & iustificauit, &c. 160.55 & 113.
20 & ibid.49
Si Deus pro nobis, quis contra nos? 225.38
Sicut scriptum est, Tota die occidimur, uelut mactationis oues reputati 225.42
Verùm in his omnibus superamur, per eum qui dilexit nos 226.28
9 Optarim enim ego ipse anathema esse à Christo 193.59
Promissionis enim hic sermo est, In tempore hoc ueniã, & erit Saræ filius 189.13
Non habet figulus potestatem ex eadem massa, facere aliud quidem uas in honorẽ, aliud in ignominiã? 273.4
10 Moses enim scribit de iusticia quæ est ex lege, quòd qui fecerit ea, uiuet per illa 155.14
11 Si quo modo prouocem ad æmulandum carnem meam 65.6
Quis prior dedit illi, ut retribuatur ei? 68.34.
12 Sed transformemini per renouationem mentis uestræ 35.34.
Sacrificantes uosmetipsos Deo 197.46
Hostiam uiuentem, sanctam, acceptam Deo, rationalẽ cultum uestrum 199.20
Si quis functionem quampiam nactus, in ea functione perseueret 216.44.
Siue prophetiam iuxta analogiam fidei 164.42
13 Omnis anima potestatibus subdita sit 153.
12
Non enim est potestas nisi à Deo 241.9 est enim magistratus, minister Dei, tibi in bonum. ibid.34 ultor in iram, ei qui malum operatur. ibid.42
Necesse est ergo obedire non tantum propter iram, uerumetiam propter conscientiam 242.34.
Propter hoc enim & uectigalia soluitis 241.58
Qui proximum diligit, totam legem implet 172.
36
Dilige proximum, &c. 152.15
Illud autem dico, Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis pro ueritate Dei, ad cõfirmandas, &c. 149.22
¶ 1. Corinth. 1. Nõ enim misit me Christus ut baptizarem, sed ut euangelium annunciarem 215.2
2 Animalis homo non percipit ea quæ sunt Dei 122.54
5 Expurgate itaq; uetus fermentum, ut sitis noua conspersio 39.21
7 Bonum est homini non attingere uxorem, sed propter fornicationem uitandam, &c. 237.57
Vxor enim non habet potestatem sui corporis, nec uir, &c. 279.8
In Christo Iesu neq; Iudæus neq; Græcus est, neq; ulla differentia 205.51
9 Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? &c. 237.29
10 Petra autem erat Christus 55.18
Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? 195.31
Poculum benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? 196.26
Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus 195.
24

Non enim permittit nos tentari supra quàm sufferre possimus 223.54
11 Adiunxi enim uos uni uiro, ut castam exhiberetis uirginem Christo 204.27
Propter hoc multi inter uos imbecilles & inualidi, & multi dormiunt 185.5
Quando autem iudicamur, à Domino corripimur, nc, &c. 225.55 & 135.17
13 Si linguis angelorum loquar, &c. 116.11
Et si habeam prophetiam, & nouerim mysteria omnia, &c. 37.60
15 Si Christus prædicatur resurrexisse à mortuis, quo modo dicunt quidam inter uos, resurrectionem non esse? 247.19
Quòd si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit 245.46. & inde
Seminatur corpus animale, resurgit spirituale 248. 57
Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, &c. 249.11
Stella à stella differt claritate, sic & resurrectio mortuorum 258.51
Non quidem omnes morientur, omnes tamen immutabuntur 245.54
Primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, in aduentu ipsius 248.2
¶ 2. Corinth. 1. Cum sciamus, quòd quemadmodum participes estis afflictionum, sic futuri fitis & consolationis 226.2
3 Ad eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam 190.17
Lex est ministerium mortis, Euangelium uerò est ministerium spiritus 154.30
Non uersantes per astuciam, neq; dolo tractantes uerbum Dei 34.24
In quibus Deus huius seculi excæcauit, &c. 69. 44
Habemus thesaurum hunc in testaceis uasis, ut uirtutis eminentia sit ex Deo, &c. 226.14. & inde
Propterea non defatigamur, sed quamuis externus homo noster corrumpitur, &c. 226.39
5 Porrò etiamsi cognouimus Christum secundũ carnem, nunc tamen non amplius nouimus 82.13
Vt nos efficeremur iustitia Dei per illum 155.18
6 In castigationibus multis 218.46
12 Noui hominem, &c. raptum in tertium usq; cœlum 263.34
Super hoc ter rogaui Dominum, ut discederet, &c. 220.24
¶ Galat. 1. Sed per Iesum Christum 77.1
Si uel angelus uel nos prædicemus uobis aliud Euangelium, &c. 58.36
2 Viuo tamen iam non ego, sed uiuit in me Christus. 132.59
3 Quòd autem ex lege nullus iustificetur corã Deo, palàm est: siquidem iustus ex fide uiuet 160. 31
Lex enim pædagogus noster ad Christum 147. 20
Nam si data esset lex quæ uiuificare posset, uerè ex lege esset iustitia 148.18
Mediator autem, siue intercessor unius non est, &c. 96.38
Sed conclusit Scriptura omnia sub peccatum, &c. 147.5
4 At ubi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum, natum ex muliere, &c. 82.46 & 135. 12
Bonum est æmulari semper, sed in re bona, &c. 174. 12
5 Porrò carnis opera hæc sunt 168.18
Spiritu ambulate, & carnis desideria non perficietis. 67.13
¶ Ephes. 1. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui, &c. 179.42
2 Iuxta principem, cui potestas est aeris, &c. 118. 18
Conditi enim sumus ad bona opera in Christo Iesu. 130.42 & 167.9
Superstructi super fundamentum prophetarum & apostolorum summo angulari lapide ipso Iesu Christo 205.28
4 Vnus Dominus, una fides, unum baptisma 70.4 & 72.3
Qui iuxta Deum conditus est per iusticiam & sanctitatem, &c. 164.4
Quapropter depositio mendacio loquamini ueritatẽ, &c. 167.39 117.51
Nolite locum dare diabolo 238. 44 et
5 Vxores subditæ estote maritis uestris 240.10
Viri diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, &c. 239.27 sicut seipsum. ibid. 41. & inde 239.19
Sicut & Christus seruator, &c. 202.50. & inde
Quemadmodum et Christus caput est Ecclesiæ, & ille est qui salutem dat corpori 63.29
Seruite, seu obedite eis tanquam Domino 175.35
6 Super omnia uerò assumite scutum fidei, quò possitis omnia iacula ignita mali illius extinguere. 162.1
In omni deprecatione & obsecratione, orantes in omni tempore, in spiritu, &c. 173.1
¶ Philip. 2. Ne sua quisq; specletis 63.18
Vt flectatur ipsi omne genu, &c. 226.50
3 Qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat, &c. 159.12
¶ Coloss. 1. Iis qui sunt Colossis, sanctis ac fidelibus fratribus in Christo 178.40
Non desinimus pro uobis orare 171.58
Vt per omnia placeatis Deo, in omni opere bono fructificantes 80.27 77.8
Qui est imago Dei inconspicuè
Qui est primogenitus uniuersæ creaturæ
Qui est antè omnem creaturã, siue primogenitus uniuersæ creaturæ 79.27
De quæ antè audieritis per Euangelium ueritatis. 152.44
2 Videte ne quis sit qui uos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem 119.50

Quoniam in illo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter 87.22
Qui excitauit illum à mortuis 94.18
Ex quo totum corpus per commissuras & compagines subministratum & compactum, augescit augmento Dei 202.13
Vt cõsolationem accipiant corda illorum, cum fuerint compacti in charitate 205.3
3 Quando Christus manifestatus fuerit, uita nostra, tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria 254.40
Sitis igitur induti tanquam electi Dei beneficentiam, modestiam, mansuetudinem, longanimitatem 173. 11
4 In oratione perseuerate, uigilantes in ea, &c. 178.44
¶ 1. Thess. 1. Quem excitauit à mortuis Iesum, qui liberat nos à uentura ira 226.57
4 Ne quis opprimat ac circumueniat in negocio fratrem suum 239.54
Quoniam ipse Dominus cum hortatu, &c. 248. 22
Quoniam ipse Dominus cum hortatu & uoce archangeli, ac tuba Dei descendet de cœlo 252.13
5 Cum enim dixerint, Pax & securitas, &c. 244. 28
Sicut dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient 139.1
Spiritum ne extinguite 106.32
¶ 2. Thess. 1. Patientiam perfectam in persecutionibus in uobis faciet 221.9
2 Quoniam non adueniet Dominus, nisi prius uenerit defectio, & reuelatus fuerit homo ille, &c. 229. 55 & 230.40 & inde & 234.31 & 235.30 & inde
Ipse uerò Dominus, &c. qui dedit spem bonam per gratiam, consoletur corda uestra 227.7
3 Iis autem qui sunt istiusmodi præcipimus, ut cum quiete operantes, suum ipsorum panem edant. 126.60
¶ 1. Timoth. 1. Gratia & misericordia, & pax, à Deo patre & Christo Iesu Domino nostro 108.36
Fidelis sermo, &c. quòd filius Dei uenit in hunc mundum peccatores saluos facere 93.41
Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli sapienti Deo, honor, &c. 101.13
2 Adhortor itaq; ut ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, &c. 174.33
Pro regibus & omnibus in eminentia constitutis 177. 33
Vnus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus. 95.57
Mulieri docere non permitto 63.9
Non enim Adam deceptus est, sed mulier 64. 22
3 Qui episcopatum desiderat, &c. 209.48
Episcopus sit unius uxoris maritus 210.38
Quæ (ecclesia uidelicet) columna est ueritatis 207. 44
Deus manifestatus est, &c. iustificatus in spiritu. 78.24
4 Prohibentium contrahere matrimonium 238. 30
Sanctificatur enim per sermonem Dei, & gratiarum actionem 179.52
5 Porrò qui benè præsunt, duplici honore digni habeantur, &c. 216.60
6 Tu uerò homo Dei, &c. 163.26
Recondentes sibi ipsis fundamentum bonum in posterum 274.28
¶ 2. Timoth. 1. Nõ enim dedit nobis Deus spiritum timiditatis, &c. 107.16
3 Omnes qui uolunt piè uiuere in Christo Iesu, persecutionem patientur 219.6
¶ ad Titum 1. Oportet enim episcopum inculpatum esse, &c. 210.55 & inde
Non superbus 211.16
Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ 49.7
Non attendentes Iudaicis fabulis 40.53
2 Sobriè, piè & iustè uiuamus in præsenti seculo. 165.58 & 166.5
3 Seruauit nos nõ ex operibus iusticiæ, quæ fecimus nos, &c. 158.54.
Per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus 199.39
¶ Hebr. 1. Per seipsum purgatione facta peccatorum nostrorum 92.30 & 190.46
Consedit in dextera maiestatis in excelsis 94.38 & 95.4
Et splendor gloriæ eius 76.42 character 78.39
Portans omnia uerbo potentiæ suæ. ibid. 48
Qui facit angelos suos spiritus 114.17
Cœli peribunt, tu autem permanes, & omnes ut uestimentum ueterascent, & mutabuntur 245.17
2 Etenim si is qui per angelos dictus fuerat sermo, &c. quæ cùm primùm enarrari cœpererit per ipsum Dominum, ab ijs qui audierant, &c. 153.3
Donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum 237.16
Non enim angelos assumit, sed semen Abrahæ. 82.1.
Et eum qui mortis habebat imperium 136.44.
Vt per gratiam Dei pro omnibus mortem gustaret. 158.14
Nam ex eo quòd ipsi contigit tentatum esse, potest & ijs qui tentantur succurrere 222.60
3 Videmus, & apertè cernimus, quòd inobedientes & infideles non sunt ingressi 142.35
Hodie si audieritis uocem eius, ne obduretis corda uestra 36.3
5 Qui in diebus carnis suæ, cum & precationes & supplicationes apud illum, qui poterat ipsum à morte seruare, cum ualido clamore & lachrymis obtulisset, &c. 94.10
Ita & Christus non semetipsum glorificauit, ut fieret pontifex: sed is qui dixerat illi, &c. 92.43
Qui placabilis esse posit ignorantibus & errantibus. 136.51
6 Non rursus fundamentum iacientes, &c. baptismatum 187.46

Impossibile est, eos qui semel fuerunt illuminati, &c. ab integro crucifigentes filium Dei sibijpsis, & ludibrio exponentes 190.60

7 Testificatur enim ad hunc modum, Tu es sacerdos secundum ordinem Meschisedeck, &c. 97.3

Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, &c. 97.18

9 Et ob id noui Testamenti conciliator factus est, ut morte intercedente, ad redemptionem earum præuaricationum, &c. 91.51

Illud significante Spiritu sancto, nõdum manifestatam esse sanctorum uiam, &c. usq; ad tempus correctionis 198.3

Obumbrantia propitiatorium ibid.20

Pontifex noster cum sanguine tabernaculum intrauit. 90.31 & 35

Et quatenus illud manet omnes homines, &c. ita & Christus semel oblatus est, ut multorum peccata tolleret 258.2

10 His hostijs quas singulis annis easdem continenter offerunt, &c. 198.36

Cumq; habeamus sacerdotem magnum, præfectum domui Dei, &c. 78.8

Si quis legem Mosæ reiecisset, coram duobus aut tribus testibus moriebatur 64.38

Atqui in ipsis commemoratio fit peccatorum quotannis 199.7

Sin autem subtraxerit se iustus, non habet oblectationẽ in ipso anima mea 159.42

Abluti corpore aqua munda 186.56

11 Est autem fides earum rerum quæ sperantur, substantia, &c. 164.19

Fide intelligimus consummata esse secula 164.26

Accedentem ad Deum, oportet credere esse Deum, & esse remuneratorem, &c. 171.40

12 Quem enim diligit Dominus, corripit 219.52

13 Parete ijs qui præsunt uobis, &c. ut cum gaudio hoc faciant, non gementes 217.8

Deus autem pacis, &c. absolutos uos reddat in omni opere bono, ad faciendum uoluntatem ipsius, &c. 168.17

¶ 1. Petr. 1. Qui regenuit nos in spem uiuam, per hoc quòd resurrexit è mortuis 93.21

2 Deposita ergo omni simulatione, detractione & blasphemia, &c. 66.39

Vos autem estis regale sacerdotium, gens sancta, &c. 200.36

Ipsi quoq; ueluti uiui lapides ædificamini domus spiritualis, &c. ibid.60

Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, &c. 93.16

Offerentes Deo per ipsum hostias spirituales 174.47

Aedificamini in domum spiritu alem 206.17

3 Sanctificantes Dominum in cordibus uestris 66.48 & 100.2

Per resurrectionem Iesu Christi, qui est ad dexterã patris 191.30

4 Et uigilantes ad orandum 175.2

5 Scientes easdem adflictiones fraternitati uestræ, quæ in mundo est, confieri 219.33

¶ 2. Pet. 1. Non uoluntate humana allata est olim prophetia, &c. 40.12

¶ 1. Iohan. 1. Si tamẽ confessi fuerimus peccata nostra, purgabit nos ab omni iniquitate 141.16

2 Non mandatum nouum do uobis, sed uetus, &c. 56.4

3 Nos scimus, quòd translati sumus de morte ad uitam 243.58

4 In hoc apparuit gratia Dei, non quòd nos, &c. 158.21

Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foràs eijcit timorem 151.49 & 152.2

¶ Apoc. 1. Qui lauit nos à peccatis per sanguinem ipsius 192.14

Ego sum α & ω 75.17

Ecce uenit cum nubibus 252.5. & ibid.45

Omnis oculus eum uidebit 248.40

Et conuersus uidi septem candelabra aurea 222.

13 231.36

Et pedes eius similes aurichalco 207.28

Et habeo claues inferorum & mortis 251.

Et plangent se super eum omnes tribus terræ 17

2 Sed hoc habeo aduersus te, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam 211.55 114.3

Et dabo illi astra matutina

3 Constantiam seu patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti 221.29

Ego seruabo te ab hora tentationis quæ uentura est. 231.44 222.36

Ego, quos amo, castigo

Qui uicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, &c. 222.44 & inde

4 Sedet, uel sedebit Ecclesia, iudicans duodecim tribus Israel 251.39

Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas in circuitu 144.24

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum 207.6

5 Et uidi in dextera sedentis super thronum, librum scriptum intus & foris 38.17 & 154.2

Et uidi angelũ fortem prædicantem uoce magna, Quis est dignus aperire librum, &c. 115.22 89.50

Dignus es agnus, &c. quia occisus es 89.57

6 Et uidi, cum aperuisset sigillum, &c. 176.42

8 Et data sunt illi incensa, ut daret deprecationibus sanctorum 73.55

10 Et uidi alium angelum fortem, &c. 111.55

Et iris in capite eius

11 Et reddas mercedem seruis tuis prophetis & sanctis, & timentibus nomen tuum, &c. 172.8 207.15

Et apertum est templum Dei 90.14

Vbi & Dominus noster crucifixus est

Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui uenturus es 250.48 208.

12 Michael & angeli eius præliabantur 25 205.

Et in capite eius corona stellarum duodecim 43

15 Et

13 Et uidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, &c. 231.19 & inde.
14 Et misit angelus falcem suam acutam in terram, & uindemiauit uineam, & misit in lacum, &c. 291.12
Quorum non sunt scripta nomina in libro uitæ agni. 112.34 & inde
Et uidi, & ecce agnus stans super montem Zion 74. 4 & 208.35
Et cruciabitur igne & sulphure in conspectu sanctorum angelorum, &c. 261.26
15 Et ecce draco magnus, rufus 116.36
Et uidi angelos VII, habentes plagas septem nouissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei 135. 40
Vestiti lapide mundo 74.8
Magna & mirabilia sunt opera tua, &c. 80.53 & 210.32
16 Et æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Dei, &c. 141.52
18 Et clamauerunt, uidentes fumum in cœno eius, &c. 174.28
19 Et uidi cœlum apertum, & ecce equus albus, etc. 207.48
Et uidi bestiam, & reges terræ, & exercitus eorum cõgregatos, ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, & cum exercitu eius 119.11
Vocabitur fidelis, & uerax, & iusticiam iudicat 132. 55
Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia nuptiæ uenerunt agni, & uxor eius præparauit se. 158.37
21 Et ego Iohannes uidi sanctam ciuitatem Hierosolymam, descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam uiro suo 200.3
Et uenit ad me unus de septem angelis, &c. 217. 54
Ecce habitaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis 255.46
Nolite me considerare, quia fusca sum: decolorauit enim me sol 223.37
Ego sum α & ω, initium & finis 74.52 & 75.5
22 Et qui iustus est, iustificetur adhuc: & qui sanctus est, sanctificetur adhuc 171.9
Qui nocet, noceat adhuc: & qui sordidus est, sordescat adhuc 181.14
Dicit qui testimonium perhibet istorum, Etiam uenio citò 270.19

LOCORVM SCRIPTVRÆ

FINIS.

# RERVM ET VERBORVM IN DECIMA ECCLESIASTICAE HISTORIAE CENturia præcipuè memorabilium INDEX.


AET ω, Christus uocatus 72.57
Aaron ueri pōtificis Christi typus 91.12 & 95.57 uitulū pro peccatis octauo die offerrēs, quid mysticè figuret 247.47 per eius filios domiuicæ oblationes cur adferri iussæ 170.48
abbatiæ, à politicis gubernatoribus auariciæ studio regendæ, susceptæ 350.42
abbas Capuanorū à suis nepharie captus, atq; oculis priuatus 563.1
abbati Cassinensi oculi eruti 576.5
abbates unde electi 350.17 nōnulli non unius tantum, sed pluriū monasteriorum inspectores 350.5 à monachis delecti 351.3 à pontificibus. ibid.14 à regibus & imperatoribus. ibid.21 ab omnibus simul. ibid.53

ABBATES.

Augienses 661.53
Bertinici 670.46
Britanniæ 670.58
Campidonenses 662.19
Cassinenses 643.50
Cluniacenses 648.45
Corbeienses 669.32
Elwangenses 662.5
Epternacenses 663.41
Fabarienses 663.18
Flandri 673.45
Floriacenses 649.58
Fuldenses 653.54
Galliæ 648.23
Gandenses 674.11
Gemblacenses 668.29
Gemetenses 651.40
Germaniæ 653.52
Gladbachenses 669.19
Hirsaugienses 665.19
Italiæ 643.50
Luneburgenses 670.1
Mogūtini 668.13
Senonenses 653.40
Treuirenses 659.45
Vtenburrhani 664.30
Vuirtzburgenses 661.22

abbatū quod fuerit munus 352.9 et inde. de corū electione schisma. 429.6
abbatib. ab episcopo ad principē et cōciliū prouocare licuisse 354.22
abbatibus & monachis hoc seculo quid commune fuerit 353.1
abbatibus de bonis sui cœnobij pro suo arbitrio perdere non licuisse 354.41
abbatissæ Augustanæ 676.18 Gandersheimenses 675.4 hoc tempore uirginum cœtibus præfuerunt 353.38
Abbo, seu Albo, apud Floriacenses abbas 29.19 & 649.59
ablata à politicis magistratibus restituta 416.19
Abraham pater noster prius per fidem quam per circumcisionē placuit 159.22
Abraham Fruxinensis episcopus. 584.17
de Absolutione 193.38
abyssus in sacro eloquio 51.5
ad Accusationem qui nō admitti debeant. Adrianus papa 481.39 et Anacletus papa 482.20
de Accusatoribus & accusationibus aduersus episcopos, Stephani papæ decretum 480.10
acies hominum flagrantium, mutuisq; cædibus in se sæuientiū, in aere uisæ 679.32 & 684.1
Adam nomen 101.50
Adam figura Christi. ibid.44 quo modo initio creatus 128.60 tribus principaliter tentationibus à serpente in paradiso tentatus & superatus 137.18
Adam & Christus per contentionē inter se conferuntur 155.22
Adam causa peccati, Gis. 135.51 & mortis 244.12 quomodo simili tudo Christi 201.21
in Adā omnes peccauerūt 136.33
Adamarus, qui & Haymardus, 11 Cluniacensis monasterij abbas. 649.17
Adalgerus presbyter in Cōcilio Remensi 515.15
Adaluardus & Stephanus 29.22
Adelbertus Clingensis abbatiæ administrator 670.27 Pragensis episcopus 17.37 & 18.21 & 26.34 Iporegiæ ciuitatis marchio, defector 375.33 apud Augustanos antistes 602.22
Adelbertus, Ercanberti, in abbatia Vuirtzburgēsi successor 661.39
Magdeburgēsis episcopus 617.9
Adelbertus, siue Albertus 11 Bohemorum episcopus 629.51
Adelbertus Lobiensis cœnobij monachus, scholæq; rector 668.45
XXII Cassinensis cœnobij rector 644.37
Adelbero S. Ferrucij abbas 668.36
Mediomatricū episcopus 571.54
alius Adelbero 573.9
Adelgagus archiepiscopus Hamburgensis Otthonis regis cācellarius 391.34 Hamburgensis episcopus 612.6
Adelgerus presbyter anathematizatus 469.5
Adelhardus Hirsaugiensis cœnobij monachus 667.19 (646.15
Adenulphus Aquinēsium princeps.
Adelricus Mesburg. abbas 670.40
Adelstanus rex 21.3 XXIIII Angliæ rex 421.45
Adolphus Bertiniani cœnobij abbas & comes 673.49
de Adolescentibus duobus miraculum 682.39
Adonai appellatio Dei 68.10
Adoualdus 14. Verdensis ecclesiæ episcopus 627.49
in Aduersis gaudendum & exultandum 223.18
adulterium hoc seculo magna seueritate punitum 365.17
in Adulterio perempti 537.42
contra Adulteros illustre exemplū. 721.34
Aegidius Tusculanus 549.33 (44
Aegypti fœdifragus princeps 722.
Aegyptiacarū plagarum aliquot, typica expositio 262.45
Aegyptiaca seruitus spiritualis, no stræ seruitutis typus 157.9
æquitatis diuinæ regula 182.32
de Aetatibus mundi 88.39
affectus praui unde 126.34
afflictio & angustia non est signū diuinæ iræ 225.42
per Africam ecclesiæ 10.1 Mahometismus 699.33
Agapitus secundus, Martini Rom. præsulis, successor 553.38
Agelmundus nobilis quidam de Vicalbo 421.25 (76.31
agnus Dei cur appelletur Christus.
Albericus Marsorum episcopus. 562.54
Alberici Maroziæ filij contra nitri cum suū Hugonem ad Romanos oratio

oratio
Albertus Bamburgensis 531.30
Adelbertus Bambergensis comes Cunrado orientalis Vlandri duci bellum infert 25.14
Aldeburgensis episcopatus ab Ottone nimium locupletatus 418. 31 701.51.
Aldenburgenses præsules 615.36
Alemania ab Vngaris horribiliter uastata 704.14 & ibid.34
Alexicus Argentinensis episcopus. 597.24
Alexãder apud Campidonenses primarius monachus 662.46
de Alexandro Cõstantinopolitano. 702.58
Alfredæ pœnitẽtia de commissa cæde priuigni Angliæ regis 423.18
Alfricus Cantuariensis archipræsul. 636.39
Aligernus præpositus, abbas expetitus, & constitutus 351.53
Aligernus Neapolitanus Casinensis cœnobij præpositus 645.34
Alisa Magni Vladriæ comitis, uxor sanitati restituta 689.17
Alma uox nusquam in Scripturis posita, ubi tantum adolescentulam, non uirginem sonet 694.58
Almericus Spirensis episcopus 597. 45
Alpharabius Arabs philosophoastronomus 677.9
Alphonsus defectionis suæ dat pœnas 12.35
Alphredus Excestriensis episcopus 638.53
in Althaim Synodus 431.35
ambitiosi 546.49 & 555.30 & 575.56
Ambrosius Ansbertus, Gallus apud Gemetenses monachus 651.59 eius opiniones 652.43
Amedeus miles, Berengarij profugi comes 374.43
Amelarius Metensium episcopus 571.26
Ammonius Floriacensis cœnobij præfectus 650.47
ad Amorem fraternum exhortatio 172.36
ex Amore mutuo amor erga Christum discitur 169.3
de Ampliatione ecclesiæ 20.2
Anastasius III. Rom. pontifex 527. 13
in D. Andreæ honorem Benedictinæ professionis monachorum cœnobium conditum 341.31
& 342.22
angelus cur Christus dicatur 73. 52 & 74.30
angelus ad Iohannẽ in Apocalypsi missus 46.33
angeli quid à Deo differant 116. 6 quando creati 114.15 ante passum Christũ à patribus adorati 271.42
angelorum officium. 11.21 linguæ 116.10 appellationes 114. 2 naturæ. ibid. 23 casus seu lapsus. ibid.37
angelos quis mittat 115.17 esse creatos 114.7 immortales. ibid.11
pro Angelis Christus non est mortuus 90.39
de Angelis bonis, quid hoc tempore doctores prodiderunt 114.1
angelica natura bona quidem creata, sed mutabilis 114.24
S. Angeli, ecclesia Capuana 559. 44
Angliæ doctores 639.15
in Anglia, schismata 427.1
de Anglica schola 397.19
Anhusianum cœnobium 341.4
animus hominis 124.43
anima hominis 127.20 instar citharœdi 123.50 unde creata, & cur diuinitus humano corpori inspirata 127.27 iusto, sed tamen occulto Dei iudicio damnationi subiecta 127.20 quomodo moriatur 244.23
de Animæ morte 243.58 & 244. 23 resurrectione 246.36
animæ duæ alæ 127.47
in Anima hominis tres uires 125.5
de Animarum à corpore separatarum loco 257.37
animalis homo 122.54
Anno Sangallensis abbas 657.19
Vuormaciensis ecclesiæ præsul. 600.27
Ansegisus Trecarum episcopus. 567.4
Anselinus Laudunensis episcopus. 565.50
Antichristus quid sit 229.3 unde sit. ibid.9 quando ũeturus. ibid. 38 qualis futurus 230.31 quomodo 231.2 ubi 233.46 quis sit ille futurus 234.28 semper blasphemus 232.40 fidem diuinam abnegabit 233.19
Antichristum multi, imò innumerabiles ex gentibus cum Iudæis, sequentur 232.54
Antichristus uenturus est ex Dan, opinio Giselberti & Radulphi. 235.54 & inde
Antichristus Romanus à Crescentio Romano adoratus 380.15
sub Antichristo quid futurum, Radulph 235.14.
de Antichristi potentia 234.40 fine. ibid.55 characteribus seu notis 232.37 miraculis 234.31 temporibus Giselberti uaticiniũ 641.5 operibus in regimine ecclesiastico 403.31 doctrina propagata 540 53 & 549.34
Antichristi tempore omnes illicitas uoluptates regnaturas, Theoph. 233.28 notæ in Ioanne XVII. Roman. pontifice 544.2
contra Antichristum qui clamarint 410.38
de Antichristo doctorum huius seculi scripta 229.2
Antisidiorenses episcopi 566.28
de Anthropomorphitis 280.12
Anthropom. hæresis 578.25.
Anthropomorphitarum dogmati, Italiæ præsules, quomodo occurrerint 280.47
de Antiphona, quam Dunstanus à Seraphim didicerit, narrationẽ, impudens mendacium esse 688. 13. & inde
de Apostolis 217.58
Apostolorum, Petri, Pauli, & Andreæ post mortem apparitio 687.51
propter Apostolorũ corpora principatum Romanos pontifices extulisse 403.36
Apostolicæ sedis præcepta uiolantibus, quæ pœna à Symmacho papa statuta 480.51
ad Apostolicam sedem episcoporum & summorum negociorum ecclesiasticorum causas semper referendas, Remensis concilij decretum 472.55
de Apocalypsi Ansb. 270.4. eius dignitate. ibid. 35. phrasibus 271.23
de Apocryphis libris, Gisel. 264. 44
de Appetitu praui operis 140.53
aqua, Dunstani opera ex terra miraculosè elicita 691.14
de Aqua benedicta 320.40
aquarum metaphora in diuinis literis 47.42 & 50.54 exundationes quibus signis prænotatæ 681.23
Aquileienses episcopi 560.31
de Aquilis

de Aquilis miraculum 680.52
in Aquilonaribus regionibus quomodo propagata ecclesia 17.12
Arca testamẽti, ecclesiæ figura 209.19
Archiepiscopatus hoc seculo præcipui 398.46 à papis postulati. 407.46
archiepiscoporum plures prouinciæ subditæ 398.41
archiepiscoporum consociatio & mutua officia 401.32
Argentina ciuitas 710.50
Argentoratensi ecclesiæ hoc seculo qui præfuerint 595.43
argentum cudendi libertas quibusdam episcopis concessa 628.44
ariolos diuinos consulit Ziemislus Polonorum dux 697.52
cum Armis & equitatu principum more hoc seculo episcopos processisse 392.32
Arnolphus seditiosus proscriptus, & diris à sacerdotibus deuotus. 387.33
Arnulphus Remorum archiepiscopus 574.47
Aurelianensis episcopus 566.20
Arnulphus de proditione urbis Remensis suspectus 457.18
Arnulphus Bauariæ dux 706.18
Arnulphi iuramentum quo Hugoni et Rotberto Francorum regibus sese obstringit, sed paulo pòst uiolat 463.60 scriptum, in quo iniquum suum factum confitetur, atq; damnat 466.18
Arriani confutati 79.59 & 73.1 & 76.56 & 98.37
de Arrogantia 143.48
de Arnulphi Remensis archiepiscopi causa synodus Syluanectensis. 456.54 Remensis 457.27
Arnulphi oratio quam publicè in Remensi concilio habuit 486.54
aruspices maleficiq; consulti. 369.15 & inde
per Asiam ecclesiæ 9.49 Mahometismus 699.25
de Asiaticis doctoribus 520.8
Aspersiones & uictimæ legales à peccatis non liberarũt. Theoph. 198.30
Astorgiæ exempla 371.39
Astra matutina cur angeli uocẽtur, opinio Ansberti 114.3
Astuti & callidi 546.32 & 562.19
Athelmus 20. Cantuariensium episcopus 631.7
Athelredus Cantuariensis archipræsul 631.32
auari 372.59 et 575.56 & 563.1 & 618.1
Auceps quare Henricus 1. Imper. sit dictus 706.6
Auedadis philosophomedicus. 677.18
Augilbertus siue Engelbertus S. Eucharij, quod hodie S. Matthiæ sacrum est, apud Treuirenses monachus atq; abbas 659.47
Augienses abbates 661.53
de Augurijs, Rad. 263.21
Augustani episcopi 602.18
Augustana synodus 433.25
Augustanæ abbatissæ 676.18
Aulæ præpostera sanctitas 428.37
Aularum uulgare præmium 551.45
Authoritate et existimatione prædi ti episcopi 600.51

B

Baaliticus cultus ab Imperatoribus institutus & obseruatus. 416.58
Baalismi propagatores 595.21 & 613.49
Baldericus Spiræ episcopus 599.20
Baldoinus 23. Caßinensium abbas. 645.1
Baldramus unus ex Argentinensiũ episcopis 595.44
Baldus Argentinensis præsul 597.9
Baptismus dicitur illuminatio 185.25 unde sit 186.33 quomodo debeat administrari 187.25 quòd ad salutem sit necessarius 185.30
de Baptismi materia 186.49 fine 188.27 retentione 192.31
baptismus non iterandus 187.46 & 191.6
Baptisma crux. Theoph. 190.60
Baptismi aqua hoc æuo de Romanorum more consecrari solita 293.44
baptismi encomion 192.42
baptismum unum esse 187.45 & 191.23 tentationes sequi 192.9
post Baptismum nullum peccatum in homine remanere, Giselberti dogma 271.56
post Baptismum peccantes non desperent 191.21
per Baptismum diabolus eijcitur. Theoph. 121.56
circa Baptismum casus 294.45
in Baptismo peccatum remittitur. 188.52 Spiritus sanctus datur, &c. 189.34
baptismo qui excidant 192.13
in Baptismo quomodo aqua regenerare dicatur 185.50
de Baptismo doctorum huius ætatis traditio 186.24
baptizandi ordo in adultis 187.38
baptizandos esse omnes 187.60 paruulos quoq; 188.21
baptizatos esse hoc tempore non solum adultos, uerùm etiam infantes 202.55
Baptistæ ueneranda manus, Antiochia Byzantium translata. Zonaras 335.44 & inde
Baptistæ nouum monasterium extructum 339.48 & 342.38
Bardas Phocas legionum in Oriente domesticus 708.19
S. Bartholomæi apostoli ossa Salernum transportata. Leo Hostiensis 333.57
Basilea ab Vngaris uastata 704.39
Basilius Scamandrenus Constantinopol. patriarcha 522.34 & 456.44
Basilius & Constãtinus Constãtino politani Imperatoris filij 717.6
de Basilio Porphyrogenito 722.17
è Basilica Petri preciosissima quæque à Bonifacio 7. ablata 406.21
Basilicæ 9. à Miecislao diuersis locis ædificatæ 415.23
Bathauia oppugnata & expugnata 581.10
in Bauaria qui doctores hac ætate floruerint 570.38
Benedictus à Romanis propria authoritate in summi sacerdotij dignitatem euectus 446.56 iterum deiectus 447.4 & inde
Benedictus martyrio coronatus. 678.16 auro, argento ac horredis boatibus à Iohanne eius cognobij abbate cultus 644.22
Benedictus 1111. Rom. pontifex. 524.45 Quintus 537.49 Sextus 541.12 Septimus 542.54
D. Benedicti apparitio 687.13
D. Benedicti ordinis duo cœnobia condita 340.13 cœnobium ab Oswaldo Eboracensi episcopo extructum 419.38
Benedicti regula, monachis auctor ab Odone abbate obseruanda exhibita 338.12
Benedictionis sermo in Scripturis. 65.32 177.18
de Beneficentia Beneficia

Beneficia Christi 95.12
Benenentanũ cœnobium olim Principum quorundam ui ex Cassinensium monachorum faucibus ereptum, à Baldoino recuperatum 643.7
Benenentani perfidi ab Otthone II puniti 717.45
benignitatis in proximum usus & fructus 176.16
bella à Papis gesta 405.47 ab episcopis 392.39
bellis & conflictibus hoc tempore abbates & monachos interfuisse 353.28
Benno siue Benedictus episc. 26.19
Benno Metensis archiepiscopus. 571.41 à subditis suis excæcatus 432.42
Bellacenses doctores 508.52
Berengarius 27.55 & 28.16
Berengarius Foroiulianorum dux ad occupandam Italiam se conuertit 702.6 à Rudolpho Burgundorũ rege pellitur. ibid.25. item ab Othone primo Imperatore 713.28 à quo homo perfidus atq; turbulentus Bambergã relegatus, in exilio moritur. 714.15
Berengarius secundus 705.43
Berengarij tyrannis 711.57
Berengarij regis erga Giselbertũ rebellẽ declarata clemẽtia 367.14
contra Berengarium, eiusq; filium Albertum expeditio Imp. Ottho nis prima 534.4 secũda 535.10
Berno eius nominis secundus, Sueco rum rex 20.12
Berengerus Petershusiani cœnobij abbas 663.35
Bernarius Verdensis XIII episcopus 627.40
Bernhardus apud Noruegiam doctor 643.15 Halberstadensium VII episcopus 621.12 XVII. Herbipolensis præsul 606.30
Bernolphus S. Michaelis cœnobij apud Britannos abbas 670.59
ad D. Bertini aram Alisa sanitati restituitur
Bertinici monachi 689.17
bestia Apocalypsi 670.46
Betto Arisiodorẽsis præsul 546.30
de Bibliothecis quas habuit hæc ætas 396.51
Bigami
Birchensis ciuitas 716.9
de Blasphemia in spiritum S. 143.1
quid sit. ibid.29
Blasphemia Dei duplex 143.21
Blegabridus Languaridus Landauensis ecclesiæ archidiaconus. 639.18
Bohemia ab Otthone III bello uastata, suæq; potestati subiecta. 718.50
in Bohemia ecclesiæ 13.32
Bohemi ad fidem Christi conuersi. 19.45
Bohemos, Polonos, Slauos, Danos & Liuanios, circa Seculi huius initiũ à Christiana religione fuisse alienos 697.16
Bohemicũ bellum 710.22
Bolislaus Poloniæ dux rex factus. 379.59
Bonifacius VII Constantinopolim relegatus 412.23
S. Bonifacij apud Hirsfeldẽses ecclesia, incendio corruit 680.18
de Bonifacio septimo è rebus humanis exempto. Antoninus 332.21
Bonnensis Synodus 433.2
Bonifacius martyr 678.10
de Bona intentione 172.24
Bonum quod facimus, Deus ipse in nobis facit per Iesum Christum. Theoph. 168.17
bonum quod agit pius, non sibi, sed Deo applicat: in malis uerò non alium, sed seipsum attendit 167. 49 & 131.6. & ibi.39 & 132.13
Bona ecclesiastica ad hæredes trãsferre hoc tempore non licuisse. 196.45 ecclesijs detracta 618.8
bona ecclesiæ politicos uiros inuasisse, & suo fisco addixisse. 417. 14
bona ecclesijs abalienata, restituta 579.60 à Rom. pont surrepta. 406.21
bonorum legitimi usus exempla. 368.6
bonorum ecclesiasticorum quis fuerit hoc seculo usus 396.16
bonis ecclesiasticis conseruandis Imperatores studuisse 415.58
de Bonis ecclesiasticis Gallicanæ synodi 430.49 de ijsdem Carolus Simplex 417.32
de Bonis & mansuetis 129.53
in Borussia hac ætate ethnicam religionem uiguisse 697.25
Boso Placentinus episcopus 561. 39.44
Bozo Mersburgẽsis præsul 618.48
in Brabantia ecclesiæ 14.58
Brandeburgum 719.2 urbs, ab Henrico I. Imp. bello occupata. 707.33
Bremenses, seu Hamburgenses doctores 609.45
Britanniæ monachi doctores 670.58 631.18
Brithfertus Ramesiensis doctor & monachus 671.29
Brixiani præsules 564.54
Bruno Verdensis antistes 628.4 hæreditatẽ à parentib. accepta Deo & ecclesiæ consecrat 395.5
Bruno Colonien sis præsul 607.10 eius iam morituri, apud episcopos qui conuocati ipsi aderant, edita confessio 526.49
Bruno S. Viti apud Gladbachenses monachus 669.27
aduersum Bulgaros infœlix Basilij bellum 722.29
Burchardus Riznerus Campidonẽsis cœnobij rector 662.20 Batauensis præsul 579.41 S. Gilli abbas 657.56 Alemanniæ dux 706.18 XII Herbipoli episcopus 605.6
Burchardi Sueuorum ducis temeritas 371.56
in Burgundia ecclesiæ 12.17
de Burgundionibus. Luitpr. 376.38

C

CAdendi modus 140.10
Cæci nati, mirando modo uisum consecuti 680.43
cæcitate repẽtina percussi 686.49
cædium exempla 372.7
Cæsares clarissimi qui in hoc decimo Seculo uixerunt 9.25
calculi doloribus qui expirarunt. 617.27
de Calumniatioribus 227.21
Camaldulensis ordo 338.34
Campanæ baptizatæ, nominibusq; insignitæ 194.57
Campanis baptizatis peculiaria nomina dari quando cœptũ 403.59
Campidonenses abbates 662.19
canibus expositi 646.13
in Cantuariensi ecclesia certamen inter cleros & sacerdotes exortum 453.54
Cantuarienses doctores 631.30
Capitolium Romanum cur nulli põtifici inuisere liceat 545.46
Capua horribilem terræ commotionem passa 684.21
Capuani antistites 559.41
Capuana ecclesia 404.6
Capuanum territorium unà cum finitimis locis ferro igniq; ab Vngaris uastatum 644.40

caro Christi post resurrectionem non in diuinam naturam trāsijt. Theoph. 95.17
Carolus perfidus ab Henrici Imp. exercitu profligatus 707.5 & inde.
carceribus traditi 539.39 & 541.13 et 543.50 & 562.19 & 574.47 ex ijsdē liberati 622.9 et 575.3
Caßinenses pro redemptione suorū captiuorum, Vngaris quantum expenderint 347.16 (46
de Castigādi uerbo, Smaragdus 218.
castigationis diuinæ finis & usus. Theoph. 184.29
de Castitate 173.11
Caßinenses monachi 643.50
Casus circa baptismum 292.19
claues 305.53
cœnam 309.1
dedicationem 291.19
defunctos 332.10
electionem & ordinationem ministrorum ecclesiæ 320.3
nuptias 325.30
cæremoniæ legales fuerunt umbra futurorum. Gisel. 38.38
cæremonijs plus temporis quàm sacris concionibus ab episcopis hoc tempore tributum 390.32
de Cæremonijs ecclesiæ, quæ quidē hoc seculo fuerūt solēnes 282.52
de Censura eccl. siastica. Rad. 206. 40
centenarius numerus 50.9
in Cēturia hac decima ecclesiasticæ historiæ tria sunt memorabilia.
de Charitate 172.36 (7.48
charitatis sex species 168.27 refrictio omniū malorū radix 143.56
ex Charitate bona opera promanant 169.58
Christus nomen 77.2 & 75.35
Christus uocatus initium 74.52 primogenitus 75.47 uerbū 76.1 splendor patris. ibid.42 lux illuminans omnem hominem uenientem in hunc mundū 155.57
Christus cur homo 83.20 Deus & homo una persona 86.12 uerè Deus 78.7 sine patre & matre. 85.43 neq; principiū neq; finē habet 79.3 mediator 95.57 rex. 97.34 pastor. ibi. 36 custos. ibi. 42 futura prædixit 95.51 ubiq; docet 97.57 cum patre operatur 98.21 quomodo dicatur de cœlo descendisse 99.8 quomodo habitet in nobis. ibid. 48 quomodo à patribus sit uisus 100.11 similis filio hominis 73.35 angelus. ibid. 52 agnus 74. 4 lapis mundus. ibid. 8 quomodo in ecclesia offeratur. Theoph. 198.54 uoluntariè pro nobis passus est 92.17
Christi & Adam collocutio à Giselberto descripta 101.36
Christi incarnatio 80.52 passio 87. 52 resurrectio 94.10 sessio ad dexterā patris. ibi. 30 gloria. ibi. 46 beneficia 95.12 miracula. ibid. 43 beneficia 156.19 obedientia, nostra redemptio 222.6
Christi effigies nullis manibus facta Constantinopolim translata 333. 31 Zonaras
Christo omnia tradita 98.7
per Christum opera nostra Deo probantur 170.40
in Christo quomodo diuinitatis plenitudo corporaliter habitet 87. 22 duæ naturæ mirando fœdere unitæ 84.5
de Christo regula 100.47
de Christo, ciusq; beneficijs. Luitpr. 552.38
Christianus Bathauensis ecclesiæ gubernator 581 23 Colonienſis cœnobij primus abbas 669.11 martyr 678.16
Christiani sunt reges, ideoq; ut reges ambulare & imperare debent. Theoph. 166.37 imperent peccato 166.37
Christianorum huius seculi mores. 363.6
Christianos magistratū gessisse, & politica munera obiisse 364.38 magistratibus subiectos fuisse. ibid. 52
in Christianos crudeles 611.28
Chunegūda Ottonis magni neptis. 422.60
circa Cibos ritus 321.35
cinerum exorcismus 320.52
circumcisio typus resurrectionis. Gisel. 253.6 in se nec iustificat, nec damnat 159.12
circumcisionem quare Christus acceperit 149.27
de Incircumcisorum salute 160.15
ciuilibus negotijs episcopos hoc tempore se implicasse 391.22
claues quid sint 193.31
de Clauis ligantis ritibus 295.20
soluentis 302.38
claues non tantum sacerdotibus, uerum etiam toti ecclesiæ à Christo traditæ. Theoph. 194.24
circa Claues casus 305.54
de Clementia præposterè. Rad. 242.21
de Clericis episcopis suis infestis, & insidiantib. eosq; criminantibus, Fabiani papæ statutum 481.50
Clumlensis ecclesiæ episcopus, ecclesiæ Braccarensis gubernator cōstitutus 511.13 338.10
Cluniacensis ordo 648.45
Cluniacenses monachi 643.49
cœli tres, iuxta Theophylactum. 110.49
cœna sacra tum adultis tū paruulis, ægrotantibus, hoc tempore data 328.12 non mutila, sed integra tam laicis quàm clericis hoc tempore distributa 306.45 195.9
cœnæ finis ibid. 51
materia 306.9
circa Cœnam ritus 309.3
ad Cœnam qui accedere debeant. 196.60
circa Cœnam casus 306.58
à Cœna sacra qui suspensi 306.58
in Cœna præsentiæ Christi modus non inquirēdus. Theop. 196.30
in Cœna quomodo indignè manducantes, corporis & sanguinis Christi rei fiant 184.55 quare nobis Dominus corpus suum tradat 195.32
de Cœna sacra ueterum doctrina. 195.8
cœnæ uocabulū in Apocalyp. 46.7
cœnobij S. Vincentij priuilegium à Iohanne Romano pontifice datum 344.2
cœnobia uirorum hoc tempore extructa 339.27 uirginum siue monialium 341.43
cœnobia Imperatorū & regum authoritate confirmata 345.48
collapsa renouata 342.49
cœnobia Canonicorū, quos Regulares uocant 343.14 Canonissarū monialium. ibid.39
cœnobia duo ab Etheluoldo Vintoniēsi episcopo extructa 419.28
de Cœnobiorū certis reditib 346.39
cœnobijs bona multa ab Arnulpho Flandriæ comite detracta 417.52
apud Colonienses episcopi 607.1
columba quare Spiritus S. dicatur. 102.14
cometæ in cœlo uisi 678.41 & ibi. 51 & 681.23 & ibid. 24
conciliorum quorundam acta rescissa 574.57
confessionis uocabulum in Sacris. 49.39 de Confes-

de Confessione peccatorum 194. 34 & 182. 50
de Confessione in baptismo 195.1 sacerdoti præstanda. Rad. 276.17
de Congressibus publicis 283.14
in Congressibus quæ facta 290.38
modestia præstãda. Regino 291. 53
de Confirmatione & chrismate 294.13
Coniugium à Giselberto sacramentum nuncupatum 237.47 undesit 238.44 ab hoc seculo minimè prohibitũ ac dãnatũ 238.30
coniugij curam eximiam à principio Deus gessit. Theop. 238.44
de Coniugij dignitate 240.14. fine. ibid. 19
in Coniugio qualis sit coniunctio 238.60
in Coniugio principem locum maritus obtinet. Theoph. 239.19
de Coniugio sacerdotum disputatio 427.21
coniugia sacerdotum legitima à Patris diiudicata 406.50
coniuges sacra benedictione ab episcopis hoc seculo initiati 387.13
Conradus Constantiensis ecclesiæ gubernator 594.41 Hirsaugiensis cœnobij confirmatus ab bas 666.42
de Conrado Eberhardi comitis filio 317.5
de Conscientia bona. Gis. 176.8
de Constantia 221.29 & inde Constantienses episcopi 594.16
Constantinus Alexandri Constantinopolitani successor 703.14
Constantini seditiosi tragicus interitus 371.21
Constãtinus Imp. in administrando regno segnis, &c. 370.48
inter Constantini Imperatoris Constãtinopolitani obitum, quid miraculosè factum 683.30
de Constantino Basilij Prophyrogenuti fratre 722.50
Constantinopolitani patriarchæ 520.39
Constantinopolitana synodus 456. 8 & ibid. 43.
consuetudines impiæ à politico magistratu toleratæ 417.10
de cõtritione 180.41 & 182.32
cur cõuertantur alij, alij nõ 184.6
conuersatione pia et honesta episcopi insignes 597.54. & 599.21
cor præcipuè Deus attendit, non opera. Rad. 170.21
Corbeiensium præcipui monachi 669.32
coronæ à Rom. Pont. regib. missæ 405.33
cornua in Sacris literis 50.6
ob Corporis deformem habitum cõtempti 611.3
de Corpore spirituali 124.57
Cralo Sangallensis abbas 657.19
de Creatione, Deum omnia creasse 110.15 omnia bona creasse 111.1 quomodo omnia creata sint. ibi. 8 in quem finem cuncta creata. ibid. 13
creatura Dei omnis bona. Rad. 111.1
creaturæ omnes propter hominem conditæ. Gisel. 111.18. quædam homini post lapsum nociuæ factæ. Giselb. 125.57
credens quomodo comparatus sit 161.10 duo lucratur 161.42
credentium in Christum quantus sit honor 163.32
credentibus omnia mala in suum cõmodum à Deo conuerti. Theop. 225.34
de uerè Credentibus. Theop. 161.10
Cremonensium episcopi 564.52
Crescentius 718.37 ob seditionem graui supplicio affectus 719.24
Crescentij uxor. 722.5
Crescentius Numentanus 544.33 & 545.17 & ibid. 55
Crescentius Villaregiensis episcopus 483.36
crimina præterita ad memoriam reuocanda 170.12
de Crucis fine 221.57. & inde
crucis piorum & impiorum differentia 222.30
de Cruce piorum. Luit. 553.53
in Cruce quomodo se pij gerere debeant 220.42
de Cruce & calamitatibus, quæ huius ætatis scriptores memoriæ prodiderunt 218.45
crucis Dominicæ portiuncula à Leone monacho Hierosolymis Cassinum delata. Hostiensis 361. 33
S. Crucis cœnobium in Hierusalem, Romæ reparatum 342.53
de Crucis Christi imagine, à Iudæis clauis lanceisq;, cõtumeliæ gratia, transfossa, sanguis aqua mixtus miraculosè effluit 693.54
cruces cruĉtæ in hominum uestib. conspectæ 682.24
de Crucifixi Christi loco. Theop. 523.55
Cyrillus apud Moranos præsul 629.26

D

A` Daemone interfecti 537.38
Dæmones 117.6 possunt miracula facere 118.42 peccati sunt milites 119.41
Damasi epistola ad Stephanum & ad concilia Africæ 473.59
ad Damasum papam Stephani archiepiscopi epistola 472.60
Dania conuersa 19.17. & 611.19
Daniæ episcopi 641.26
in Dania ecclesiæ 15.17 quæ instauratæ & propagatæ doctrinæ fuerit occasio 22.43
Dani Heinrici 1. Imperatoris tributarij facti 708.45
de Decalogo 145.11
decreta sua & constitutiones, Rom. põtifices mutuò abrogasse 406. 60
pro Defunctorũ animabus orare, monachorum superstitio 361. 36
circa Defunctos casus 332.10
defectiones ecclesiarum à uera fide 23.11
defectionum exempla 368.38
delicti uox 139.10
de Descensu Christi ad inferos. Giselb. 94.5
deserti nomine quid in arcanis scripturis ueniat 53.18
desertores ecclesiæ 555.70
desperare nemo debet 180.59
Dethardus 1x Hildesheimensis ecclesiæ præsul 619.56
de Deo 67.43
Deus quomodo ab hominibus agnoscatur 67.45 cordium scrutator 69.19 omnium Deus. ibid. 49 unus 69.58 quare unus appelletur. Giselb. 69.59 curam nostri agit 108.36 duobus modis offenditur 141.7 filium habere à Iudæis negatur 694.40
Deus pater quomodo adhuc operetur. Theoph. 108.16
Dei attributa 68.19 opera 108.1 æternitas in Scripturis quomodo designetur 46.2 prouidentia 111.56 præscientia 112.6 uisio 108.56
Dei recordari, & obliuisci 109.9
Dei longanimitas 69.6 duplex uoluntas. ibid. 24 diuinitas. ibid. 36 sapientia 68.26 secretissimis eius auribus desiderijs magis

quàm uerbis clamamus. Giselb. 174.54 & 175.38
Dei & hominis discrimen 68.44
Dei beneficia omnia gratuita 68.30
Deo qui ministrent. Ansberti opinio 369.36 quo pacto ascribatur anima 110.3
Deum mundũ gubernare 111.50 uel le omnes homines saluos fieri. Gisel. 158.27 habere membra corporea, Anthropomorphitarum dogma 280 21
à Deo quatuor nos abstrahunt. 140.29
de Deo. Luitp. 552.35
de Deo phrases & regulæ 109.7
de Deo patre, quo discrimine sit pater Christi, & pater noster 72.17 quomodo sit in nobis. ibi.23
de Deo filio. ibid.35
in Deorum numerum nõnulli à monachis relati 361.23
de Deuteronomio. Giselb. 265.34
dexteritate in rebus agendis præditi 612.36
diabolus 116.25 & ibi.56 cur sit in terris relictus 118.13 piscator 120.21 cum cruce Christi uictus sit, quare adhuc insaniat, & pios suis insidijs infestet 89.26 quo modo princeps mũdi 121.18 de rebus futuris rogatus 548.10 cur habitet in monumentis. Theoph. 118.32 à Dunstano baculo percussus 690.36
diaboli inhabitatio quis fiat. Ansb. 140.45 ambiguum eius responsum 548.17
de Diaboli lapsu, & quòd omnium iniustorum bellorũ incentor sit. Luitp. 552.52
diabolũ nouisse quidẽ Scripturã, sed ea peruersè abuti. Luitp. 553.21
diabolo obsessi liberati 689.30
cum Diabolo pacta facta 547.22
diaboli unde sint mali 117.42 quòd sint ex cœlo pulsi 118.7 ubi degant. ibid.18 hominum interitu gaudent 119.30 & 120.17 quo modo eijciantur 121.55 licet magno furore aduersus ecclesiam ferantur, huic tamen prævalere non possunt, filio Dei ipsis resistente. Theoph. 120.44
diabolorũ nomma 116.22 proprietates 118.27 miracula. ibid.42 conatus. ibid.54 peccatum eorum cur in Sacris literis non expressum 118.1 eorum consortio usi 634.7
contra Diabolos quomodo pugnandum 122.7
à Diabolis Christus nos liberauit. 121.48
de Diabolis, patrum qui decimo hoc seculo claruerunt, scripta. 116.21
Diabertus Bituricensium archiepscopus 568.41
Dialectica diaboli gladius. Giselb. 37.16
Diaplasma Hebræa nox 64.45
dies octaua quid mysticè designet. Rad. 247.38 uniuersalem resurrectionem significat 250.25
Diethmarus Sueuo, Hirsaugiensium abbas 665.35
dignitate sua exuti 537.4 & 538.12 & 545.17 & 574.47 & 577.33
dignitati pristinæ restituti 537.14 & 544.19 & 546.1 & 575.3
dilectio Dei patris unde probata in nobis 158.21
diligendo Deum seruamus mandata eius. Theop. 168.59
de Diluuio. Giselb. 274.15
in Dingelfing Bauariæ, synodus 432.8 concilium Boiorum ab Henrico conuocatum 397.52
S. Dionysij Parisiensis martyris manus à Carolo Henrico 1. Imperatori dono data 336.15 & 707.5
Dithardus monasticæ apud Hirsaugienses scholæ rector 667.41
Dithmarus Sangallensis monachus Hirsaugiensium abbas constitutus 350.23
diuinas res ratione inquirere, blasphemia est 34.32
diuinitatis plenitudo quomodo in Christo corporaliter habitet. 87.22
diuitiæ quomodo poßidẽdæ 128.17
de Diuortio 240.31
diuortij legitimi exemplum 325.33 illegitimi 326.29 & inde
de Diuortio, Theophylacti næuus. 278.47
diuortia illegitima 621.1
doctores in hac decima ætate 7.16 & 4.32
doctores Asiatici 520.18 Europæ. ibid.35

DOCTORES, SIVE Episcopi.

Aldenburgenses 615.36
Antisidiorenses 566.28
Aquileienses 560.31
Argentinenses 595.42
Augustani 602.19
Beluacenses 568.55
Bremenses, seu Hamburgenses 609.45 631.28
Britanniæ 564.34
Brixiani 539.42
Capuani 607.3
Colonienses 594.36
Constantienses 564.58
Cremonenses 561.6
Cumani 598.22
Curienses 641.25
Dani 636.58
Eboracenses 641.15
Flandri 585.17
Franci
Fruxinenses, qui et Frisingenses 584.1 561.46
Gallicani 579.33
Germaniæ 642.43
Gothorum 620.31
Halberstadenses 619.34
Haluebergenses 619.58
Hildesheimenses 524.6
Italiæ
Iuuauienses, siue Salisburgenses 581.41 565.50
Laudunenses
Laureacenses, siue Bathauenses 579.39 577.11
Leodinenses 567.36
Leucorum 617.3
Magdeburgenses 555.8
Mediolanenses 571.25
Metenses
Mimigadeuorenses, siue Monasterienses 623.6 624.18
Mindenses 585.28
Moguntini 643.33
Norwegiani 625.40
Onasburgenses 626.21
Padebornenses
Papienses, qui & Ticinenses 550.29 561.39
Placentini 629.42
Pragenses 582.49
Ratisponenses 549.45
Rauennates
Rubilocenses, siue Eichstadenses 593.1 609.42
Saxoniæ 569.49
Senonenses 597.32
Spirenses 568.26
Syluanectenses 575.34
Treuirenses 567.29
Tullenses 627.39
Verdenses 562.43
Veronenses 638.2
Vintonienses 623.8
Vuestphaliæ 604.54
Vuirtzburgenses 600.8
Vuormacienses doctores

doctores à Rom. pontificibus petiti 409.44 ab Imperatoribus defensi & sustentati 414. 4
doctores seu prædicatores bona opera faciant 166.23
doctores probandos esse 210.14
de Doctoribus malis 210.23
de Docendi ordine 215.18
docendi officium ab episcopis huius seculi neglectum 389.53
Doctrina orthodoxa scriptorũ ecclesiasticorum huius seculi. DE
Angelis bonis 114.1
Antichristo 229.2
Baptismo 185.24
Cœna sacra 193.30
Confessione 195.8
Coniugio 194.34
Creatione 237.46
Cruce 110.14
Deo 218.45
Diabolis 67.44
Ecclesia 116.21
Euangelio 210.2
Fide 152.33
Homine 164.18
Inferno 122.17
Iudicio extremo 250.20
Iustificatione 250.46
Lege 154.39
Libero arbitrio 144.7
Libris sacræ Scripturæ 128.23
Magistratu 263.46
Messia seu Christo 241.8
Ministerio 72.34
Miraculis 209.47
Morte 228.14
Operibus bonis 242.48
Oratione 165.53
Peccato 174.27
Philosophia 133.29
Pœnitẽtia, seu conuersione 179. 15
Resurrectione 262.5
Sacramentis 245.33
Sacrificijs 184.43
Scriptura sacra 197.7
Doctrinæ inclinationes, contidas opiniones, stipulas & errores doctorum huius seculi. DE
Angelis 39.54
Baptismo Iohannis 271.40
Cœna 277.3
Confessione 278.18
Coniugio 277.21
Eleemosynis 278.46
Inferno 274.34
Iustificatione seu remissione peccatorum 273.28
Libero arbitrio 272.1
Martyribus 275.51
Oratione 274.18
Peccato 271.40
Pœnitentia 275.58
Philosophia 279.11
Primatu papæ 278.18
Purgatorio 279.11
Sanctis 275.28
Sanctorũ inuocatione 274.51
Satisfactione 277.32
ad Doctrinam cœlestem propagandam episcopi ab Imperatoribus missi 413.59
ad Doctrinæ ueræ receptionem Imperatores & suos & alios hortatos esse 414.58
Dodo VII. Osnaburgẽsium præsul 625.42. Dodo II 626.23
dogmata falsa, eorumq; assertores à doctoribus huius seculi impugnati 385.51
in Dogmatibus falsis cognoscendis, & dijudicandis magna fuit hoc seculo ignauia 677.28
Domacelus Cluniacensium monachorum abbas 649.52
dominatio à Rom. episcopis confirmata 407.23
de Dominio maiorum in minores 142.11
donationes à Leone 9. Otthoni & suis successoribus Imperatoribus & regibus in perpetuum restitutæ 450.23 & 452.55
Donus secundus Rom. præsul 541. 30
Dornbergæ in Thuringia celebre templum exustum 715.14
draco infernalis quomodo cognoscatur 116.28
Drogo VIII. Osnaburgẽsis ecclesiæ episcopus 625.58
Dudo Padebornensium episcopus 626.49
Duisburgensis synodus 432.40
Dunstanus Cantuariensis præsul 633.41 pontifici ipsi, ut comitem, quem piorum cœtu eiecerat, absoluat, præcipienti, parêre recusat 304.36 comitem in cestuosum excommunicat 296. 32. Edgaro regi ob uitium uirgini Deo dicatæ oblatum, manũ porrigere detrectat, grauiter quoq; ipsum obiurgans 297.4 eidem regi pœnitentiam indicit, & pœnitentiæ tempore exacto eum recipit 303.35 à Cherubin & Seraphin salutatus, & ad æternæ uitæ consuetudinem auocatus 690.4 scortationis monasticæ patronus insignis 454. 22 & inde. & 455.36
ad Dunstani tumbam paralyticus presbyter delatus, statim sanitati restituitur 689.37
Dunstani mors 690.24
Dunstanum Missam celebraturum in altari obdormijsse, & in cœlum raptum, ab angelis Kyrielei son canere didicisse, Vincentij fabulosa narratio 290.59 & 309.35
Duodo Palatij capellanus 28.42

E

Eadmerus D. Albani apud Cantuarienses abbas 673.18
Eberhardus Einsidlensis cœnobij abbas 674.42
Ecbertus Treuirensium episcopus 576.34
Eberuuinus Treuirensis abbas. 660.9
Eboracenses doctores 636.58
Ecclesia unde nata. Gisel. 89.9 duplex, iuxta Ansbertum 200. 43 quid sit. ibid. 59 unde sit 201. 21 ubi sit 202.44 est mixtus cœtus 203.15. est una tantum 205.38 habet miracula 208.15 pugnat contra diabolum. ibid. 24 ex Iudæis & gentibus constat 204.16 areæ similis, in qua sunt paleæ & triticum 200.25 ueritatis cõstitutio. Theop. 207. 43 altare. Rad. 208.9 cur mulier dicta 200.3 quomodo ab immunditijs suis mundetur. Rad. 273.46 mirabilis. Theop. 208. 19 cruci subiecta 218.51 sponsa Christi 220.36 quomodo à Christo uitam & incrementum accipiat. Theoph. 202.13
Ecclesiæ nomina 200.3 claues 207. 24 arma contra Sathanã. Ansb. 122.8
de Ecclesiæ duplicibus mẽbris 201. 4 capite 202.50 rectore 202.4 ordine 205.2 fundamento. ibid. 27 duratione 206.22 mũdatione 207.51
Ecclesiæ typus 209.7 potestas 206.33 ætates 205.9 notæ 206. 48 membra infirma 204.46 tres ordines 203.10 bona à papis scortis data 406.54.

de Ecclesiæ doctrina, ab orthodoxis huius seculi tradita 209.2
de Ecclesiæ tranquillitate & persecutione sub Ludouico imperatore 24.22 sub Radol. 1.25. 32 sub Henrico primo 26. 8 sub Ottho ne primo 27.45 secundo 29.48 tertio 30.18
ecclesiæ huius seculi locus 9.43 propagatio 16.1 ampliatio 20.1 instauratio 21. 8 defectio 23.11 trãquillitas & persecutio 24.19 doctrina 31.59 functiones à nonnullis propter quæstum & dignitatem ui raptæ 383. 6
Ecclesiæ Christi inde usq; ab initio insidiatus est sathan. Giselb. 118. 39 postremis autem his temporib. rabiosius sæuit. Ansb. 119.11
ecclesiam quomodo ingrediamur 202.38
ad Ecclesiã per tria Christus, reuertitur. Giselb. 207.38
extra Ecclesiam nulla salus 209.31
ecclesiam Dei ueram fuisse hoc seculo supra modum exiguam 677. 48
in Ecclesia quales fiant 204. 26 Deus habitat 207.57 Deus colitur 208. 9
pro Ecclesia Christus dimicat 208. 35
ecclesiæ à pontificib. Rom. pro libitu sublatæ ac depressæ 404. 5 spoliatæ 541.58 & 535.56
de Ecclesiarum huius seculi consociatione in una aliqua prouincia 397. 45 in pluribus prouincijs 398.39
de Ecclesijs huius seculi per Asiam 9. 49 per Africam 10.1 per Europam. ibid. 21 per Oceanum 15. 41
ecclesiasticæ personæ hoc seculo unde delectæ & constitutæ 382.21
de Ecclesiasticarum personarũ hoc seculo gradibus 383. 43
ecclesiasticorum uirorum capitalia crimina quomodo punienda, ex concilio Toletano 503.9
ecclesiasticorum scelera & peccata ciuili magistratu prohibita & punita 414. 25
ecclesiasticis uiris à politicis iniuria & damnum illata 418.17
ecclesiasticis uiris in politicis negotijs nimium potestatis tributum 423. 54
ecclesiasticus cœtus quomodo fuerit hoc tẽpore distinctus 385. 11
de Ecclesiaste Salomonis. Rad. 267. 25
ex Echternacensi cœnobio canonici pulsi 418.24
ectasi correpti 609.25
Edgarus Angliæ rex acerrimus delictorum inquisitor atq; punitor 366.2
Edgarus Anglorum rex impius in deorum album cum scorto & filia relatus 361.24
Edgari Angliæ regis magnum circa Christianam religionem studium 363.29
Editha Edgari Angliæ regis suppositicia filia 360.28. & ibid. 60
educationis piæ liberorum exempla 364. 19
Eduuinus, seu Eduuernis, Angliæ rex 29.10
Eduini XXVII Angliæ regis incestuosus concubitus 372.34
Eduini impij regis anima, Dunstani precibus ab inferno liberata, & in pœnitentium animarũ sortem translata. Ranulphi nugatoria narratio 331.50
Eggehardus in Augiensis monasterij gubernatione, Alenuici successor 661. 56
Egidij & Ebonis archiepiscoporũ Remensium depositiones, confirmatæ 511. 50
Egilolphus Hirsfeldensium monachorum abbas 665. 6
Egla coniunx ducis Rossorũ 19. 26
Einsidlensis, siue Heremitarũ abbatia 341.24
Elbertus comes 421. 34
de Electione 112. 16
electio Dei gratuita, reprobatio iusta. Ansb. 112. 55
electionis gratia tantum nos seruari. Rad. 131.54
electorum & reproborũ quomodo Deus nũc & in futuro iudicio recordetur & obliuiscatur 109.9
electos fieri uel nõ fieri, in nostra potestate positum. Theop. 272. 14
electi à Deo cur aliqui sint, alijs ab eodem reprobatis quæstio decisa per Ansbertum 112. 40
electi malè ab Imperatorib. puniti 414. 47
electores principes 720.34
electores Germaniæ à Gregorio V Rom. pontifice constituti 546.8
de Eleemosyna 173. 45
eleemosynæ plus satis à Radulpho laudatæ 274.35
Elserus Metciorum princeps prò coniugatis sacerdotib. dimicat 453. 54
Elfrida Anglorum regina 372.9
de Eligendi episcopos iure cõcertatio 427.54
Elienses, seu Angularienses dicti sunde hoc nomen sortita. Malmesburius 383.51
Elphlegi Vintonienses episcopi de trib. à se electis siue ordinatis presbyteris prophetia 394.4
Eleusinia monasterij apud Augustam prima abbatissa 676. 20
Eluuangenses cœnobij administratores 665. 5
Engelbertus Hartmãni in Sangallẽ sis cœnobij abbatia successor 657.1
Engelfridus Aquileienses patriarcha 560.32
Eouuardus Aldenburgensis ecclesiæ episcopus 615. 59
S. Epiphanij ossibus peculiare sepulchrum paratum 336.26
Episcopi suo munere hoc seculo qua ratione sint functi.
Alijs populis idoneos uiros mittebant 386. 9
ad Bonos mores hortabatur. ibi. 50
bono exemplo aliqui præibãt 387. 46
coniuges sacra benedictione initiarunt. ibid. 13
discipulos suos, quib. pietatẽ & artes traderent habebant 385. 58
doctrinæ propagatores, quãdo sua legatione absoluta reuersi erãt, inter alias gentes honestè habebant 386. 13
ecclesijs singulis, singulus tantũ episcopus præfuit 385. 27
falsa dogmata, eorumq; assertores impugnabant. ibid. 51
ad Gentes alias euangelij doctrinam perferebant 386. 3
hæreticos præfractos & manifestè sceleros os ecclesiastica censura cohibere, et excõmunicare debebant. ibid. 29 (38
hostes suis colloquijs placabãt 382.
Imperatorum auxilia quando à potentib. regna uel ciuitates oppri mebantur, implorabant. ibid. 22
libros componebant 386. 41
literas sacras in uernaculam linguã transfundebant 385. 46
de Matrimonialibus causis tractabant 386.23 obuiam

obuiam Imperatoribus procedebant, eosq; honorificè excipiebant.
pauperum curam habebant 388.16
postulatis iniquis & impijs restiterunt. 387.52
reges coronabant ibid.52
regibus & Imperatoribus adfuerunt. 388.59
sacramenta administrabant 386. 39
seditiones compescebant 387.33
temporum rationem festorum, ieiuniorum, &c. rudi populo indicabant. ibid.19
pro Victorijs gratias agebant 388.6
uisitabant 386.20
uitia & peccata grauiter & liberè arguebant. ibid.18
Quibus uitijs atq; peccatis laborarint.
Alios ui expulerunt, seq; eò collocarunt 390.38
cum Armis & equitatu, principum more, processerunt 392.32
auaricia quadam plura bona ad se trahebant 391.3
bella uel inter se uel cum alijs gesserunt 392.39
ceremonijs plus temporis, quàm sacris concionibus tribuerunt. 390.32
ciuilibus negocijs se implicuerunt. 391.12
à Contugio, quorum liberi è baptismo suscepti erant, arcebant. ibid.8
docendi officium negligebant. 389.52
dominari super alios præsumebant 391.18
electos ritè eijciebant 390.16
excommunicatione contra hostes pugnabant 391.13
fidem imperatoribus & regibus non habebant 393.16
Imperatoribus armis se opponebant. ibid.46
legationibus politicis perfuncti sunt 392.6
miracula falsa faciebant 390.41
monasteria ædificabant. ibid.60
prostitutionum ministros sæpè se præbebant 393.29
regna huius mundi simul susceipiebant & administrabant 392.27
templorum & monasteriorũ structuras, magis quàm alijs plus necessarijs officijs uacabant 390. 46
*episcopi ab Imperatoribus dati & confirmati* 412.19 *sui officij ab ijsdem admoniti* 414.13 *à nemine præter sanctæ Apostolicæ sedis sententiam, damnentur, aut propria sede pellantur, Iulij papæ decretum* 480.28
*episcopi Romani regnum, quantopere ecclesias in Europa omnes hoc seculo obumbrarit & obnubilarit* 7.1
*de Episcoporum & doctorum huius seculi uitijs* 520.15 *auaricia* 391.3 *depositione* 319.54 *donis quibus fuerunt hoc seculo ornati* 393.56
*episcoporum iudicia non aliter quã sedis Apostolicæ authoritate esse terminanda. Damasus* 473. 59
*episcopi Saxonum, qui in concilio Althaimensi præsto esse recusarunt, anathematizati* 431.55
*episcoporum, qui Romanæ Synodo contra Ioan. XII cõgregatæ, interfuerunt, catalogus* 434. 45
*episcopis ab Imperatoribus priuilegia data* 423.40
*de ijs qui Episcopis damnum dant, Iulius papa* 480.39
*episcopos se inuicẽ erudijsse* 399.53
*ergà Episcopos & monachos Imperatores nimis fuisse largos* 418.30
*ab Episcopis euangelij doctrina ad alias quoq; gentes perlata* 386.3
*de Episcopis damnatis, & post excommunicationem, ministrare uolentibus, decretum* 471.2 *expulsis suisq; rebus expoliatis Stephani papæ decretum* 479.60 *Marcelli papæ* 482.3 *Syxti papæ* 480.22
*episcopatus unde dicatur* 209.48
*episcopatum suscipere auersati.* 599.21
*episcopatu deiecti* 581.30
*episcopatus à papis expetiti* 407. 40
*episcopalis pietatis præclara opera, scilicet* 579.14.
*epitaphia* 595.32 & 600.20 & *inde* & 600.10 & *inde. Euerhardi, fratruelis Theodorici Metensiũ episcopi* 330.27 *Elstrudis. ibid.53*
Epternacenses abbates 663.41
Erchanbaldus Argentoratensis ecclesiæ gubernator 596.59
Erchingerus anathematizatus. 431.44. & ibid.58
de Eremitis. 361.13
Erfurdensis synodus 432.51
Erhardus Luneburgensis monachus 670.17
Eris 427.31
Ermegarda Adelberti, Eporegiæ ciuitatis marchionis uidua 372. 26
Erpho Vuormaciensis præsul 601. 47
Erpo Verdensium præsul 618.28
Erponi Vernensi episcopo ab Othone III permissum, ut suo nomine monetã cuderet 418.48
eruditione insignes 578.4 & 596.19
de Esdra scriba. Giselb. 263.58
de Esdræ & Nehemiæ libris 266. 26. Giselb.
de Ethelredi Odgari & Elfridæ filij baptismo 294.47
Ethelwoldus Vintonensis episcopus 638.12
Ethgarus nimium religiosus 15. 43
Etticho Augustanorum episcopus. 604.28
Eualbertus Mediolanensis sedis antistes 555.11
de Euangelio 152.33
euangelium curita ducatur 152.34 *unde sit* 153.3 *quid à lege differat. ibid. 37 sinopi conferatur. ibid. 24 Dei & Christi unum atq; idem euangelium* 152.47 *non docet defectionem aut inobedientiam erga magistratus* 153.11
euangelij doctrina quæ sit 153.11 *quis finis. ibid.24 promissiones* 154.1
euangelio cur alij credant & corrigantur, alij non 184.7
euangelia quatuor cur nobis data. Theophylactus 41.60
Euerhardus Spirensis doctor 597. 34 & 429.9 Hirsaugiensis monasterij electus præpositus 666. 42
per Europam ecclesiæ 10.21
de Europæis doctoribus 520.36
Eutyches presbyter in Constantinopolitana Synodo depositus. 508.56
exactionum iniustarum exempla. 372.59 & inde
excæcare & obdurare Deus quomodo dicatur 181.6
de Excommunicatione 296.4.
de Excommunicatis 297.1
excommunicationis aliquot formulæ. 297.17 & inde. finis 194.12

exẽplo bono aliquos episcopos gregi præijsse 387.46
exilio damnati 538.12 & 578.43 et 583.16 & 596.35
ab Exilio reuocati 634.37 & 637.5
de Exodo 265.1 & 268.34
exorcizatio 320.14
expulsi iniustè, ab Imperatoribus restituti 414.40
Ezico Aldenburgensis præsul 616. 40

F

FAbarien sis monastici collegij rectores 665.18
facundia insignes 576.45 & 595. 17
fames dura, in Francia 679.48 in Italia 681.34 in Gallia & Burgundia 682.14 in toto mundo. 684.12
Fathodus, siue Ethelredus coniugij sacer dotalis propugnator 455. 14
febre extincti 608.45
ferri candentis gestatione uera fides confirmata 641.36 ueritas & innocentia hoc tempore cõprobatà 377.26
ferro necati 546.2
festum omniũ defunctorum 404. 20
de Festis hoc seculo in Ecclesia celebratis 321.44
fides quid 164.19 unde sit. ibid.53 contingit per uerbum 165.3 eadem utriusque testamenti. ibid. 30 grano sinapis cõparata 161. 1 & 162.5 uincit omnes tentationes & mala. ibid.13 habeat ad iuncta opera 161.50 amplectatur uniuersam doctrinam uerbi Dei 161.25 magis magisq; crescere debet 154.60 debet charitate animata esse 157.2 non est res indemonstrabilis & impostura 164.26 tum dignitate tum tempore lege superior. 148.2 non destruit, sed statuit potius legem 159.57
fides in Christum 161.46
fides nostra quomodo contaminetur. Theoph. 259.24
de Fidei natura 165.14 effectu. ibid.34
extrà Fidem nulla salus 165.19
fidem non solam, sed coniunctam cũ pœnitentiæ satisfactione iustificare, Radulphi præpostera sententia 273.57
ad Fidem Christianam conuersi. 615.38 & 611.19
fidem qui fefellerunt 587.44
de Fide, huius seculi doctrina 164. 18 Luitprandus 553.47
de Fide historiæ 164.49 indubitata 162.1 duplici 164.42
fideles cur pij dicantur 159.35
fidelium duo genera: unum robustius, aliud infirmius 201.5
in Fidelibus quomodo Christus nũc regnet, & deinceps regnaturus sit 224.48
de Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo 72.34
Filius Dei dicitur uerbum 72.35 α & ω ibi. 57 similis filio hominis. 73.34 mediator Dei & hominum. ibid.52 agnus 74.4 lapis mũdus. ibid.8 angelus. ibi. 30 initium. ibid.52 facies patris 75.30 Christus. ibid.35 primogenitus & unigenitus. ibid. 47 saluator & Deus. ibid.50 agnus Dei 76. 31 deradiatio aut splendor. ibid.42 primogenitus creaturæ 77.8 Iesus. ibid.29
Filius Dei, natura Deus 78.6 æqualis patri 79.38 æternus. ib. 48 semper cum patre existens. ibid.54 uerus homo factus 80. 52 quare 83. 20 pro omnibus traditus 158.15 quomodo à patre pro nobis traditus esse dicatur 92.59
Finis & interitus rerum quomodo sit futurus 245.16
in Flandria præcipui monachi 673. 45
Flaualdus Remensis monachus 651. 50
Floriacenses monachi 649.58
fœderà icta 573.55 & 584.17 rupta 583.34 cum dæmone inita. 547.22
fœdifragos Rom. pont. plerunque fuisse 405.53
propter Formosi acta Rom. pontifi cum dissidium, mutuaq; lanienа 425.23
de Formosi, post mortem, corpore. Platina 332.12
Formosi corpus à Sanctorum imaginibus adoratum & salutatum. 689.51
fornicationis causa 136.38
de Fortitudine 173.52
fortitudinis bellicæ exempla 366. 42
fortuna elati atq; superbi facti 657. 40
Franciæ doctores 585.10
Franciæ proceres à Ludouico desciunt, & ad officium ui atq; armis denuò compelluntur 679. 32 13.44
in Franconia ecclesiæ
Frãci à Saxonibus graui prælio cesi 705.14
Francorũ reges sacro Remensi conuentui interuenunt 512.51
Franco Vuormacien siũ episcopus. 601. 18 Rothomagensis episcopus 569.33
fratres in Scriptura tribus modis dici 42.36
fraudium exempla 376.5
Fridegogus S. Saluatoris apud Cantuariam monachus 673.2
Fridericus, Hildeberto in Moguntina cathedra surrogatus 587.34
Fruxinum urbs expugnata 584.47
Fruxinenses, siue Frisingenses doctores ibid.2
Fulcherius Nouiomagensis ecclesiæ gubernator 575.24
de Fulcone occiso Synodi Gallicanæ 430.49 653.54
Fuldenses monachi
fulmine cœli icti 586.39 & 585. 56 & 679.17
Fumi nomẽ quare pro peccatorum confessione ponatur 52.49
de Fure equum abigente fabula. 692.6
futura Christus prædixit 95.51 à nonnullis episcopis prædicta. 594.2

G

GAllicani episcopi atq; doctores 565.46
Gallicanæ Synodi 430.49
Galliæ monachi 648.23
in Gallijs ecclesiæ 21.47 tumultus. 716.38. & inde. motus sub Otthone primo 710.42 bellum sub Henrico I. Imp. 706.59
Galtherius Senonum archipræsul. 569.51
Gana Dalmatiæ urbem Henricus I. Imp. capit. 707.48
Gandersheimenses abbatissæ 675.4
Gandense cœnobium restauratum. 343.11
Grandensis monasterij abbates. 674.11
Gebhardus Reginoburgensis præfectus 583.56 primus Reginoburgensis pontifex 422.43 Augustanus episcopus 604.42 Constantiensis episcopus 595.16
Gedeon figura Christi 89.11
Gedeonis uellus, uirginis Mariæ corpus

corpus. Giselb.
Gezo in Vngaria 275.39
Gelio S. Petri apud Herbipolim 29.43
Gerardus abbas 661.26
Gemblacenses abbates 668.29
Gemeticenses monachi 651.40
Gemeticum cœnobium restauratũ. 651.43
De Genesi. Giselb.
Gentilibus priuati 264.52
Gentes nondũ conuersas à Rom. pont. episcopi missi 702.16
Gentilium religio quibus hoc tempore in locis uiguerit 403.51
Gentilium capita 697.4 opinionum 697.36 sententiæ diuinis eloquijs à patrib. cur inserta 656.13 præcepta de moribus nugas esse, quæ homines in bono cõseruare nõ possint 130.1
Gentilissimus 697.3
Gentilissimi regimen sacrũ. ibid. 48 ceremoniæ et ritus ibi. 58 propugnatores 698.50 à quib. & quo modo contra hos sit pugnatum. 699.2
Genua urbs, inter Alpes Coccios ad mare Africanum sita, à Sarracenis uix expugnata, et horribiliter uastata 630.1 hæc clades quo portento denotata 679.58
In D. Georgij honorem monasterũ constructum 340.27
S. Georgij corpus in Calcouonien. cœnobium repositum 336.21
Gerardus Gandensis cœnobij, à Matgrio comite reparati, abbas 674.13
Gerbertus Eluuangensis monasterij gubernator 663.6
Gerberga Gandersheimensis abbatissa 675.19
Gerhardus Leucorum antistes 508.2 Batauensis ecclesiæ antistes. 579.59
Gerhardus, siue Eckenhardus, Sangallensis superbus atq; temerarius abbas 659.13
Gerlandus apud Senones præsul. 570.18
Germaniæ episcopi & doctores. 579.33 monachi 653.52
In Germania ecclesiæ 12.45
Gereberti archiepiscopi in Mosoui enſi cõcilio habita oratio 517.7
Gerrichus Herbipolensis abbas. 661.30
Gero Coloniensium episcopus. 609.15
Geysas rex siue dux Vngariæ 16.17 & ibid. 43 Christianæ religionis apud suos sedulus propagator 414.59
Gezo Hugoni rebellis utroq; lumine priuatur 365.57
Giselbertus Angliæ doctor 639.52 quibus opinionib. luserit 640.59 eius næui, quibus ueras de doctrinæ Christianæ capitibus sententias obfuscauit 640.43
Giselberti erga Berengarium ingratitudo 371.48
Giselbertus Remorum archiepiscopus sua dignitate exuitur restituto Arnulpho 314.15
Giselerus, uel Hisillarius apud Magdeburgum antistes 617.47
Gisilbertus Lotharingiæ dux et abbas 663.48
Giutha ui ex Ratisponensi cœnobio rapta 362.2
Gladbachenses primarij monachi. 669.19
gladius in Scripturis 56.26
gladio politico aliqui pontifices Roman. usi 543.5
globi ignei duo miraculosè è cœlo demissi 686.5
gloria Christi 94.46
ad Gloriam futuram nihil dignum inueniri uel comparari potest. Smarag. 261.21
Gormo impius et crudelissimus rex. 21.9 & 25.46 & 31.14
Gotfridus apud Spirenses doctor. 598.6
D. Gothardus Tigurinis magister datus 422.21
Gotherius S. Matthiæ extra muros Treuirorum abbas 660.14
In Gothiam & Sueciam doctores, prædicandi Euangelij ergò, missi 385.35
Gothorum episcopi 642.43
apud Gothos hoc tempore idolorũ cultum in usu fuisse 697.29
Gotschalcus Fruxinensium præsul. 584.49
Gozelinus Leucorum episcopus. 567.40
In Græcia ecclesia quomodo propagata 16.2 schismata 427.51
Græcum bellum 717.6
Grandensis ecclesia 409.39
gratia Dei 158.45 cur data 130.27 sine hac nihil est liberum arbitrium 131.20 hac omnes iusti ficantur 158.49
gratia seu misericordia Dei iustificatos, non debere segnes, sed ad bona opera alacres esse 160.7
gratiæ Dei in homine triplex operatio 108.9
per Gratiam Dei quæ bona nobis contigerint 163.8
de Gratiarum actione 179.40
Gregorius v. papa 545.1 eius constitutio 546.1
Gregorius Einsidlensis abbas 674.41 Aquileiensis patriarcha 560.43
Guaimirius Salernitanus princeps. 420.34
Gualo S. Germani in Gallia abbas. 648.38
gubernationis ecclesiæ huius seculi ratio 385.26
gubernatores ex superstitione monachi facti 423.58
gubernatorum ecclesiæ huius tempestatis peccata 389.52
Guido Mutinensis præsul 562.9 perfidus Metensis episcopus. 393.17 Thusciæ comes 529.28

H

H Adamarius Fuldensis abbas. 654.11
Hadbertus Curiẽsis episcopus 592.28
hæreses hac tempestate grassatæ. 279.42
hæretici præfracti & manifestè scelerosi ab episcopis coherciti, & excommunicati 386.29
contra Hæreticos in Occidente quo modo pugnatum sit 281.47 quo modo in Oriente ibid.50
de Hæreticis huius seculi 677.26
Hæmorroussa mulier, Ecclesiæ figura 158.9
Halberstadenses episcopi 620.51
Hamburgensis ecclesiæ priuilegia à Sergio papa innouata 408.45
Haquinus Noruegiæ rex 29.52
Haraldus 17.14
Haraldus Daniæ rex ab Othone primo superatus, & ad officium reuocatus 713.8
Hartfridus Sueuus, Ix Hirsaugiensium abbas 666.32
Hartmannus seu Harimãnus S. Galli abbas 656.53
Hartuuicus Tigurinus abbas 661.12
Hatto cognomento Bonosius, Moguntinus episcopus 590.8 & 585.25

585.13 sicarius & proditor 704.51 Alberti comitis proditor 393.30 fulmine ictus 679.17
Hatto comes perfidus 375.50
Hauelbergensium doctores 619.34
de Hebræorum epistola 269.38
Helena, Rugorum regina 16.3
Heimfredus abbatiæ in Fuldensi cœnobio administrator 653.57
Helinandus x. Mindensium præsul 624.46
Henricus 1. Imperator 705.56
Henrici 1. Imperatoris celebre bellum cum Vngaris prope Merseburgum commissum 707.50 votum de Simoniaca hæresi è regno suo expellenda 282.21
in Henrico 1. Imp. illustre virtutis exemplum 706.21
Henrico primo ad Imperij gubernacula sedente, quæ fortuna uel prosperа uel aduersa ecclesia sit usa 26.8 quæ contentiones obortæ 415.47 quæ concilia agitata 432.6
Henricus, Otthonis secundi patruelis, Otthone primo defuncto, regnum affectat 710 seditiosus è sede sua expellitur. ibid. 26
Henrici regis in administratione regni diligentia 364.47
Henricus dux, Otthoni magno suppiex factus 380.27
Henricus ecclesiæ apud Augustanos antistes 603.54 Treuirensis ecclesiæ gubernator 576.4
Herigerus, uel Hurgerius Moguntinæ ecclesiæ administrator 586.46
Herigerus, siue Henricus Lobiensis abbas 650.56
Hermeus, uel Heruеus Rem rum pontifex 573.50
de Henoch & Helia Ansberti imaginatio 652.49
Heroldus Iuuauiensis siue Salisburgensis episcopus 581.57
de Heroldi causa Rauennæ synodus 433.31
extra Hierusalem cur Christus passus & mortuus sit 90.14
Hildebertus, Herigeri in Moguntina ecclesia successor 586.58 Iuuauiensis episcopus 581.52
Hildebrandus Bertiniani cœnobij abbas 673.55
Hildebold us, fratris sui Annonis, apud Vuormacienses, in episcopatu successor 609.50
Hildesheimenses episcopi 619.52
Hildewardus Halberstadensis episcopus 622.25
Hilduicus Beluacensium episcopus 568.54
Hilduinus Landociensis ecclesiæ episcopus 559.13
Hiltinus Augustanæ ecclesiæ episcopus 602.39
Himmo S. Galli abbas 658.59
Hirsaugiense schisma 429.6
Hirsaugienses abbates 665.19 monachi 302.14
de Historia sacra. Rad. & 267.44
Hodica monialium Mechelburgensium rectrix 676.26 cuidam Polonorum principi desponsata 361.35
Hogerus Hamburgensium archiepiscopus 609.49
homo animalis & spiritualis 122.18 interior & exterior 123.25 depravatus 124.38 mortalis 126.34 in quem finem factus. ibid.40 uetus & nouus 127.57
homo post lapsum 129.53 exterior Homo quomodo corrumpatur. Theop. 216.43
hominis generatio 123.11 materia. ibid.40 forma. ibid.45 ætates. ibid.58 ratio 124.49 exitus 127.12 anima. ibid.20
in Homine post lapsum quatuor mala apparent. Giselb. 138.49
hominum dignitas 125.12 ordines. ibid.26 ad Peccandum pronitas. ibid.45
hostes suis colloquijs placare episcopos solitos 388.18
hostia quæ Christo accepta 197.21
Hugbaldus Elnonensis conuentus, Amando dicati, monachus 674.1
Hugo Capetes 688.46
Hugo apud Vuirtzburgenses præsul 606 Remensis ecclesiæ præsul 574.20 Cicensis ecclesiæ antistes 619.20 Parisiensis comes Gallicum regnum adoritur 710.42 Magnus apud S. Germanum in Gallia abbatiæ administrator 643.27 Italiæ rex, plures simul uxores habet 372.46
Hugonis erga fratrem impietas 371.44
Hugonis Francorum regis ad Iohannem papam epistola 484.22
Hugonis in studiosos & artiū professores liberalitas 367.59
Huldboldus Curiensium antistes 292.44
S. Huldricus Augustanorum præsul 602.47 91.30
humilitas Christi 171.31
humilitatis exemplum Christus. humilitatis leuiter de suis laboribus sentiemus illustre exemplū 652.28
humilia cur Christus de se aliquando dicat 101.34
hyems acris & niuosa 681.44
hypocritæ exempla 365.50
Hypocritæ multi etiam in Ecclesia 203.40
Hypocritarum proprietas 206.48

I

Iacobum patriarchā plures uxores habuisse 340.45 345.24
idololatriæ exempla 3.5.24
idololatriæ cultus ab Imperatoribus postulati & confirmati 416.48
ieiunium ob terræ nimiam sterilitatem ab Ecberto Treuirensi episcopo institutum 576.38 336.39
de Ieiunio
ieiunia in publicis calamitatib. pro peccatis orationes indicta 322.24 loco satisfactionis indicta. ibid. 16 certis & statuis temporibus obseruata. ibid.1 77.29
Iesus nomen
Iesum Christum de pura uirgine natum Iudæi negant 694.46
ex Ignorantia & errore omne peccatum nasci 236.58 221.60
de Imagine Dei
Ad Imaginem & similitudinem suā Deus hominem quomodo fecerit 124
imago Dei, Adæ lapsu amissa, per Christum credentibus reparata 95.22
immundi spiritus cur sic dicantur 116.60
de Immutatione adhuc uiuentium corporum in aduentu Christi 245.52 224.40
de Impatientia
inter Impietatem & iniusticiā quid interfit 242.50 impijs

impijs temporibus em suam fœlicitatem nos nõ inuidere debere 222.44
de impijs, qui ob impietatem suam in hac uita non puniuntur 135.
imperio inter principes qui potiri debeat, Gregorij papæ decretũ. 405.40
an Imperator Augustus deinceps semper à papa Romæ coronare tur, Ioannis XIII pontificis constitutio 534.51
Imperatorem ex Germanico sanguine natum, & quidem à solis Germanis deinceps semper eligendum, Otthonis tertij decretum. 719.37
Imperatores quibus ritibus hoc seculo electi & maugurati 377.48 lautissimis omnium ab episcopis excepti 393.12
Imperatorum & regum iniquis & impijs postulatis uel edictis episcopos restitisse 387.52 auxilia ab episcopis, quando regna & ciuitates à potentibus opprimebantur, implorari consuetum 388.22
Imperatorum Orientis uestitus hac etate qualis 379.55
Imperatoribus & regibus episcopi adesse soliti 388.9 fidem episcopos non seruasse 393.16 se episcopos oppositisse 393.46 & 406
Imperatores præcipuè creandi Romani pontificem ius & potestatẽ habuisse 412.4 bona sua ecclesiæ dedisse 415.53
ab Imperatoribus Rom. antistites defecisse 405.57
Incestuum exempla 372.34 et 634.17
Incarnatio filij Dei magnum & admirabile Dei opus 80.53
Incarnationis Christi fides quid operetur 161.22 eius finis & usus. 90.10
per Incarnationem filij Dei, diaboli regnum destructum 89.13
Incendia 680.18 & 682.36
de Indauratione 181.6
de Infante monstroso 685.33
Iam infantes quam adulti hoc seculo baptizati 292.55
in Inferno qui futuri 256.21 qualia tormenta sint futura. ibid.27
de Inferno error, satanicis illusionibus confirmatus 692.39
Ingelheimensis Synodus 433.9. & ibid.50 & 451.46
ingenij præstantia insignes 576.45 & 577.44 & 603.1
ingratitudinis exempla 371.48
iniquitas ad mortem quæ sit 140.3
iniquitatis processus 126.15
iniquitates quas sacerdos noster Christus portarit 274.9
iniuriæ uindicatæ 531.22
ob Innocentiam uitæ commendati. 533.41
innocentiã demonstrandi ritus, hoc tempore solennes 377.1
de Instauratione ecclesiæ 21.8
in Insulis Mahometismus 699.37
de Intercessione pontificis nostri Christi. Theop. 67.58 & 97.18
sanctorum 179.21
ex Intercessione mutua duo bona oriuntur 177.35
in Interitum duo nos ducunt, mala doctrina & corrupta uita. Theophyl. 169.33
de Inuocatione Sanctorum in Missa. Rad. 275.14
de Iobi libro. Rad. 267.23
Iohannis bapt. mors cur Deo permittente maturata 513.32
de Ioãnis euangelio, Smar. 269.28
Iohannes cur Theologi nomen obtineat 79.46
Iohannes papa fœdifragus 405.53
Iohannes papa, qui & Octauianus dicitur 28.32
Iohannes X Rom. pontifex 524.6 undecimus 528.2 duodecimus 530.35 decimus tertius 534.26 decimus quartus 539.18 decimus quintus 542.34 decimus sextus. 543.37 decimus sept. ibid.54 decimus octauus 546.30
Iohannes X Rom pontifex, Eduardũ Angliæ regem per literas uehementer castigat, seq; illũ unà cum populo religionis hostẽ denunciaturũ minatur, nisi maturè episcopis accersitis religionis disciplinam seruandam præcipiat. 389.53
Iohãnes XII papa imperat. Otthoni perfidus 433.60 de hoc synodus Romana 433.58 eius scelera, quorũ in concilio Romano reus agitur 436.16 pontificali dignitate exutus 400.12 restitutus. ibid. 52 & inde. misera bilis eius exitus 441.44
à Iohanne XIII. Dũstanus neomãticus monachus quæ acceperit. 534.54
Iohannes Narniensis pont. punitus. 411.44
Iohannes Terracinensis episcopus. 549.43
Iohannes XXI apud Cassinenses abbas 644.3 Fabarij Curiensis cœnobij abbas 663.19 Romanæ ecclesiæ diaconus 549.9 martyr 678.16
Ioan. XXIX Cassinensis cœnobij rector 647.32
de Iohanne Zimisce 304.5 & 718.4 & inde. regio diademate coronatur 389.22 eius, post bellum Rossicum fœliciter peractum, triumphus 380.34.
Ioseph Latinensis presbyter 564.8
Iosephi similis historia 686.12 & 721.34
de Iosua libro, Giselb. 263.58
iridis significatio 111.35 ratio à Giselberto exposita 640.32 arcus adumbrat Christum 155.44
Isaac figura Christi 93.5
Isaac in Polonia martyr factus 678.16
Isengrinus Reginoburgensis præsul 582.56
ad Ismaelitas, abiurata Christiana religione, Nicolaus publicanus se conuertit 700.11
Italia Otthonis Imp. beneficio, à Berengarij filijq; eius Alberti iniquo imperio liberata 534.4 & 713.28 à Sarracenis affligitur et expugnatur 701.21
Italiæ doctores 549.1 monachi. 643.50
in Italiam Vngari irruunt 702.30 Sarraceni 711.34.
in Itinere qui defecerunt 617.41 et 618.12 & 620.43
Iudæi hoc nomen mendaciter sibi tribuunt 695.17 quare ad cognitionem Dei non peruenerint. 141.52
Iudæis cur lex tradita 147.11
Iudæorum in ueram Christi religionem odium 694.16
in Iudæorums blasphemijs refutandis à quibus quomodo laboratũ. 694.52 blasphemæ aliquot contra Christum sententiæ ab Ansberto refutatæ 696.
Iudæos in fine seculi per eximios doctores Enoch & Heliam conuertendos, Ansberti somnium. 652.49
de Iudæis historia ex Saxoniæ Chronico ab authoribus mutuata. 693.54

Iudaismus 694.37
Iudaicæ doctrinæ capita 694.38
de Iuda Ischarioth 120.33
iudicium extremum certò futurum. 250.47 quale futurum 252.26 quando futurum 255.5
in Iudicio extremo singulis pro factis suis rependetur 252.26
iudicandus quis sit, quis non sit. Damasus papa 482.30
iudex quis futurus 251.26 Christus. ibid.39
de tribus Iudicijs 251.7
de Iudicum libro. Giselb. 266.3
Iulinum Vandaliæ oppidum 697.34 & 698.14
Iulienses gentilis idololatriæ patroni 698.56
iurare Imperatoribus Rom. præsules solitì 406.23
de Iuramentis 174.23
iuramenta papæ præstita 410.16
circa Iusiurandum ritus 376.41
iustitia Dei quid 154.45
iustitia cõsummata est, uera fide & charitate Christo adhærere 156.9
iustitiã uniuersalem quomodo describat Theophyl. 164.3
iustitiam Dei seruare nos, non nostram 154.55
iusti quare peculiariter sint Dei. 163.27
iustitiæ in punitis sceleratis exempla 365.4
de Iustificatione 154.39
iustificat o unde 155.22 ex misericordia & gratia 158.36
iustificationis causa finalis 130.42 effectus 162.58
de Iustificatione. Luitprandus 553.42
iustificari nos fide 159.1 sola fide 160.15 omnes credentes iustificari 162.46 æqualiter. ibid.54
Iuuauienses, siue Salisburgenses doctores 581.40

L

Lambfridus ueteris apud Vuintonienses cœnobij monachus. 673.39
Lamperius Cracouiensis episcopus. 631.19
lancea Dominica ab Henrico Imperatore magno precio empta. 336.52
lanceæ Dominicæ victoria, quam ab hostibus Ottho reportarat, à Luitprando adscripta 554.58
lanceis confossi 558.54
Landbertus, siue Lambertus (iuxta Auentinum) Mediolanensis cathedræ præses 557.55
Landenulfus Nucerinæ sedis episcopus 564.28
Lando primus, pontifex Rom. 527.29
Landouuardus 11. ecclesiæ Mindensis episcopus 625.6
lapis ignitus è nubibus in terrã pro lapsus 681.49
lapides multi cum magno stridore ad thalamum Constantini Imperatoris, ante mortem eius delati. 682.30
de Lapsu hominis 119.14 renatorum 133.23
lapsus primorum parentum quomodo factus 137.18 eius causæ 135.39 finis 138.34
lapsum hominis Deus præuidit, nec tamen ideo eius causa existit. 111.6
Lapsos, si pœnitentiam agant, iterũ ad Deum cõuerti & recipi 180.8. & inde
laqueo suspensi 714.42
Lateranensis ecclesia à Sergio 111. papa reparata 527.1
Laudunensium episcopi 565.49
Laureacenses, siue Bathauenses episcopi 579.39
per S. Laurẽtij intercessionem Dei auxilium imploratum 368.33
legationibus politicis episcopi hoc tempore perfuncti 392.6
Leo uenerabilis sanctæ Romanæ ecclesiæ protoscrimiarius ad summum sacerdotij gradũ euectus. 440.31 iterum deturbatus. 444.4 denuò restitutus 447.12. & inde à Iohanne XII ei infidiæ structæ 400.52
Leo V Rom. pontifex 525.5 sextus 530.5 septimus 532.25 octauus 538.32
contra Leonem octauum Synodus à Ioan. XII congregata 442.2
Leo Cassinensis cœnobij monachus 647.40
Leo uigesimus Cassinensis abbas. 643.53
Leodienses episcopi 577.13
Leua Brabantiæ ciuitas 397.15
Leucorum episcopi 567.35
de Leuitico 265.9 & 268.40
de Lege 144.7
lex cur uocetur sancta 144.8 interdum pro ueteri Testamento ponitur. ibid.13 ubi promulgata 145.42 à mandato quid differat 151.8
legis diuisio 144.22 proprietas 145.50 intellectus. ibid.58 finis. 146.26 abrogatio 151.13 cum pædagogo collatio 147.20 sub Christus 146.42
per Legem quid discamus 146.57 homines eam non implere 147. non iustificare 148.1 Christum eam implere. ibid.51 non esse abrogatam 151.55
inter Legem operum & fidei quid interfit. Gisel. 151.49
lege quis legitimè utatur 147.35 sine ea peccatum mortuum 145.51
de Lege naturæ 146.9 illustrata 146.20
de Legibus cæremonialibus 150.10
leges uariæ homini à Deo datæ. 144.54
Libentius apud Hamburgenses episcopus 614.57
liber uitæ quis, uel quid sit 112.34 & 113.11
de Libro uerborum dierum Regũ Iuda 264.34
liberalitatis in pauperes & egenos exemplum 367.40 in studiosos & artium professores. ibid.59 128.23
de Libero arbitrio
liberum arbitrium ante lapsum 128.44 post lapsum in renatis 130.8 unde sit 131.1 hîc non plenariè restitui 135.14 eius definitio 128.24 diuisio. ibid.39
in Libidinem Iohannis XII pontificis, Luitprandi grauis inuectiua 532.7
libidinum exempla 372.16 & 526.53
libidinibus fœdis Rom. pont. indulsisse 406.46
linguarum peritia clari 593.42 & 632.22 19.53
Liptineus Bohemiæ rex
literarum scientia excellentes 597.54 & 600.27
lites diremptæ 580.5 & 581.25 & 587.17 quibus ritibus diremptæ 377.8
loca sacris destinata reuerenter colenda. Rad. 202.8
Londinensis matrona Iamiam mortura, Dunstani beneficio priuatæ ualetudini restituta 601.54

Longobardi defectores 714.
Lotharius Galliæ rex 716.44
Lotharingiam Ottho iterum sibi subjicit 711.10
Lotharingia ecclesia 15.5
Louaniense gymnasium 14.58
de Luctu mortuorum 244.52
Ludericus Luneburgensis cœnobij primus abbas 670.3
Ludmardus siue Luituardus, episcopus Vercellensis 24.56
Ludolphus apud Osnaburgenses episcopus 626.11
Ludouicus proditus 372.45 captus Veronæ oculis priuatur. 678.41
Ludouicus III Imperator 700.45 cum Vngaris pugnam committit 701.1 à Berengario oculis & genitalibus priuatur 702. 16 sine liberis moritur, & Rauennæ sepelitur. ibid.55 sub eo contra eum seditio à principibus excitata 704. 21
sub Ludouico quæ fuerit ecclesiæ tranquillitas & persecutio. 24.22 quæ schismata 424. 38 quæ celebratæ Synodi. 429.48 qui præcipui episcopi et doctores apud Veronenses. 562.43
Ludouicus Galliæ rex 709. 57
Ludouicus Bosonis filius, Prouinciæ atque Burgundiæ præfectus 705.45 Campidonensis cœnobij præfectus 662. 37
Luitarius Vercellensis episcopus. 579.21
Luitprandus Papiensis doctor 550. 43 dogmata eius quæ suæ historiæ obiter admiscet 552.28 insignes næui 553.49
Luitprandus Ticinẽsis ecclesiæ diaconus 27.57
Luneburgense cœnobium in honorem D. Michaelis archangeli ædificatum 340.23
Luneburgenses abbates 670.1
Lupoldus Augustanæ sedis præses. 604.26 Hirsaugiensis abbas. 656.21
Luizo Luneburgensis abbas 670. 12
luxuriæ malum
luxui dediti 119.18 703.2


M


Machabæorum libri 266. 35
Magdeburgum ciuitas ab Otthone quando extructa 710. 40
Magdeburgensis episcopatus ab Otthone magno erectus 415. 11
Magdeburgensem ecclesiam qui gubernarint 617.8
Magdeburgenses monachi 356. 31
Magdeburgensi cœnobio ab Otthone quæ concessa 423.30
magiæ dediti 547.11 & 574.54. & 703.2
magica arte monachi usi 454.16. 42 à pluribus hoc seculo exercitata 369.15
magistratus unde sit 241.9 à subditis contemptus 371.6
magistratus defensione semper ecclesia opus habet 241.28
de Magistratuum uindicta 242. 20 negligentia in administranda iusticia. Zonaras 370.44 diligentia in administratione reipublic. hoc tempore magna. 364.46


De Magistratus politici in gubernatione & iuuanda disciplina Ecclesiastica officijs.


Ablata restituunt 416.19
bona sua ecclesiæ dant 415.53
bonis ecclesiasticis student. ibid.58
ad Doctrinæ receptionem & suos & alios hortantur 414.58
doctores defendunt & alunt. ibid. 4 minus idoneos ab officio remouent. ibid.19
electos malè, puniunt. ibid.47
episcopos dant 412.29 ad propagandam cœlestem doctrinam ablegant 413.59 sui officij commonefaciunt 414.13
episcoporum aliorumq; ecclesiasticorum scelera atq; peccata cohibent ac puniunt. ibid.25
episcopatus instituunt 413.8
expulsos iniustè restituunt 414. 40
pauperes uisitant 416.29
pontificem Romanum elegerunt & constituerunt 411.59 & 412.4
priuilegia dant 416.33
ad Synodum, ab episcopis seu gubernatoribus malè sentientibus prouocant 414.34
Synodos cogunt, eisq; intersunt. 415.3
templorum, monasteriorum, & xenodochorum ædificationem, renouationem, & conseruationem iuuant. ibid.43


A' Magistratibus politicis, quæ contra suum officium, ecclesiæq; utilitatem facta sint.


Baalismum instituunt, uel ipsi nimis superstitiosè obseruant. 416.58
bona ecclesiæ inuadunt, suoq; fisco addicunt 417.14
consuetudines impias tolerant. 417.10
erga Episcopos & monachos nimis largi sunt 418.30
episcopis politica tribuunt. ibid. 48. priuilegia dant 423. 40
ecclesiasticis uiris in negotijs politicis nimium potestatis attribuunt. ibid.54. uim atq; iniuriam inferunt 418.17
ex Gubernatorib. superstitiosè monachi fiunt 423.58
idololatricos cultus postulant, aut confirmant 416.48
monasteria confirmant 423. 36
monasteria & ecclesias nimum ditant 419.23
monachos, pulsis uel sacerdotib. uel canonicis, substituunt 418. 23
sacerdotum collegia instituunt. 424.14
templa & monasteria nimis multa extruunt 418.60
¶ Mahometismus in Aphrica 699. 34
Asia. ibid.25
Insulis. ibid.37
à quibus & quomodo propugnatus ibid.51
impugnatus 700.6
in Mahometicis erroribus impugnandis Romanorum pontificum socordia taxata 700.8
¶ Maielpotus 25 Casinensis monasterij gubernator 645.26
Maiolus III. Cluniacensis collegij abbas 649.28
à Malo prius abstinendum quàm facias bonum 166.47 abstinere non est satis, sed bonum quoque facere necesse est 167.29

Manasses Arelatensis ciuitatis episcopus 555.30
mandatorum & testimoniorũ differentia 150.43
mandatorũ Dei obseruatio non iustificat 148.38
Manichæorum fœda secta ab Imp. Iohanne Zimisce Philippopolim relegata 520.32
Manso Casinensis abbas 646.59
mãsuetudinis et misericordiæ exempla 367.14
manus in Scriptura sacra 49 44
manus, cuidam homini ferro præsecta, post annum dormienti restituta 680.32
marchiæ siue limitaneæ ab Henrico I Imperatore sapienti consilio constitutæ 708.47
Marcus episcopus in Vallersleue. 616.56 Aldenburgensium antistes 615.37
maris aquæ salsæ, dulces factæ 682. 20
in Mari mediterraneo ecclesiæ. 10.8
de Maria mediatrice 274.42
Mariæ modum excedens laudatio. Giselb. 275.37. & inde. apparitio 686.49 de eius interiori tunica 337.10 ecclesia eius in monasterium mutata 340.6
Mariam, semper uirginẽ, sancti pi rius operante uirtute, nascituro ex humanis membris unigenito Dei filio, carnis suæ materiã ministrasse 82.24
Maria Otthonis tertij Imperatoris Sodomitica libidine infamis uxor 721.26. & inde
mariti erga uxorem officia 239.26. & ibid.41
Marozia scortum impudens, Iohannis XII pontificis mater 531.8
Martinus Romanæ ecclesiæ episcopus 549.3 III. Rom. antistes. 533.1
martyrij duo genera iuxta Ansber. 227.29 causa 219.60
martyres qui dicantur 227.26 ubi fiant. ibid.55
inter Martyres, milites, qui in bellis fortia facta edidissent, referendos, Nicephori Imp. decretum. 428.37
de Martyribus huius temporis. 678.3
matrimoniũ res uirginitate tutior. Theoph. 237.57
de Matrimonialib. causis tractare, fuisse episcoporum officium. 386.25
de Matthæi euangelio 269.21
Maximinus episcopus Begatensis degradatus 508.50
Mechtildis Quedlinburgensis prima abbatissa 676.58
mediator noster Christus 95.57 quibus uocabulis exprimatur. 50. 12 quomodo sit mediator noster 96.4
Mediolanenses antistites 555.8
Megapolensium conuersio 19.4
Megingus apud Hirsfeldenses abbas 664.53
Meginhardus Dithardi præceptoris in scholastico regimine apud Hirsaugienses, successor 667. 46
de Mendacio officioso 174.18
de Mercenario 218.30
de Messia 88.37 quando uenerit. 88.38 adhuc sibi mittendum Iudæi expectant 694.44
Metensis ecclesiæ gubernatores. 571.23
Methodius Morauorum episcopus. 19.45 & 628.57
Michael Reginoburgensis ecclesiæ pastor 583.8
S. Michaeli ac nouem angelorum choris sacrum cœnobium conditum 340.53
Miesco, siue Miecislaus qua occasione ad fidem Christi peruenerit. 17.57
milites potius quàm ecclesiæ gubernatores quosdam Rom. pontifices & episcopos egisse 528. 52
de Militibus in bello occisis Nicephori Phocæ decretum 332.28
Milo XII Mindensium episcopus. 625.28
Mimigardeuordenses, siue Monasterienses doctores 623.6
Mindenses antistites 624.18
de Ministerij fine 217.53 quæ huic contraria 218.8 tria ad hoc adferenda & contribuenda 213. 34
de Ministerio huius seculi doctrina. 209.47
minister uerbi Dei qualis esse debeat 210.27 sit coniugatus. ibid.38 acutus. ibid.55 non superbus 211.16 ubi docere debeat. ibid.22 orct 216.37 in uocatione maneat. ibid.44
ministri unde sint 209.52 non cõ niueant ad peccata 213.59 doceant 214.4 exempla proponant 215.25
ministri ecclesiarum electi, primum examinati de doctrina, postea demum ordinati 314.49 ab episcopis commendati 399.57 minus idonei à politicis magistratibus ab officio remoti 414.19
de Ministrorum uocatione 311.14 ordinatione 315.8 & inde. circa electionem et ordinationẽ, ipsorum casus 320.4 eorum officio 211.28 potestate 215.34 mori bus. ibid. 46 sustentatione. 216.56 dignitate 217.25 effectu. ibid.33 unde sit effectus. ibid.29 de eorum negligentia, querela Ansbert. 370.27
ministros ecclesiæ uocandi potestas, hac tempestate penes quos sita fuerit 311.10
mirabilia mundi Otho tertius nominatus 718.47
miracula falsa ab episcopis hoc seculo facta 390.41
miracula fabulosa 693.24
miracula Christi 95.42
miracula cur uerbo addita 228.15. Ansbert.
miraculis ad fidem Christi conuersi 641.39 fides confirmata. 641.37 & ibid.48
de Miraculis, quid hæc ætas docuerit 228.14
de Miraculis falsis. Theoph. 228. 48
de Miraculis & prodigijs hoc seculo editis 678.36
de Miraculis superstitiosis & fabulosis 686.31 dæmoniorum. 118.42
miraculis clari 577.4 & 595.1 & 636.21 & 638.44 & 649.40
misericordia Dei in omnibus nas prævenit, proficientibus multiplicatur 132.18 & ibid.8 307.7
de Missa
pro Missæ sacrificio stabiliendo mẽdacia signa 690.47
ad Missarũ solẽnia, pallia, aliaq; ornamenta à Romanis, Agapeti beneficio sacerdotib. missa 307.34
Mistauus Vandalorum rex 30.19
modi uerborum septem in Sacris cõprehenduntur 42.46
Moguntiæ primarium templũ, ipso quo consecrabatur die, mirando & iusto Dei iudicio, incẽdio cor

Moguntini antistites 585.12 abbates 668.13
de Monachatu, eiusq; ritibus 337. 56
monasterium ab Heinrico Treuirensi episcopo constructum. 343.25
monasteria ab episcopis ædificata. 390.60 recens extructa conseerari solita 343. 50 ab imperatoribus confirmata 423.37 hoc tempore pleraque episcopis subiecta 353. 58 à politicis uiris nimium ditata 420.23
monasteria hoc tempore quasi carceres & exiliorum loca fuisse. 354.47
monasteriorum præsides 349.50
cõfirmatio à pontificibus Rom. exacta 410.3 quis fuerit hoc seculo usus 347.31
circa Monasticen casus 361.48
in Monasterijs alijs plures, in alijs pauciores monachi degebant. 350.52 presbyteri, diaconi, & subdiaconi, ordinati 349.42
Theologia tradita 348.45
è Monasterijs egressi 654.28
de Monacho quodam S. Adonei Rotomagensi, Ranulphi narratio. 360.33
de Monacho quodam arctioris disciplinæ pertæso, ideoq; ex monasterio egresso, fabulosa historia 691.50
monachi huius ætatis 643.45 Europæi. ibid.46
monachi defectores Capuæ commorãtes, ab Agapeto Romano pontifice anathematis fulmine percussi 354.11
monachorum opera episcopi sæpe usi 354.35
monachorum studiosi & amantes. 573.21 & 602. 54 & 638. 21
ex Monachorum cœtu ad Ecclesiæ gubernationem quidam uocati. 348.57 aut prædicationis gratia ad gentes ablegati 349.34
de Monachorum huius temporis uestitu. Ranulph. 360.50 & inde corruptione. Polydorus Virgilius 409.48
de Monachis duobus ficta narratio 692.14
monialium uestitus 360.55
monastici ordines hoc æuo in immensum aucti 337.58
monasticæ huius seculi superstitiones 361.10
monasticæ uitæ dignitas quibus miraculis confirmata 691.23
monastico aratro manum qui semel admouerant, eam inde retrahere non licebat. Ranulph. 352. 53
monasticarum libidinum quædam exempla 360.27
mons Oliueti 65.60
Moses dux & Aaron sacerdos populo prælati, cuius rei imaginem gerant. Giselbert. 241. 28
de Mosis libris. Giselb. 268.20
per Mosen lex, per Aaronem Christus figuratus 153.38
Mosaica lex cur data. Theop. 144. 43
in Mosaicis scriptis, & posterioribus nihil non authenticum. 264.3
Mosomensis Synodus 516.15
inter Morauos & Bauaros schisma 424.39
Morauorum rex à Methodio archiepiscopo excommunicatione feritur 295.49
morbi unde 135.22
ad Mores bonos Radulphi exhortatio 386.51
in Morum compositione quid homo sibi & proximo debeat. 166.6
mors unde 244.11
mors propria à quibusdam præcognita 601.29
mortis imperium quomodo diabolus habeat 136. 45 præsentis & æternæ discrimen 243. 52 hora quare ignota 244.27
mortem cur Christus somnum nominet 242.49
post Mortem differentia 244. 39
morte subitanea extincti 542.17. & 601.48
mors Christi 91.23 & 51. eius utilitas 89.35
morte Christi qui saluentur 183. 26
mortis nomen in Apocalypsi 45. 54
de Morte animæ & corporis. Rad. 243.13
de tribus Mortibus. Ansb. 243.8 & inde
morientes uiuere 244.17
mulieres sint subditæ uiris 240.9
mundi materia 110.44 finis 111. 12 ætas. ibid.25
mundi sex ætates qui faciunt, à Giselberto refutati 653.10
mundum à Deo gubernari 111.50
in Mundo duæ partes: una Christi, diaboli altera 200.44
munus suum, qui sponte, certas ob causas, resignarunt 657.14 & 658.9
murium morsibus enecati 590.20 & 685.49
musices artisue canendi scientia insignes 602.23
musicorum instrumentorum gnari 633.47
muto adolescenti, Landoaldi corpore leuato sermo restitutus 689. 22

N

Nathanael martyr 678.16
de Natiuitate duplici 185.40
naturæ humanæ infirmitas 125.50 & ibid.59
nauis cum hominibus Odonis Cluniacensis beneficio seruata 692. 31
Nicephorus Phocas 715.26. & inde. à subditis cõtemptus, & tantum non lapidibus obrutus 371. 6 iniustis exactionibus subditos premit 373.1 eius auaricia 373.8 sacrilegium. ibid.18
de Nicephoro Phoca & Theophanone Romani uidua 325.41
Nicolaus publicanus apostata 368. 38
Nilus Italiæ monachus 648.15
Nithardus Sobonensis ecclesiæ antistes 582.44
Nodgerus abbatiæ collegij monasterij apud Sangallenses gubernator 656.13
nomina infantibus in baptismo indita 293.26
Noruegia Bernhardi Angli cuiusdam prædicatione ad fidem Christi perducta 643.16
Noruegiani, numina humanis hostijs placari posse, opinati 697. 41 quos habuerint præcipui eorum doctores 643.13
Notingerus, seu Notingus, Constantiensis præsul 594.17
in Nouissimo die quomodo Christus sit uenturus 251.56. & inde. & 253.35
de Nouitate uitæ 182.22
de Nouitate post baptismum 191. 49
nouus homo 130.53

nouum Testamentum præstantius esse ueteri 30.46 Omnia in eo esse noua 39.33
nubes, quando in sacro eloquio singulari uel plurali numero ponitur, quid metaphoricè significet 47.19
numeri, ternarius, quaternarius, & duodenarius in Sacris literis. 49.13
de Numerorum libro 265.16
nuptiæ Deo dicatorum detestabiles habitæ 360.18
nuptiæ quomodo sint sanctificatio. Theoph. 239.60 in resurrectione mortuorum tollentur 245.34
ob Nuptias secundas Nicephorus Imp. à Polyeucto patriarcha à sacris exclusus 456.10
circa Nuptias ritus 325.14 casus. ibid. 31

O

OBedientia erga magistratum 242.30
de Inobedientia erga doctores 271.7
oblatio Dominica quæ sit 158.3
oblationes fidelium ad altare, quib. distributæ 291.47
Obotritæ conuersi 18.56
obsessi ad loca sacra & reliquias Sanctorum, spe liberationis, ducti 337.46
per Oceanum ecclesiæ 15.41
Ochuuinus decimus Hildesheimensis episcopus 620.10
contra Ocium 127.1 & 136.42
oculis priuati 542.41 & 545.48. & 563.37. & 597.34
Odilbertus Gorciensis abbas 651. 13
Odo Beluacensis episcopus 568.60 cognomento Seuerus, Cantuariensis ecclesiæ doctor 632.21 siue Otho, apud Cluniacenses primus abbas 648.47
offerenda Deo quæ sint 197.24
Ogo Leodiensis episcopus 577.43
Olaus rex 23.24
oliuarum frondium in Palmarum die exorcismus 320.57
opera Dei duo esse præcipua. 108.2
opera bona in timore Dei præstanda. Rad. 171.21 Deus in nobis operatur 168.17 his Deũ placari, Radulphi sinistra opinio 274.20 & merita esse uitæ æternæ. ibid.
opera bona cur spiritales hostiæ dicantur 165.54 unde sint 167. 38 quæ facienda 168.27 quod præstanda 165.58 quomodo præstanda 169.58 quare placeant 170.40 non sunt perfecta 171. iuxta Decalogum facienda 169. 26 qui posint præstare. ibid. 46
opera carnis cur sic ab Apostolo nominata 168.10
operum bonorum finis 171.35. merces 172.7 ordo 170.59 compensatio à Deo expectanda 171. 40
de Operum meritis error diabolicis præstigijs confirmatus 692. 39
ex Operibus nõ esse iusticiam 172. 19
ex Operib. quamuis non iustificamur, tamen circa opera non decet nos desides esse 167.9
de Operibus bonis quid hac tempestate doctum 165.53
operandum fide 170.27 in hac uita benè operandum 171.27
oratio sumi uirgula dicta 174.28
orationis & gratiarum actionis exempla 363.37
orationis formula 177.57 effectus 179.34 in oratione quæ petenda 177.7 in ea uigilandum 175.2
de Oratione, Theophylacti et Smaragdi doctrina 174.27
de Oratione interiori 174.52
circa Orationes ritus 309.53
orandum quomodo sit 175.14 corde 175.37 cum ieiunio. ibid. 52 cum bona conscientia 176.8 cum fide. ibid. 22 in nomine Christi ibid. 41 & inde. ubi orandum 177.2 pro alijs ibid. 51
ordinatio cantorum 317.32 ostiariorum. ibid. 38. lectorum. ibid. 48 exorcistarum 318.6 acoluthorum. ibid. 20 subdiaconorũ. ibid. 30 diaconorum & presbyterorum. ibid. 44 & inde
ad Orientem, ecclesia mirabiliter per Dunstanum conuersa 691. 18
Osnabugenses antistites 625.40
Osualdus Eboracensis archiepiscopus 637.26
Otbertus Argentinensium episcopus 595.58
Otgerus Spirensis ecclesiæ gubernator 598.15
Othincarus Albus sacerdos 20. 51
Othricus apud Magdeburgenses episcopus 617.14
Ottho primus 14.13 & 22.12 concilium aduersus Iohannem XII instituit 433.60 à Bernhardo Halberstadensi excommunicatus 295.50
Ottho III religionis Christianæ fidelis propagator 413.40
Ottho palatinus comes 29.6
Otthonis, Heinrici Imperatoris successoris electio & ordinatio. 377.50
Otthonis secundi morituri testamentum 368.14 mater in egenos & pauperes liberalis 367. 40
de Otthonis tertij coniuge libidinosa, & comite quodam, narratio. 686.12
Otthonis Imperatoris laudabilis mos 363.47
Otthoni tertio Imp. eiusq; successoribus à Leone VIII priuilegium datum 720.7

P

PAcis politicæ qui rationem habuerint 533.17 & 534.3
Padebornensis urbs incendio conflagrata 627.15 monasterij priuilegia à papa & Imperatore innouata 408.28 præsules 626.31
pallium à Rom. pontificibus emptum 408.15
ob Pallij dignitatem contentio. 426.1
de Pane Eucharistico certamen. 427.2
in Pannonia ecclesiæ 33.56
Papæ ex cardinalib. designati 383. 20 ab Imperatorib. puniti 411. 40
contra Papas contumaces & periuros, Imperatores armis egisse 411.24 Synodos celebratæ. ibid. 32
Papia urbs 368.24 ab Vngaris incensa 707.20
Papienses, siue Ticinenses doctores 550.22
parabolam, non historiam esse, quod de Lazaro & diuite Christus recitat 523.51 Theoph. & 58.23
parabolæ in Scripturis quid 57.27.
paradisus & regnum Dei, non idem. Theoph. 260.50 typus ecclesiæ 209.7
in Paradiso cur Adam collocatus, & inde iterum eiectus sit. Rad. 129.16

129.26
Paralyticus miraculosè sanatus. 689.37
paralysi correpti 665.2
παραλύσεις & plemmelia 139.15
Parasceues diei qualis hoc tempore fuerit obseruatio 324.5
Parassius Lombardiæ ciuitas à Mediolanensi archiepiscopo armis deleta 393.9
Pariciditorum exempla 372.7
Parisienses doctores 575.8
Pascha 66.14 uetus & nouum. Theoph.
de Passione Christi 197.12
passio Christi in adflictionibus cogitanda 224.37 à nostra quomodo differat 228.5
pastor sibi commissum gregem pascat, nec sine maximo scelere eũ deserat: Synodi Romanæ decretum 455.54
pastoris ueri officijs perfuncti. 627.60
pastores à suis ouibus non reprehendantur, nisi à recta fide exorbitent. Eusebius papa 481.13 & inde.
de Patibulo suspensi
de Patientia 378.41
patientiæ exemplum in Luitprando 221.9 & inde. 551.56
de Patrinis, hoc est ijs qui infantes ex sacro fonte leuarunt 292.59
cum his coniugium contrahentes damnati 456.10
patrum scripta cum iudicio legẽda. 656.6
Paulus prius præscitus, postea prædestinatus 113.26
paupertas nostra spiritualis 138.4
pauperes ab Imperatoribꝫ uisitati. 416.29 curam eorum qui habuerint 613.60 & 615.12 eorum curam episcopos habuisse 387.26 hoc seculo non multa ipsis distributa 396.24
in Pauperes crudeles 590.14
peccatum originis unde 135.50
peccatum actuale quid 139.26 unde 140.35
peccatum omne tribus gradibus cõmittitur ibid. 15 siliquis absimilatũ 134.45 quomodo usq; ad Mosen regnarit 149.41 animæ mors. Smarag. 243.36
peccatum unum idemq; sæpe peccatum, & plaga, & peccati causa est 141.52
peccati uocabulum 133.30 definitio 134.21 natura. ibid. 43 pœnæ 139.1
peccati originalis effectus 137.33
peccati cur Christus expers 93.31
de Peccato in genere quid hæc ætas tradiderit 133.29
de Peccato Originis quid 135.38
de Peccato in Spiritum sanctũ 133.36
sine Peccato nemo præter solum Christum 84.1 & 141.12
à Peccato seu reatu suo quomodo sanctificetur homo 159.21
peccata omnia immunda 140.45
odio prosequenda 180.53
peccata seu lapsus magnorum hominum cur in Scripturis narrẽtur. 42.41
peccata uenialia 142.41
peccata per solum Christum auferuntur 156.48 post acceptam condonationem, deinceps uitanda 182.22 quæ sint remißibilia, quæ irremißibilia 133.36
peccatorum actualium diuisio 139.45 impulsiuæ causæ 140.22
peccatorum seu uitiorum Deus non est causa 68.57
de Peccatorum agnitione 180.41 & inde.
peccatorum esse gradus, Rad. 140.60 eorum finis 134.52 & 141.52
peccatis resistendum 142.45
à Peccatis Deum sæpe cohercere homines 183.31 quomodo Christus nos ab illis purgarit. 190.46
de Peccatis actualibus 139.9 interioribus 140.60
peccandi consuetudo quid efficiat. 126.8
peccatores quid faciant 166.28
pedes Domini in Scripturis quid. 47.34
de Peregrinatione ad loca sancta. 337.16
perfidiæ exempla 375.33
periuriorum exempla 369.57
persecutorum angustia & tribulatio. Ansb. 227.44
personæ diuinitatis sunt uerè & realiter distinctæ. Ansb. 70.52 earum in Trinitate differentia. 107.18
Petershusianum cœnobium 341.9
Petrum cur Deus labi permiserit. 133.24
in D. Petri honorem monasterium extructum 339.37 & ibid.50. & 340.39
Petri & Pauli apparitio facta 686.35
S. Petri catena, qua uinctus dicebatur, circundatus obsessus, à diabolo liberatur 689.30
Petrus Tiburtinus presbyter 560.57 Vrseolus Venetorum dux. 416.29 Romanæ urbis præfectus, à Iohanne XIIII, quòd seditionis aduersus ipsum motæ cum alijs quibusdã author esset, punitus 540.15
in B. Petri ecclesia Romana concilium habitum 442.15 basilica Romæ Ottho Imp. à Iohanne XIII pontifice publico & solenni ritu, Germaniæ Pãnoniæq; titulo ornatur 535.25
Petri thesaurus à Romanis raptus. 417.18
peste extincti 666.38 & 654.58 & 622.59
pestilẽtia grassata 680.28 & 682.45 & 687.23
de Philosophorum scripturis 262.6 unico studio 262.48
de Philosophis huius ætatis 677.8 multa eos à lege & prophetis uera didicisse 262.56
philostorgiæ exemplum 364.12
physices periti 640.32 & 655.37
de Pietate 151.43
pijs in hoc mundo labor indicatur, post mundi uerò huius finem requies seruatur 259.50 omnia mala cooperantur in bonum. 225.34
Pilgrinus à Benedicto VI Laureacẽsis archiepiscopus declaratus. 407.46
Pilgrinus Bathauensis & Laureacẽsis ecclesiarum pontifex 580.26
Placentini antistites 561.39
Plegmundus Dorouernensis archi præsul 639.5
Pleimundus apud Cantuarienses antistes 631.42
pœnæ peccatorum 139.1 has aliqui hic, aliqui ibi, aliqui neq; hic neq; ibi, sustinent 134.12
pœnam pro peccatis tuentes, & postea iterum in eadem peccata incidentes, grauiora patientur. 135.5
in Pœnis Deum misericordiæ suæ recordari 554.3

pœnitẽtia quòd sit agenda 180.3 unde sit. ibid. 16 quid sit. ibid. 2 duplex, iuxta Radulph. acrior seu uirilis, & remissior seu fœminea 179.57
pœnitentia digna 184.36 publica 304.17
pœnitentia necessaria, priusquàm boni aliquid facias 169.54 super qua re sit agenda 170.1 non sit coacta, sed spontanea 180.36 eius impulsiuæ 180.35 non differenda 183.41 ad eam Deus per castigationem aliquos interdum uocat 184.27
pœnitentiam agentes saluari 183.25 à Deo recipi 181.54
Pœni extrema quæq; Christianæ reipub. minitantes, cæsi 366.10
poeseos periti 550.55
de Poetis 262.51
politica episcopis ab Imperatoribus tributa 418.48
politica decreta à Rom. pont. sancita 405.36
à Politicis uiris cõtra suum officiũ, & ecclesiæ utilitatem quæ gesta. 416.45
Polonia qua occasione fidem Christi acceperit 17.47 à Iohanne XIIII ad papismum inuitata. 403.53
in Polonia ut ecclesia propagata. 17.46
apud Polonos sub Miecislao duce, quando in templis seu publico cœtu Euangelium recitabatur, quid fieri solitum 291.23 quid cum pueris septimo ætatis anno fieri solitum 698.27
Polyeuctus Constantinopol. pontifex 521.50
de Polygamia 240.45
polygamiæ exempla 372.46
pontifex noster Christus 96.18 & ibid. 28
pontifici Rom. ninnius honos exhibitus 407.34
pontificem Rom. eligendi potestas à Leone papa Ottoni cur concessa 412.6
pontifices Rom. tyranni 526.27 ab Imperatoribus, episcopis et plebe Rom. simul electi 411.59 quidam à scortis euecti 382.11

De pontificum Romanorum principatu atq; tyrannide.

Bella gerunt 405.47
bona ecclesiæ furantur 406.21
scortis dant. ibid. 54
decreta politica sanciunt 405.36
decreta & constitutiones alter alterius mutant 406.60
in Ecclesiarum extructiones nimis magnos sumptus faciunt 404.27
ecclesias pro libitu tollunt ac deprimunt. ibid. 5
fœdifragi sunt 405.53
ad Gentes nondum cõuersas, ut eos pontificio charactere imbuant, mittunt 403.51
Imperatoribus iurant 406.13
imperatoribus & regibus sese opponunt, leuiq; de causa exilio excõmunicant. ibid. 2
ab Imperatoribus deficiunt 405.57
libidinibus fœdis indulgent 406.46
principatum, uel in primis propter Apostolorum corpora extollũt. 403.36
reges creandi, inaugurandi seu coronandi & deponendi ius ad se trahunt 404.48
regibus coronas mittunt 405.33
in Regionibus alijs episcopos constituunt 403.46
ritus superstitiosos confirmant. 404.19
sacerdotum legitima coniugia distrahunt 406.50
sese inuicem deponũt & execrantur 407.5
Synodorum, quibus ipsi non interfuerunt, acta damnant 404.19

Pontificum Rom. dominatui atq; tyrannidi hac ætate qui se opposuerunt.

DOCTORES. ut,

Arnulphus Aurelianensis 410.45
Platina. ibid. 53
Sergius tertius 411.10

IMPERATORES.

Armis contra papas cõtumaces atq; periuros agendo. ibid. 24
Synodos cõtra eos celebrãdo, eosq; deponendo. ibid. 32
eos puniendo. ibid. 40 pro primatu eorum stabiliendo, signum mendax 689.48 de degeneratione ipsorum, Platina 410.53
¶ Pontifices Romanos & archiepiscopos ordinandi ius Otthoni Imp. à Leone Octauo concessum 448.54 & 452.39
ipsos sese inuicem deposuisse, & execratos esse 407.1.
pontificatum, uiuo adhuc pontifice, sub excommunicationis pœna nemo ambiat. Symmachus papa 480.45
pontificatu deiecti 537.4.12 & 545.17
pontificiarum uirtutum Iohannes XIII uiuum exemplar 534.41
Poppo quibus miraculis suæ doctrinæ ueritatem confirmarit. 683.39
Poppo XIII, in Herbipolensi sede episcopus 605.17 iunior prædicti Poponis successor. ibid. 34
apud Danos episcopus 641.27
Potamius Braccarensis archiepiscopus deiectus 510.4 & inde in Potestatem alienam redacti 571.34 & 572.48
à Potestate aliorum liberati 572.43
de Potentijs in homine 115.4
præceptum de dilectione proximi cur aut quomodo sit simile priori præcepto de dilectione Dei. 168.50
præcepta moralia etiam noui Testamenti populo obseruanda. Gisselb. 145.11 horum ordo & breuis explicatio. ibid.
præceptorum cæremonialium & moralium discrimen 150.18
in Præceptis suis quid conditor omnium intendat 146.26
de Prædestinatione 111.14
prædestinare non idem quod præscire 113.49
prædia ab Otthone Imperatore ecclesiæ donata 395.53
prædicatorum duo distincta officia. Gisselb. 211.42
prædones grauiter puniti 366.34
præscientia Dei 112.6 non intulit protoplasto peccandi necessitatem 112.12
præsepe in quo infans Iesus reclinatus est 116.27
præstigiatores percontati 703.3
Praga Bohemiæ urbs ab Henrico I. Imp. occupata 619.43
Pragenses antistites 639.43
precatio, oratio & intercessio quid differant 174.53
precantes à curis uacent 175.59 etiamsi non semper exaudiamur, non ægrè id feremus 178.33
precandi

precandi gratia peregrina loca petita 337.19
preces per Christum Deo offerendæ 176.41 cur non longæ faciendæ 175.17
contra Primatum 208.48 Arnulphus Aurelianus 410.45
principium qua ratione Christus dicatur 73.1
priuilegia à papis petita 408.27 ab Imperatoribus data 416.33
Probus Cæsius Siculus, Cremonẽsis episcopus 565.30
de Prodigijs 218.57
proditionum exempla 373.45
prolepsis, usitatissima in Sacris literis figura 54.11
promissionum legis atq; Euangelij discrimen 154.1
propagationes diuinæ doctrinæ in hac ecclesiæ ætate, factæ 7.48
de Prophetia 37.60 et 58.53 et 267.8 & ibid.58
prophetiæ dono illustres 572.60 & 587.25 & 635.56 & 667.24 & 676.35
propitiatorij significatio 198.20
propitiatorium ueteris legis, typus Christi 86.23
de Prouerbijs 267.16
de Prouidentia 111.56
de Proximo 152.15
proximus noster quis sit 172.30
proximo periclitanti succurrendũ. 173.1
prudentiæ nomine commendati. 598.15 & 599.33
in Pugna qui occubuerunt 593.22
puteris uocabulum in Scripturis. 44.31
de Purgatorio error quibus diaboli præstigijs & illusionibus stabilitus 692.39

Q

Quadragenarius numerus 51.47
quaternarius numerus 51.57

R

Rácherius Veronensis episcopus, Anthropomorphitarũ errores refutat 280.48
Radulphus Flauiacensis, Benedictini ordinis monachus 655.19 eius opiniones. ibid.42 duæ eius precationis formulæ 177.57. & inde
Raimiris secundus Hispaniæ rex. 23.12
Ranigerus Epternacensis monasterij rector 664.6
de Ramsola inter Libentium Hamburgensem, & Bernarium Verdensem disceptatio 425.48
Ratbodus xiiii Vltraiectensis episcopus 576.44
Ratherius Veronensium episcopus. 27.37 ab Hugone Imperatore, quòd in mores eius detestabiles nimium inueheretur, exilio damnatus 387.7 seu Catherius Leodiensis ecclesiæ præsul 578.3
de Ratione hominis 272.18 et 124.49
Ratispona à Ludolpho occupata. 712.30
Ratisponenses doctores 582.49
Rauennatensis synodus 429.49 & 433.31
Rauennates doctores 549.57
Razo Vuormaciæ episcopus 602.1
reconciliatio nostri cum patre, per Christum quomodo facta 91.58
recordari & obliuisci Dei 109.9
redemptio nostri per Christũ facta. 93.54
reformationis ecclesiarum aulicæ exemplum 427.54
de Regeneratione 199.38
Regimundus Liberitanæ in Hispaniâ ecclesiæ præsul 579.27
Reginbaldus ecclesiæ Spirensis antistes 597.54
Regino in Prumiensi cœnobio Treuirensis diœceseos præfectus. 660.49
Reginuuardus Hamburgensis episcopus 610.32
in Regionibus alijs à Romanis pontificibus cõstituti episcopi 403.47
religionis studium hoc seculo magnum 363.13
religionis studiosi 533.8
religioni pontificiæ addicti 606.2
de Religionibus extra ecclesiam. 694.35
de Reliquijs Sanctorum, earumq; translatione 332.55 hoc seculo magno precio emptæ 336.51 exercitui in terrorem hostium prælatæ 337.5 de earum ueneratione & adoratione 336.14 ad has hoc tempore iuramenta fieri solita 376.43 regum fœdera his confirmata 336.32
Remẽsis ciuitas prodita atq; capta. 456.57 eius proditores anathematis uinculis innodati 469.5
Remenses episcopi 573.45 eorum ad Iohannem papam epistola. 485.10
remissio peccatorum unde 157.15 per baptismũ accipitur. Theop. 190.1 & 191.35
remissionem peccatorum sine mediatore aliquo iusto petere nemo debet 275.8
remissiones peccatorum uariæ. Giselb. 273.30
renati quoq; peccata habent 141.12 eorum lapsus 133.23 rectè eos non solum spirituales, sed etiam spiritus dici 191.39 quale sit in ipsis liberum arbitrium 130.8
renunciare omnibus, & relinquere omnia, quid differant 67.32
responsorium de uigilia natalis Domini quis fecerit. Ranulph. 417.6
responsa à diabolo data 54.8.12
restaurationis humanæ opus, materia omnium diuinarum scripturarum. Giselb. 40.28
resurrectio Christi 94.10 est nostræ resurrectionis testimoniũ. Rad. 247.19
resurrectionis Christi & nostræ discrimen. Rad. 250.39
resurrectio quid sit. Radulph. 246.26 & Theoph. ibid. unde sit. Radulph. 247.19. & inde. qualis sit futura 249.36 & 269.28
de Resurrectionis materia, Ansber. Giselbert. & Theoph. 248.33 & inde. fine 250.5 piorum & impiorum discrimine. Theophyl. 246.49
resurrectionis cur toties mentionẽ Christus faciat. Theoph. 250.60
resurrectionem certò futuram. Theoph. 245.34.
de Resurrectione duplici. Giselber. Ansber. Theoph. Smarag. 246.37. & inde
resurgentium differentiam fore. Ansb. 249.47
resurrecturum esse hoc ipsum quod nunc circumferimus. Theoph. 246.32
Retharius Padebornensis antistes. 627.12

reuerentiæ erga ministros uerbi exemplum 364.2
rex et sacerdos noster Christus 74. 44
reges creandi, inaugurandi, seu coronandi & deponēdi ius Rom. præsules sibi resurpasse 404. 48 horum saluti in Toletano concilio quomodo consultum. 503.33. & inde
de Regum libris 264.27 & 266. 18
regni affectatores 558.24 & 603. 19
regna pro suo iudicio Deum conferre. Luitpr. 554.21
regna huius mūdi ab episcopis hoc æuo simul suscepta & administrata 392.27
Reynerus Lotharingiæ comes & abbas 663.42
Richardus Antisidiorensium episcopus 566.43 Osnaburgensis præsul 623.33 Normanniæ dux 423.12
Richarius Leodiensis ecclesiæ antistes 577.33
Richgouus Vuormaciensis episcopus 600.8
Richuinus Argentinensis præsul. 596.18
Richuino Argentoratensis ædis occupatori quæ pœna indicta 431. 51
Riginoldus Eichstadensium præsul. 593.41

## DE RITIBVS.

### Ritus

baptismi 292.35
claues 295.18
ciborum 321.4
cœnæ 306.9
confirmationis & chrismatis 294. 13
consecrationis & dedicationis. 285.8
depositionis episcoporum 319.54
exercizationis 320.24
ieiuniorum 321.4
missæ 307.7
monachatus 337.56
nuptiarum 325.14
orationum 307.52
receptionis & absolutionis 304. 42
sepulturæ 328.38
uisitationis ægrotorum 326.40
¶ Ritus superstitiosi à Rom. pont. confirmati 404.19
Robertus princeps & abbas simul. 350.44
Rodeschuuinda, sacrarum uirginū apud Gandersheimenses cœtus, præfecta 675.6
Rodolphus Burgundorum rex Italiam à Berengarij tyrannide liberat 702.25
Rodulphus post Haderadum v Hirsaugiensium abbas 665.20
Rogerus Leodicensium episcopus. 579.14
Rollo Normandorum dux 26.48
Roma ab Otthone primo deditione capta 714.5 obsidione cincta & occupata 545.27 & 446. 56
Romanæ synodi 433.58 & 442.2 & 446.52 & 453.27 & 455.52
Romani cum Rossis dimicantes, diuinitus adiuuantur 688.55 defectores 714.22
Romanus Imp. hypocrita 368.50 Lacapenus periurus 369.58 & 397.38 Constātinopoleos Imp. parricida 371.39
Romanus Leonis interfector 703.9
Romanus Constantini filius, Puer dictus 709.2
Romani Imperatoris erga ministros uerbi reuerentia 364.2
Romoaldus Camalduensis abbas. 651.21
ros cum quo manna descendit, significat Spiritum S. 102.11
Rosuuita Gandersheimensis cœnobij alumna 675.25
Rothmagus urbs, Normannis, obsidione eam cum gentibus dedita. 569.14
Rubertus Dung, Moguntinus antistes 590.44
Rubilocenses, siue Eichstadēses episcopi 593.1
Rumoldus Vuestphaliæ episcopus. 623.50
Ruodbertus Moguntinensis ecclesiæ diaconus 592.13
Rupertus Treuirensis episcopus. 575.50 Balderici in Spirensis ecclesiæ administratione successor 599.50
Russi à Romano Constant. Imperatore arte uicti 711.24
Rutgerus, Ratbodi defuncti, in gubernatione Treuirensis ecclesiæ, successor 575.36
Ruthardus Argentinensis antistes. 596.27

## S

S Abbati figura triplex. Theoph. 259.32
de Sabbati sanctificatione, Caroli lex 363.54
sacerdotum collegia ab imperatoribus instituta 424.14
sacerdotibus uel canonicis pulsis à politicis magistratibus monachi substituti 428.23
de Sacramentorum usu 184. 44
sacramenta quis distribuat. ibid. 51 ad hæc quomodo accedendum. 185.18
de Sacramentis in genere, quid scriptores huius seculi docuerint. 184.43
sacrificium qua parte Christus pro nobis factus sit 84.58
sacrificium Deo nos ipsos quomodo faciamus. Giselbert. 197. 46
sacrificia ueteris testamenti cur reiecta 199.17 non liberant à peccatis 198.29
de Sacrificiorum significatione. 197.55
sacrificiorum ueterisq; atq; noui testamenti collatio 199.19
in Sacrificijs quid Deus quærat. 197.51
de Sacrificijs quid hæc ætas senserit. ibid.20 373.
sacrilegiorum exempla 18 320.35
de Salis exorcismo 273.42
de Salomonis libris, Giselb. 268.46 & inde
saluari hominem tribus modis. Giselb.
salus tantum in Christo quærenda. 157.31 extra quem nulla salus. ibid.60 extra Ecclesiam nulla. 209.31
salutis cura non procrastinanda. 183.42
salutis nostræ promulgatio 153.3 exordium 155.35 media 185.29
de Salute nemo desperet. Smarag. 180.59
sanctitas quid 164.9
sanctitatis nomine celebres 617. 22 159.31
sancti pij unde sint
sancti non omnia norunt. Theoph. 178.59 quatenus à nobis rogandi, Radulphi opinio 636. 3
sanctorum in ecclesia quæ sit hæreditas 159.7 contra eorum nimiam uenerationem

nem
178.58
pro errore de Sanctorum intercessione ſtabiliendo mendacia ſigna edita
686.32
de Sanctis nouis certamen 428.35
Sanderadus primus in Gladbachēſi monaſterio 669.20
Sangallenſes monachi 656.52
ſanguinis nomine in diuinis literis quid figuretur 48.29 & 52.26
ſanguis Chriſti ſolus à peccatis nos mundat 91.26 qua conditione expiet peccata noſtra, Rad. incō moda opinio 274.2 translatus 694.11 Augiam delatus. 333.30. Sigebertus
ſanguis uituli ad altaris baſim fuſus, quid figuret 157.20
ſanguine Chriſti à peccatis abluti, patriq; reconciliati ſumus. Rad. 91.5 & inde. ſine hoc nulla eſt peccatorum expiatio. Radul. 91.26
de Sapientiæ libro, Giſelb. 269.13
de Sapientiū huius mundi ſcriptis, Radulph. 263.5
Sarraceni oppugnati 529.5 graui pugna ab Otthone II cæſi 717. 52 à Nicephoro Phoca cæſi. 700.30
Satanas cur ita dicatur 116.24 cur uocetur Belial 117.24 omnia mala humanis corporibus infert. 139.35
ſatanæ ſuggeſtionibus uerbo Dei obuiandum 220.56
Saxonia, ab Vngaris uaſtata 706. 51
Saxoniæ doctores 609.43 eccleſiæ. 14.13
in Saxonia uenæ metallicæ repertæ. 715.12
ſcabiei peccata quædam aſſimilata. 139.48
ſcandalum duplex: alterum litis, alterum peccati, iuxta Ansb. 237.8
ſcire Dei in Scripturis quomodo accipiatur 47.57
ſcientia perfecta quæ 156.9
de Scientia ſeculari. Giſelbert. 262. 18
de Scholis hoc ſeculo celebribus. 396.58
ſcorta 528.13 & 531.8
ſchiſmata huius decimi ſeculi 424. 23
ſchiſma Straſburgenſium cum ſuo epiſcopo. ibid.26 inter Moraſos & Bauaros. ibid.39 pontificū Rom. propter acta Formoſi 425.24 de Ramſola inter Libētium Hamburgenſem, & Bernarium Verdenſem epiſcopum. ibid. 48 inter Gerhardum Laureacenſis eccleſiæ epiſcopum, et Heroldum Saliſburgenſis archiepiſcopum 426.1
ſchiſma de pane Euchariſtico 427. 2 de ſacerdotum coniugio. ibid. 21 de electionis iure. ibid.53 de nouis ſanctis 428.35 de electione abbatum 429.6
Scriptura ſacra quibus uocabulis nuncupetur 39.55 & 44.54 unde ſit 40.8 quod eius ſubiectum. ibid.28 authoritas. ibid. 40 quomodo legenda 41.1 eius finis. ibid 13 quare uerbis præteritis pro futuris utatur 58.58 diligenter ſcrutanda. Theoph. 36 22 & 41.2 quæ tacuit, ea nos quærere non oportet 57.5
ſcriptura ſacra aliquando cibus eſt, aliquando potus, & quomodo hoc. Ansb. 35.2
de Scripturæ ſacræ ſenſibus & intellectu. Giſelb. 36.43 & 42.17 & 43.53
de Scriptura ſacra. Luitpr. 552. 31 quæ huius ætatis doctores de ea memoriæ prodiderint 39. 55
in Scriptura quatuor dictionis ſpecies. Rad. 266.53 quare nonnulla ſæpius dicantur & præcipiantur 55.52
ſcripturæ ſacræ à peritis quibuſdā Angliæ doctoribus in Angloſaxonum idioma transfuſæ 385. 46
ſcripturarum ſacrarum mos, ſiue conſuetudo 53.7 libri quibus Eccleſia caret. Giſelb. 264.8
inter Scripturas ſacras & gentiles quæ ſit differentia 37.1 & inde.
ſcripturis tantum credendū, & de mortuorum reſuſcitatione nihil curandum. Theoph. 42.5 ex his oritur fides recta. Theoph. 164. 53 ſine his nihil aſtruendū 52.21
in Scripturis quod ſingulare fidei firmamentū habeatur. Rad. 40. 40 ſi quid ambigui occurrat, quid faciendum. Giſelb. 42.27
ſecuri percuſſi 686.20
ſeditiones ab epiſcopis ſedatæ 387. 33
de Seditioſis pœnæ ſumptæ 710.2 & 714.42
ſeditioſi contra Conſtantinum Imper. ſeuerè puniti 365.4
Sergius III papa 525.54
Seguinus Senonum epiſcopus 570. 36
Senonenſes doctores 569.48 monachi 653.40
ſeptenarius numerus in Scripturis. 57.14 & 56.53 cur ſpiritui S. tribuatur 105.22
de Sepultura 344.49
ſepulturæ ritus hoc ſeculo, qui uel quales 328.38
ſequentia de ſpiritu S. à quo facta. 417.4
Serlo in cœnobio S. Auguſtini Anglorum apoſtoli apud Cantuariam celebris monachus 672. 28
in Serpente æneo, paſſio mediatoris noſtri expreſſa 88.52
ſeſſio Chriſti ad dexteram patris. 94.30
ſiccitas terræ magna in nere, qua ſatio eſt impedita 684.43
ob Siccitatem terræ ieiunium inſtitutum 576.38
Sico Capuanus epiſcopus 559.44 quòd Leonem pontificem conſecrauit, ſacerdotali miniſterio priuatus 446.3
Sigerus Moguntiacus in abbatiæ Hirſaugienſis cœnobij gubernatione, Diethmari ſucceſſor. 666.7
Sigfridus Anglus, Eboracenſis archiepiſcopus 26.59 & 643.22
Parmenſis epiſcopus 562.36
Sigfridus comes, & Epternacenſis 663.59
Sigiſmundus Halberſtadenſis eccleſiæ antiſtes 620.54
ſignum & prodigium ut diſcernat Theoph. 228.36

Signa mendacia,

pro ſtabiliendo errore de Sanctorū inuocatione 686.32
quòd Sancti appareant, & hominibus, quid facere debeant, iniungant. ibid.45
quòd cultu ſint proſequendi 688. 43
quòd Sanctorum reliquiæ uim habeant malè habentibus ſanitatem conferendi 689.13
pro ſtabiliendo Romanorum pontificum primatu. ibid.48
pro eorundem authoritate confirmanda 690.1
pro ſtabiliendo errore de ſacrificio

crificio Missæ. ibid.43
pro stabiliendo error de templorum dedicatione 691.12
pro confirmatione de dignitate monasticæ uitæ. ibid.23
ad confirmandos errores de purgatorio, de operum meritis, de inferno, &c. 692.39
¶ Sigollus Placētinæ ecclesiæ præsul 561.50
Sigvuardus Bergēsis præsul in Norwegia 643.30
de Simoniaca hæresi 282.20
Simoniæ accusati 618.33
simulatio quid 66.39
simulationis illustre exemplum. 374.27
de Sinu Abrahæ 157.57
Siphridus Danorum dux 31.18
Slaui prælio ab Heinrico Imp. uicti. 707.33
Slaui rebelles, ueræq; religionis hostes ab Otthone Magno deuicti, & ad fidem Christi conuersi. 615.38 & 713.13
Smaragdus S. Michaelis in Britannia abbas 671.4
Sodomiticarum turpitudinum patroni 632.50
solis nomine in Sacris quid significetur 45.8
circa Solem miracula 680.22 & 681.31 & 682.50
soles duo conspecti 682.19
per Somnia res futuræ prædictæ. 603.19
Sorabis Dei uerbum prædicatum. 619.1
de Spe. Theoph. 227.7
de Specie una in sacramento cœnæ. Giselb. 278.19 & ibid.23
Spirensis ecclesiæ episcopatum qui tenuerint 597.32
Spiritus quando in diuina scriptura sine additamento ponatur. 46.15
Spiritus sanctus, spiritus filij 103.19 cur in specie columbæ apparuerit 106.1 cur uisibiliter datus sit. ibid.56 cur interdum subtrahatur 107.3
Spiritus sanctus quare dicatur columba 102.14 quare paracletus. ibid.24
Spiritus S. lumen clauis est diuini uerbi aperiendi. Giselb. 40.8
Spiritus S. non est ex filio 103.33
Spiritus S. cur super baptismum Iohannis descenderit 189.34. Theop.
Spiritus S. custodiendus 191.50
Spiritus S. quomodo accipiatur & amittatur 163.23
Spiritus S. diuinæ agnitionis & cōstantiæ author. Smarag. 133.5
Spiritus sanctus quomodo post resurrectionem Apostolis datus. 132.22
Spiritus S. corpora fidelium in nouissimo die suscitabit. Theoph. 247.55
Spiritus S. substantia 102.31 processio. ibid.55 officium 104.4 inhabitatio 107.11
Spiritus S. personā rarissimè in Scriptura sine additamento poni. 48.3
ante Spiritus S. aduentum discipuli Christi rudes & infirmi 133.5
Spiritui S. quare septenarius numerus consecretur 105.22
Spiritum S. qui excutiant 106.32 quomodo hunc habeat, & cōmunicet Christus 106.46
de Spiritu S. quid hoc seculo à Doctoribus traditum 102.10
spirituales hostiæ cur opera nostra, eleemosynæ & preces appellentur 165.54
Starchandus Eichstadensium antistes 593.26
stationis suæ desertores 579.60
statua in hominis formam mutata. 681.3
stella perlucida medio cœli axe, media, præter morē die, uisa 681.16
stellæ micantes, ac hinc inde oberrantes, magno hominum stupore uisæ 678.60
Stephanus septimus Rom. pōtifex. 530.22 octauus 532.44
Stephanus Amasenus metropolita, Constantinopolitanus patriarcha designatus 520.42
Stephanus Leodiensium episcopus 577.16
Stephanus comes interemptus. 372.12
Stephani protomartyris apparitio 687.32
D. Stephano cœnobiū consecratū 339.52 & 342.46 & 343.46
Strasburgensium dissidium cum suo episcopo 424.27
struthiorum nomine hypocrisis designata 206.57
stultiloquium & scurrilitas quid differant 65.49
de Suatocopio Morauiæ rege ere-
mita facto 362.20
de Substantiæ, & subsistentiæ uel personæ uocabulis 80.39
Suederus Monasterienſis ecclesiæ pius atq; fidelis præsul 624.4
Suenotto qua occasione defecerit à Christiana religione 23.40
de Superbia 141.48
Superi ab Haquino Norwegiæ rege inusitato piaculo propitiati. 698.1
superstitioni dediti 620.15
Syluanectenſis synodus 456.54
Syluanectensium præsules 568.26
Syluester II Romanorum archiepiscopus 547.3
Symeon Bulgarorum dux monasticen deserit 361.50 homo sanguinarius, quietisq; impatiens. 681.3
S. Symphoriani cœnobium restauratum, & Benedictinis monachis repletum 341.8


Synodi uniuersales hoc seculo celebratæ.

SYNODVS


Althaimensis 431.55
Augustana 433.26
Bonnensis. ibid.2
Constantinopolitana prior 456.8
posterior. ibid.42
Dingelfingensis 432.8
Duisburgensis. ibid.40
Erfurdensis. ibid.51
Gallicanæ synodi 430.16
Ingelheimensis 431.9
Rauennatensis 429.49
Remensis prima 457.26 secunda 516.15
Romana prima 433.58 secunda 442.2 tertia 446.52 quarta 453.28 quinta 455.52
Syluanectensis 456.54
Vuintonienſis 453.54


De Synodis priuatis.


Synodos exigente necessitate celebrabant 394.38


Synodis interfuerunt.


Diaconi. ibid.22
clerus. ibid.24
populus. ibid.26
in Synodis nonnulli uel electi uel depositi. ibid.28
in Synodis dogmata quoq; examinata. ibid.32
synodi ab Imperatoribus coactæ, ipsorūq; præsentia ornatæ 431.2 3 contra papas celebratæ 431.38 in templis

in templis celebrari solitæ 292. 19
ad Synodum, ab episcopis siue ecclesiæ gubernatoribus Imperatores prouocasse 414.34
Synodorum, quibus Rom. pont. non interfuerunt, acta damnata. 404.9
B. Syriope, Papiam urbem seruatam, Luitprandi stulta opinio. 554.54

T

TAbernaculum Dei in sacris oraculis quid 54.5 ecclesiæ adumbratio 209.14
de duabus Tabulis decalogi 145.31
Tanquardus, Otthonis ex concubina seditiosus frater 709.34
de Telonum rapacitate querela. 579.43
temeritatis exemplum 371.56
templum Salomonicũ propter idolatriã exustum, cuius rei imago. Giselb. 142.24
templa & monasteria nimis multa ab Imperatoribus extructa 418. 60
templorum, monasteriorum, xenodochiorum ædificatio, renouatio & conseruatio ab Imperatoribus adiuta 415.43 structuræ hoc Seculo plus quàm alijs magis necessarijs officijs episcopos uacasse 390.46 dedicatio quibus miraculis confirmata 691. 12
in Templis quæ hoc Seculo contenta 287.59
temporum, festorum & ieiuniorũ ratio rudi populo ab episcopis indicata 387.19
in Tentatione quæ consolatio tenenda. Theoph. 225.31
tentationes undè 219.52
tentationũ duo genera, iuxta Theophyl. 219.40
in Tentationes nõ debemus nosmetipsos inijcere 126.20 & 220. 23
terræmotus facti 680.13 & 681. 30 & 682.48 & 683.15 et 684. 21
testamentũ Christi erga suos 91.51
testamentum nouum præstantius ueteri. Theophylactus 39.46
de Testamenti ueteris atq; noui libris, eorumq; serie. Giselb. 264. 38
de Testamento ueteri & nouo 37. 35. de utriusq; consonãtia 38.16
discrimine. ibid.37
testimonium qui nõ dicere possint. Adrianus papa 481.39 & Anacletus papa 481.20
testis falsus 152.27
Theobaldus apud Campidonenses abbas 662.30
Theodora nobile sui temporis Romæ scortum 528.13. & 372.16
Theodorus Antiochenus 520.21 Romanorum cum Rossis pugnãtium adiutor 688.55. & inde
Theodoricus Metensis episcopus. 572.1 Treuerensis ecclesiæ præsul 576.20 Moguntiæ ad D. Albanum monachus 668.20
Theodomarus Salisburgensis pontifex 581.43
Theophania 718.59
Theophaniam Nicephori Imp. Constantinopolitani priuignam Otho primus Imp. filio suo uxorẽ ambit 714.53. & inde
Theophylactus, Romani Lacapeni Imp. minimus natu filius 520. 49. & inde
Theophylactus Constantinopolitanorum episcopus 522.50 quas habuerit peculiares opiniones 523.23
Thiatimus Corbeiensis abbas 669. 34
Thiethardus Hirßfeldensis abbas. 664.47
Thieto Vuirtzburgensis episcopus. 604.55 Sangallensis monasterij præfectus 657.11
in Thuringia ecclesiæ 13.58
in Thuscia qua ratione propagata ecclesia 17.36
Tigurina ædes monachis restituta. 416.19
torneamenta ab Henrico Imp. instituta 367.10
de Traditionib. humanis quid hoc Seculum senserit 236.18
Transalpini Imperatores à Rom. pont. à Ludouico III, usque ad Otthonem I. cur imperij corona non insigniti 405.17
transfugæ 596.28 & 603.69
de Transsubstãtiatione, Giselb. 278. 22
Treuirenses episcopi, 575.34 monachi 659.45
tribulationes sanctis nõ citra lucrũ abeunt. Theoph. 224.23
Trinitas fons uitæ 70.47 inseparabilis unus Deus, inseparabiliter operatur, & tamen singulis personis propria actio tribuitur. Giselb. 107.19
Trinitatis inhabitatio 108.43
in S. Trinitatis honorem contubernũ siue cœnobiũ conditũ 342.1
de Trinitate quid hæc ætas docuerit 70.16
trucidati 571.7 & 579.22 & 630. 23. & ibid.55
Tryphon monachus Constantinopolitana sede potitus, et per fraudem iterum deturbatus 520. 48
Tuedwif cœnobij monialiũ in Vuedengenborg extructi abbatissa. 676.43
Tulenses antistites 567.10
turpitudine uitæ infames 598. 29
Tuto Reginoburgensis episcopus. 582.51
Tyresia Alphonsi Hispaniæ regis soror 362.6
de Typis ueteris Testamenti 198.2

V

VAndali 24.8 apud Vandalos Christi regnũ quo pacto propagatum 18. 26
uasa figuli in Scriptura sacra 50. 50
uasis fictilibus credentes in Christiũ comparati. Ansb. 204.47
Vdalricus Augustanus episcopus diuorum catalogo adscriptus 331. 9
Vdo comes perfidus 370.19
ueneno sublati 662.31 & 530.14 & ibid.30
uerbum Dei cur literis consignatum 41.48 primum audiendum & intelligendum, postea fir miter retinendum. Theoph. 166. 22 in adflictionibus intemeratum seruandum 221.29 non est inefficax. Theoph. 35.27 sine doctore spiritu nõ intelligi, Smaragdus 35.41 apud quos fructificet ibid.58
uerbum Christus appellatus 72.35
de Verbi Dei studio, Theophylactus 36.10 eius encomiũ 35.18
uerbi Dei & philosophiæ collatio. 36.37
uerbi Dei finis & effectus 35.1 & 672.19 eius propagandi gratia doctores ad exteras gentes missi. 614.53 & 613.1 per prædicationem eius Spiritus S. accipitur. Ansb. 35.12

uerbo Dei diligenter attendendum 34. 37 per hoc cũcta à Deo creata. Anſb. 110.32
uerbum Dei eſſe ſimplex 34. 22 non eſſe ratione metiendum. ibid. 31. quibus detur. ibid. 37
uerbo Dei mundamur 186. 60 Smarag. eodẽ regeneramur. Theop. 187. 13
de Verbo Dei quid huius ſeculi ſcriptores tradiderint 34. 21
Veſtales uirgines 675. 1
ueſtium luxus coercitus 608. 13
Verdenſes epiſcopi 627. 39
Veronenſis eccleſiæ antiſtites 562. 43
de Vetere & nouo homine 127. 57
ueteris teſtamenti libri rectè intellecti, non ſunt fabulæ. Theoph. 40. 53
uictimarum oblationes in ueteri lege quid ſignificarint. Anſb. 197. 56
S. Victoris collapſum monaſterium, à Villegiſo Moguntino archiepiſcopo reparatum 342. 55
uictoria perfectiſſima quæ. Theop. 226. 28
uictoriæ potiundæ gratia ſuperis humanis hoſtijs litatum 698. 1
pro Victorijs gratias agere epiſcopi hoc tempore ſoliti 388. 6
Vigerus comes 415. 53
Villegiſus Moguntinorum præſul 590. 50
S. Vincẽtij martyris reliquiæ Magdeburgum translatæ 333. 41. Sigebertus
in Vincula coniecti 621. 44
Vintonienſes doctores 638. 1
uirgæ paſtoralis typus. Giſelb. 211. 33
uirgis cæſi 643. 6
uirginitatem cõmendantes patres, coniugium nõ damnant. Theop. 328. 30
uirgines qui dijs caſtitatis uotũ fecerant, ſi illud uiolabant, quibus pœnis ſint affectæ 698. 10
cum Virginibus recens matrimonio locatis, apud Venetos quid fieri ſolitum 325. 26
uiribus humanis nimium tribuit Giſelb. 272. 1
uirtutum utriuſq; tabulæ exempla 363. 11. & inde
uirtutum gloria illuſtres 601. 19
Viſilai Herulorum et Vandalorum rex 19. 5
uiſio S. Vlrico Auguſtano epiſcopo oblata 706. 43
uiſionib. nocturnis admoniti 630. 47
uiſitationis ægrotorũ ritus 326. 40
uiſum qui amiſerunt 649. 22. & 667. 20
uita æterna unde 258. 2 qualis ſit futura. ibid. 15
de Vita ſolitaria. Theoph. 236. 44 & contemplatiua. ibid. 54
uitæ humanæ exitus incertus 127. 12.
uitia & peccata grauiter & liberè arguere, & ſingulos ad pœnitẽtiam uocare, epiſcoporum huius ætatis munus 386. 58
uitiorum contra utrãq; tabulam exempla 368. 23. & inde
S. Viti cultores 669. 55
S. Vito ſuum deitatis primatũ hoc ſeculo apud Rugianos manſiſſe inuiolatum 697. 39
uiui ſepulti 609. 25
Vlfridus Eichſtadienſis epiſcopus 593. 4
de Vnctione ægrotantium per oleũ 328. 22
unda ſubmerſi 587. 60 & 593. 28 & 663. 49
in Vngaria eccleſia quomodo propagata 16. 11
Vngari 35. 35. & 26. 27. & 24. 31 ad Chriſtianiſmum cõuerſi 580. 27. ab Alemanis & Bauaris cæſi 704. 14 ab Heinrico I Imperatore 707. 50 & inde. à Marſis ac Pelignis cæſi atq; fugati 711. 1 ab Otthone I penitus ferè deleti 712. 45
Vngarorũ gentilis opinio 696. 44 crudelitas 698. 33
de duobus Vngarorũ ducib. quorũ unus Bologudes, alter Gilas dictus fuit, Zonaræ hiſtoria 16. 57
Vnni, ſiue Vnno, Hamburgẽſis ſextus epiſcopus 21. 22. & 52
Vnno, Bremenſis ſiue Hamburgenſis antiſtes 610. 44
Vnuuonus Landauenſis presbyter 639. 34.
de Vocatione gentium. Rad. 204. 21
Volcquardus Aldenburgẽſis epiſcopus 20. 59
Volomarus apud Padebornenſes epiſcopatu functus 626. 49
uoluntatis deprauatio uitãda 166. 2
uoluntatem hominis Deus adiuuat & præparat 33. 34 & 131. 1
uoti & petitionis diſcrimẽ 179. 28
uota facta 630. 6
urbes captæ 571. 7. & 574. 27 & 578. 9. & 584. 47 incendio cõflagratæ 627. 15
Vrſeolus Venetorum dux 419. 40
de Vrſo Saxonis Grammatici nugæ 693. 31
Vtenburrhani monachi 664. 30
Vtho Argẽtinenſiũ epiſcopus 596. 45
Vulſtanus Eboracenſiũ XVI epiſcopus 636. 60
uxoris erga maritum officia 239. 49. & 240. 9


Vu.


Vago, Aldenburgenſium antiſtes 616. 11
Vualdo Cumanus epiſcopus 56. 11
Vuarinus Colonienſis eccleſiæ antiſtes 609. 22
Vuendelgardis Gandersheimenſis abbatiſſa 675. 13
Vuerenboldus Hirſaugienſis monachus 667. 34
Vuernerus S. Albani apud Mogutiam abbas 668. 13
Vuernerus, ſiue Vuerinharius, monachorum apud Fuldenſes, collegij præfectus 655. 3
Vueſtualiæ doctores 623. 3
Vuiberadis Sangallenſis monialis 676. 33
Vuiborada martyrio coronata. 678. 5
Vuildebrophus apud Argentinenſes antiſtes 597. 15
Vuilderolphus Argentinenſiũ epiſcopus murib. abſumptus 685. 49
Vuilfreda monialis 676. 49
Vuilhelmus Monaſterienſis eccleſiæ epiſcopatu qua ratione ſit potitus 623. 10
Vuilhelmus Senonum epiſcopus. 570. 1
Vuilhelmus Mogũtinæ eccleſiæ gubernator 589. 29
Vuilla Berengarij uxor inceſtuoſa 372. 43
Vuillerus Ogonis in abbatia ſ. Maximini extra Treuirenſes muros ſucceſſor 660. 21
Vuintonienſis ſynodus 453. 54
Vuirtzburgenſes monachi 661. 22
Vuirtzburgenſes antiſtites 604. 54
Vuipertus Gemblacenſis monaſterij fundator & monachus. 668. 30

Vuitgerus Treuirensis episcopus. 571.34
Vuitegouius Augiensis abbas. 662.1
Vuitichindus, siue Vuimdichildus, Corbeiensis cœnobij præsul. 669.39
Vuolfgangus XII Ratisponensium episcopus 583.20

## INDEX.

ad Vuormacienſis eccleſiæ clauum qui hac ætate ſederint 600.5

X

Xenodochium apud Bremenſes. 614.2

Z

Zachæus, rerum imperitus, epiſcopus conſecratus 383. 15
de Zacharia à Iudæis interfecto, Theoph. opinio 523.36
de Zelo 174.12
Zoe mortua, à relicto ſuo uiduo Monomacho angelis comparata 301.45
Zuendeboldus rex à Lotharingenſibus perimitur 701.46

INDICIS FINIS.

## ERRATA IN HAC DECIMA CENTVRIA INTER excudendum commiſſa, ſic emendentur.

Prior numerus columnam, poſterior uerſum ſignificat.

18. 1 pro dedſet, Lege dediſſet. 31. 22 pro eſti tueret, reſtitueret. 37. 7 pro nocum, uocum 40. 28 pro ſcripturas, ſcripturarũ. 58. 40 pro annſl ciaturi, annunciaturi. 74. 35 pro muntios, nuncios. 80. 12 pro tamen, tantum. 95. 24 pro ad Eph. 9. ad Eph. 2. 96. 59 pro exaudiri, exaudire. 101. 36 pro collocatio, collatio. 108. 28 pro ſabbata, ſabbato. 110. 57 pro ocioſius, ocioſus. 112. 24 pro uidere, uidete. 113. 2 pro affectioni bus, adflictionibus. 114. 4 pro rationabilum, rationabilium. 121. 9 pro circa, citra. 131. 38 pro columnis, columna. 139. 13 pro indifferenter, indifferenter. 142. 39 pro peccari, peccati. 145. 31 pro duo, duæ. 167. 60 pro non, ſed. 177. 35 pro cæcitare, cæcitate. 205. 3 dele alterum in. 212. 21 pro leuitas, lenitas. 214. 20 pro ſol, ſal. 223. 25 pro inquo, iniquo. 225. 35 pro credentes Deum, credentes in Deum. 226. 31 pro adiutat, adiuuat. 228. 43 pro ſecum, ſecundum. 288. 48 pro iude, inde. 329. 33 pro inſtituta, inſtitutæ. 335. 14 pro prociunculam, portiunculam. 341. 27. pro annus, annuis. 347. 18 pro argentis, argenteis. 359. 25 pro ad, ex. 371.42 pro offerendam, offerendum. ibid. uerſu mox ſequenti, pro à parte, à patre. 372. 16 pro imprudens, impudens. 384. 26 pro æquus equus. 387. 26 pro paupetum, pauperum. 416. 5 pro pepulſaret, propulſaret. 443. 8 pro habitata, habita. 529. 15 pro ridiens, rediens. 541. 8 pro pontficarum, pontificatum. 560. 38 dele alterum in. 564. 43 pro propia, propria. 568. 26 pro Syluanecteſes, Syluanectenſes. 574. 58 pro ſententijs, ſententijs. 597. 49 pro propinquate, propinquitate. 606. 7 pro Benedictis, Benedictinis. 609. 40 pro ſortius, ſortitus. 620. 18 pro colebrantur, colebantur. 676. 50 dele in. 678. 60 pro ferre, ferè.

BASILEAE, EX OFFICINA IO-
ANNIS OPORINI, ANNO SALVTIS
humanæ per CHRISTVM partæ,
M. D. LXVII. Menſe Se-
ptembri.